DOCTRINÆ CHRISTIANÆ COMPENDIVM:

seu

COMMENTARII CATECHETICI, ex ore D. ZACHARIAE VRSINI, verè Theologi (qui Heydelbergæ Catecheseos explicationem continuare solebat & iterare) diuerso tempore ab ipsius Discipulis excepti.

C. 5. 43.

Ad septem exemplaria, diligenter inter se collata, pluribus in locis emendati, variis quæstionibus, thesibus & argumentis auctiores facti, & nunc denuo non parua accessione eorum, quæ in Commentarijs desiderabantur (quod ex indice facilè apparebit) locupletati.

Cum INDICE prçcipuorum Capitum.

Gen. 18. 19. Cùm nouerim eum non reuelarem? ob hanc causam, vt præcipiat filijs suis, & domesticis suis post se, vt obseruent viam Iehouæ exercendo iustitiam & iudicium, & vt præstet Iehoua Abrahamo id quod promisit ei.

LONDINI,
Excudebat Henricus Midletonus
impensis Thomæ Chardi.
Anno 1586.

MAGNIFICO AC GENEROSO DOMINO, GEORGIO LATALSKI, F. COMITI DE LABISCIN, &c.

Gratia & Pax per Christum.

INter innumera beneficia, quæ Ecclesiæ suæ Deus, ultima hac mundi senescentis ætate, contulit, doctrinâ & singulari pietate præstantes viri, qui solidis scriptis mendaciũm expugnare & veritatem confirmare conati sunt, meritò collocantur.

tur. Reproborum autem peruicacia, nec non multorum (qui Christo nomen dederunt) ingratitudines D. Optimũ Maximum eò adegerunt, vt fidos suos seruos ex stationibus variis ad se reuocaret, quorum tumulis postea multo fletu, seriis suspiriis & lachrymis est parentatum. Quàm verè dictum est! Virtutem incolumem odimus, sublatam oculis quęrimus inuidi: *Enimuero, quum tot in Eccleſiæ cœlo fulgentes stellæ occidunt, & Dominus aurea illa candelabra occultat, vt, qui errorum tenebras ita cupidè ambiunt, ex lucifugis tandem cæci cæcorumq; duces sint & agnoscantur: est certè quod timeamus, nec exigua impendent malorum ponderа, &,* quid serus vesper vehat, *maxime est reformidandum. Prestantium quorundam Theologorum discessum tu-*

limus

limus aliquando, quòd supereſſent alij qui defunctorum vices fœliciter implerent: hodie verò, quandoquidem reliqua ligna ſyluæ adeo pauca ſunt, vt puer ſcribere poſſit ea, pios omnes ardentibus votis Dominum interpellare credo, vt nouos operarios, qui murum Babylonis diruant, Solymæq; mœnia ædificent, veluti noua manu immittere dignetur. Omnium Europæ regionum fœliciſſima Germania, ad Euangelj communionem noſtro hoc ſeculo ante cęteras vocata, nunc verò à ſpiritu vertiginis, qui naturæ humanæ in Chriſto veritatem euertere cupit, miſerè concuſſa, ſupplices manus tollit, Deum piosq; precatur, auxilium expectat & cupit: quod vtinam reſpiciat & excipiat. Qui potuit, ſecundùm Deum, huic malo, erroriſq; conatibus remedium offerre & adferre,

is est, meo iudicio, D. Zacharias Vrsinus, quem, & eximia pietas, singularis modestia, & summa doctrina comitatæ sunt viuum, fato functum autem miris laudibus (etiamsi rumpatur inuidia) prosequuntur. Huius Theologi, sanctis laboribus de Grege Christi permultos annos optimè meriti, iacturam fecimus. Quid dicturus sum? vnde initium sumam? quando finem facturus, si tanti viri laudes, quæ meum excedunt ingenium aggrediar? Istud encomium, eruditorum hominum scriptis, & orationibus editis relinquamus. Tu generose Comes hîc mihi adesto. Germanis, Polonis, Europæ, omnibus testare ijs donis decoratum fuisse Vrsinum, quæ eximium Theologum decent, vt qui potuit exhortari per doctrinam sanam, & contradicentes conuincere. Testes sunt illi-

us

us varia scripta multiplici eruditione referta, & iampridem edita, quibus diuina veritas acerrimè defenditur, hæreticorum paralogismi fidelissimè indicantur, Neariani & Eutychiani euertuntur. Nomen suum autem expungi voluit, illud adscribi diligentissimè cauit, tum quòd ab omni specie inanis gloriæ fuit alienissimus, tum quòd causam cum causa, rationes cum rationibus, non personas cum personis congredi oportere iudicaret. Nec etiam te latet, quid paulò antequàm migraret ad Dominum, C. T. scripsit de responsione ad Catechismum Arianorum, qui Poloniam vestram, potentissimum Regnum, quantum in se est, perdere cogitant. Rogatus enim vt extremam manum refutationi admouere, & scriptum

illud prælo committere vellet, vtrumque se præstiturum pollicitus est, modò Vrsini nomen in editione non exprimeretur. Ad sepulchrum vsq; Christiana modestia & humilitas summum hunc Theologum perduxit, qui scriptis, ore, vitâ, sermone, semper est professus, se pro philosophiæ Christianæ fundamento humilitatem posuisse. variis temporibus in schola cui diligẽter & pio studio præerat, multa studiosis adolescentibus dictauit, quæ in lucem exire, ipsis & aliis multùm vrgentibus, nunquam passus est. Cõmentarios in Catechismum Heidelbergensem ego & alij petimus vt euulgaret: constanter recusauit, & hęc (inquit) non sunt luce digna, extant loci communes doctissimorum Theologorum, quę desideriis studiosorum satis superq; satisfacere possunt. Dum hæc ille op-

opponit, monstra, quibus Germania etiamnum oppugnatur, fœliciter adortus est, & quandiu inter mortales mansit, infracto pede persequutus est, quod ex doctissimis scriptis Neostadij editis cognoscere licet. Ego verò cùm ante & post Vrsini obitum eius prælectiones auidè excipi & describi à Theologię candidatis animaduerterem, ne tandem fraus aliqua in tam varijs scriptionibus committeretur, modestia eius, quem viuum (propter eximias dotes) colui, factus audacior, vt iunioribus & minùs exercitatis gratificarer, hanc isagogen ad difficiliores Theologiæ locos, nudo sanè & (si quis volet) parum eleganti, sed perspicuo Theologicoque stylo conscriptam offero. Hunc autem ordinem sequutus sum. Ad me peruenerunt varia earundem prælectionum collectanea, præ-

præcipuè verò exemplar ab ornatissimo viro D. Adamo Thobolski, C. T. præceptore, mihi liberaliter suppeditatum est, eius propria manu diligentissimè, & Neostadij, paulò ante mortem D. Vrsini exceptum. Illo, meoque cum alijs exemplaribus fideliter collatis, in hunc codicem commentarios catecheticos D. Vrsini retuli, quod Deus benè vertat, cuius gloriæ inseruire fuit animus. Quòd autem, Generose Comes, tibi alienos labores consecrare visum est, non indignè ferent qui consilij mei rationes expendere dignabuntur: quarum prior est, ipsius Vrsini, dum vixit, erga te singularis beneuolentia, quæ nobile nomen tuum Theologicis laboribus, quos reuerenter colis, inscribere iubet. Altera, quum doctissimi tui præceptoris laudabili studio,

dio, è ſcrinijs tuis tam præclarum opus in lucem exeat, quis mihi vitio vertet, ſi præclarum iſtud opus, veluti tuum tibi vendicem? quod vt dextra manu, & ceu genuinum Vrſini poſthumum accipias, C. T. vehementer etiam atque etiam rogo. Geneuæ. 15. Calend. Aprilis. Anno patientiæ Dei. 1584.

Tuæ Celſitudini.

Addictiſſimus,

S. G. S.

D. Opt. Max. S.

Vrſinum dederas vnum, Deus Optime, nobis,
Sufficeret nobis tua qui penè omnia ſolus.
Siue homines ille hmmana ratione doceret,
Artibus excultus cunctis: ſiue entheus illum
Spiritus arcanos depromere pectore ſenſus
Inſſerat, & ſacri quatientem lampada verbi,
Diſcutere errorum nebulas, cuneoſque ruentum
Diuinis fretum telis hinc inde luporum
Rumpere, tutantem Chriſti diuinitus agnos.
Ergo quid Vrſino properata morte perempto,
Crediderim ſupereſſe gregi, qui ſicut in vno
Cuncta habuit quondam, ſic cũcta amiſit in vno?
Sic ego multa gemens, & planctib. aera complẽs
Quum deus excelſa miſeratus ab arce gementem,
Pone modum lachrymis, inquit, Vobiſque, ſibique
Viuit, qui vitam impendit vobiſque mihique.
Ergo, Vrſine, abſit nobiſque, tibique, Deoque,
Vt te viventem deinceps ceu lumine caſſum
Ploremus ſtulti, quem tot tantique labores
Æternum æternæ conſecrauere ſaluti.
Et quibus hoſce lupos tecum victricibus armis
Fregimus, in media nobis quum morte relinquas,
Nempe etiam nobis verè poſt funera viuis,
Et viues donec cœlorum regia tecum
Felici excipiat functos certamine cunctos.

ZACHARIÆ VRSINO SILESIO VIRO IN OMNI DISCIPLINARVM GENERE EXERCITATISSIMO, THEOLOGO SVMMO, VITÆ INCVLPATÆ, IVDICIO ADMIRABILI, LABORE INDEFESSO, TH. BEZA CHARISSIMO IN CHRISTO FRATRI. P.

ORATIO EXHORTATORIA AD CHRISTIANÆ *doctrinæ ſtudium, habita Vratislauiæ à Zacharia Vrſino*, cùm EXAMINIS Theologici, à Philippo Melancthone conſcripti, prælectionem exordiretur anno Chriſti M. D. LVIII.

POſtquàm mihi conſilio eorum, qui præſunt veſtris ſtudijs iunctum eſt, vt doctrinæ Chriſtianæ Capita vobis compendio diſcenda proponam: equidem agnoſco & fateor, opus à me requiri, cui nihil minus, quàm infantia mea reſpondeat. Hæc enim doctrina eſt, quæ, non dico ſapientiſſimis & acutiſſimis hominibus, niſi voce Eccleſiæ & ſpiritus ſancti efficacia doceantur, perpetuò manet incognita, ſed cuius magna pars etiam ipſis Angelis, antequàm per filium Dei ex arcano æterni patris ſinu proferretur, ignota fuit. Ad quam explicandam & ornandam, ſi omnium angelorum & hominum perſpicacitatis & eloquentiæ nerui omnes

omnes intendantur, nunquam tamen de illa prorei amplitudine & dignitate dici possit. Mallem igitur, dum quantum in me desiderem, cogito, has partes alteri demandatas esse, qui saltem aliquantò, quàm ego, melius & feliciùs eas sustinere posset, Sed cùm officij mei rationem expendo, mihi & saluti vestræ summa voluntate seruiendum, & DEO ad honestos labores vocanti obtemperandum esse video, promittenti præsertim auxilium quo adiuti de nulla re desperare debent. Vult enim Deus efficax esse etiam per organa infirma & abiecta, iuxta sententiam Psalmi 8.3. *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti robur propter inimicos tuos, vt destruas inimicum & vltorem.* Appellatio, qua vtitur, significat puerum, qui incipit intelligere & loqui Nominantur autem vsitatè pueri non tantùm ætate, sed etiam facultatibus siue intelligendi, siue alias actiones efficiendi. Sunt etiam ætate infantes, diuinæ bonitatis & prouidentiæ testes satis locupletes. Manifesta testimonia præsentiæ Dei in miranda sobolis propagatione, conseruatione & educatione satis refutant diabolos & omnes atheos, negantes vel esse Deum, vel talem esse, qualem se esse dicit. Sed Christus in Euangelio Matthæi 21.16. trahit sententiam ad confessionẽ, qua ratione in omnes nos competit, qui de Deo aliquid cogitamus aut loquimur. Sumus enim infantes

in-

intellectu & sermone de omnibus rebus diuinis. Discimus in hac vita exigua quędam illarum initia, & sicut piè & verè scribit Imperator Gratianus in sua confessione ad Ambrosium, *loquimur de Deo non quantum debemus, sed quantum possumus.* Etiam ipsi Prophetæ & Apostoli de se idem fatentur, vt 1. Cor. 13.9. *Imperfectè cognoscimus, imperfectè prophetamus: cùm autem venerit perfectum, abolebitur imperfectio,* Et 12, *videmus nunc per speculum tanquã in ænigmate, tum autem de facie ad faciem.*

Etsi autem & initia, quæ discimus, exigua sunt, & vox ministerij nostro captui accommodata est, in quo Deus & ipse nobiscum tanquam cum infantibus loquitur, & nos de se tanquam infantes loqui patitur: tamen adeò vult Deus in hac vita doctrinam de se cognosci, vt non alio modo spem alterius vitæ nobis faciat; & hęc qualiacunque initia tanto post se interuallo omnem humanam sapientiam relinquunt, vt eius ad hęc nulla sit collatio. Sunt enim hæc rudimenta, rationi ignota sapientia, sunt ad salutem ęternam necessaria & sufficientia. Non igitur tantùm infantiam nostram agnoscamus, sed etiam esse in lactentium numero velimus. At enim non adolescet infans, qui lacte materno, aut nutrimento conueniente non aliturita nos quoque, ne spe perfectionis nostræ excidamus, lac verbi diuini, quo ad vitam æternam alimur

mur & educamur, reſpuere non oportet. Hęc eſt infantia ſpiritualis, DEO placens, vt Chriſtus teſtatur, cùm obiurgat Phariſæos indignantes, quòd in templo pueri canebant, *Hoſanna filio Dauid*. Hi ſunt infantes, quorum voce vult eſſe efficax, quorum ore, vt addit Pſalmus, *perficit robur*, ſeu, vt vertunt, qui fontes conſiderant, *fundat regnum*. Loquitur autem de robore ſeu regno, quod in hac vita conſpicitur & nominatur regnum Chriſti, quod eſt, Filium Dei inſtituere & conſeruare miniſterium, colligere Eccleſiam, viuificare credentes voce Euangelij, & ſanctificare eos ſpiritu ſancto ad vitam æternam, defendere Eccleſiam in hac vita contra regnum Diaboli, & poſt hanc vitam reſuſcitare ſanctos ad vitam æternam, vt in eis regnet diuinitas palàm, non per miniſterium.

Fundamentum huius regni quod ſit, Paulus explicat 1 Cor. 3. 11. dicens: *Fundamentum aliud poni non poteſt, præter id, quod poſitum eſt, qui eſt Chriſtus*. Fundamentum Chriſtus eſt, primùm ſua perſona, quia omnia huius regni membra, id eſt, omnes ſanctos, ſibi copulatos & inſertos geſtat, ſeruat & continet, ſicut fundamentum partes reliquas ædificij, ſicut vitis palmites; Tum etiam doctrina de ſe, id eſt, de perſona & officio ſuo. Vt enim politici regni neruus ſunt leges honeſtæ: ita hoc regnum doctrina de Chriſto colligitur, conti-

netur & gubernatur; & ſicut ſine fundamento non conſiſtit ædificium: ſic niſi, quis ſit Chriſtus, & quid nobis præſtet, teneamus, quæcunque reliqua videtur eſſe pietas aut conſolatio, euanida, ficta, nulla eſt.

Hoc fundamentum ponitur ore infantium, dum credentes doctrinam auditam, excitati à ſpiritu ſancto, diſcunt & amplectuntur, atque ita Chriſto inſeruntur & coaleſcunt.

Vtitur autem DEVS ad hoc ſummum opus noſtra infantia, vt illuſtretur ipſius gloria, dum operis magnitudo, & organorum imbecillitas, non noſtra, ſed Dei potentia & efficacia res tantas fieri & conſiſtere, manifeſtũ faciunt; Tum etiam, vt retundat ſuperbiam ſuorum hoſtium, dum ingens ipſorum potentia, noſtra imbecillitate ſuperatur, & noſtra ſtultitiæ ſpecies, ipſorum ſapientia nihil eſſe ſtultius, tandem patefacit, ſicut dicitur; *In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra.* Deſtruit enim Filius Dei opera Diaboli, eripiens Diabolo credentes, remittens & tollens peccatum, incoans iuſtitiam & vitam æternam, defendens Eccleſiam, accuſans & detegens malitiam hoſtium, reprimens & puniens eos, & nunc & in poſtrema Eccleſiæ ab omnibus malis liberatione. Atque hæc frementibus inferorũ portis, per miſeras voces hominum partim efficit, partim teſtatur: quod 2. Cor. 10. 4. dicitur, *Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed*

potentia Dei ad destructionem munitionum, quibus militamus consilia destruentes & omnem altitudinem extollentem se aduersùs scientiã Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, & in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam, cùm completa fuerit vestra obedientia.

Vt igitur vasorum vtilitas de mercium, quas continent, pretio nihil detrahit: sic vobis tenuitas & infantia doctrinam sonantis non ita negligenda videatur, vt quidquam de grauissimarum, quæ vos ad ardens Christianæ religionis studium hortantur, causarum pondere diminuat. Earum verò dum aliquas in hoc nostræ repetititionis exordio recensendas puto, immensa rerum maximarum mole sic obrui me experior, vt vnde summam initium, vix possim statuere. Quia tamen aliquid istorum considerandum est, ea sanè nobis prima sit, quæ omnes actiones & studia nostra debet regere, seria diuinæ Maiestatis & perspicuis mandatis declarata voluntas. Colloquimur enim nunc, qui sumus ciues Ecclesiæ, ac certò scimus, Prophetarum & Apostolorum libros esse certissimas diuinæ mentis & voluntatis patefactiones. Passim autem in his tradita & repetita sunt præcepta, quę iubent omnes homines diligenter inquirere & cognoscere doctrinam in illis libris comprehensam. Hoc est præceptum De-

Institutio catechetica est necessaria.

I. Mandatum Dei.

Decalogi de Sabbatho; hoc est illud quod dicit Seruator; Luc. 10. 42. *vnum necessarium.* Huius sapientiæ cognitionem ait esse vitam æternam; hanc vt sæpè aliàs, ita scripturus ejus quasi Epitomen Dauid in primo Psalmo commendat, eam veræ beatitudinis comitatu ornans. Sed non satis hæc fuerunt φιλανθρώπῳ & solicito de nostra salute patri Cœlesti. Addit etiàm peculiaria mandata de summa doctrinæ, omnibus, præsertim verò iuuentuti, proponenda, hoc est, de nostra institutione Catechetica. Deut. 4. 9. inquit: *Docebis ea filios tuos.* Et Deut. 6. & 11. *Ponite hæc verba in cordibus & in animis vestris, & suspendite ea pro signo in manibus, & ob oculos vestros collocate. Docete filios vestros, vt illa meditentur, quando sederis in domo tua, & ambulaueris in via & accubueris atque surrexeris. Scribes ea super postes & ianuas domus tuæ, vt multiplicentur dies tui & filiorum tuorum in terra.* Præcipi audimus parentibus, & quibus eorum partes commissæ sunt, vt doceant ac doceri curent; iuuentuti, vt discat; vtrisq; vt assiduè doctrinam inculcent, repetant, meditentur. Eam verò cùm liberis tradi, & in cõspectu semper nobis esse vult: breuitatem & perspicuitatem requiri, manifestum est, id est, Catechesin seu summam doctrinæ cum explicatione nec prolixa nec obscura. Sic Paulus 2. Timoth. 1. 13. *Habeas, inquit, hypotypoſin sanorum*

rum sermonum, quos à me audiuisti, in fide & dilectione in Christo. Cum eius exercendæ ac tuendæ præcepto, definitionem nostræ Catecheseos audimus.

Hypotyposis sanorũ sermonum.

Hypotyposis & veras sententias de singulis doctrinę partibus ordine & breuiter comprehensas, ita vt quasi oculis subiectæ sint, & genus seu formam docendi & loquendi propriam, perspicuam, congruentem cum sermone Prophetico & Apostolico significat. Ideò nominat sanos sermones à se traditos in fide, seu de fide & charitate in Christo, id est, in agnitione Christi, sicut passim totam pietatem ad fidem & charitatem reuocat. Est igitur Catechesis summa doctrinæ de fide & charitate in Christo, ab Apostolis & Prophetis traditæ, seu, summa doctrinæ Christianæ, breuiter, ordine & perspicuè comprehensa. Non enim nostrum est, dogmata excogitare, sed necesse habemus referre nos, vt Esa. 8. 20. dicitur, ad legem & ad testimonium. Explicatio autem addenda est, quæ sit recta partium & ordinis monstratio, & verborum ac phraseos interpretatio.

Catechesis.

II. Salus nostra Deus adulto conuertit & saluat per doctrinam cognitam, tanquam organum.

Hæc vna ratio, ad excitandum in non prophanis mentibus doctrinæ sacræ studium, satis est efficax. Illis enim DEI mandatum, instar omnium causarum est, etiamsi nihil accedat. Sed cùm Deus indulgens imbecillitati nostræ, causas etiam huius præcepti nobis indicet,

dicet, reuerenter eas considerare necesse est. Affirmat autem Deus, ideò nobis discendam esse doctrinam, quia per eius cognitionem & non aliter, omnes, qui per ætatem possunt intelligere, quíque ex illis vitæ æternæ hæredes futuri sunt, velit conuertere & saluos facere. Confidenter & mirificè dictum est à Paulo Ro. 1. 16. *Euangelium est potentia Dei ad salutẽ omni credenti.* Et 1. Cor. 1. 18. *Sermo crucis pereuntibus quidem stultitia est, saluandis autem nobis potentia Dei est.* Et ibid. 23. *Placuit Deo per stultam prædicationem saluos facere credentes.*

¶ Verùm hęc sententia, vt multis & grauibus Spiritus sancti testimonijs tradita & confirmata est, ita magnis diaboli conatibus oppugnatur. Nam paradoxon hoc de stulta crucis prædicatione, mentes humanas non mediocriter percellere videns mendaciorum pater, fanaticos homines incitandi occasionem arripit, vt nihil minus esse docendi officium clamitent, quàm organon, quo conuertantur homines; Deum se nobis immediatè communicare; vocem nostram nos idolum facere. Fundunt isti quidem singularis cuiusdã illuminationis speciẽ habentia, θαύματα ῥημάτων, Sed quibus nitantur fundamentis, & quam diuino consilio sapientiam opponant, audite, quęso, & considerate. Nihil, inquiunt, omipotens DEVS indiget ad conuertendos homi-

Contra Swenkfeldianos, de efficacia Spiritus S. per ministerium verbi.

nes istac voce, nihil istoc ministerio, lectione, meditatione. Non igitur hoc instrumento vtitur, nec saluandis vlla huius discendi, laboris necessitas imponenda est. Vos ego iam aliquot pueros, inter quos est'ne aliquis tam infirmo, tam puerili iudicio, qui non explodendum esse intelligat eum, qui sic vobis ratiocinetur? Facilè Deus omnipotentia sua perficere potest, vt quis absque libris, absq; præceptoribus, absq; studio peritus sit literarum & doctrinæ, vt Apostoli & alij in primitiua Ecclesia linguis vtebantur, quas nunquam didicerant; potest fœcundare terram, & ex ea fruges educere sine agricolarum laboribus; potest naturam hominis sustentare absq; cibo, vt Mosen & Christũ quadraginta diebus. Non igitur necessaria, nec earum, quas optamus & expectamus, rerum aliqua causa existens, opera sumitur, dum Scholastici libros & studia tractant, preceptores & Scholas adeũt; agricolæ aratra, ligones, rastros & falces terræ admouent; ac singuli vitæ tuendæ vitam impendimus. Videtis, in quos cæcitatis & insaniæ scopulos diabolus impellat infelices homines, qui cùm nec fundamenta vel pietatis vel artium meliorum didicerint, nec discẽdi laborem ament, videri tamẽ quod minimè sunt, cupientes, extollere se aduersùs scientiam Dei, & sapientiam æternam suæ subijcere censuræ non dubitant? Nec enim plus mentis

quàm

quàm frontis habent, cùm exempla eorum, qui miraculo conuersi, vt Paulus, vel donis ornati sunt, vt Apostoli in Pẽtecoste; cùm magnam multitudinem audientium Euangelium, nec tamen credentium; cùm scripturę sententias allegant, quæ de Spiritus sancti officio concionantur. Scimus Dei beneficio & fatemur, posse Deum sine hac docentium & discentium opera, quos vult conuertere, & hunc finem esse miraculorum, vt constet, ordinem, quo in natura est efficax, ab ipso conditum esse & seruari liberrimè; Scimus, adeò conuersionem esse donum solius Dei, vt quantò perditum hominem saluti restituere, quàm non existentem condere, maius opus & admirabilius est; tantò maioris impudentiæ sit ac furoris, illud, quàm hoc, efficacitati vocis humanę tribuere. Sed illud etiã scimus, placuisse Deo per stultam prædicationem saluos facere credentes. Cur sic ipsi visum sit, etsi nihil necesse est, nobis rationem reddi; tamen huius etiam consilij causas saltem aliquas nunc intelligi patitur; sed non easdẽ pijs & impijs proponit. Nam his quidem hanc rationem dicit, quia sic voluit coràm tota Ecclesia, & ipsorum conscientia teste, euidentiorem esse suam iustitiam in condemnanda malitia repugnantium verbo reuelato: in nostra verò consideratione & aliæ causæ locum habent, quæ ad doctrinam & consolationem nostram faciũt.

Causæ institutiministerij.

2. Cùm vox ministerij & omnis nostra cogitatio de Deo sit ænigma, in quo nunc videmus Deum & eius voluntatem; admonet nos de magnitudine nostri lapsus, quo factum est, vt nunc non fruamur coràm, conspectu Dei, ex interuallo quasi & per interpretes nobiscum agentis, & excitat nos, vt aspiremus ad illam cœlestem scholam, in qua Deus immediatè à nobis conspicietur & erit omnia in omnibus.

3. Prętereà vult Deus inquisitionem, meditationem & confessionem doctrinæ de se & voluntate sua etiam in hac vita non tantùm in animis hominum latere, sed etiam palàm sonare ac celebrari, ideoque summa, qua potuit, necessitate ad eam nos adstrinxit, ad salutem

4. nos per eam se reducturum promittens. Atque adeò cum diuinorum operum excellentissimi συνέργοι homines esse voluerit, qua re secundum vnigeniti Filij donationem, quanti hanc miseram naturam faciat, magis poterat

5. ostendere? Doctrinam itaque lectam, auditam, cogitatam, necessarium ad conuersionem nostrî instrumentum esse affirmamus, non equidem Deo, sed nobis, non quia Deus non alio modo nos possit cõuertere, vt architectus non potest absque instrumentis domũ extruere, sed quia non aliter voluit. Est profectò est vera fides nullius, nisi Dei, donum & opus, sed quod per auditum verbum Dei Spiritus sanctus in nobis efficit. Plantat Paulus,

rigat

rigat Apollos, Deus autem dat incrementũ. Et cùm Paulus Euangelium à se prædicatum nominet potentiam Dei ad saluandos credẽtes, Item Ephes. 4. 11. dicat, *dedit alios Apostolos, alios Prophetas, alios Euãgelistas, alios pastores & doctores ad coagmentationem sanctorum, ad opus ministerij in ædificationem corporis Christi*, potest'ne de officio docendi vox glorioſior vlla proferri? Non igitur plus Deo sapere nobis permittamus, nec omissis regularibus, irregularia sectemur, nec tanti sit apud nos contemnentium Euangelij vocem superbia, contumacia & pernicies, vt ordinationis diuinæ fructum & efficientiam in organis misericordiæ minùs amemus ac veneremur, vt nec scholasticorum quorundam ignauia & peruicacia, profectus omnis ac bonæ frugis impedimenta, cęteris persuadent, institutionem & studium ad doctrinam & virtutem cõparandam atque augendam res non necessarias esse: sed potiùs obsequentibus & gratis animis fruamur dulcissima consolatione, qua nobis confirmatur, & placere Deo nostros labores, & à nobis non frustrà suscipi, iuxta hęc dicta; Eccles. 11. 1. *Mitte panem tuum super aquas, quia post longum tempus eum reperies*. 1. Cor. 15. 58. *Labor vester non est inanis in Domino*. Matth. 18. 20. *Vbicunque sunt duo vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum*. Hæ promissiones nisi notæ & certæ essent, in tan-

tantis diaboli furoribus & humani generis miserijs, de quibus nimis verè dicitur, οἱ πλέονες κακοὶ, docentium optimus & publicæ salutis amantissimus quisque conditione esset infelicissima, locumque suum difficilimè teneret. Ego certè, qui nullo in numero sum, sic me affectum esse sentio, vt dolorem meum & consistere ad hoc pulpitum nõ mihi permissurum, & hanc vocem in ipsis præcordijs & faucibus inclusurum existimem, nisi in hoc nostro Cœtu aliquos esse certò scirem, quorum pectora veram & salutarem doctrinam admittunt, & accendũtur spiritu sancto, vt rectè Deum agnoscant & inuocent, ac viua Dei templa sint, ipsum celebratura in cœlesti consuetudine. Nec tamen hæc eò dicta sunt, quòd cognitionem ac lucem doctrinæ parem, & eadem spiritus sancti dona in omnibus expectemus. Iubet enim nos Paulus Rom. 12. sapere iuxta mensuram fidei, quam singulis Deus attribuit. Fundamentũ verò saluandos omnes idem tenere necessarium est, hoc est, quis sit Christus, & quid præstet singulis, scire & credere oportet vt dicitur Iohn 17.3. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant, te solum esse verum Deum, & quem misisti Iesum esse Christum.* Et Ioh. 3. 36. *Qui credit in filium, habet vitam æternam.* Ex his alijsq; similibus sententijs intelligimus, verum esse dictum, quod Dionysius, qui falsò nominatur Areopagita, existimatur autem

esse

esse Corinthius, tribuit Bartolemeo apostolo: *Euangelium est breue & longum.* Breuitas eius manifesta & multò maior est, quàm legis Mosaicæ, eaque singulorum animis & cordibus infixa esse debet ac potest, ideoque toties in scriptis propheticis & Apostolicis tradita & repetita est Euangelij summa, & symbolis cõprehensa. Exhauriri verò Euangelica sapientia multò etiam minùs quàm légalis, per omnem ęternitatẽ poterit. Sed cùm in hac mortalitate vitam æternam incoandam esse certum sit; superinduemur enim, si non nudi reperiemur: natura veræ conuersionis ea est, vt non resistere conuersos ad Deum in curriculo suo patiatur, sed perpetuum in illis proficiendi studium ac desiderium accendat. Ideò precipitur 2. Pet. 3. 18. *Crescite in gratia & cognitione domini nostri & saluatoris Iesu Christi.* Et Ephes. 2. 19, dicitur: *Nom amplius estis hospites & aduenæ, sed ciues sanctorum & domestici Dei, superstructi fundamento Prophetarum & Apostolorum, existente summo angulari lapide ipso Iesu Christo, in quo totum ædificium coagmentatum crescit in templum sanctum in Domino.* Et Marc. 9. 24. orat ille: *Credo domine, sed opem fer incredulitati meæ.* Et Luc. 17. 5. discipuli; *Domine adauge nobis fidem.* Iubentur sancti & dicuntur proficere, & profectus petunt. Non igitur sunt in eorum numero, qui proficiendi studium non habent. Sed nec illos animum

Euangeliũ est breue & longum.

nimum desponderе oportet, qui lucis & vigoris in se minus inuenientes, imbecillitatem & sordes suas vero animi dolore agnoscunt atque deplorant. Sic enim dicit Pater æternus de Filio, Esa. 42. 3. *Calamum quassatum non conteret & linum fumans non extinguet*, Et Filius de patre, Matth. 18. 14. *Non est voluntas patris mei, vt pereat vnus de paruulis istis:* Et ipse de se, Ioh. 6. 37. *Omne quod dat mihi pater ad me veniet: & eum, qui venit ad me, non eijciam foràs.* Vbicunque pietas non simulata est, à Deo est & adiuuatur, cum eaque beneficia Euangelij æterna & ἀμεταμέλητα indissolubili vinculo diuinæ veritatis coniuncta sunt. Nisi enim ex sola & gratuita Dei misericordia, qua omnes credentes recipit, non autem ex nostræ renouationis gradibus, fidei & salutis nostræ certitudo penderet; nulla nostræ consolationis esset firmitas. Tria igitur hinc sumi possunt hominis Christiani quasi κρατήρια: Fundamenti complexus, & proficiendi studium, quæ singulos vniuersali promissioni æternæ salutis includunt, Et consolatio, quòd propter donorũ seu gradduum inęqualitatem non simus perituri, quę consolatio indignitatis nostræ cogitationi opponenda est. Hæc tria quę separari nunquam possunt, complexus est Paulus inquiens 1. Corinth. 3. 11. *Fundamentum aliud ponere nemo potest, præter id, quod*

Κρατήρια pij hominis.

posi-

positum est, qui est Christus. Si verò quis ædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, gemmas, ligna, fœnum, calamum, cuiusque opus manifestum fiet; Ipse autem saluus erit, sic tamen, tanquam per ignem. Ex his igitur quæ hactenus dicta sunt, manifestum est, & mandatum Dei, & salutem propriam omnes homines, atque in his iuuentutem etiam, magnam videlicet partem, & seminarium Ecclesię, ad discendum; cum primùm per ętatem possunt, Christianæ doctrinę fundamentum hortari & obstringere. Id quod omnes, quibus primæ ætatis formandæ prouincia data est, grauissimè seueriſſimeque huius officij sui partis admonet.

Docentes enim & discentes, diligentem & acrem pietatis curam non nobis solum, sed nostris etiã & vniuersæ posteritati debemus. Experimur autem, doctrinæ, cuius summa non breuiter & perspicuè comprehensa, publicè nota, repetita, inculcata & peruulgata sit, quàm facilè, successu non longi temporis, obrepat obliuio, & multiplex deprauatio. Scimus etiam, quo testa recens odore, siue bono, siue malo, semel est imbuta, illum tenaciſſimè seruare; cumque mala, si qua didicimus, plerunque pertinaciùs adhæreſcant, iuuentutem ad pietatem non institutam & assuefactam, Cyclopicam, ac Dei, religionisque vniuersæ contemtricem ętatem sequuturo seculo minari

III. Conseruatio & propagatio doctrinæ puriorie ad posteros.

nari ac tradere; Ad bona verò cùm vix magnis conatibus & longa cura flectamur, operis difficilimi primo quoque tempore principium faciendum esse, nemo sanę mentis non fatetur.

IV. Captus iuuenilis & rudiorum.

Non solùm itaque ad puritatem & rectitudinem doctrinę nobis & posteris conseruandam; sed etiam, cùm tradendam esse iuuentuti ostensum sit, ad iuuenilẽ captum necessaria est institutio Catechetica. Nam si de cęteris artibus huic ętati tradendis, rectè dictum est,

Quicquid præcipies, esto breuis, vt citò dicta
Percipiant animi docileis, teneantq; fideles;

quantò magis in hac cœlesti & humanis mẽtibus peregrina sapientia, breuitas & facilitas quęrenda & adhibenda est? pręsertim sacris testimonijs nostram experientiam approbãtibus, vt Heb. 5. 13. *Omnis particeps lactis imperitus est sermonis de iustitia. Puer enim est. Perfectorum autem est solida esca.* Ideoque cum Paulus de sua docendi ratione 1. Cor. 3. 2. sic loquitur: *Lacte vos potaui, non cibo; nondum enim poteratis, ac ne iam quidem potestis cibo vesci. Adhuc enim carnales estis*: Tum inde ab initio in Ecclesia, doctrinæ hypotyposis aliqua nota, solennis & propter breuitatem & euidentiam apprehensum facilis extitit, & ad posteritatem seruata est. Vt cum genere humano accreuerunt ipsius Dei voce traditæ summæ, legis; *Si bonus fueris, eris acceptus*; &

V. Semper in Ecclesia vsurpata est.

Euan-

Euangelij, *Semem mulieris conteret caput ſerpentis*: ſic poſteà Abrahæ repetita promiſſio & Decalogus; Tandem verò ſymbola & ſummæ in Apoſtolicis libris paſſim ſparſæ, accomodata nimirum forma confeſſionis ad ſingularum ætatum diuinas patefactiones. Et quidem noſtrum hunc inſtitutionis morem, qui Catecheſis nominatur, vſitatum fuiſſe tum in veteri tũ in Apoſtolica Eccleſia, Paulus indicat Rom. 2.18, cùm nominat Iudęos κατηχημένες ἐκ τοῦ νόμου, inde ab ineunte ętate legem edoctos; & Gal.6.6, cùm inquit: κοινωνείτω δὲ κατηχούμενος τὸν λόγον τῷ κατηχοῦντι ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς. Itemq; Lucas 1. cap. ἵνα ἐπιγνῷς περὶ ὧν κατηχήθης λόγων τὴν ἀσφάλειαν. Hæc teſtimonia cùm omnibus anteponenda ſint, Eccleſiæ, Apoſtolorum tempora ſequutæ, exemplum non recito, tanquam ex hiſtorijs publicè notum. Illud potiùs addo, quòd ſi tanta conſtantia morem hunc ſeu formam inſtitutionis non humano conſilio, ſed, vt videmus, diuinitùs inductam, recens adhuc & vigens Eccleſia ſeruauit; ſub deliram hanc mundi ſenectam, langueſcentę indies Eccleſia, & maioribus ſubinde tenebris ingruentibus, acuenda magis eſt omnis in conſeruanda & propaganda doctrina diligentia, quàm quidquam de ea remittendum. Hæc enim eſt ętas illa, de qua dictum eſt Matth. 24. 23. *Tunc ſi quis dixerit vobis, Ecce hîc eſt Chriſtus, aut hîc, ne credatis. Surgent enim Pſeudochriſti*

VI. Poſtremi temporis pericula & hæreſes.

christi & Pseudoprophetæ, & edent signa magna & ostenta, vt seducantur etiam, si esset possibile, electi, Et prolixè concionatur Paulus 1. Tim. 4. & 2. Tim. 3. Et Petrus 2.3. Hę verò prædictiones calamitatum postremi temporis, non tantùm consolationis & confirmationis nostræ gratia scriptę sunt, sed etiam ad vigilantiam, &, quibus obuiàm eatur erroribus, arma comparanda, nos hortantur. Sic enim orditur Christus hoc triste vaticinium; *Videte, ne quis seducat vos.* Non solos igitur ad docendum accessuros, sed omnes, quibus salus sua cordi est, veras sęntētias de singulis Christianæ doctrinę partibus, animis infixas habere, & aduersus corruptelas quàm quisque potest optimè munitos esse, necessarium existimemus, & omnes, quibus docendi & gubernandi partes datæ sunt, nisi tanquàm curatores officij sui negligētes & infidi, de suorum pernicie malint rationes reddere, magna sedulitate sibi commissos rectè doceant, vel docendos curent. Ac parentum vestrorum, & eorū, qui rei Scholasticæ præsunt, voluntas meritò laudanda est, quòd non domi tantùm & in templis, sed in Scholis etiam, pietatis summam proponi vobis & inculcari volunt. Vident enim, quę tenebrę sequutę, & in his omnes detinendi quanta Diabolo facultas & occasio data sit, postquā amissa primitiuæ Ecclesiæ Catechumenos instituendi & audiendi con-

consuetudine, in locum illius, ineptum & futile confirmationis Papisticæ spectaculum successit: vident, eadem nunc, aut his deteriora, nisi Deus clementia singulari nos respiciat, esse metuenda. Quo periculo, vt vix quidquam pijs omnibus maiorem tristitiam adferre potest; ita nec aliquid inuenire facile est pijs parētibus optabilius aut iucundius, quàm si certò sibi polliceri possint, in eadem diuinæ veritatis luce, quę nobis nunc accensa est, aliquantò post liberos & nepotes suos esse victuros. Quare si non sumus ἄστοργοι atque crudeles aduersùs illos, qui nos plùs, quàm seipsos, diligunt; annitamur pro viribus, ne nostra negligentia hanc ipsorũ spem labefactemus, ne his votis obsistamus: sed vt vnà cum illis gratos Deo nos exhibeamus, qui etiam ex his mundi fecibus æternam Ecclesiam sibi collecturus, sole cœlestis doctrinæ reducto, regni Antichristiani caliginem ita discussit, vt nemo nisi pertinaciter aures & oculos obturans, aut agnitæ veritati repugnans, fraudes diabolicas, inuolucris, quibus sese venditabant, exutas nõ animaduertat ac deprehendat. Quod si fecerimus, Filius Dei beneficia in nos collata seruabit nobis & augebit, iuxta promissionem. *Habenti*, id est, volenti proficere, *dabitur*: sin diuersum egerimus, pœnę consequentur, quas minatur contraria sententia: *A non habente, etiam id, quod habet, auferetur.* Certè quàm

VII. Præmia doctrinæ amatæ, & pœna contemptæ.

quàm non ferat Deus Euangelii patefacti cõtemtũ, & doctrina diuinitùs inſpirata, & mundi totą hiſtoria clamat. Queritur Eſaias, ca. 5. 24; *Abiecerunt legem Domini exercituum, & verbum ſancti Iſrael blaſphemauerunt. Ideo iratus eſt furor Domini in populum ſuum, & extendit manum ſuam & percuſſit eum.* Et Amos cap. 5. 11. minatur: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & mittam famẽ in terram, non famem panis, neq; ſitim aquæ, ſed audiendi verbũ Domini: Et commouebuntur à mari vſque ad mare, & ab Aquilone vſque ad orientem: circumibunt quærentes verbum Domini & non invenient.* Gentem Iſraeliticam, quam Deus tot inſignibus titulis & priuilegijs, tantis ſucceſſibus & miraculis ornauerat, & longè ſupra genus omne mortalium extulerat, abiectam infra omnes infimos homines videmus, & in meridiana Prophreticarum concionum luce tam turpiter & portentosè cæcutire, vt omnibus hominibus non dico iocum aut bilem mouere ſed horrorem, eius exemplum conſideratum incutere poſſit. Cauſam tantorum malorum eſſe contemtum & neglectionem ſanæ doctrinæ de Deo & noſtra ſalute audimus affirmare vocem Prophetarũ, & ipſius Chriſti, Ioh. 5. 43. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: cùm alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis.* Aliorum exemplorum recitatione ſuperſedeo: ſed vnũ attingo florentiſſimi paul[illegible] ant[illegible]

antè ac feliciſſimi regni Angliæ, non eò tantũ, quòd eſt inſigniter triſte, ſed etiã, quòd in hoc cœtu noſtro nullus adeò puer eſt, in cuius ætatẽ non inciderit. His enim temporibus, agnitione diuinæ veritatis donata Angliæ, & regnante Eduardo VI. Eccleſijs & Scholis egregiè conſtitutis ac florentibus, rege verò nato annos ſedecim, pietate, virtute ac doctrina longè, quàm pro modo ætatis, excellentiùs ornato, ita vt in regno pulcherrimo nihil eſſet ipſo rege pulchrius; ea regio nulli terrarũ orbis parti, felicitate cedebat. Sed ſubitò rebus humanis Eduardo ſũmæ ſpei principe exempto, regnum denuò Pontificia tyrannis occupauit, carceribus, exilijs, flammis & ferro crudeliter vaſtatis pulcerrimis Eccleſijs, hominibus eruditione & ſanctitate antecellentibus, nulla nec ętatis, nec ſexus, nec dignitatis ratione habita, alijs ad rogos & ſęuiſſima ſupplicia raptis, alijs verſùs omnes mundi angulos diſiectis. Iam quintus, dum hę calamitates illic durant, annus abijt. Ego noſtra potiùs agnoſco & deploro peccata, quàm de alienis iudicium mihi ſumo. Sed nondum mihi penitùs exciderũt voces Anglicorum exulum, hiſce à me acceptę auribus, quibus illi de ſuæ gentis ingratitudine, ſecuritate, & quę cã ceperat Euangelij ſacietate, cõquerebantur. At videmúrne rẽ noſtram nos melius agere? vtinam quidem agamus. Cùm Pilatus Gali-

Perſecutio Anglicæ Mariana.

quàm non ferat Deus Euangelii patefacti cõtemtũ, & doctrina diuinitùs inſpirata, & mundi tota hiſtoria clamat. Queritur Eſaias, ca. 5. 24; *Abiecerunt legem Domini exercituum, & verbum ſancti Iſrael blaſphemauerunt. Ideo iratus eſt furor Domini in populum ſuum, & extendit manum ſuam & percuſſit eum.* Et Amos cap. 5. 11. minatur: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & mittam famẽ in terram, non famem panis, neq; ſitim aquæ, ſed audiendi verbũ Domini: Et commouebuntur à mari vſque ad mare, & ab Aquilone vſque ad orientem: circumibunt quærentes verbum Domini & non inuenient.* Gentem Iſraeliticam, quam Deus tot inſignibus titulis & priuilegijs, tantis ſucceſſibus & miraculis ornauerat, & longè ſupra genus omne mortalium extulerat, abiectam infra omnes infimos homines videmus, & in meridiana Prophreticarum concionum luce tam turpiter & portentosè cæcutire, vt omnibus hominibus non dico iocum aut bilem mouere ſed horrorem, eius exemplum conſideratum incutere poſſit. Cauſam tantorum malorum eſſe contemtum & neglectionem ſanæ doctrinæ de Deo & noſtra ſalute audimus affirmare vocem Prophetarũ, & ipſius Chriſti, Ioh. 5. 43. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: cùm alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis.* Aliorum exemplorum recitatione ſuperſedeo: ſed vnũ attingo florentiſſimi paul[o] ante

antè ac feliciſſimi regni Angliæ, non eò tan- *Perſecutio Anglicæ Mariana.*
tũ, quòd eſt inſigniter triſte, ſed etiã, quòd in hoc cœtu noſtro nullus adeò puer eſt, in cuius ætatẽ non inciderit. His enim temporibus, agnitione diuinæ veritatis donata Angliæ, & regnante Eduardo VI. Eccleſijs & Scholis egregiè conſtitutis ac florentibus, rege verò nato annos ſedecim, pietate, virtute ac doctrina longè, quàm pro modo ætatis, excellentiùs ornato, ita vt in regno pulcherrimo nihil eſſet ipſo rege pulchrius; ea regio nulli terrarũ orbis parti, felicitate cedebat. Sed ſubitò rebus humanis Eduardo ſũmæ ſpei principe exempto, regnum denuò Pontificia tyrannis occupauit, carceribus, exilijs, flammis & ferro crudeliter vaſtatis pulcerrimis Eccleſijs, hominibus eruditione & ſanctitate antecellentibus, nulla nec ętatis, nec ſexus, nec dignitatis ratione habita, alijs ad rogos & ſęuiſſima ſupplicia raptis, alijs verſùs omnes mundi angulos diſiectis. Iam quintus, dum hę calamitates illîc durant, annus abijt. Ego noſtra potiùs agnoſco & deploro peccata, quàm de alienis iudicium mihi ſumo. Sed nondum mihi penitùs exciderũt voces Anglicorum exulum, hiſce à me acceptę auribus, quibus illi de ſuæ gentis ingratitudine, ſecuritate, & quę cã ceperat Euangelij ſacietate, cõquerebantur. At videmúrne rẽ noſtram nos melius agere? Vtinam quidem agamus. Cùm Pilatus Gali-

læorum interfectorum ſanguinem admiſcuiſſet victimis, inquit Chriſtus Luc. 13. 3. *Niſi pœnitentiã egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Verſantur nobis ob oculos & minantur, imperiorum tumultus & ruinę, quibus duriter quaſſatur Eccleſia. Inhiant nobis latrones Turcici, qui nobis magna vi conantur Chriſtũ eripere, ſuumq; Mahometũ obtrudere, quos audimus quotidiè graſſari latiùs in nobis cognatum ſanguinem, iuuentutem Chriſtianam ad ſuæ turpitudinis & blaſphemię ſocietatẽ abſtrahere, irruptionẽ ad nos moliri. Execratur nos ac tollendos clamat vniuerſum βδέλυγμα regni Pontificij: pullulant & ſuccreſcunt vndiq; tanquam hydrę capita, intra & extra Eccleſiam hęreſes, & veritatis corruptelę plures quàm numerari poſſunt. Ac planè nunc illud eſt, cùm, niſi Dominus ſeruet nobis ſemẽ, quin Gomorræ & Sodomæ ſimiles reddamur, nihil reſtat. Ne ſic tandem ſimus ferrei, nec ſic nos ipſos oderimus, vt iſta nos nihil moueãt. Quæramus Dominum, dum inueniri poteſt. Sit quiſque ſalutis rationem ſecum ineat, quæ ad eam pertinent, collecta & inſtructa corteneamus, vt nos, ſi fractus illabatur orbis, impauidos feriant ruinæ.

VIII. Doctrina Eccleſiæ, præcipuè ſcholaſticis notæ eſſe debet.

Omnes quidem hæc, quæ diximus, attingunt, ſed noſtrum præcipuè Scholaſticum dinem. Conſentiunt enim omnes, qui ſcho vnquam inſtituerunt, aut gubernarunt, au

illis versati sunt, aut alios versari volunt; non doctiores tantùm, sed meliores etiam eos, qui in his educantur, effici debere. Quod cùm ita sit, Scholam esse confitentur, cœtum ordinatione diuina docẽtium & discentium doctrinam generi humano necessariam, de Deo & alijs rebus bonis, ne extinguatur notitia Dei inter homines, vt seruetur Ecclesia, multi fiant hæredes vitę æternæ, seruetur disciplina, & homines habeant alias honestas vtilitates ex artibus.

Procul igitur à nostro scopo, nimis procul aberramus, nisi certò statuimus, quòd nõ tam in hunc finẽ in his Christi myrmecijs & alueariibus opus feruere debeat, vt literis cultiores, quàm vt bonis & sãctis moribus ornatiores, Deoq́; & hominibus gratiores efficiamur. Constat autem in Ecclesia, omnem de virtute præceptionẽ sine doctrina pietatis nihil esse, nisi aberrationem & abductionem à Deo, à veris bonis, vera iustitia, vera salute. Quidquid enim non ad gloriam Dei, quidquid nõ in nomine Christi Iesu, quidquid non ex fide facimus, peccatum & abjectũ ac damnatum a Deo esse, Spiritus sanctus pronunciat. Non solùm igitur, à Scholis Ecclesiæ doctrina remota, de vera & integra virtute, qualem Deus postulat nihil diceretur, sed etiam, quæ restaret exigua & obscura particula, non suo quidem accessu, sed eorum, sine quibus nihil

eſt ſanctum aut ſanum, defectione, nos ex malis deteriores redderet. Sed hic omnium ſanorum conſenſus, etſi ſatisfacere nobis debet, maioris tamen ſint nobis mandata diuina, quæ ſcrutari ſcripturas, attendere lectioni, ὀρθοτομεῖν verbum Dei, iubent. Cùm autem ſine doctrina & exercitatione Scholaſtica, explicare ſermonem Propheticum & Apoſtolicum, doctrinæ partes rectè, ordine & perſpicuè diſcernere & exponere nemo poſſit; quis nõ videt, quàm arcto ſtudia pietatis vinculo ſcholis copulata ſint? Quod igitur opus in genere humano ſummum eſt, ac ſine ſcholaſticis operis à nobis præſtari nõ poteſt, præcipuum in ſcholis eſſe iudicemus, librorum videlicet Propheticorum & Apoſtolicorum intellectum & explicationem. Cumq; nobis accuratiùs doctrinam cognoſcendi maior, quàm cæteris hominibus, facultas & occaſio detur, eam certè ſi negligimus; & ſuſpectam pietatem noſtram facimus, & maiores negligentię & inſcitię pœnas dabimus. Neq; verò noſtra ſolùm, ſed aliorum etiam cauſa, nobis præcipuè Scholaſticis curã hanc & cuſtodiã doctrinæ DEVS mandatam eſſe voluit. A literatis enim, ſermonis genus intelligentibus & ſeriem doctrinæ intuentibus, inſtitutio & interpretatio reliquis expectanda eſt.

Cùm igitur in ſcholis religio tradenda ſit, vt pueris, idq; rectè tradi poſſit, Catecheſis neceſſaria

ceſſaria eſt. Nec enim ſine breuitate diſcit hęc ætas, nec vllius diſciplinæ partes tam à docẽtibus, quàm à diſcentibus dextrè & ἀναλογικῶς tractari poſſunt, cuius non vtrique ſummam quandam animo conceperint. Horum vtrũq; cauſa eſt, cur toties in ſacris libris ſummę repetitæ legantur, vt *Agite pœnitentiam, & credite Euangelio. Qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit. Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conſcientiam*, &c. Cùm autem dictum ſit Coloſs. 3. 16. *Sermo Chriſti habitet inter vos opulenter in omni ſapientia:* addendæ ſunt explicationes cum Prophetarum & Apoſtolorum ſententijs congruentes. Nec aliud eſt Catechiſmus, quàm talium ſententiarum breuis declaratio. Ac talis cùm ſit libellus *EXAMINIS*, qui vobis proponitur, & autor proprio & perſpicuo verborum genere, ſumma fide & dexteritate, Chriſtianiſmi capita complexus ſit, ſimilem denique Catecheſeωs formam in multis Eccleſijs extare non paulùm referat; vos ipſos ad diſcendum excitetis, & has noſtras miſeras chartas exiſtimetis eſſe faſcias, in quibus inuolutus Chriſtus à nobis inueniri vult. Eas verò faſcias, quæ vobis commendant, quæ vos ad eas amplectendas hortantur ſeriò, per quæ vos obteſtor; vt illæ vobis cordi ſint, multa videtis eſſe; Mandatum DEI, veſtram ſalutem, officium, quod debemus poſteris, exemplum purioris

Examen Philippi Melanchthonis.

rioris Eccleſiæ veſtrum vitæ genus, veſtram ætatem, veſtrorum voluntates & ſpes, imminentia pericula, præmia & pœnas à Deo expectandas. Sed vt noſtræ admonitiones ſunt neceſſarię, ſic illas abſque ſpiritus ſancti motibus ſcimus nihil proficere. Ad DEVM igitur conuerſi, quòd in hac Euangelij luce nos naſci voluit, agamus ei gratias, & nos ab ipſo doceri & gubernari petamus.

DIXI.

INDEX CAPITVM, ET PARTES

præcipuæ, quæ in hiſce commentariis continentur.

Quæ aſteriſcum affixum habent, ex locis communibus integrè deſumuntur, & in commentarijs deſiderabantur. *Quibus hæc nota* ¶ *eſt appoſita ea* etiam in Commentarijs reperiuntur: *ſed ad pleniorem illuſtrationem, ex* Locis Communibus (ubi res *eædem fuſiùs tractantur)* vt-plurimum delibantur.

PROLEGOMENA.

Triplex ratio ſeu tres partes ſtudij Theologici. 2.

De Catecheſi.

Quid ſit Catecheſis. 2.

Iuuentutem in doctrina catechetica inſtrui debere. 4.

De Scriptura Sacra.

¶ *Duæ Opiniones de religione.* 5.

¶ *Quid Sacra Scriptura doceat, ſiue quæ ſit partitio Chriſtianæ doctrinæ.* 6.

¶ *Huius diuiſionis confirmatio.* 7.

¶ *Quare diſcernenda ab alijs religionibus* 8.

¶ *Diſcrimen huius veræ doctrinæ & aliarum.* 10.

¶ *Diſcrimen huius veræ doctrinæ & Philoſophiæ.* 11.

Notæ quibus diſtinguitur Eccleſia ab alijs ſectis. 12.

* *Vnde conſtet ſolam hanc religionem à Deo eſſe traditam, quæ in ſacra Scriptura continetur.* 12.

* *Scripturæ authoritas non pendet ab Eccleſia.* 13.

¶ *Teſtimonia veritatem & certitudinem Scripturæ confirmantia.* 20.

* *Quare nullum dogma extra Sacram Scripturam in Eccleſia ſit recipiendum.* 29.

De vera piorum Conſolatione. 53.

Neceſſitas & partes huius conſolationis. 54.

Miſeriæ, Liberationis, Gratitudinis } *cognitio neceſſaria ad conſolationem.* 54.

PRIMA PARS DOCTRINAE CHRISTIANAE.

De Hominis Miſeria.

Quid & quanta ſit, vndeque agnoſcatur hominis miſeria. 58.

De peccato.

¶ *An ſit, vel vnde conſtet eſſe peccatum in nobis.* 64.

¶ *Quid ſit peccatum.* 65.

¶ *Quotuplex ſit peccatum.* 67.

De peccato Originali.

¶ *An ſit peccatum Originale.* 67.

¶ *Quid ſit peccatum Originale.* 69

¶ *An Anima ſit ex traduce.* 72.

Actuale peccatum quid ſit. 78.

¶ *Peccatum regnans, ſiue Mortale.* 78.

¶ *Peccatum non regnans, ſiue veniale.* 79.

Peccatum contra conſcientiam & non

non contra conscientiam. 87
¶ Peccatum remissibile & irremissibile, cur dicatur in S.S. & an in omnes reprobos cadat. 87
¶ Peccatū per se & per accidens. 93
Opera renatorum & non renatorū septem modis differunt. 97
¶ Quæ sint causæ peccati. 98
¶ Qui sint effectus peccati. 113

De Creatione Hominis.

Qualis homo fuerit à Deo conditus 121
Ad quid homo conditus. 122

De Imagine Dei in Homine.

Quid sit Imago Dei in homine. 124
Quatenus amissa sit imago Dei, & quatenus reliqua manserit. 126
Quomodo reparetur in nobis. 127
Quomodo sit in Christo & in nobis 128

De Primo Peccato.

Quale primum illud peccatum Adami & Euæ fuerit. 130
Quæ causæ primi peccati. 131
Qui sint effectus huius peccati. 131
Cur Deus permiserit. 131
*Vsus Doctrinæ De Creatione Hominis. 132

De Libero Arbitrio.

*Causæ disputationis de libero arbitrio. 133
¶ De voce, libertas. 135
Quid sit libertas voluntatis. 137
¶ Discrimen libertatis Dei, hominum, & Angelorum. 138
Sit-ne aliqua, & qualis sit libertas in nobis. 150
¶ Quatuor gradus liberæ voluntatis. 151

De Malis Pœnæ, seu, De Afflictionibus.

De malis pœnæ. 181
Quæ sint afflictionum genera. 182
Quę causæ. 184
Quæ consolationes ijs opponendæ. 185

SECVNDA PARS DOCTRINÆ CHRISTIANÆ. DE HOMINIS LIBERATIONE.

Quid sit Liberatio. 208
Possit-ne fieri liberatio post lapsum. 209
An liberatio sit necessaria & certa. 210
An perfecta sit expectanda. 211
Quomodo fieri possit. 212

DE MEDIATORE.

Quid sit Mediator. 214
Quare sit necessarius. 215
Quod sit eius officium. 216
Qualis esse debeat. 218
Quis sit ille Mediator. 222
Quòd vnus sit. 224

De Fœdere.

Quid sit fœdus. 225
Quomodo inter Deum & homines iniri possit. 226
Quotuplex sit. 227
Quomodo conueniant & differant vetus & nouum fœdus. 227

DE EVANGELIO.

Quid sit Euangelium. 230
An semper fuerit in Mundo. 230
Quomodo Euangelium differat à Lege. 232
Quæ propria sint eius effecta. 234
Vnde constet eius veritas & certitudo. 234

DE FIDE.

Quid sit fides. 236
Quæ sint eius species, & quomodo differant inter se. 236
Quomodo fides & spes inter se differant & conueniant. 239
Quæ sint causa fidei. 240
Qui sint effectus fidei. 241
Quibus detur fides. 241

Theses

Theſes de fide, 244
De Symbolo Apoſtolico.
Quid ſit Symbolum. 245
Quæ ſint Apoſtolici Symboli partes. 246
Prima Symboli pars.
De Deo Patre Creatore. 249
DE DEO.
¶ *An ſit Deus,* 251
¶ *Quid, vel qualis ſit.* 257
¶ *Vnde conſtet vnum eſſe.* 286
Quid differat eſſentia à perſona. 289
An hæc nomina in Eccleſia ſint vſurpanda. 290
Quot ſint perſonæ Diuinitatis. 292
Quomodo hæ perſonæ inter ſe differant. 292
¶ *Quare hæc doctrina ſit retinenda,* 293
¶ *Obiectiones contra hanc doctrinam.* 294
DE CREATIONE,
¶ *An Mundus à Deo ſit conditus.* 296
Quomodo à Deo ſit conditus, 300
Quare à Deo ſit conditus. 303
*De Angelis.
**De bonis Angelis.* 304
* *De ſpiritibus ſeu Angelis malis.* 309
DE PROVIDENTIA DEI.
¶ *Errores de prouidentia Dei.* 313
¶ *An ſit aliqua prouidentia Dei.* 314
¶ *Quid ſit prouidentia Dei.* 317
¶ *Obiectiones contra Dei prouidentiam, quaſi ex illis ſequatur Deum eſſe authorem peccati.* 328
Cur neceſſaria ſit cognitio doctrinæ de Dei prouidentia, 342
Secunda pars Symboli.
De Filio Redemptore.
De Nomine & officio Ieſu Chriſti. 344
De Prophetico munere Chriſti. 353
De ſacerdotali munere Chriſti, 355
De regio munere Chriſti. 357
De communione fidelium cum Chriſto. 358
De filijs Dei. 363
De Deitate Chriſti.
Chriſtus, ex Maria Virgine natus, etiam præter corpus & animam eſt ὑφιστάμενον. 368
Logos, qui eſt Chriſtus eſt perſona a Patre diſtincta. 378
Patri eſt æqualis. 379
Eſt Patri conſubſtantialis. 381
Regulæ. 388
Quo ſenſu Chriſtus dicatur Dominus noſter. 389
Quas ob cauſas dicatur Dominus noſter. 390
De conceptione Chriſti. 392
De duabus in Chriſto naturis.
An ſint duæ naturæ in Mediatore. 395
An Chriſtus vna ſit perſona, vel plures. 397
Qualis ſit vnio duarum naturarũ in Chriſto: et quomodo facta ſit. 399
Quare oportuerit vnionem hypoſtaticam fieri, 400
De humiliatione Chriſti: *id eſt,*
De Chriſti paſſione.
Quid paſſus ſit Chriſtus. 402
Secundum quam naturam ſit paſſus. 404
Cauſæ impulſiuæ paſſionis Chriſti. 405
Cauſæ finales, 406
De Morte Chriſti.
Quomodo Chriſtus dicatur mortuus. 409
An Chriſtum oportuerit mori. 410
Fructus mortis Chriſti. 411

Cauſæ ſepulturæ Chriſti. 413.
De deſcenſu Chriſti ad inferos. 414.
De glorificatione.
id eſt.
De reſurrectione Chriſti.
An & quomodo Chriſtus reſurrexit. 419.
Quare reſurrexerit. 420.
Qui ſint fructus Reſurrectionis Chriſti. 423.
De Aſcenſione Chriſti.
Quó Chriſtus aſcenderit. 428.
Quomodo aſcẽderit in cœlum 429
Quare aſcenderit in cœlum. 434.
Quod ſit inter noſtram & Chriſti aſcenſionem diſcrimen. 435.
Qui ſint fructus aſcenſionis Chriſti. 436.
De Seſſione Chriſti.
Quid ſignificet Dextera Dei. 438.
Quid ſit ſedere ad dexteram Dei. 439.
Qui ſint fructus ſeſſionis Chriſti ad dexteram Patris. 444.
De poſtremo aduentu Chriſti.
An ſit futurum iudicium. 446.
Quid ſit Judicium extremũ. 448.
Quis ſit futurus Judex. 450.
Vnde Chriſtus, & quó ſit venturus. 451.
Quoſnam Chriſtus ſit Judicaturus. 452.
Qualis futura ſit ſententia & executio Judicij. 453.
Propter quas cauſas futurum ſit iudicium. 454.
Quando futurum ſit. 454
Quare Deus velit nos certos eſſe de extremo Judicio. 454.
Quare de tẽpore Iudicij nos Deus eſſe certos noluit. 455
Quare Deus illud Iudicium differat. 456.
An ſit optandum. 456
Tertia pars Symboli,
De Spiritu Sancto.
Quid nomen ſpiritus ſignificet. 457
Quis & quid ſit Spiritus S. 458
Quodnam Spiritus ſancti ſit officium. 463.
A quo detur & quare. 467.
Quibus detur. 468.
Quomodo detur & accipiatur. 469
Quomodo retineatur. 470.
An & quomodo amittatur. 470.
Quare ſit neceſſarius. 471.
Vnde agnoſcatur Spiritus Sancti habitatio in nobis. 472.
DE ECCLESIA.
Quid ſit. 472.
Quotuplex ſit. 473.
Quæ ſint Eccleſiæ ſigna vel notæ. 476.
Quare Sancta dicatur & Catholica. 478.
Quod ſit diſcrimen inter Eccleſiam & Politiam. 479.
Vnde ſit diſcrimen Eccleſiæ à reliquo genere humano. 480.
An poſſit aliquis extra Eccleſiam ſeruari. 480.
De prædeſtinatione.
An ſit prædeſtinatio. 481
Quid ſit. 486.
Quæ ſint cauſæ Prædeſtinationis. 487.
Quæ ſint eius effecta. 488.
An ſit immutabilis. 489.
Quatenus nobis nota ſit. 489.
An electi ſemper ſint membra Eccleſiæ, & reprobi nunquam. 490
An Electi deficiant ab Eccleſia, & Reprobi ſemper in Eccleſia maneant. 492.
Quis ſit vſus huius doctrinæ. 492.
De cõmunione Sanctorum. 493.
De remiſſione Peccatorum.
Quid ſit remiſſio Peccatorum. 495

A quo fiat. 496.
Propter quid fiat. 497.
An congruat cum iustitia dei. 497.
An sit gratuita. 498.
Quibus & quomodo detur. 499
De resurrectione carnis.
Quid sit Resurrectio. 500.
Errores de resurrectione. 501.
Vnde constet resurrectionem certò futuram. 501.
In quem finem sit futura. 503.
Per quem futura sit. 504.
Quomodo futura sit. 505.
Quando futura sit. 505.
Quenam corpora sint resurrecturа. 505.
¶ *An anima sit immortalis.* 506.
De vita æterna.
¶ *Quid sit vita æterna.* 515.
A quo detur. 517.
Quibus detur. 517.
Quare detur. 518.
Quando detur. 518.
Quomodo detur. 519.
An in hac vita possimus esse certi de vita æterna. 519.

De Iustificatione.

Quid sit iustitia in genere. 521.
Quotuplex sit. 522.
Quid differat à Iustificatione. 523
Quæ sit nostra Iustitia. 524.
Quomodo Christi satisfactio fiat nostra iustitia. 525.
Cur satisfactio Christi fiat nostra. 527.
Cur sola fide fiat nostra. 528
Obiectiones contra doctrinam de iustificatione. 529
DE SACRAMENTIS.
Quid sint Sacramenta. 537
Qui sint sacramentorum fines. 540
Quid differant à sacrificijs. 542
Quid commune habeant cum verbo, & quid ab eodem differant. 543
Quomodo conueniant & differant veteris & Noui Testamenti sacramenta. 544.
Quid sit vnio Sacramentalis. 546
Quid res à signis differant. 547
Quæ formæ loquendi de Sacramentis Ecclesiæ & Scripturæ visitatæ sint. 547
Quis sit vsus Sacramentorum legitimus. 548
Quid accipiant Impij in vsu 549
Quot sint Noui Testamenti Sacramenta. 549
Theses de Sacramentis in genere. 550
DE BAPTISMO.
Quid sit Baptismus. 559
Qui sint fines Baptismi. 561
Quis sit sensus verborum institutionis Baptismi. 563
Quæ sint loquendi formæ de Baptismo. 565
Qui sint Baptizandi. 566
Ob. contra Pædobaptismum. 568
Quis sit vsus Baptismi legitimus. 571
Cui successerit Baptismus 571
Quomodo Baptismus cum Circumcisione conueniat, & quid ab ea differat. 572
Theses de Baptismo. 573
De Circumcisione.
Quid sit Circumcisio. 576
Qui sint eius fines. 577
Cur abolita sit. 577
Cur Christus sit circumcisus. 578
De cœna Domini.
Quid sit Cœna Domini. 578
Qui sint eius fines. 580
Quid à Baptismo differat. 582
Quis sit sensus verborum Institutionis Cœnæ Domini. 584
Contra Transubstantiationem. 595
Obiectionum pro Consubstantiatione

ne refutatio. 598
Discrimen inter Cœnam Domini & Missam Papisticam. 601
Quis sit Cœnæ legitimus vsus. 607
Quid in Cœna accipiant Impij. 607
Qui ad Cœnam accedere debeant & admitti. 608
Theses de Cœna. 611
Synusiastarum præcipua quædam argumenta aduersus sinceram de Cœna Domini Doctrinam, & Sacramentarios, quos vocant: cum refutatione. 617
Refutatio Dogmatis Vbiquistarum. 625
De clauibus regni cœlorum.
Quid sit potestas clauium Ecclesiæ datarum. 629
Quibus commissa est potestas clauium. 630
Cur necessaria sit. 631
Quid differat à potestate politica. 634
Quis ordo seruari debeat in exercenda clauium potestate. 635
Solutiones argumentorum quibus nonnulli Excommunicationem expugnare conati sunt. 640
Quæ cautiones in Excommunicatione seruandæ sunt. 646
TERTIA PARS DOCTRINÆ CHRISTIANÆ. DE HOMINIS GRATITVDINE.
De conuersione.
Quid sit conuersio. 662
Quid differat ab impiorum pœnitentia. 663
Quot sint eius partes. 664
Quæ sint causæ. 666
Qui sint effectus. 667
De Bonis Operibus.
Quid sint bona opera. 668
Quomodo possint fieri. 669
An Sanctorum operæ sint perfectè bona. 670
Quomodo opera nostra, licet non perfectè bona Deo placeant. 671
Quare facienda sint bona opera. 672
An aliquid mereantur coram Deo. 676
DE LEGE DIVINA, seu, De Decalogo.
Quid sit lex in genere. 679
¶ Quæ sint partes legis. 680
Quis sit vsus legis. 685
Quid lex differat ab Euangelio. 694
Quatenus abrogata sit. 694
Quomodo diuidatur Decalogus. 701
¶ Quæ sit sententia Decalogi & singulorum eiusdem præceptorum. 704
¶ Theses de Decalogo. 707
¶ Primum Præceptum. 710
¶ Secundum Præceptum. 722
De imaginibus.
Quatenus faciendæ sint. 726
Cur in templis Christianorum abolendæ sint. 727
Quomodo sint abolendæ. 728
¶ Obiectiones Papistarum. 728
De superstitione. 733
¶ De Traditionibus. 734
Tertium Præceptum. 741
De Iuramento.
Quid sit Iuramentum. 745
Per quem sit iurandum. 745
De quibus rebus. 746
¶ An omnia Iuramenta sint seruanda. 747
¶ An legitimum iuramentum Christiano sit licitum. 749
¶ Obiectiones Papistarum Sanctos demortuos inuocantium. 757

¶ Quartum

¶Quartum præceptum 762
De Sabbato.
Quotuplex sit Sabbatum. 767
Causæ propter quas institutum sit. 768
Quomodo sanctificetur. 769
¶*Quomodo violetur.* 772
Qua ratione ad nos pertineat. 774
Obiectiones contra abrogationem Sabbati ceremonialis. 775
De Ceremonijs. 777
¶De Ministerio Ecclesiastico. 778
¶Quintum Præceptum. 781
¶Sextum Præceptum. 792
Septimum Præceptum. 800
De Coniugio.
Quid sit coniugium. 803
Quæ causæ instituti coniugij. 804
An sit adiaphorum. 805
Quæ sint officia coniugij. 805
Quæ coniugio sint contraria. 805
Octauum præceptum. 806
Nonum Præceptum. 812
Decimum Præceptum. 817
Quomodo lex sit possibilis. 820
Quis sit vsus legis. 820

DE PRECATIONE.

Quid Precatio sit, & quas habeat species. 822
Quare sit necessaria. 823
Quid ad veram precationem requiratur. 824
Quæ sit forma precationis a Christo præscriptæ. 828
Exordium Precationis Dominicæ. 829
Prima petitio. 833
Secunda petitio.
Quid sit regnum Dei. 836
Quotuplex sit regnum Dei. 839
Quis Rex, & qui sint subditi. 839
Leges, beneficia, & hostes huius regni. 840
Quo in loco administretur & quomodo adueniat. 840
Quare petendum sit vt adueniat. 841
Tertia petitio.
Quare petamus vt fiat Dei voluntas, & à quibus fiat in cœlo. 843
Quarta petitio.
Cur bona corporalia petenda sint. 847
Quomodo sint petenda. 848
Quare bona corporalia complexus sit Christus nomine Panis. 849
Quare Panem vocet nostrum. 850
Quare Panem vocet quotidianum & cur addat hodie. 850
An liceat petere diuitias. 851
An liceat aliquid in posterum reponere. 852
Quinta petitio.
Quid hîc Christus vocet debita. 854
Quid sit remissio peccatorum. 854
Cur sit petenda. 855
Quomodo nobis remittantur peccata. 855
Sexta petitio.
Quid sit Tentatio. 859
¶*Quid sit inducere in tentationem.* 861
Quid sit liberatio à malo. 862
Cur necessaria sit hæc petitio. 863
Clausula precationis. 865

FINIS.

CAVSAE cur homines non intelligunt Scripturas S.

1. *Cæcitas naturalis.*
2. *Sapientia carnis.*
3. *Sine amore eas legunt.*
4. *Præiudicium hominum.*
5. *Impœnitentia.*
6. *Non emendandi ſtudio eas legunt.*

REGVLAE ad intelligendas Scripturas neceſſariæ.

1. *Preces vt Spiritus S. tollat cæcitatem.*
2. *Lecturi Scripturas abnegent ſeipſos.*
3. *Adſit animus diſcendi cupidus.*
4. *Cor conuerſum.*
5. *Animus plenus amore Dei.*
6. *Finis eſto gloria Dei, vitæ, doctrinæ & morum emendatio in nobis.*

CAVSAE cur parum proficiamus in Scripturis.

1. *Intermiſſio.*
2. *Ignorantia vocabulorum.*
3. *Ignoratio ſcopi.*
4. *Ignoratio præcipuarum partium.*
5. *Ignoratio ſummæ tum legis tũ Euangelij.*
6. *Non ſequi analogiam fidei & conſenſum Scripturarum.*
7. *Excurſus extra limites Scripturæ*
8. *Contemptus interpretum.*
9. *Neglectus principalis argumenti.*
10. *Nimia in verbo inſolentia.*

CATE-

CATECHESIS RELIGIONIS CHRISTIANAE.

Quæ est vnica tua consolatio in vita & in morte?



QVOD animo pariter & corpore [a], siue viuam, siue moriar [b], non meus, sed fidissimi Domini & Seruatoris mei IESV Christi sum proprius [c], qui pretioso suo sanguine pro omnibus peccatis meis plenissimè satisfaciens [d], me ab omni potestate diaboli liberauit [e], méque ita conseruat [f], vt sine voluntate patris mei cœlestis, ne pilus quidē de meo capite possit cadere [g]: imò verò etiam omnia saluti meæ seruire oporteat [h]: Quocirca me quoq; suo Spiritu de vita æterna certum facit [i], vtque ipsi deinceps viuam, promptum ac paratum reddit. [k]

a 1.Cor.6. 19. 1.Thes.5.10.
b. Ro.14.8.
c. 1.Cor. 3. 23.
d 1.Pe.1.18.
e 1.Ioa.1.7. & 2.2. 2 1.Ioa.3.8. Heb.2.14.15
f Ioa.6.39.
g Mat.10.30 Luc.21.18.
h Ro.8.28.
i 2.Cor.1.22 & 5.5. Ephes.1.14.
k. Ro.8.14.

Quot sunt tibi scitu necessaria, vt, ista con-

solatione fruens, beatè viuas & moriaris?

Tria[l]. Primum, quanta sit peccati mei & miseriæ meæ magnitudo[m]. Secundum, quo pacto ab omni peccato & miseria liberer[n]. Tertium, quam gratiam Deo pro ea liberatione debeam[o].

l Luc.24.47. 1.Cor.6.11. Rom.8.16. Tit.3.3.4. 5.6.7 8.
m Ioa.9.41. Rom.3.
n Ioa.17.3.
o Eph.5.10. 1.Pet.2.9. & 3.10.11. 12.Rom. 6.11.12.13. Mat.5.16. 2.Tim.2.15.

TRiplex est ratio, *seu tres sunt partes studij Theologici.* Prima, *Institutio Catechetica*, seu breuis summa doctrinæ Christianæ, quæ Catechesis dicitur, & capitum eiusdem doctrinæ breuis est explicatio. Hæc pars necessaria est. Nam oportet fundamentum religionis cognitum esse doctis & indoctis.

2 *Locorum communium tractatio*, seu loci communes, qui continent prolixiorem singularium partium explicationem, & quæstionum difficilium, cum suis subdiuisionibus, rationibus, & argumentis.

3 *Meditatio diligens Scripturæ seu textus sacri*. Hic est summus gradus, cuius causa cætera omnia discimus: nempe vt accedamus parati ad legendam, intelligendam, & proponendam sacram Scripturam. Illæ partes priores sumuntur ex Scriptura: & rursus Loci communes nos ad Scripturam ducunt, quæ est veluti norma, ad quam isti diriguntur.

Quid sit Catechesis.

CATECHESIS est breuis doctrina accommodata iuuentuti & rudioribus, continens summam doctrinæ Legis & Euangelij, seu religionis Christianæ, quæ tradita rursus ab auditoribus exigitur. Sic dicitur à κατηχέω resono, vocem refero: eò quòd pueri voce recitarent illa de quibus interrogabantur, & quæ audierant. *Catechumeni* in prima Eccle-

sia

cleſia erant, qui diſcebant Catechiſmum: hoc eſt, qui iam erant in Eccleſia, & in Chriſtiana doctrina inſtituebantur. *Neophiti*, qui iam recentes ad Eccleſiam accedebant, à νέος & φυτον quaſi noua planta. Erant autem *Catechumeni* duplices. 1. *Grandes*, qui ex Gentibus & Iudæis ad Chriſtum accedebant, & nondum erant baptizati. Hi eruiebantur in catecheſi, deinde baptizabantur, & ad Cœnam admittebantur. 2 *Nati in Eccleſia*, id eſt, liberi Chriſtianorum. Hi ſtatim poſt partum, vt membra Eccleſiæ baptizabantur, & poſtquam nonnihil adoleuiſſent, inſtituebantur, & impoſitione manuum confirmabantur, ac dimittebantur ex cœtu Catechumenorum, ita vt liceret illis deinde accedere ad cœnam.

Catechetica doctrina ſemper in Eccleſia fuit. Nam in vetere teſtamento Deus ipſe breuiter doctrinam Legis & Euangelij tradidit, Decalogi & promiſſionum, vt cùm dicit, *Ambula coram me, & eſto perfectus.* Item, *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes terræ*. Hæc autem Deus voluit, vt Abraham & eius poſteri liberos ſuos totamq; ſuam familiam docerent: ac proinde accommodata fuit hæc doctrina puerorum rudiumque captui. In vetere Teſtamento deinde fuerunt & ſacrificia, precationes, atque alia, quibus iuuentus inſtituebatur. In nouo Teſtamento, tempore Apoſtolorum, ſimiliter fuit Catechetica doctrina: ſicut tradit author Epiſtolæ ad Hebræos. *Quapropter omiſſo, qui in Chriſto rudes inchoati ſermone, ad perfectionem feramur, non iacientes rurſum fundamentum reſipiſcentiæ, id eſt, initia doctrinæ Chriſtianæ, quæ recipiſcentiam & fidem complectitur* Hæc *prima doctrinæ Chriſtianę principia*, vocantur eodem loco *Baptiſmatum doctrina*: quia *Grandes* primùm inſtituebantur, antequam baptizarentur. Vocatur etiam *impoſitionis manuum doctrina*, quia *Catecheſis* exigebatur ab iis, quib. imponebãtur manus, à pueris ſcilicet Chriſtianorum

Gen. 17. 1. Gen. 22. 18.

Heb. 6. 1.

ſtianorum in infantia baptizatis. Partes horum rudimentorum doctrinæ Chriſtianæ (quæ *Catechiſmum* vocant)erant *Lex & Euangelium*, vel (vt ad Hebr. loco citato dicitur) *pœnitentia & fides in Chriſtum*. Similiter & Patres ſcripſerunt *Breues ſummas Doctrinæ*: quarum reliquias videmus adhuc in Papatu.

Oportet autem iuuentutem ſtatim in hac doctrina inſtitui, & fundamentum ſcire. 1 Propter mandatum Dei,
Deut. 6.7. *Annuntiabis ea filiis tuis.* 2 Quia ita corrupti ſumus, vt niſi de voluntate Dei maturè erudiamur, difficulter, aut nunquam Deo placentia facere diſcamus, & ab erroribus, quos fortè pueri imbibimus, vix magno labore nos detrahi patiamur. 3. Quia tenendum eſt fundamentum ſuper quod ſuperſtruamus,& ad quod reuocemus quæ legimus. 4. Quia Deus non recipit in gratiam, qui ſuo iudicio non poſſunt honeſta & turpia diſcernere, (id intelligendum eſt de iis qui poſſunt erudiri) nec adultis, ſine agnitione & profeſſione veritatis,vel ſine fide & pœ-
Ioan.17.3. nitentia, ſalus contingit. *Hæc eſt vita æterna, vt te*
Ro.10.17. *ſolum cognoſcant eſſe verum Deum: & fides ex auditu.* Nemo autem credit in eum de quo nunquam audiuit. Oportet igitur in Eccleſia tradi talem doctrinæ ſummam, cuius etiam rudes & iuniores capaces ſint. 5 Propter decorum. Sicuti filij Iudæorum poſt circumciſionem in Lege erudiebantur,ita & nos decet paruulos poſt baptiſmum inſtituere in primis Religionis capitibus. 6. Etiam rudibus & iunioribus neceſſaria eſt diſcretio á gentibus. *Obiect.* Atqui poſſumus habere fidem implicitam. Ergo non opus eſt inſtitutione. *Reſp.* Nulla fides eſt ſine agnitione: ergo oportet inſtitui. *Quomodo credent ei, de*
Ro 10.14. *quo non audierunt. Qui non credit in filium: ſuper eum*
Ioan. 3.36. *manet ira Dei.*

DE SCRIPTVRA SACRA.

RELIGIONIS. Omnes homines, qui modò sensum humanitatis vniuersum exuere non conantur, aliquam de Deo eiusque voluntate sententiam, & eum colendi rationem, partim ex ipsa natura haustam, partim persuasione receptam, id quod *Religionem* vocant, amplecti & profiteri videmus. Etsi autem esse veram religionem eam omnes facilè concesserint, quæ ab ipso Deo sit prodita, nec eò impudentiæ prolapsi esse videri velint, vt loquenti de se & voluntate sua Deo non assentiantur; Tamen quæ sit illa diuinitùs tradita religio, inter homines non antè conueniet, quàm Dominus noster Iesus Christus ad iudicandum viuos & mortuos rediens, litem istam dirimat. Duæ verò sunt opiniones de religione. *Vna* existimat in vnaquaque, quæ modò ad Deum ducit, salutem reperiendam esse. *Iustus sua fide viuet*, id est, Quisque sua fide (vt isti interpretantur) qualicunque viuet. Sed hæc opinio non est vera: quia vna est tantùm vera Religio: aliæ sunt falsæ, mendaces, pugnantes cum illa vera, iuxta dictum, *Qui non credit in Filium, super eum manet ira Dei*. *Altera* putat (& rectè quidem) eam esse veram Religionem, in qua Deus verè colatur, eamque esse vnam, & in ea tantùm homines fore saluos. Certò autem scit, & reclamantibus omnibus Diabolis & impiis, profitetur Ecclesia Dei, hanc solam esse de Deo & ipsius cultu veram & salutarem doctrinam, quam Deus ipse inde à condito humano genere primis patribus voce sua tradidit, & postea sacris literis per Prophetas & Apostolos comprehendi voluit. Cùm igitur omnis nostra de Deo & salute hominum assequeratio è sacra Scriptura pendeat, de hac priùs, quàm ad illam

recitandam accedimus, quatuor ista considerabimus. 1. *Quid sacra Scriptura doceat: siue, quæ sit partitio Christianæ doctrinæ.*

2 *Quid differat Religio, in sacris literis tradita, ab aliis Religionibus: siue, quomodo debeamus veram Ecclesiam agnoscere, eámque discernere ad aliis sectis.*

3 *Vnde constet, hanc solam Religionem esse veram & diuinam: reliquas verò omnes commentitias.*

4 *Quare nullum dogma extra Scripturam sacram in Ecclesia recipiendum sit.*

De Prima Quaestione.

Quid sacra Scriptura doceat.

ARgumentum & summa vniuersæ sacræ Scripturæ, neque rectiùs, neque simpliciùs, neque breuitate magis perspicua comprehendi potest, quàm in Decalogo & Symbolis quibus Articuli fidei recensentur, Spiritus sanctus eam est complexus. Id quod manifestum satis erit, si meminerimus, totam Scripturam duabus partibus constare, Lege & Euangelio. Catechesis Heidelbergensis trium facit mentionem, quarum tamen pars prior & tertia ad Legem pertinent. Alij partes quinque faciunt: Decalogum, Legem, Symbolum, Sacramenta, & Precationem. Sed *Decalogus* est summa Legis, ideo ad Legem, quæ est prior pars, referendus est. *Symbolum* continet summam Euangelij: ideo ad Euangelium, nempe ad secundam partem referri debet. *Sacramenta* sunt appendices doctrinæ Euangelij, ideo etiam ad secundam partem referuntur. *Precatio* est pars cultus Dei, ideoq; ad Legem referenda est. Sunt etiam qui aiunt hanc Ecclesiæ doctrinam diuidi 1. In doctrinam de Deo, 2. In doctrinam de voluntate eius, 3. In doctrinam de

de operibus eius. Sed de his tribus membris agitur & in Lege, & in Euangelio. 1. Omnis enim doctrina de Deo, aut est de natura, aut de voluntate, aut de operib. Dei. Quare quæ sit natura Dei docetur in Lege & Euangelio. Voluntas eius conspicitur aut in præceptis, aut in minis, aut in promissionibus. Opera verò sunt aut beneficia, aut iudicia voluntatis eius, quæ spectãda sunt in creatione, post lapsum, & in restitutione. Præter hæc etiam peccata hominum & diabolorum describuntur. Atque de his omnibus vel in Lege, vel in Euangelio, vel in vtroque docetur. Ergo Lex & Euangelium sunt summa capita quæ omnem doctrinam Scripturæ continent. 1. argumentum à diuisione.

2 Christus ipse hanc diuisionem fecit, inquiens, *Ita scriptum est, & ita oportuit Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die: & prædicari in eius nomine resipiscentiam, ac remissionem peccatorum.* Hoc autem totum in Lege & Euangelio continetur. 2. Testimonia.

3 Quia Lex & Euangelium eadem complectuntur, quæ scripta Prophetica & Apostolica, & doctrina Ecclesiæ, quæ nimirum complectitur, quid Deus nobis præstet & quid à nobis postulet: Rectè igitur diuisimus doctrinã Ecclesiæ in Legẽ & Euãgelium. 3.

4 Idem sacræ Scripturæ argumentum ex eo colligimus, quòd libri Prophetici & Apostolici *vetus & nouum Testamentum* dicuntur. Notum est enim hic nomine *Testamenti* fœdus significari. Si igitur Fœdus quod est inter Deum & credentes, in his libris describitur, in eis explicari necesse est, quid nobis promittat & præstet Deus, videlicet gratiam suam, remissionem peccatorum, Spiritum sanctum, iustitiam, & vitam æternam, & conseruationem Ecclesiæ in hac vita, per & propter Filium suum Mediatotem nostrum: & quid à nobis vicissim requirat, fidem nimirum qua hæc beneficia accipiamus, & vitam ad ipsius præcepta compositam, qua gratitudinem nostram declaremus. Hæc autem sunt, 4. à definitione subiecti, nempe fœderis.

quæ in Lege & Euangelio docentur.

5. A subiecto correlatiuo fœderis.

5 Neque aliud vult Spiritus sanctus, cùm vno verbo dicit, Christum in tota Scriptura doceri, & hunc solum in ea quærendum esse. Nam Paulus certè vt reliqui Apostoli, non mutilam, sed integram doctrinam Ecclesiis proponebat, quemadmodum ipse cõtestatur Actor. 20. *Se non subterfugisse, quo minus annunciaret omne consilium Dei de Ephesiis. Et idem tamen* 1. *Corinth.* 2. *ait, se nihil scire nisi Iesum Christum & hunc crucifixum.* Et cap. 3. *Fundamentum doctrinæ Ecclesiasticæ vnicum esse Christum*: idque, commune esse Prophetis & Apostolis. Ephe. 2. Doctrina igitur de Christo, Scripturæ summa & scppus est, & fundamentum iactum per Prophetas & Apostolos, cui qui non insistunt, lapides templi Dei, id est membra Ecclesiæ Christi non sunt.

DE SECVNDA QVÆSTIONE.

Quare discernenda ab alijs religionibus.

POstquam intelligimus quæ sit Ecclesiæ doctrina contenta in libris Propheticis & Apostolicis videlicet integra & incorrupta vox Legis diuinæ & Euangelij de Christo: facile & necessarium est, eam ab omnibus aliis Religionibus discernere:

1. Causa. Mandatum Dei.

1. Ioan. 5. 39. 1 Cor. 10. 2. Cor. 6. 17. Apoc. 18. 4. Esai. 52. 11. 2. Ioan. 10.

1. Propter mandatum Dei, quod debet sufficere, siue causam sciamus siue non. *Fugite Idola, Discede ab illa populc mi. Nolite iugum trahere cum impiis. Sancti estote. Immundum ne tangite, qui fertis vasa Domini. Qui non affert hanc doctrinam, ei non dicatis Aue.*

2. Causa Gloria Dei

2 Propter gloriam Dei, qui vt non vult se commisceri cum idolis ac diabolis: ita etiam discerni vult suam veritatem à mendaciis, & suos domesticos ab hostibus Ecclesiæ, id est, filiis Diaboli segregari

gregari. Contumelioſum eſt de Deo cogitare, quòd tales filios velit habere, qui eum perſequantur. *Non conuenit Chriſto cum Belial.* 2.Cor.6.15.

3 Propter ſalutem noſtram, & quidem duplici modo. 1. Vt agnoſcatur, id eſt, conſpiciatur Eccleſia, cui ſe fideles adiungere poſſint. Quod ſi non queas diſcernere veram à falſis, non ſcies cui te adiungere & quem cultum ſequi debeas. Nam Deus vult omnes ſaluandos aggregari ad Eccleſiam, iuxta dictum, Extra Eccleſiam non eſt ſalus. 2. Ratione noſtræ conſolationis vt ſinguli ſciant ex quo ſint regno: an ſint ex illis, quibus Deus promittit ſalutem. Hoc ſcire nequis niſi diſcernere poſſis veram Eccleſiam â falſis. 3. Salus noſtra.

4 Scitu neceſſaria eſt ſectarum aliarum doctrina, & diſcrimen, vt fides & conſolatio ſit firmior, cùm videmus eſſe in noſtra Eccleſia quod in aliis deſideratur: item, cùm cernimus, quæ cauſa ſit, cur noſtram doctrinam profitentes ſaluentur, aliæ verò omnes ſectæ cum ſuis ſectatoribus damnentur. 4. Confirmatio.

5 Ne decepti, ſectæ alterius doctrinam pro vera religione amplectamur. *Non enim eſt in alio quoquam ſalus: nec aliud nomen eſt ſub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Ideo dictum eſt: *Qui Paſtor eſt ouium, illum ſequuntur oues: quia nouerunt vocem eius: alienum autem non ſequentur, ſed refugient ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum.* Neceſſe eſt igitur, vt norint oues diſcernere vocem paſtoris à voce luporum, iuxta regulam. 1. Ioan. 4. *Ne cuiuis Spiritui credatis.* Solet autem Satanas transformare ſe in Angelum lucis, & plerique hæretici verba rectè docentium imitantur, cùm ſententiæ ipſorum ſint diuerſiſſimæ. Et ſæpè videmus, rudioribus, cùm aliquam in quibuſdam vel ritibus vel dogmatibus ſimilitudinem cernunt, facilè perſuaderi, vt credant, aduerſarios Eccleſiæ aut eandem nobiſcum religionem, aut non ita malam profiteri, aut cùm aliqua 5. Vitatio periculi. Act. 4. Ioan. 10.

qua nobiſcum habeant communia, non ita multùm referre, ſiqua omittant vel addant. Quare, ne ſpecies aliqua ſimilitudinis cuiquam imponat, vtile eſt illuſtria & vniuerſalia diſcrimina veræ religionis & falſarum eſſe in conſpectu.

6. Pœna. Apoc. 18. 4.

6 Ne participes fiamus pœnarum manentium tales homines. *Migrate ex illis, ne & vos &c.*

7. vt impij reddantur inexcuſabiles.

7 Vt impij reddantur inexcuſabiles. Etſi enim ſine doctrina Eccleſiæ, agnitio Dei nec ad ſalutem ſufficiens, nec vera eſt: tamen omnibus de Deo tantum eſt patefactum, quantum ad impietatis excuſationem ipſis adimendam ſatis eſt. His enim ipſis quæ de Deo ex naturali luce & rerum vniuerſitate verè poſſunt colligi, non aſſentiuntur, neque ad pleniorem Dei agnitionem quærendam, ad quam illa velut ſtimuli nos vrgent, progrediuntur: ſed ea vel prorſus abijciunt, vel in alienum ſenſum rapiunt, & ſua illis commenta aſſuunt, præter & contra naturæ totius & conſcientiæ ſuæ teſtimonium: ita vt ignorantia Dei quidem ſit in ipſis, ſed pertinax & affectata. Atq; hæc ipſa cauſa eſt, cur tandem deſperatione opprimantur, quia vis veritatis illos erroris & cæcitatis contumaciter accerſitæ conuincit.

Diſcrimen huius veræ doctrinæ & aliarum.

1 Hæc doctrina diuinitùs eſt tradita: aliæ ſectæ ſunt ab hominibus & à diabolis excogitatæ.

2 Vera religio habet teſtimonia firma, diuina, pacantia conſcientias, & erroris reliquas ſectas conuincentia.

Lex quidē naturâ nota, ſed obſcurata.

3 In doctrina Prophetarum & Apoſtolorum Lex Dei integra, & rectè intellecta, atque incorrupta traditur: retinentur verò ambæ Legis tabulæ perfectæ. Aliæ verò ſectæ præcipuas legis diuinæ partes abijciunt, nimirum doctrinam de vera Dei agnitione & cultu, quæ prima Decalogi tabula continetur: & interiorē ac ſpiritualem ſecundæ tabulæ obedientiam. Quicquid reliquum eſt in illis boni & veri

pars est præceptorum de disciplina secundæ tabulæ siue de externis & ciuilibus erga homines officijs.

4 Euangelium de Christo integrum, & rectè intellectum, in sola vera Ecclesia docetur, & hac sola vera doctrina continetur. Aliæ verò sectæ, aut prorsus ignorant illud, vt Ethnici, Philosophi, Iudæi, Turcæ: qui etiam nominis Ecclesiæ hostes sunt: aut particulam eius ex doctrina Apostolica suis erroribus assuunt, cuius tamen neq; vsum norunt, neq; percipiunt: vt Arriani, Papistæ, Anabaptistæ, & omnes alij hæretici, quorum alij de persona, alij de officio Mediatoris errores tuentur. Hi omnes, etsi titulum Ecclesiæ sibi arrogant, & nomen Christi profitentur: tamen (cùm discedant à fundamento Ecclesiæ vnico, quod est Christus, hoc est, Christum aut verum Deum, aut verum hominem non agnoscant, aut iustitiam & salutem vniuersam non in ipso vno quærant) membra verę Ecclesiæ ne quidem externa professione sunt, sicut dicitur 1. Ioan. 4. *Omnis spiritus, qui non confitetur Iesum Christum in carnem venisse, ex Deo non est: Et hic est spiritus Antichristi.*

Euangelium non naturâ notum.

Discrimen huius veræ doctrinæ & Philosophiæ.

Verum est nos operam dare Philisophiæ, & non aliarum sectarum doctrinæ: sed tamen est maximum discrimen inter vtramque doctrinam. 1. Philosophia tota naturalis est: huius doctrinę pars præcipua (videlicet Euangelium) est reuelata diuinitùs à Deo.

2 Hæc sola ostendit Euangelium: Philosophia illud prorsus ignorat. 3. Doctrina Ecclesiæ docet fontes nostrarum miseriarum: Philosophia verò non item. 4. Illa cùm nos reddit certos de vita æterna, suppeditat solatia conscientijs, & rationem emergendi ex periculis: Philosophia verò ne hoc quidem 5. Illa integram legem: præcipuas partes philosophia omittit. Philosophia continet duas partes vitę humanę vtiles, vt Logicam, Mathematicam

&

& quas in hac doctrina Deus tradere noluit: de hac autem doctrina continet Philosophia particulam tantùm Legis, eámque obscuram, & ex paucis tantùm legis præceptis decerptam.

Habet quasdam communes consolationes: quasdam non, quæ nimirum Ecclesiæ sunt propriæ. *Communes* hæ sunt. 1. Prouidentia Dei, seu necessitas obediendi Deo. 2 Bona conscientia. 3 Dignitas virtutis. 4 Causæ virtutis finales. 5 Exempla aliorum. 6 Spes compensationis. 7. Collatio euentuum: quia minus malum confertur maiori.

Non communes. 1. Remissio peccatorum. 2 Præsentia Dei in ipsis malis. 3 Liberatio finalis.

Notæ quibus distinguitur Ecclesia ab aliis.

Ecclesiam vel homines veram doctrinam profitentes ab aliis hominibus distinguit. 1 Puritas doctrinæ. 2 Legitimus vsus Sacramentorum. 3 Obedientia erga Deum, eiusq; doctrinam in vita & moribus. Sæpe quidem in Ecclesia grassantur magna vitia, sed non defenduntur, vt in aliis sectis fit. Vera enim Ecclesia priùs reprehendit & damnat ea, quàm alij. Dum hoc manet, tantisper manet Ecclesia.

DE TERTIA QVÆSTIONE.

Vnde constet, solam hanc Religionem à Deo esse traditam, quæ in sacra Scriptura continetur.

DEus omnibus creaturis rationalibus hoc frænum in ipsa creatione iniecit, vt nemo sine extrema & manifesta impudentia, qualis Diaboli fuit in Paradiso, postquam à Deo asseuerari aut præcipi aliquid in confesso est, in dubium illud vocandũ, vel detractandum cuiquam esse dixerit. hinc illa toties apud Prophetas repetita: *Audite cœli, & auribus percipe terra. Quia Dominus locutus est: Hæc dicit Dominus*

minus: *Factum est verbum Domini ad Esaiam, Ieremiam &c.* Cùm igitur veteris & noui Testamenti libros verbum Dei esse constat, veráne sit religio & doctrina quæ his continetur, quærendi locus non relinquitur. An autem diuino instinctu hi libri conscripti sint, & quibus testimoniis & argumentis, tantæ rei simus certi, ea est nobis minimè prætereunda quæstio. Nisi enim hoc ante omnia fixum & immotum sit, quæcumque in Prophetarum & Apostolorum libris legimus, tam verè nobis voluntatem Dei exprimere, ac si Deũ palàm de cœlo nobis loquentem audiremus, fundamentum ac certitudinem vniuersam Christianæ religionis labefactari necesse est. Quare studiosis gloriæ Dei & solidam consolationem quærentibus digna consideratio est, vnde nobis constet, sacram Scripturam esse verbum Dei. Ad quæstionẽ hanc longo iam tempore à Pontificiis responsum est, non aliunde hoc certum esse, nisi quia testimonio suo confirmet Ecclesia. Nos verò, vt Ecclesiæ veræ testimonium neque abiicimus neque contemnimus: ita sententiam eorum, qui non aliundè quàm ex asseueratione Ecclesiæ sacris literis authoritatem suam constare dictitant, multis modis pestiferam & detestandam esse non dubitamus.

Quare necessaria hæc quæstio.

1. Pars. Scripturæ authoritas non pendet ab Ecclesia.

Primùm enim authoritatem verbi Dei pendere ab humano testimonio, impium dictu & blasphemum est. Si autem principalis causa, quare Scripturas diuinitus traditas esse credamus, est Ecclesiæ testimonium, quis non videt maiorem humanæ, quàm diuinæ vocis authoritatem constitui? Qui enim alteri testimonium perhibet, quod vel sola, vel præcipua causa est quare huic credatur, ei proculdubio fides maior habetur, quàm illi qui testimonium accipit. Indignissima igitur est maiestate diuina oratio, Dei loquentis vocem in diuinis oraculis non agnosci, nisi hominum testimonio comprobetur.

1. Ratio. Contumelia Dei.

Secundò

2. Ratio Consolatio nostra. Fides nititur testimonio certo. Ergo non humano.

Secundò cùm de tantis rebus concionetur doctrina Prophetica & Apostolica, de quibus certum cognoscendi, tantum est in omnibus qui sana sunt mente, desiderium, & in omnium animis tanti dubitationum conflictus, quæ poterit esse fidei nostræ *Plerophoria*, quæ aduersus tentationum impetus firma consolatio, si vocem illam, qua fiducia nostra nititur, verè diuinam esse non aliunde sciamus, quàm quia hoc affirment homines, in quibus tantum esse videmus ignorantiæ, erroris & vanitatis, vt nemo ferè, præsertim in rebus aliquanto maioribus, illorum assecurationi multum tribuat, nisi rationes aliæ cum ea consentiant?

3. Ratio refutatio hostium.

Tertiò: Veritas diuina & religio Christiana ludibriis & sannis impiorum planè exponitur, si obturare ipsorum ora volentes, ideò tantū nobis credi postulemus, religionem nostram esse diuinitus traditam, quia nos hoc affirmemus. Si enim alia refutatione non compescantur, non minore specie veritatis illi hoc negabunt, quàm nos affirmamus.

4. Testimonia.

Denique Scriptura ipsa multis in locis huic sententiæ reclamat, sibique autoritatem longè superiorem vendicat quàm quæ testimonijs hominum nitatur. Sic enim ipse Christus ait Iohannis 5. *Ego nō ab homine testimonium accipio:* Significans nimirum, doctrinam suam ne ipsius quidem Iohannis testimonio niti, quamuis hoc etiam allegabat, sed tanquam minus principale, vt nihil, quo ad credendum commoueri possent homines omitteret. Ideo subiungit, *Sed hæc dico vt vos saluemini. Ego testimonium maius habeo testimonio Iohannis.* Cùmq; hæc de se dicat Christus humiliatus, non sanè minus erunt vera de glorioso & regnante. Et 1, Corinth. 2. Paulus inquit: *Sermo meus & prędicatio mea non erat in persuasorijs humanę sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus & potentiæ, vt fides vestra non sit in sapientia hominū, sed in potentia Dei.* Quòd si autem ne rationibus quidem sapienter cogitatis

gitatis ab hominibus, niti debet fides, multò minus ex asseueratione sola hominum pendebit. Ephes. 2. dicitur ipsa Ecclesia exædificata super fundamentum Prophetarum & Apostolorum. Si igitur fiducia & confessio Ecclesiæ, Prophetarum & Apostolorum doctrinæ tanquam fundaméto innititur; non potest Scripturæ certitudo ab Ecclesiæ testimonio pendere. Sic enim non Prophetico & Apostolico, sed suo ipsius testimonio Ecclesia suffulta esset. Et 1. Ioan. 5. *Si testimonium hominum accipimus: testimonium Dei maius est.* Quod si maius est, non pendet eius autoritas ex hominum testimonio: Sed Deo testanti Prophetica & Apostolica Scripta verè suam vocem esse, magis credendum est, quàm Ecclesiæ idem affirmanti.

Obiect. 1. Quòd sint germani, testatur sola Ecclesia. Resp. Neg. Min.

Quod autem contrà affertur, *Solius Ecclesiæ testimonio nobis constare, sacros quos habemus libros, à Prophetis & Apost. quorum nomina præfixa habent, esse scriptos, & ad nos vsque incorruptos peruenisse:* id nequaquam concedimus. Deus enim & in Scriptura & in cordibus sanctorum longè certiùs testatur, nihil in his libris esse fictum aut suppositium, quàm ab Ecclesia & ab omnibus creaturis, id confirmari potest. Qui igitur solius Ecclesiæ testimonio hac in re nituntur, illi præcipua testimonia se non dum sensisse aut intellexisse ostendunt.

Ob. 2. Discretio librorum Resp. Neg. Min. 1. efficacia Spiritus.

Dicunt præterea, *libros vtriusq; testamenti autenticos siue*, vt vocant, *Canonicos, Ecclesiæ iudicio discerni ab Apocryphis, ideoque authoritatem sacri Canonis ab Ecclesiæ sententia pendere.* Hoc autem librorum discrimen, arbitrio Ecclesiæ non constitui, sed à Spiritu Dei ipsis libris impressum, ab Ecclesia agnosci & approbari tantùm, facilè intelligitur, si causæ discriminis huius considerentur. Aut enim in ijs, qui Apocryphi nominantur, vis & maiestas diuini Spiritus in rerum & verborum pondere & acrimonia minùs euidenter elucet, quàm in ceteris, quos constat esse cœlestia oracula

racula,ideò literis diuino instinctu consignata, vt fidei essent regula : aut à Prophetis vel Apostolis esse scriptos, neque ex his ipsis libris, neque ex aliis, qui sunt Canonici,licet statuere: quia nimirum vel non ab iis conscripti sunt,quos Prophetico Spiritu fuisse præditos Deus certis testimoniis confirmauit: vel autores certos ipsi non indicant: vel ex charactere ipsorum aut aliis rationibus potest colligi,non ab iis esse relictos quorum nominib.inscribuntur. De hac autem vel spiritus euidentia,vel autorum certitudine,non ex Eccl.sed ipsorum librorum testimonio iudicamus. Ideóq; non propter solum Ecclesiæ iudicium, alios libros esse Canonicos & fidei fundamentum ac regulam statuimus, aliorum verò doctrinam ideo amplectimur, quia cum canonicis consentiat: sed propter ipsas potiús huius discriminis causas, quas in ipsis libris deprehendimus.

2.Certitudo autorum.

Illud veró, quòd Ecclesiam Scripturis antiquiorem ac proinde maiorem eius autoritatem esse quidam dicunt,nimis friuolum est. Verbum enim Dei æterna est in ipso Deo sapientia.Neque eius notitia tum primùm Ecclesiæ patefacta est quando literis est consignatum: sed eius patefactio cum ipsa generis humani creatione & primordiis Ecclesiæ in Paradiso cœpit. Quin *verbum* est illud *immortale semen* ex quo Ecclesia nascitur. Non igitur potuit Ecclesia existere,nisi verbo prius tradito. Cùm autem Scripturam sacram nominamus, non tantum Characteres literarum & volumina intelligimus,sed ipsas potiùs quæ illis continentur sententias, quas illi recentiores Ecclesiâ esse, nunquam obtinebunt. Etsi enim repetitæ & declaratæ sint sæpius post initium collectionis Ecclesiæ:summa tamen Legis & Euangelij eadem fuit perpetuò.

Ob. 3. Ecclesia antiquior quam scriptura.

1.Resp. Negatur Minor.

Scriptura prior est natura vt causa.

Denique ne illud quidem quod assumunt, est perpetuum,*Testis antiquioris esse maiorem autoritatem quàm recentioris*. Potest enim ea esse conditio testis recentioris

2.Negatur Maior. Artifex iunior potest esse peritior seniore.

tioris,vt fidem mereatur maiorem quam antiquior. Teſtabatur de ſe homo Chriſtus: teſtati fuerant etiam de ipſo iam olim Moſes & Prophetæ : neque tamen ideò maior eſt authoritas vel omnium aliorum teſtium,quàm ſolius Chriſti: Sic teſtatur Eccleſia Scripturam ſacram quam habemus eſſe Dei verbũ, teſtatur hoc & ipſa Scriptura de ſe, ſed eo teſtimonij genere, quod omnibus angelorum & hominum iuramentis certius & firmius eſt.

Allegatur in hanc ſententiam & Locus. 1.ad Timotheum 2. vbi *Eccleſia columna & ſtabilimentum veritatis nominatur.* Sed cùm alibi non ſemel Scriptura doceat, fundamentum Eccleſiæ Chriſtum & eius verbum eſſe : ſatis manifeſtum eſt Eccleſiam eſſe columnam veritatis non fundamentalem ſeu conſeruantem,ſed miniſterialem, id eſt, cuſtodem & propagatricem,& quaſi domicilium ac ſedem ſtabilem, quæ veritatem cœleſtem apud ſe depoſitam & ſibi concreditã geſtet in conſpectu totius humani generis,ſicut Paulus dicitur organum electum vt geſtet nomen Dei coram gentibus & regibus : neq; tamen Paulus Euangelio,ſed Euangelium Paulo fidem conciliabat. Sic Apoſtoli nominantur columnæ:Galat.2.non quòd ipſorum perſonis Eccleſia niteretur, ſed quòd Euangelij doctores præcipui & quaſi duces doctrinæ eſſent. Non enim neceſſe eſt credi docentib.propter ipſorum aſſeuerationem,ſed propter eas quas afferũt ſuæ doctrinæ probationes.

Ob.4.Columna veritatis.

Act.9.Gal.2. 1.Theſ.2. 2.Theſ.1. Tit.1.

Ad hæc Auguſtini ſententiam producunt ex libro contra epiſtolam Fundamenti cap. 5.*Ego verò Euangelio non crederem,niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoueret autoritas.* Primùm autem , etiamſi verùm eſſet, vel Auguſtinum vel alios quoſdam fidem Euãgelio habere propter ſolam autoritatem Eccleſiæ: non tamen hinc poſſet regula excudi de eo quòd facerent aut facere deberent vniuerſi.Sed hanc non eſſe Auguſtini ſententiam , quam iſti volunt, facilè perſpiciunt,

Obiect.5. Auguſtini locus.

Reſp.1.Exemp.non facit regulam.

Reſp.2.

Loquitur de se nondum conuerso.

ciunt, qui & integram istius loci seriem, & phrasin Augustino familiarem considerant. Volens enim Augustinus ostendere, Manichæis omnem suæ doctrinæ probationem deesse; primùm opponit aliquem qui Euangelio nondum credat, atque hunc à Manichæis conuinci vllo modo posse negat; siquidem vel argumentis, ex ipsa doctrina sumptis, quæ Manichæi nulla habeant, vel consensu Ecclesiæ Catholicæ, à qua ipsi discesserint, ille conuincendus esset: exempli loco seipsum proponit, vt qui Euangelio non credidisset, nisi eum Catholicæ Ecclesiæ commouisset autoritas. Non igitur de se tali exi-

Non crederet: scilicet existens Manichæus siue tunc, siue iam.

stente, qualis tum erat, cùm hæc aduersus Manichæos scriberet; verùm de se nondum conuerso, aut non satis confirmato, dicit hoc Augustinus. Atque non de præsenti, sed de præterito tempore ipsum loqui manifestè indicant verba sequentia: *Quibus ergo obtemperaui dicentibus; Credite Euangelio: cur eis non obtemperem dicentibus: Noli credere Manichæo?* Hinc enim apparet, quòd *se motum esse potissimùm autoritate Ecclesiæ* intelligat eo tempore, quo obtemperauit eius voci, id est, à Manichæis ad veram Ecclesiam accessit. Postquam verò conuersus esset, ac veritatem doctrinæ perspexisset, non iam autoritate Ecclesiæ, sed longè alio fundamento fidē suam suffultam esse ipse nobis locupletissimus testis est, cùm eodem libro, cap. 14. sic ait: *Nihil aliud elegisti, nisi laudare quod credis, & irridere quod credo. Cùm igitur etiam ego vicissim laudauero quod credo, & quod credis irrisero: quid putas nobis esse iudicandum, quidue faciendum, nisi vt eos relinquamus, qui nos inuitant certa cognoscere, & postea imperant, vt incerta credamus & eos sequamur, qui nos inuitant priùs credere, quod nondum valemus intueri, vt ipsa fide valentiores facti, quod credimus intelligere mereamur, non iam hominibus, sed ipso Deo intrinsecus mentem nostram firmante atque illuminante?* Iniuriā igitur Augustino manifestam faciunt, qui quod

Ergo credebat præcipuè Ecclesiæ, antequā valeret intueri.

ipse

ipſe de ſe nondum conuerſo vel adhuc infirmo fatetur, ad illud tempus trahunt, quo ipſe non de ſe tantùm, ſed de pijs omnibus longè aliud affirmat. Ea enim Verbi diuini apud nos debet eſſe reuerentia, ea eſt etiam Spiritus ſancti in confirmandis credentium cordibus efficacia, vt credamus Deo etiam ſine vllius creaturæ teſtimonio: ſicut Elias non deficiebat à Deo, etiam quando *ſe ſolum ex veris Dei cultoribus reliquum* exiſtimabat. Si autem vel Auguſtinus vel quicunque alius nondum ad veram religionem conuerſus, nec dum eius certitudinem in corde ſuo ſatis expertus, humanis potius, quàm diuinis teſtimonijs ad eam amplectendam moueatur, nequaquam inde poteſt colligi, non aliis teſtimonijs certitudinem ſacræ ſcripturæ niti, aut nos de ea confirmari. Siquidem quòd aliqui humanis potiſſimùm ſuffragijs ad eius reuerentiam permouentur, non inde fit, quòd alia autoritate Scriptura non ſit ſuffulta: ſed eorum vitio & imbecillitate accidit, qui in humanis teſtimonijs hærentes, diuina nondum ſentiunt, aut intelligunt. Imago & exemplum iſtorum fidei progreſſuũ eſt in hiſtoria *Samaritanæ Ioan. 4. Multi enim Samaritanorum credidiſſe dicuntur in Chriſtum propter ſermonem mulieris teſtificantis, quòd ipſi dixiſſet omnia quæ feciſſet*. Poſtquam verò biduum Chriſtum habuiſſent ſecum, multò plures crediderunt propter ſermonem ipſius: & mulieri dicebant, *Iam non propter tuam orationem credimus, ipſi enim audiuimus, & ſcimus, quòd hic verè ſit ſeruator mundi Chriſtus*. Non omnes iſdem occaſionibus & initijs ad fidẽ perueniunt. Rom. 11. *Paulus ait ſalutẽ contigiſſe gentibus, & à ſe gloriſicari miniſterium ſuum, vt Iudæi ad æmulandum prouocentur*. 1 Pet. 3. iubentur *vxores eſſe ſubditæ maritis, vt etiam qui non obtemperant ſermoni, per ipſorum conuerſationem, abſque ſermone lucrifiãt conſiderata earum cum reuerentia coniuncta caſta conuerſatione*. Sicut igitur Sichareni mouebantur primùm narra-

1. Reg. 19. Applicatio ſolutionis. Non ſequi quod volunt 1. quia plus eſt in Conſequente, quam in Anteced. 2. quia eſt fallacia Accid.

Declaratio à ſimili exemplo. 1. Samaritana.

2 Aemulatio Iudæorum.

3 Probitas coniugum.

narratione mulieris,vt in Christum crederent:postquam verò Christum ipsum vidissent atque audiuissent ita confirmabantur, vt se crediturosiam dicerent,etiam tacente muliere : Ita fieri potest , vt non dum conuersi,vel adhuc infirmi,Ecclesię testimonio tanquam in ipsorum oculos magis incurrente, moueantur potissimum ad fidem Scripturæ habendã, qui tamen postquam vberiore luce fidei illustrati sunt,longè superiori ac certiori testimonio,Scripturam esse Dei verbum confirmari, experiuntur, eiusque vi & euidentia fidem sibi retinendam esse intelligunt,etiamsi omnes Angeli & homines diuersum

Gal.1. suaderent,iuxta dictum:*Etiamsi nos,aut Angelus è cælo euangelizet vobis prętet id quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Ex his igitur potest intelligi, vocem &

Conclusio primę partis. consensum Ecclesiæ Catholicæ,posse quidem & debere inter alia testimonia,confirmationi nostræ seruire : nec tamen autoritatem Sacræ Scripturæ ab

2.Pars. ea pendere: sed ex ipsa Scriptura potiùs discioportere , quibus argumentis eam diuinitus traditam esse,nobis agnoscendum sit:nimirum quia Deus ipse hoc testatur,eaque doctrinæ cœlestis vis & ratio est vt etiam contradicentibus cunctis hominibus hanc esse Dei vocem non aliunde manifestius ac certius,quàm ex ipsa cognosci queat.

Argumenta certitudinem Scripturæ ostendentia. Sed ne quis existimet,argumentis vllis,quæ etiam ratio naturali luce firma esse iudicat,apud impios absque singulari Spiritus sancti gratia hoc effici, vt vel obtemperent veritati , vel in eam contumeliosi esse desinant : principiò meminisse oportet, argumenta siue testimonia esse duplicia,quæ Christianæ Religionis certitudinẽ ostendũt, & Scripturæ sacræ autoritatẽ tuentur. Vnicũ quippe testimoniũ est,solis Christi spiritu renatis propriũ, & his solis cognitum,cuius ea vis est,vt non modò veritatem doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ abundè in animis nostris testetur & obsignet, sed corda etiam ad amplectendam

ctendam eam & sequendam efficaciter flectat & permoueat. Alia quæcunque afferri possunt, à pijs quidem & impijs intelliguntur,& fateri cogunt conscientias, hanc potiùs religionem quàm alias Deo placere & ab ipso fluxisse: Sed nisi vnum illud accedat, quod à solis pijs agnoscitur,nunquam ista perficient, vt veritatem etiam agnitam homines amplectantur. Argumenta igitur veritatem & certitudinem Scripturæ ostendentia sunt huiusmodi.

1 Doctrinæ puritas & integritas. Vt enim Euangelij,sic & Legis doctrinam habemus puram & integram. Vtramque verò Legis tabulam aliæ sectæ non habent integram:sed primam multæ habent ex parte: secundam aliqua ex parte, eamque multis mendacijs contaminatam. 1. Doctrinæ puritas.

2 Euangelium ipsum, quod præbet certam consolationem conscientijs, solum ostendens modum euadendi ex peccato & morte.Natura humana non est condita ad interitum. Igitur doctrina,quæ ostendit liberationem, sine violatione iustitiæ diuinæ, proculdubio est vera & certa. 2.Euangelium, liberationem ostendens.

3 Antiquitas huius doctrinæ, quia reperitur vetustissima,partim ex collatione: hanc enim si conferamus cum alijs, inueniemus eam esse puram, & verissimam,vtpote à Deo traditam, à qua homines postea defecerunt. Aliæ sectæ alijs temporibus ortæ sunt & rursum interierunt: hæc mansit,licet maximè oppugnata sit ab hostibus. 3. Antiquitas.

4 Miracula Ecclesiæ propria quæ eôdem tendunt, nempe vt ostendant & confirment eam doctrinam. Etsi.n. Ethnicorum quoq; nonnulla miracula cõmemorantur, ac de Antichristo & Pseudoprophetis dictũ est,*edituros esse signa & prodigia magna,ita vt in errorem inducantur,si fieri posset etiam electi*: tamen ea neq; numero, neq; magnitudine paria sunt miraculis Eccle.& ex fine,quo facta sunt,facilè iudicari potest,nõ edita esse diuinitùs. Itaq; duplici potissimùm discri- 4. Miracula.

Obiect.1. Etiam alij habent miracula.

Resp. Non vera.

Differunt 1. Substantia

mine differunt vera miracula à falsis. Primùm enim ea miracula quæ iactantur ab hostibus Ecclesię, sunt eiusmodi quæ ordine naturę non mutato, hominum vel Diabolorum fraudibus & præstigiis possunt effici: videntur autem aliis esse miracula, quia causas eorum & modum, quo fiunt, non intelligunt. Deinde

2. Finibus.

hunc finem principalem habent, vt idola, superstitiones, errores manifestos & scelera confirment. Miracula verò, quibus Deus Ecclesiam ornauit, opera sunt præter aut contra naturæ & causarum secundarum ordinẽ, ac proinde non nisi diuina potentia facta. Quod vt manifestius esset, multa Deus miracula edidit ad suæ veritatis confirmationem, quorum Diabolus ne speciem quidem imitari aut simulare potest, qualia sunt mortuorum resuscitatio: sistere aut reuocare cursum solis: effœtas & steriles facere fœcundas. Præcipuè autem diuina miracula finib. discernuntur à Diabolicis, & fictitiis. Nihil. n. confirmant, nisi cum præcedentibus Dei patefactionib. congruens, ad gloriam veri Dei, ad pietatem, & sanctitatem, & hominum salutem spectans. Ideoque de Antichristi miraculis dicitur, 2. Thess. 2. *Aduentum eius fore ex efficacitate Sathanæ cum omni potentia, signis & prodigiis mendacib & cum omni fraude iniustitiæ, in pereuntibus, &c.* Quòd si verò aliquis in dubium vocare ausit, an quę narrantur miracula in sacris literis

Obiect. 2. Sunt dubia. Resp. Neg. Antecęd.

verè sic sint gesta; eius haud dubiè nimis magna est impudentia. Eadem. n. opera sacram & prophanam historiam vniuersam arguit mendacii. At nos primùm videamus, cùm cæteras historiæ sacræ partes, tum verò præcipuè miracula, tanquam res non occultas, sed in publico Eccl. & generis humani conspectu gestas recitari. Frustra verò conati fuissent Prophetæ & Apost. fidem suæ doctrinæ conciliare miraculis, quæ homines nunquam vidissent. Accedit, quòd ea, quam afferebant, doctrina, rationis iudicio ignota & affectib. hominum aduersa erat: ideoque

que miracula nisi manifestissima, fidem nunquam inuenissent. Tum etiam & in ipsis miraculis, & in doctrina quę illis confirmatur, palàm apparet, ab his qui illa descripserunt, non suam gloriam, aut alia vitę commoda, sed solam Dei gloriam & hominum salutem quæsitam esse. His argumentis astipulatur non tantùm Ecclesiæ testimonium, verùm & hostium Christi confessio, qui sanè, si vlla ratione potuissent, etiam vera & nota negassent atq; suppressissent, nedum ficta vel obscura suo testimonio confirmassent.

5 Oracula impleta suo tempore, quæ testimonium suum huic doctrinæ deferunt : item prædictiones rerum futurarum, & responsiones euentuum, quæ non nisi à Deo reuelante prædici possunt. Etsi autem Ethnici quoque & alij sua iactarunt oracula : magnum tamen & multiplex inter illa & sacra vaticinia discrimen est, quòd hæc diuinitus edita, illa verò Diaboli fictitia imitatione, diuinam veritatem & gloriam obscurare volentis, impostura fuisse, satis euidenter ostendit. A veritate enim & iustitia diuina prius patefacta dissidebant : scelera & idololatriam confirmabant : à vatibus furioso & diabolico impetu agitatis fundebantur : obscura erant aut ambigua : cúmque incerta essent, sæpè falsa spe illis auscultantes in fraudem & perniciem illicebant : saltem ijs de rebus edebantur, quarum euentus pro sua caliditate Diabolus vtcunque è signis præcedentibus colligere potest, vel quia diuino permissu atque imperio effecturum sese cognouit. Neque igitur illa, religiones eorum hominum, apud quos vigebant, confirmant, neque autoritatem sacræ Scripturæ minuunt, in cuius oraculis omnia iam dictis contraria videre est.

5. Oracula.

Ob. Ethnici quoque habent vaticinia.

Resp.

6 Confessio ipsorum hostium : quia quicquid est verum & bonum in alijs sectis, id etiam habet Christiana religio, & multò clarius meliúsque, nec illa principia naturalia refelli possunt. Etsi quid habent

6. Confessio hostium.

aliæ ſectæ quod pugnat cum noſtra doctrina, illud facilè refutari poteſt: ſi verò quid habent, quòd non poſſit refutari, id à nobis furati ſunt: quod ſolet Diabolus facere. Quin & illi ipſi hoſtes coguntur fateri doctrinam noſtram eſſe veram, atque etiam ipſe Diabolus. *Tu es filius Dei, &c.* Ea enim verbi Dei vis, & natura eſt, vt illorum etiam qui non conuertuntur, tantò grauiùs percellat ac vulneret conſcientias, quantò ipſi pertinaciùs contra ſtimulum calcitrant, ſicut Heb. 4. dicitur. *Viuus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrantior quouis gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animi & ſpiritus, compagúmque & medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis.* Et Luc. 21. *Ego dabo vobis os & ſapientiam cui non poterunt contradicere omnes qui aduerſabuntur vobis.*

Luc. 4. 41

7 Odium & oppugnatio huius doctrinæ à Diabolo & impijs, quod eſt teſtimonium eam eſſe veram. Nam *veritas odium parit, diabolus ab initio mendax.* Conatur igitur legem & Euangelium opprimere, vt tollatur fides & honeſtas. Veritatem perſequitur ideò cum ſuis membris, quæ rigidius illum accuſat, quam aliæ ſectæ. *Mundus me odit quia teſtificor de eo, quoniam opera eius mala ſunt.*

7. Odium & oppugnatio Diaboli & impiorum.

Ioan. 8. 44.

Ioan. 7. 7.

8 Mirabilis conſeruatio huius doctrinæ contrà furores Satanæ, & hoſtium Eccleſiæ. Nulla tantopere oppugnatur: nulla etiam tam firmiter manet. Cæteræ non oppugnantur, & tamen citiſſimè pereunt.

8. Mirabilis conſeruatio

9 Pœnæ hoſtium, vt Arij, Iuliani, & aliorum. Etſi autem, in mundo plerunque florent impij & oppreſſa eſt Eccleſia: tamen id neque caſu fieri, neq; quòd illi Deo placeant, & euentus teſtantur, & ſcriptura ſæpiſſimè inculcat. Perpetuò enim ſeruatur Eccleſia etiam in medijs perſecutionibus, cùm tyrãnorum & impiorum breuem fœlicitatem triſtiſſimus atque æternus interitus excipiat. Sinit autem Deus aliquãdiu ipſos graſſari & florere, vt ſcandalo crucis magis exerceatur & probetur piorum fides & patientia,

9. Pœnæ hoſtium.

Obiect. 1. Hoſtes Eccleſiæ florẽt.

Reſ. Ad breue tempus.

tia, impijs relinquatur pœnitentiæ tempus, cumque longanimitate Dei abutantur, tantò iustior & grauior pœna tandem infligatur. Ideóque Scriptura sacra tam multis in locis, vt Psal. 37. 52, 57. 58. & sæpè alibi aduersus hoc tentationis genus pios consolatur, his quidem defensionem & liberationem, hostibus autem interitum prædicens. Neque etiam inde labefactatur argumentum, quod non omnes persecutores Ecclesiæ tragicis exemplis è vita tolluntur. Dum enim plerosque in hac vita Deus vlciscitur, satis, quid existimari de reliquis velit, ostendit: eos videlicet hostes suos esse, quos, nisi resipiscant, in æternas pœnas abiecturus sit, quarum initium & sensus est desperatio, in qua moriuntur omnes Christianæ religionis hostes, etiam qui alijs huius vitæ calâmitatibus non opprimuntur. Denique vt manifestum sit, illos non tantum propter alia scelera sic à Deo puniri, toties in verbo suo Deus prædicit, suorum hostium tales exitus fore, & quidem hanc ipsam ob causam, quia populum & cultum Dei verum extinguere conentur. Quinetiam non paucis, cum in pœnis hærent, extorquet confessionem eam conscientia, se persecutione piorum hæc mala sibi attraxisse, vt Antiocho Epiphani, & Iuliano Apostatæ. Et cùm omnes Ecclesiæ aduersarios in calamitatibus & morte consolatio destituat: pati eos tanquam hostes Dei, manifestum est, ideoque à vera religione procul aberrasse. Quod autem solifaciunt impij, id ex peccatis ipsorum esse, quorum pœnas luunt, non est dubium. Euersiones igitur hostium Ecclesiæ, sunt testimonium iræ Dei aduersus eos haud obscurum, quemadmodum ipse Deus de Pharaone dicit, *In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te potentiam, & narretur nomen meum in vniuersa terra.*

Ob. 2. Non omnes.

Ob. 3. Non ob hanc causam. Resp. Imo ob hanc.

Exod. 9. Rom. 9.

10 Veræ doctrinæ consensus, aliarum autem dissentio, etiam quoad præcipua capita.

10. Consensus partium Doctrinæ.

11. Confessio & constantia martyrum.

11 Testimonia & confessio Martyrum, qui suo sanguine hanc doctrinam obsignantes, vel in media morte ostendunt se reuera ita sentire, vt docuerunt, seque eam consolationem ex ea haurire, quam alijs prædicabant. Atque hinc apparet, non certitudinem doctrinæ sacræ ab hominum testimonio pendere, si martyrum & aliorum piorum constantia nos consoletur. Etsi enim concurrit ad nostram confirmationem sanctorum quoque testimonium, tanquam minus principale: tamen in ipsorum exemplis longè aliud, nimirum ipsius Dei testimonium conspicitur, qui ipsos confirmat & consolatur, vt omnia propter ipsius nomen sustinere sint parati. Neque illud nos mouere debet, si aliæ quoque sectæ suos martyres nobis obijciant. Primùm enim ab ea, quę in Ecclesia est, multitudine martyrum procul absunt. Secundo haud conspicitur in illis ea quę in plerisq; Christi martyrib. in adeundis supplicijs est alacritas, ita vt cõscientię securitatem & cordis in Deo lętitiam quam hi experiuntur, illos non sentire facilè appareat. Tertiò autem, quòd præcipuè considerandum est, patiuntur impiæ doctrinæ defensores conuicti de suis erroribus. pios autem, nulla in ipsorum confessione falsitate ostensa, vi tyrannica rapiunt persecutores ad supplicia, ipsi de sua impietate & iniuria conuicti, quemadmodum promittit Dominus: *Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt contradicere, neq; resistere omnes qui aduersabuntur vobis.* Etsi igitur interdum aliqui ob doctrinã, cuius neq; sibi neq; alijs certitudinem probare possunt, patiuntur, non tamen diuina cõfirmatione & consolatione muniti, sed sua pertinacia aut superbia & illusionib. Diabol. excęcati ruunt in exitium: contrà de piorum martyr. dicitur Phil. 1. *Vobis datum est pro Christo, non solùm vt in eum credatis, verumetiam vt pro illo patiamini.*

Obiect. 1. An igitur certitudo doctrinæ ab hominibus pendet?

Obiect. 2. Alij quoque sunt martyres. Resp. Differunt.

12 Pietas ac sanctitas eorum, à quib. libri sacri scripti sunt, & qui hanc doctrinam verè amplectuntur.

13.

13 Candor eorum in detegendis suis & suorum vitijs, per quos Spiritus Sanctus doctrinam hanc literis commendauit. 13. Candor in vitijs detegendis.

14 Testimonium Spiritus Sancti in cordibus piorum clamantis Abba Pater. Hoc testimonium non conuincit tantùm,(quod faciunt illa superiora) omnia sed etiam persuadet. Non enim aliud est ipsa fides, quam firmus assensus, quo omni verbo Dei nob. tradito assentimur,&fiducia,qua singuli agnoscimus & statuimus, nobis Deum iuxta Scripturæ huius vocem esse propitium: Quam fiduciam sequitur lętitia acquiescens in Deo & eum inuocans, cum certa spe impetrandi bona, quæ ex verbi præscripto petimus. Vtrumque verò istorum, scilicet assensum hunc seu certitudinem de doctrina, & viuam consolationem, quæ inde enascitur,nec hominum nec vllius creaturæ testimonio niti, sed ipsius diuini Spiritus virtute, per nullam aliam,quàm per Prophetarum & Apostolorum doctrinam lectam, auditam, & cogitatam accendi & confirmari,singuli piorum viuo ac certo suorum cordium sensu experiuntur. Hunc igitur spiritum Deus testem suo verbo adiungit,Isaiæ 59. *Hoc est fœdus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non discedent ab ore tuo, neque ab ore seminis tui, dicit Dominus, à modò & vsque in æternum.* 14. Testimonium Sp. S.

Hunc etiam Christus tanquam testem suæ doctrinæ pręcipuum discipulis promittit Ioan. cap. 15. *Cum venerit Paracletus, ille testimonium perhibebit de me.* Et cap. 16. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiuerit loquitur, & quæ futura sunt annuntiabit vobis. Ille me glorificabit, quia de meo accipiet & annuntiabit vobis.* Huius testimonium tanquam summum & solum etiam sufficiens, appellant Apost. 2. Cor. 1. *Porro qui confirmat nos vnà vobiscum in Christum, Deus est qui etiam obsignauit nos, deditq; arrhabonē Spiritus*

Spiritus in cordibus noſtris. Et 1.Theſ.1. *Quoniam Euangelium noſtrum fuit erga vos non per ſermonem ſolùm, verùm etiam per virtutem, & per Spi.S. & per certitudinem multam.* 1.Ioan.2. *Sed vos vnctionem habetis à ſancto illo & ſcitis omnia.* Illud igitur meminiſſe perpetuò oportet, ſolo teſtimonio Spi.ſancti in cordibus efficaciter nos moueri; vt ſcripturæ credamus, eique nos tanquam voci diuinæ ſubiiciamus: reliquis verò omnibus teſtimoniis omnes quidē conuinci, & pios etiā vtiliter confirmari, ſed nullum hominem ad Deum conuerti, ſine ſpiritu intus teſtificante. Is enim cùm in mentibus noſtris, hanc certiſſimam perſuaſionem efficit, eam quæ in libris ſacris continetur doctrinam, verè Dei voluntatem eſſe, & quæ in his libris promittitur ac docetur, animorum & cordium conſolationem & mutationem operatur; noſtra ipſorum experientia ita confirmatur, vt ea in nobis exiſtente, omnibus etiam angelis & hominibus negantibus, tamen crediturí eſſemus hanc eſſe vocem diuinam, ea verò non accedente, etiam omnibus affirmantibus nunquam crederemus. Neque ideo Spiritus in cordibus noſtris authoritatem Scripturæ non ſancit, quod quæ dictat Spiritus in nobis, ad ſcripturæ normam examinanda ſunt: prius enim quàm hoc fiat ipſe Spiritus nobis oſtendit ſcripturam eſſe vocem Dei & à ſeſe inſpiratam, neq; ſe aliquid nos docturū in cordibus, quod cum illo prius à ſe edito in Scripturis teſtimonio non conſentiat. Hoc niſi prius firmiſſimè nobis ab ipſo Spiritu perſuaſum fuerit, nunquam noſtras de Deo & eius cultu cogitationes ad ſcripturā tanquā ad regulā vnicā reuocabimus. Idoneū verò diuinæ in cordib. reuelationis teſtem eſſe ſcripturā, poſtquā oſtenſum nobis eſt diuinitus, tùm demùm nos mutuo eiuſdem ſpiritus in Scrip. & cordib. teſtimonio confirmari experimur, atq; ſcripturæ de ſe affirmanti credimus, quòd *diuinitus inſpirata ſit ſanctis hominib. Dei*: vt 2.Timo.3. & 2.Pet.1. dicitur.

Ob. Scriptura teſtimonium dat Spiritui: Ergo non Spiritus Scripturæ. Reſp.

De Qvarta Qvaestione.



Quare nullum dogma extra Scripturā ſacram in Eccleſia recipiendum ſit.

Oſtquam Dei verbum eſſe nobis conſtat quod ſcriptum reliquerunt Prophetæ & Apoſtoli, nemo non intelligit, oportere ſcripturam eſſe regulam, ad quam vniuerſa, quæ in Eccleſia docentur & aguntur, examinari debeant. Pertinent autem omnia, de quibus in Eccleſia Chriſtiana ſolent quæſtiones incidere, vel ad dogmata, vel ad diſciplinam & ceremonias. Vtriuſque generis normam eſſe debere verbum Dei non eſt dubium. Sed hoc loco de dogmatibus Eccleſiaſticis agitur, quæ ſunt ſententiæ, quibus credi aut obtemperari neceſſe eſt propter mandatum Dei: Ideoque nullius creaturæ autoritate mutari tolli-ue poſſunt, & rei fiunt iræ Dei, quicunq; ſe illis fide & obedientia ſua non ſubijciunt. His dogmatibus annumerant Pontificij multas ſententias quæ non tantùm in Scriptura nuſquam traditæ ſunt, ſed etiam illi aduerſantur, & Eccleſiam ſiue Epiſcopos habere authoritatem contendunt, etiam contra & præter ſcripturam decernunt quid credere aut facere oporteat: ijſq; decretis non minus quàm ſacrę Scripturæ verbis ad credendum vel obtemperandum obligari conſcientias. Contra verò nos credimus & fatemur, nullam doctrinam eſſe proponendam Eccleſiæ non modò quæ cum Scriptura pugnet, ſed etiam quæ non in ea contineatur. Et quicquid vel expreſſo Scripturæ teſtimonio non traditur vel ex verbis eius rectè intellectis non conſequitur, id ſine violatione conſcientiæ credi, aut non credi, mutari, abrogari & omitti poſſe. Semper enim tenendum eſt diſcrimen neceſſarium inter libros propheticos

Scriptura eſt à Deo: Ergo regula fidei.

Diſcrimen Scripturæ & aliorum dogmatorum.

&

& Apoſtolicos & aliorum in Eccleſia ſcripta & doctrinam: primùm videlicet, quòd ſcriptura ſola nec habeat nec habere poſſit quicquam in re vlla erroris: alij verò doctores & poſſunt errare, & ſæpè etiam errant, cùm a verbo Dei ſcripto diſcedunt: Deinde quòd Scripturæ propter ſuam ipſius aſſeuerationem creditur, quia Deum in ea nobiſcum loqui conſtat: alijs verò non propter ipſorum vocem, ſed propter ſcripturæ teſtimonium creditur, non plus, quàm eo confirmare poſſunt. Non igitur abijcimus aliorum in Eccleſia doctrinam & labores: ſed ſuo tantùm loco eos habentes, regulæ verbi Dei ſubijcimus. ſententia hæc primùm ab ipſo Deò non vno in loco ſcripturæ tradita eſt, vt Deut. 4. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Et Apoc. vlt. *Conteſtor omni audienti verba prophetica libri huius, ſi quis appoſuerit ad hæc, &c. Et ſi quis diminuerit de verbis, &c.* Nec tantùm his dictis perhibetur, ne falſa, & palam cum verbo ſcripto pugnantia addantur doctrinę Eccleſiæ, ſed etiam ne admiſceãtur incerta vel ad eam non pertinentia. In nullius enim creaturæ poteſtate eſt pronunciare, quid de Deo & eius voluntate ſtatuendum ſit: ſed ex diuinis patefactionibus, tantum hoc diſcendum eſt. Ideoque Act. 17. laudantur Beroœenſes, *qui ſcrutati fuerunt ſcripturas, &c.*

Sola Scriptura eſt autopiſtos & regula fidei.

Secundò, Fides de qua in Eccleſia dicitur, eſt pars diuini cultus, nimirum, firmus aſſenſus, quo omne verbum Dei nobis traditum amplectimur, quia falli nos eo rectè intellecto ſit impoſſibile. Tum etiam, vt ea veram Dei celebrationem & animorum conſolationem in nobis pariat, certam & immotam aduerſus tentationes oportet conſiſtere. Certa verò de Deo & religione doctrina, extra patefactiones, quas diuinas eſſe conſtat, nulla eſt. Neq; igitur honorem, qui ſoli Deo debetur, hominibus deferre, neq; à certis ad incerta diſcedere, ſed ſoli verbo Dei in religionis doctrina fidem inniti: ideoq; inter dogmata fide complectenda

2. Fides ſolo verbo nititur.

complectenda, placita humana censeri minimè oportet. *Fides ex auditu, auditus per verbum Dei, &c.*

Tertiò, quandoquidem cultus Dei est opus à Deo mandatum, factum in fide, hoc fine principali, vt Deus honore afficiatur, manifestũ est, ea credere & facere, quę negari, aut omitti citra Dei offensionem nequeunt esse cultum Dei: contrà verò Deum coli non posse, nisi ex prescripto suę voluntatis, cùm omnium conscientia, tum ipse Deus in scriptura testatur, vt Isaiæ 29. & Matth. 15. *Frustra colunt me docentes doctrinas, mandata hominum.* Tam igitur quæ in verbo Dei non expressa sunt, creditu factuque necessarijs in religionis negotio annumerare nefas est, quàm cultum Deo, quem ipse nunquam postulauerit, obtrudere, nulli creaturæ concessum est. 3. Necessaria sunt cultus: non præscripta non sunt cultus: Ergo.

Quartò, non potest absque sacræ scripturæ graui iniuria & contumelia, quidquam ad eius doctrinam addi ab hominibus. Si enim alia præter ea quę scripta sunt, ad religionis verę integritatem sunt necessaria, Scriptura non integram Dei colendi & ad salutem perueniendi rationem explicat. Quod cum disertis Scripturę testimonijs pugnat, quę nobis quantum Deus nos scire in hac vita voluit, de sua erga nos voluntate, in verbo suo ipsum patefeciisse affirmant, vt Christus ait Iohan. 15. *Omnia quæ audiui à patre meo nota feci vobis.* Et Paulus Act. 20. *Non enim subterfugi, quo minus annuntiarem vobis omne consilium Dei.* Et 2. *Timot.* 3. *Sciens quod a puero sacras literas noueris, quæ te possunt eruditum reddere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu. Omnis scriptura diuinitus inspirata, &c.* 4 Scriptura est sufficiens.

Quintò, considerandi sunt gradus docentium in Ecclesia. Nam ideo longè superior est autoritas Prophetarum & Apostolorum, quàm aliorum ministrorum Ecclesiæ: quia Deus illos immediatè vocauit ad annunciãdam suam voluntatem, cæteris hominibus, eosque testimonijs miraculorum & alijs ornauit, quibus testatus est, se ita mentes illorum 5 Alij doctores errare possunt: Prophetæ & Apostoli nõ possunt. Ergo illi ad hos alligati.

suo

ſuo ſpiritu illuſtrare & gubernare, vt eos nulla in parte doctrinæ errare patiatur: Alij verò miniſtri per homines vocantur, & errare poſſunt atque errant, quando à Prophetarum & Apoſtolorum doctrina diſcedunt. Ideo Paulus Eph. 2. dicit, *Eccleſiam extructam eſſe ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum.* Et 1. Cor. 3. *fundamentum à ſe poſitum eſſe, neque aliud à quoquam poni poſſe: cæteros autem ſuper illud ædificare aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam.* Iam verò manifeſtum eſt illos qui errare poſſunt, ad eorum doctrinam alligatos eſſe oportere, quos errare non poſſe diuinis teſtimonijs confirmatum eſt. Reliquos itaque doctores omnes in Eccleſia nō afferre nouam aliquam doctrinæ partem, ſed ea tantùm Eccleſiæ oportet proponere & explicare, quæ à Prophetis & Apoſtolis ſunt tradita.

His igitur de cauſis regulæ ſacrarum literarum ſe maximo conſenſu ſubijcit vniuerſa vetus Eccleſia, cuius tamen aliquantò maior autoritas meritò debet eſſe, quàm iſtorum qui hanc ſententiam verbis & factis oppugnant. Baſilius enim in ſermone de confeſſione fidei, *Lapſum inquit eſſe à fide & crimen ſuperbiæ, vel non admittere quæ ſcripta ſunt in ſacris literis, vel aliquid eis addere.* Et Auguſtinus epiſtola. 3. *Neque enim quorumlibet diſputationes, quamuis Catholicorum & laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas habere debemus, vt nobis non liceat ſalua honorificentia quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum ſcriptis improbare atq; reſpuere, ſi forte inuenerimus quod aliter ſenſerint quàm Scriptura habet, diuino adiutorio vel ab alijs intellecta vel à nobis. Talis ego ſum in ſcriptis aliorum, tales volo eſſe lectores meorum.* Et epiſtola 112. *Si quid diuinarum ſcripturarum, earum ſcilicet, quæ Canonicæ in Eccleſia nominantur, perſpicua firmatur autoritate: ſine vlla dubitatione credendum eſt: alijs verò teſtimonijs, quibus aliquid credendum eſſe ſuadetur, tibi credere vel non credere licet.* Contra hæc autem Scripturæ & veteris Eccleſiæ teſtimonia

monia contendunt veritatis aduersarij, præter eam quæ sacris voluminibus comprehenditur doctrinã, alia quoque dogmata Ecclesiæ autoritate condita, non minus esse immutabilia, & ad salutem necessaria, quàm oracula Prophetica & Apostolica. Hanc authoritatem præter & contra scripturam, quicquid ipsis libet, statuendi, vt sibi non sine prætextu sumãt, producunt loca Scripturæ, in quibus aliqua Prophetarum & Apostolorum scripta citantur, quę ad nos non peruenerunt, vt Num. 21. nominatur *liber bellorum Domini:* Iosue. 10. *Liber iustorum*: Et sæpè in libris Regum, *verba dierum regum Israelis & Iudæ*: In epistola Catholica Iudæ, allegatur *propbetia Enoch & historia de corpore Mosis:* Apostolus denique Paulus. 1. Cor. 5. & Ephes. 3. *suarum epistolarum meminit, quas Ecclesia nunc non habet.* Hinc igitur isti volunt obtinere, mutilam esse sacrarum literarum doctrinam, ideoq; defectus eius ab Ecclesia suppleri oportere. Sed primùm, quod ad sacram historiam attinet, sciendum est, illius tantum à Deo nobis conseruatũ esse, quantum ad doctrinam & consolationem Ecclesiæ fuit necessarium & vtile: sicut Ioan. *multa fecisse Iesum in conspectu discipulorum, quæ non sint scripta in historia Euangelica. Hæc autem quæ extant, esse scripta, vt credamus quòd Iesus sit Christus filius Dei, & vt credentes vitam habeamus in nomine eius.* Deinde quod ad dogmata, etiamsi scripta quædam Apostolica non extent, quicquid tamen necessariæ doctrinæ in illis fuit, contineri in his quæ habemus, certum est: cùm quia Paulus vtroque loco, quod scripserat in illis epistolis, repetit, tum quia integram salutis nostrę doctrinam in scriptura quæ extat, Deum Ecclesię tradidisse, & ad finẽ vsq; mundi conseruare velle, suprà est ostensum.

Obiectiones Pontificiorũ

Ob. 1. Scriptura non extat integra.

Resp. 1. Historiæ, quod satis est, extat.

Ioan. 21.

2 Doctrina sacra tota quoad sensum, etsi non quoad verba.

Afferunt alia dicta, ex quibus conantur elicere, Christum & Apostolos ore quędã tradidisse Ecclesiis, quæ scriptis Apostolicis comprehensa non sint, vt Matth. 28. vbi mittit Christus Apostolos vt prædi-

Ob. 2. Aliqua sunt ore tradita.

cent: Iohan. 16. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non poteſtis nunc ferre.* Act 16. *Paulus & Timoth: Eccleſiis tradebant ſeruanda placita decreta ab Apoſtolis & Presbyteris qui erant Ieroſolymis.* 1. Cor. 11. *Cætera cùm venero diſponam* 2. Theſſ. 2. *Tenete traditiones ſiue per ſermonem ſiue per Epiſtolam noſtram.* Et ca. 3. *Segregate vos ab omni fratre, qui ſè non gerit, iuxta traditionem quam à nobis accepit.* Et in 2. & 3. Iohannis epiſtola, *Multa habeo vobis ſcribere: nolui per chartam & atramentum ſed ſpero me*
1. Tim. 6. Ti. 1. & 2. *venturum ad vos & coram loquuturum. Et Paulus Timotheum iubet cuſtodire depoſitum, & quæ audiuerit ex ipſo, idoneis ad docendum commendare.* Deniq;, *ante ſcriptos veteris & noui Teſtamenti libros,* inquiunt, *ore doctrina Eccleſiæ tradita eſt.* Verùm neque Prophetæ, neque Chriſtus, neque Apoſtoli dogmata ore tradiderunt alia quàm quæ ſcripta ſunt: Et ſi qua ordinarunt in Eccleſiis Ceremonialia, quæ literis non mandarunt, ea neque fuerunt his quæ ſcripta ſunt, contraria, neque immodica, vel inutilia, neque cum neceſſitatis opinione tradita. Neque enim aliud Euangelium ab initio fuit, neq; Chriſtus aliud prędicari iuſſit, quàm quod ſcriptum habemus. Nec erant alia quę ferre tùm per infirmitatem Apoſtoli non poterant, quàm quę Dominus ipſos iam antea docuerat, quę Spiritus ipſis in memoriam reuocare & declarare debebat, quæ ipſi poſtea ſcriptis tradiderunt Eccleſię: nec niſi ijs, quæ prius à Domino acceperant, congruentia, nec aniles nugę, quales ſunt magna ex parte traditiones pontificiæ; ſed grauiſſima Euangelij doctrina rationi & ingenio humano vel ignota vel aduerſa. Paulus autē in Actis *quid Eccleſiis tradidiſſe dicatur,* ibi expreſſum eſt, videlicet *decretum concilij Ieroſolymitani, de ſanguine, ſuffocato, & idolothitis:* Ad Corinthios *ordinaturum ſe pollicetur Ceremonialia, & quidem ad Cœnæ Domini adminiſtrationem ſpectantia: Traditiones verò ad Theſſalonicenſes intelligit non leges de Ceromoniis, ſed totam doctrinam Euangelij, quam eandem ſermone & ſcrip-*

tis docuit: quam apud Timotheum deposuerat: & quam Ioannes coram exponendo veram se lætitiam auditoribus allaturum promittit. Quinetiam si maximè loquatur Paulus *de seruandis traditionibus non scriptis*, vt 1.Cor. 11. cùm ait, *Laudo vos fratres, quod quemadmodum tradidi vobis, traditiones tenetis*: nequaquam tamen ideò obtinerent aduersarij, *suas traditiones vel seruandas, vel Apost. esse*, cùm pleræq; Apost. doctrinę quàm maximè aduersentur, neq; etiam dogmata in Eccl. plura tùm fuisse quàm scripta sunt, cùm Apost. ritus, quibus obligarentur conscientiæ, nullos instituerint.

Allegant etiam *Apostolorum exempla*, quasi contra vel præter Scripturam dogmata aut leges condiderint: vt cùm Paulus multa statuit *de eligendis Episcopis & Diaconis, de viduis, de velandis & in silentio continendis mulieribus, de non repudiãdo infideli coniuge, de iudiciis inter Christianos*. At non meminerunt isti, suam autoritatẽ non esse parem Apostolicæ: neq; considerant nihil in his omnibus à Paulo constitui, nisi quod reliquo Dei verbo literis cõprehenso congruat, & pleraque istorum quæ allegant, in Decalogi præceptis contineri. Magis friuolum est, quòd *Baptismi formam à Christo institutam Apostolos mutasse dicunt, eò quòd legatur Act. 2. 8 & 19. eos baptizasse in nomine Iesu Christi*. illis enim locis non *forma baptismi*, sed vsus exprimitur, videlicet *baptizari homines, testificandi causa ipsos ad Christũ pertinere*. Neq; etiam *Apostolorũ exemplo, qui idolothytis, sanguine, & suffocato interdicebant Ecclesiis, licet conciliis & Episcopis condere dogmata & leges obligantes conscientiam*. Primùm enim hic rursus discrimen retineri necessum est inter Apost. per quos voluntatẽ suã Deus aperit hominib.) vnde & ipsi dicunt, *Visum est Sp. S. & nobis*,) & alios ministros Ecclesiæ, qui ad Apost. doctrinam alligati sunt. Deinde, quod *ad hoc decretum Apost.* attinet, nihil statuerunt aliud, quàm quod iubebat regula charitatis, quæ omnib. temporibus voluit, *in rebus mediis agendum esse citra scandalũ*.

Obiect. 3. Apostolos decreuisse contra & præter Scripturam. Tit. 1. 1. Tim. 3. 1. Cor. 11. 1. Cor. 14. 1. Cor. 7. 1. Cor. 6. Resp. 1.

Quod si vrgeant, *hæc statuta nominari necessaria*: rursus inde non sequitur, Episcoporum etiam traditiones esse necessarias, præsertim quales sunt Pontificiæ. Tum ea de qua loquuntur Apostoli necessitas, nec perpetua erat, nec obligabat conscientiã metu iræ Dei, si ista non obseruarentur, sed ad tempus durabat, propter infirmitatem eorum qui ex Iudaismo ad Christũ conuertebantur, vel conuertendi erant, vt Paulus prolixè docet. 1. Cor. 10.

Obiect. 4. Exempla præsentia. 1. Addunt istis *exempla Ecclesiæ, quam dicunt inde ab Apostolis ad hæc vsq; tempora credidisse & seruasse aliqua non tantùm in sacra scriptura non tradita, sed huic etiam aduersa. Producunt illud ipsum decretum Ierosolymitanum de Idolothitis & sanguine: quod ab Apostolis conditum & in Scriptura expressum, tamen ab Ecclesia est abolitum.* Sed iam dictum est, illam constitutionem fuisse factam, vt non perpetuò, sed ad tẽpus duraret, propter certam causam, Ecclesię nimirum, quę ex Iudęis colligebatur, infirmitatem: quę causa postquam desiit, mandatum illud locum amplius non habet. Imò ne tum quidem iniiciebat laqueum conscientiis, ita vt cultus vel offensio Dei in eo statueretur. Non igitur pugnat, sed optimè cum eo consentit eius abrogatio. 2. Annumerant his *obseruationem dici Dominici.* Nos verò, vt hanc esse *traditionem Apostolicam* credimus, & vtilem esse videmus, longèque aliam quam plerunque sunt, quas Apostolico nomine volunt illi nobis obtrudere: ita nullum in hac re cultum Dei constituimus, sed eam in arbitrio Ecclesiæ positam esse scimus. Sicut Coloss. 2. dicitur. *Nemo vos iudicet in parte diei.* 3. Quin & *credi aliqua non scripta asserunt, quæ tamen in dubium vocare, nos etiam nefas esse fateamur: vt infantes esse baptizandos: Christum descendisse ad inferos: Filium Dei esse consubstantialem æterno Patri.* Sed nimis sunt impudentes, si noua dogmata gignendi licentiam sibi sumant, propterea quòd scripturæ sensum exponendi causa vocibus alicub

vtatur

vtatur Eccl.quæ in Scriptura non extant: Impij autem & blaſphemi,ſi ſententias ipſas,quas illis verbis profitetur Eccl.non extare in Scrip.dixerint.

Obiect.5. Spiritus docturus eſt Eccleſiam, ergo non ſcriptura.

Aiunt præterea *Sp. S. eſſe promiſſum Eccleſiæ, vt ea, quæ non ſunt tradita in ſcripturis,doceat,vt Ioh.14. Paracletus autem Spiritus,quem mittet pater in nomine meo, is docebit vos omnia.* Et cap.16.*Cùm autem venerit Spiritus ille veritatis:ducet vos in omnem veritatem.* Sed hîc illi malignè omittunt quod additur;*Et ſuggeret vobis omnia quæcunq; dixi vobis.* Item, *Teſtimonium perhibebit de me.* Item: *Arguet mundum de peccato,de iuſtitia, & de iudicio.* Item.*Ille me glorificabit,quia de meo accipiet & annunciabit vobis.* Ex his.n. eſt manifeſtum non alia eſſe dictaturum Sp.S. quàm quę in Euan.ſcripta ſunt, & Chriſtus iam antè docuerat Apoſt. tantùm abeſt vt illis contrariũ quidquã adferat. Neq;n.vel à Chriſto vel à ſeipſo diſſentire poteſt. Sic etiã quando allegãt illud Ier.31.*Dabo legem meã in intimo eorum, & in corde eorum deſcribam:* Et 2. Cor.3. *Eſtis Epiſtola Chriſti, ſcripta non atramento, ſed Spiritu Dei viuentis: non in tabulis lapideis,ſed in tabulis cordis carneis:* non animaduertunt, Spiritum non poſſe in cordibus dictare contraria his,quę in ſcriptura patefecit, neq; aliam, ſed iam antè patefactam & ſcriptam legem velle Deum cordibus inſcribere,ideoq; Paulum non ſententiam,ſed modum ſcripturæ in tabulis & cordib. inter ſe opponere,quod nimirum eadem quidem vtrinq;,ſed ibi atramẽto, hîc Spiritu Dei ſcripta ſunt. Minus coloris habet,quod ex illo Philip.3. *Si quid aliter ſentitis,hoc etiam Deus vobis reuelabit*; volunt extruere;ſi quid à verbo ſcripto diuerſum ſentiat Eccl. hoc à Sp.S profectũ eſſe. Apoſtolus enim conſolatur & confirmat pios,quòd etiãſi de eo quod ibi ſcripſerat aliquid nõ intelligerent aut ſecus iudicarẽt,fore tamen vt à Deo doceantur & agnoſcãt ea quę ſcripſiſſet vera. Dum igitur Spiritum S.diuerſa ab iis quæ ſcripta ſunt,reuelare negatur, non tollitur magiſte-

1.

2.

3.

rium Spiritus ex Ecclesia, sed idem Spiritus ad seipsum, hoc est, ad Scripturæ normam confertur, ne sub illius nomine, quæ ipsius non sunt, nobis ingerantur.

Obiect. 6. Ecclesia nó errat.

Iactant adhæc non errare Ecclesiam, ideoq; eiusdē autoritatis esse decreta Ecclesiæ, cuius est sacra Scriptura, cùm Ecclesia regatur eodem spiritu à quo Scriptura est inspirata, quemadmodum promittitur Matth. 10. *Si duo consenserint ex vob super terrā de quacunque re quam petierint, fiet illis à Patre meo qui in cœlis est. Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo ibi sum in medio eorum:* Et cap. 27. *Ego vobiscum sum omnibus dieb. vsq; ad consummationē seculi.* 1. Ioh. 2. *Vnctionē habetis à sancto, & nostis omnia.* Item, *Vnctio quam accepistis ab eo, manet in vobis, & non necesse habetis vt quisquam doceat vos: sed sicut ipsa vnctio docet vos de omnibus, & verax est & non est mendax, & sicut docuit vos, manete in illo.* Sed primùm non errare & Spiritu sancto regi scimus, tantùm verā Ecclesiam, quæ in Christi nomine congregatur, hoc est, quæ audit & sequitur vocem Filij Dei: Ideoq; nihil hæc attinere ad impiam multitudinem, quæ palàm tuetur doctrinam Euangelio contrariam, quantumuis Ecclesiæ nomen iactitet, atque etiam in Ecclesia dominetur; iuxta dictum: *Habenti dabitur: A non habente verò etiam quod videtur habere, auferetur. Sic errabant scripturas ignorantes Pharisæi & Saducæi* in populo Israelitico, neque erant vera Ecclesia, etsi nomen & locū eius occupabant. Secundò, vera etiam Ecclesia non errat quidē vniuersa: Sēper enim lux veritatis, præsertim quod ad fundamentum doctrinæ attinet, in aliquorum mentibus conseruatur, vnde Ecclesia nominatur *columna & firmamentum veritatis*: Sed interea sæpe aliqui etiam pij in errores labuntur ex ignorantia & infirmitate, sic tamen vt fundamentum retineant, & falsas opiniones contra conscientiam non defendant, easque tandē deponant: sicut dicitur: *Si quis superstruit super fundamentum hoc, aurum, argentum &c.* Et

Resp. 1. Ecclesia vera. Matt. 13. Marc. 4. Luc. 8.

Resp. 2. Vniuersaliter.

Philip.

Philip.3. Si quid aliter ſentitis, hoc etiam Deus vobis reuelabit. Deniq; datur vnicuique gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti. Et ſpiritus diuidit vnicuique peculiariter, ſicut vult. Apoſtoli ante Spiritum ſanctum in Pentecoſte acceptum, erant viua Eccleſiæ membra, & errabant tamen de regno & officio Meſſiæ. Fuerunt in Chiliaſtarum opinione magni in Eccleſia viri, vt Paſias, Irenæus, Apollinarius, Tertullianus, Victorinus, Lactantius, Methodius, Martyr. Etſi igitur non errat Eccleſia vniuerſaliter, ſæpè tamen aliqua eius membra errant, cum videlicet à verbo diſcedunt, quod ipſis Deus non rarò ſinit accidere, vt noſtræ infirmitatis ac cæcitatis admonitos, nos in modeſtia & vero ſui timore & inuocatione aſſidua contineat, ac ſimul doceat, veritatem doctrinæ non ex titulo Eccleſię, ſed ex verbo à ſe per Prophetas & Apoſtolos tradito metiendam eſſe; iuxta dicta: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, lumen ſemitis meis.* Item. 1. Tim. 6. *Depoſitum ſerua, vitans prophanas &c.*

1. Cor. 3. Eph. 4. 1. Cor. 12.

Pſalm. 119.

Poſito autem hoç fundamento, quòd eatenus Eccleſia non erret, quatenus, à verbo Dei ſcripto non diſcedit, facile eſt reſpondere ad illud quod obtendunt, Eccleſiam ab Epiſcopis regi, ac proinde his obedire: vt dicitur Act. 20. *Attendite vniuerſo gregi in quo vos Sp. S. conſtituit Epiſcopos ad regendam Eccl. Dei.* Et Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi velut Ethnicus & publicanus.* Et Luc. 10. *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Et Heb. 13. *Parete ijs qui præſunt vobis.* Nam & regere illi, & Eccl. ipſis obedire debet iuxta verbi Dei preſcriptum, ſicut dicitur, *Si quis aliud Euangelium prædicauerit, anathema ſit.* Quæcunque igitur miniſtri ex verbo Dei proponunt Eccleſiæ, his obtemperare neceſſe eſt, id quod Dominus docet Matthæi. capite. 23. v. 2. cùm ait, *In Cathedra Moſis ſedent Scribæ & Phariſæi: omnia igitur quæ iuſſerint ſeruare, ſeruate & facite.* In Moſis enim cathedra ſedent, qui Moſis doctrinam ſonant

Obiect. 7. Eccleſia debet obtemperare Epiſcopis ex mãdato Dei.

Reſp. Neceſſariò in ijs, quę ſunt miniſterij: liberè in traditionibus. Galat. 1.

in Ecclesia. Si qua etiam adiaphora vtiliter constituunt, ea ordinis tuendi,& scandali vitandi causa sunt seruanda. Sin autem vel cùm verbo Dei pugnantia, vel adiaphora necessitatis & cultus opinione, credi aut seruari postulãt,iam non in Mosis,sed in deriſorũ Cathedra sedent,ac de illis dicitur: *Non audierunt eos oues* Item.1.Timoth.4. *Posteriorib. temporibus descisc ent quidam à fide,auscultãtes spiritibus impostoribus,&c.* Neque Episcoporum decreta inter Ecclesię dogmata es se recipienda cõfirmatur exemplo magistratus politici,cuius iustæ leges obligant subditorum cõscentitias. Dissimilitudo enim exemplorum in eo sita est, quod ipse Deus expresso verbo in legibus & imperijs magistratus politici,quę legi diuinæ non repugnant, necessitatem obedientiæ, in traditionibus verò Ecclesiasticis libertatem conscientiarum sanxit, ita vt se irasci pronunciet non obtemperanti politicis magistratibus,dum nihil diuinis legibus repugnans imperant:non autem illis, qui sine scãdalo contra Episcoporum cõstitutiones faciunt. Nam magistratui dicitur,Rom.13.*Oportet obedire propter cõscientiam.*De rebus autem adiaphoris in Ecclesia, Coloss.2.*Nemo vos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi.* Item Gal.5. *In libertate qua Christus nos liberauit state* Quòd si rursus contendant, *officium Episcoporum superius esse potestate politica,ideoque maiorem illius quàm huius esse vim obligãdi homines ad obedientiam*: primùm concedimus potestati superiori magis deberi obedientiam,quàm inferiori,dum cõtra verbum Dei nihil imperat. Dum igitur ministri verbum Dei proponunt Ecclesię,& scandali vitandi causa,iubent seruari quę ad decorum & ordinem pertinent, non iam contra ipsos,sed contra Deum peccant, qui non obtemperant. Si verò leges suas de rebus adiaphoris cũ opinione necessitatis & cultus Dei seruari postulent,ac necessarias etiam extra periculum scandali faciant, quia verbo Dei hoc imperium aduersatur,nequaquam ei debetur obedientia

Ioan.10.

1. Inst. Magistratus obligat conscientias :Ergo & Episcopi.

2.Iust.Superior potestas magis obligat.

Resp.1.

entia. Deinde, *ſuperiori maiorem obedientiam deberi fatemur in ijs*, in quib. eſt ſuperior, id eſt, in quib. illi parere alias poteſtates Deus voluit. Miniſtri autẽ poteſtas eſt ſuperior politica in ijs, quę ſunt miniſterij propria, hoc eſt, quę ſunt à Deo tradita & præcepta & miniſtris commiſſa, vt per eos proponantur Eccl. Sed in rebus adiaphoris, de quibus nihil à Deo præceptum aut vetitum eſt, ſuperior eſt poteſtas politica, propter autoritatem quam Deus in his rebus attribuit magiſtratui ciuili, non autem miniſtris Eccleſiæ.

Obiect. 8. Citantur Patres & Concilia.

Contra hæc autem rurſus dicunt: *Conciliorum & Patrum teſtimonia etiam à nobis in confirmanda doctrina Eccleſiæ allegari: id quod fruſtra fieret, ſi illorum ſententiæ dogmatum Eccleſiaſticorum vim & autoritatem non haberent.* Sed nos veteris Eccleſiæ teſtimonia, non eo animo adducimus vel accipimus, quaſi nobis, etiam ſine Scripturæ ſacrę autoritate, ad confirmationem dogmatis alicuius ſufficiant. Neque tamen inanis eſt eorum conſideratio. Nam & rectè ſentientes, poſtquam voce ſcripturarum de veritate ſunt edocti, conſenſu tamen Eccleſiæ, tanquam teſtimonio minus principali, magis confirmantur: & qui authoritatis plus quàm oportebat illis tribuunt, vel eorum dictis contra veritatem abutuntur, eorundem teſtimonio, quos ſibi conſtituerant iudices, rectè refutantur.

Obiect. 9. Traditiones ſunt ordo. 1. Cor. 14.

Aiunt etiam, *In Eccleſia neceſſarium eſſe ordinem & decorum ex mandato diuino, iuxta dicta, Omnia decenter & ordine fiant. Non enim confuſionis autor eſt Deus. Ordo autem & diſciplina Eccleſiæ magna ex parte conſiſtit in traditionibus Eccleſiaſticis. Itaque harum violatione lædi conſcientias, & Deum offendi ſtatuunt.* Verùm vt aliquem ordinem in Eccleſia conſtitui & ſeruari Deus præcipit, ita geminam in eo libertatem Eccleſiæ ſuæ dedit: primùm, vt in ipſius arbitrio ſit, pro ſua commoditate cõſtituere, quis vnoquoq; loco, & tempore ordo ſit ſeruandus: Deinde, vt poſtquam etiam certi aliquid conſtitutum eſt, cùm à tota Eccleſia tum à ſingulis

Reſp. Exparis particularibus.

gulis pijs, si scandali nullum periculum sit, seruari illud vel non seruari absque conscientiæ violatione possit. Semper enim discerni necesse est præcepta diuina, quorũ obseruatione Deus colitur, & violatione offenditur, ab ijs rebus, quas hominibus Deus constituendas reliquit, & quarum neque mutatione, neque omissione extra cautam aut periculum scandali coli aut offendi sese pronunciat. Et idem Apostolus, qui *omnia decenter & ordine iubet fieri, stare nos vult in libertate qua Christus nos liberauit, & à nemine iudicari in cibo, aut in potu, aut parte diei festi.*

Gal. 5.

Non igitur qui citra contemptum rerum diuinarum aut petulantiam, aut scandali periculum, in his aliquid secus faciunt quàm constitutum est, sed illi contra præceptum diuinum de ordine seruando peccant, qui vel nullum in Ecclesia esse vellent, vel benè constitutum turbant.

Ob. 10. Obscura non sufficiunt sine interpretatione.

Sacrarum quoque literarum obscuritatem causantur, quam & locorum Scripturæ difficilium *exemplis probant, & ex 2. Petri 3. vbi dicitur, in epistolis Pauli esse quædam difficilia intellectu. Cùm igitur obscurè dicta sine declaratione ad plenam & salutarem doctrinam non sufficiant: Ecclesiæ quoque interpretationem cum Scriptura recipiendam necessariò esse dictitant.*

Resp. Nego Min. quoad fundament.

Sed hîc primùm omnium afficiunt Spiritum sanctum iniuria, obscuritatem illi tribuentes, qui simplicitate sermonis ad vulgi & rudissimorum quorumque captum accommodare sese studuit. Quæ enim ad fundamentum doctrinæ pertinent, omnibus cognitu necessarium, vt sunt articuli fidei, præcepta Decalogi, tam perspicuè recitata, sæpè inculcata & copiosè exposita sunt in Scripturis, vt nulli nisi discere nolenti non sint obuia, quemadmodum docet Psalmus 119. *vbi lucerna pedum nostrorum dicitur verbum Domini, & lumen semitarum nostrarum.* Item *Ingressus sermonum eius lux, intelligentiam conferens parvulis.* Et 2. Petri 1. *sermo propheticus nominatur lucerna lucens:*

eens in loco caliginoso: cui, inquit, rectè facitis, quòd attendatis, velut lucernæ splendēti in obscuro loco, vsq; dum dies illucescat, & lucifer exoriatur in cordibus vestris. Et Solomon Prouerbiorum primo affirmat se *scribere, ad dandam simplicibus solertiam, puero scientiam & prudentiam:* Item, *Sapientiam foris clamare, & in plateis dare vocem suam.* Paulus etiam 1. Corinthiorum ait, *se missum esse à Christo ad prædicandum Euang. non cum dicendi peritia, ne inanis reddatur crux Christi.* Fundamentum igitur & summa doctrinæ obscura non est, nisi reprobis, qui veritatem contemnunt aut repudiant contumaciter, vt Paulus inquit capite 2. Corinth. 4. *Quod si obtectum est Euangelium nostrum, in ijs qui pereunt obtectum est, in quibus Deus huius seculi excæcauit mentes infidelium ne irradiet ipsis lumen Euangelij gloriæ Christi. Et* Esa. 65. & Rom. 10. *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem.* Psalm. 36. *Verba oris eius iniquitas & fraus, noluit intelligere vt benè agat.* Et Matth. 11. *Gratias ago tibi pater, Domine cœli & terræ, quòd absconderis hæc à sapientibus & prudentibus & reuelaueris ea paruulis.*

1. Inst. Fundamentum doctrinę multis ignotum.

Quod si rursus contradicant; *Res diuinas omnibus hominibus obscuras esse ac difficiles,* sicut dicitur 1. Cor. 2. *Animalis homo non est capax eorum, quæ sunt Spiritus Dei. Stultitia enim illi sunt, nec potest cognoscere, quia spiritualiter dijudicantur:* Meminisse primùm debebant, ignorantiam hanc & difficultatem non ex obscuritate Scripturæ, sed ex mentis humanæ cæcitate proficisci: deinde hanc obscuritatē, cùm in scripturis non reuera sit, sed nostræ naturæ vitio esse videatur, non renatis quidem perpetuò manere; at renatis illuminatione Sp. S. amoueri, iuxta dicta, Luc. 8. *Vobis datum est nosse mysteria regni Dei, cæteris autem per parabolas, vt videntes non videant, & audientes non intelligant.* Et 2. Cor 3. *Ad hunc vsque diem cùm legitur Moses, velamen cordibus ipsorum positum est: Cùm autem conuersum fuerit ad Dominum, tolletur velamen.* Ex eodem fonte

2. Inst. Res diuinæ omnibus obscuræ.

3. Inst. Scriptura diu nō intellecta.

fonte facile est refutare, quod nobis obijciunt, *nos eo ipso quòd Scripturam tot seculis in Papatu non intellectam esse dicimus, obscuritatem eius confiteri.* Quæ enim in aduersarijs veritatis inde ab initio mundi fuit & ad finem vsque futura est ignorantia, non obscuritati Scripturarum imputanda est, sed eorum peruersitati, qui veritatem cognoscendi & amplectendi studium non habent; vt 2. Thessal. 2. dictum est. Quia dilectionem veritatis non receperunt, vt salui fierent, ideo mittet eis Deus efficaciam erroris, vt credant mendacio. Iam verò postquam fundamentum & summam doctrinæ non obscuram esse constat, fatemur esse loca Scripturæ, quæ lucis aliquantò minus, difficultatis autem plus habent quàm alia. Sed ea primùm sunt eiusmodi, vt illis etiam non intellectis fundamentum & consistere queat & intelligi. Deinde horum interpretatio nequaquam ex hominum autoritate pendet, sed ex locorum Scripturę qui clariores sunt, collatione, interpretatio petenda est; aut si ea à nobis non perspicitur, ne quid incertum, non satisfaciente nobis conscientia, de rebus diuinis assueremus, suspendendum est de his iudicium, donec certi aliquid nobis Deus ostenderit: & gratis animis interea tenenda sunt, in quibus dubitandi locum Deus nobis non reliquit. Sed cùm aduersarijs ista respondemus, denuo ex ijs, quæ concedimus, insurgunt. *Quia enim fatemur, esse alia scripturę loca alijs intellectu difficiliora: & propter humanæ mentis hebetudinem ac tarditatem in rebus diuinis discendis, ne illa quidem, quæ clarissima sunt, sine interpretatione intelligi à populo, vt Eunuchus reginæ Candaces queritur: Ipsúmque adeò ministerium idcirco in Ecclesia institutum esse diuinitus, quod Spiritui sancto interpretationem Scripturæ, quæ sit voce Ecclesiæ, ad nos erudiendos adhibere visum est: Quia denique nos ipsi scribendo & docendo sacros libros explicamus, & omnes ad explicationem eorum legendam & audiendam adhortamur: Ex his ipsi præter Scripturæ lectionem, Ec-*

cleſie

3. Inſt. Scriptura diu nō intellecta.

4. Inſt Loca multa obſcura.

5. Inſt. de interpretationis neceſſitate.

Act. 20.

cleſiæ quoq; interpretationem neceſſariam: ac proinde, quod Eccleſia de ſenſu ſcripturæ pronunciat, ſine controuerſia recipiendum eſſe colligunt. Nos verò primùm fatemur, *in Eccleſia neceßariam eſſe ſcripturæ interpretationem*, non quia ſine hac ad cognitionem doctrinę cœleſtis peruenire ſimpliciter ſit impoſſibile, cùm & ſine ipſa ſcriptura, nedum ſine interpretatione miniſtrorum, poſſit ſuos Deus erudire, cùm ipſi viſum eſt, & pij è ſcripturis plurima diſcant ſine interpretibus; Contra verò, niſi ſpiritus ſancti gratia mentium noſtrarũ oculi aperiantur, ſiue ſcripturæ, ſiue Eccleſiæ verbis expoſita doctrina cœleſtis, æquè obſcura perpetuò nobis videatur: Sed quia Deo hanc ordinariam nos docendi viam libuit inſtituere, & miniſterij cõſeruationem & vſum in Eccleſia ipſe præcepit, vt eſſet inſtrumentum, quo liberrimè ad noſtrã ſalutem Spiritus ſanctus vteretur. Deinde quãtumuis neceſſaria ſit *ſcripturarum explicatio*, hæc tamen miniſtris noua dogmata in Eccleſiam inuehendi licentiam adeò non concedit, vt nihil magis quàm hoc ipſum Scripturam exponendi officium, eos ad ſolam hanc doctrinam, quæ Scripturis comprehenſa eſt, aſtringat. Alterius enim verba interpretari, non eſt, illis ſententiam alienam aut repugnantem pro libidine affingere, ſed eandem ſententiam verbis aut plurib. aut clarioribus, aut ſaltem quæ illorum quos docemus captui magis accommodata ſint, explicare, ac ſimul, vbi opus eſt oſtendere, hanc autoris eſſe mentem, quam nos eſſe dicimus. Talis autem interpretatio Scripturę in his ferè cauſis fit, vt primùm phraſis conſideretur, & propria verborum ſententia eruatur: deinde ſeries ac cohærentia membrorum ſeu partium doctrinæ, quæ in textu ſacro comprehenſa eſt, oſtendatur: Tertiò ad vſum Eccleſiæ doctrina applicetur, quem habet in cõfirmatione dogmatum, refutatione errorũ, agnitione Dei & noſtri, exhortatione, conſolatione, & inſtitutione vitæ: ſicut

Interpretatio non ſit deprauatio.

Partes interpretationis.
1.
2.
3.

cut Paulus præcipit 2.ad Timoth.2.*Studeas rectè secare sermonem veritatis.* Et ad Tit.1. *Oportet Episcopum esse tenacem fidelis illius qui ad doctrinam facit sermonis, vt possit etiam exhortari per doctrinam,& contradicentes conuincere:*Et ab Epiphanio prudenter monitum est:*Non omnia verba diuina indigent allegoria, sed intelligenda sunt sicut habent: speculatione autem indigent & sensu, ad intelligendum cuiusq; argumenti propositum:*Hoc est,Non omnia Scripturæ in allegorias transformanda sunt, sed propria verborum sententia quærenda est, speculatione & sensu,id est,adhibitis artium præceptis, & linguarum proprietate nostraq; experientia considerata,qua naturam rerum cognoscimus, quę vocabulis in Ecclesia vsitatis significantur.

Lib.2.cont. hæreles.

6.Inst. de decisione controuersiæ scripti & sententiæ.

Verùm hîc alia difficultas obijcitur : quod nimirum *in controuersiis de scripto & sententia talis iudex requiritur, cuius autoritas ac testimonium ad statuendum de sententia scripti sufficiat. Cùm enim vterque de hac disputantium,inquiunt, suam interpretationem veram esse contendat,nisi à tali iudice,à quo appellare non liceat,sententia feratur,nunquam dirimentur lites,& perpetuò de Scripturę sensu dubij hærebimus. Porrò iudicium hoc penes Ecclesiam vt sit necesse est: siquidem in hac sola controuersiarum de religione cognitio & diiudicatio quęrenda est. Quod igitur illa in his pronuntiat, ei necessariò tanquam certò cognitæ Scripturarum sententiæ est acquiescendum. Atque hinc manifestum esse dicunt, placita Ecclesiæ non minoris quàm expressam Scripturæ sententiam,autoritatis esse.*Nos autem, vt libenter concedimus, *finiri aliquando controuersias Ecclesiasticas oportere,& quidem de iudicis eius sententia, à quo minimè falli nos posse certò nobis constet* : ita iudicé hunc non *Ecclesiam,*sed *ipsum* Sp.S.in Scriptura nobis loquentem, ac verba sua declarantem agnoscimus. Hic enim supremus iudex est,cuius iudicium Ecclesia tantùm inquirit,monstrat, & nuntiat:hic fallere non potest,cùm omnes homines obnoxij sint erroris periculo:hic denique cùm Scripturæ sit author,optimus

Resp. Non Ecclesia,sed Sp:S.est iudex in verbo.

mus & certissimus verborum suorum interpres est. Ideoq; ipsa Scriptura in omni dubitatione ad se nos reuocat, atq; alligat, vt 2. Pet. 1. *Habemus firmiorem sermonem Propheticum, cui dum attenditis ceu lucernæ lucenti in obscuro loco, rectè facitis.* Ioan. 5. *Scrutamini Scripturas.* Esa. 8. *Ad legem & ad testimonium: si non dixerint secundum verbum hoc: eò quòd non est eis lux, &c.* Etsi enim & *per Ecclesiam Spiritus sanctus loquitur*: tamen cum ea non semper Spiritus sancti verba loquatur, *supremus controuersiarum de religione iudex esse non potest.* Hunc enim talem esse oportet, cuius sententiam in dubium vocari nulla ratione debeat. Eum verò alium non habemus, quàm verbum Dei sacris literis consignatum. *Neque etiam decisionem controuersiarum tollimus, quando scripturam de Scripturæ sensu iudicem cõstituimus.* Etsi enim contentiosi perpetuò quærunt sophismata, quibus eludant Scripturæ testimonia: tamen id reclamante conscientia faciunt & veritatis amantes alium verborum Scripturæ interpretem, quàm ipsam Scripturam non requirunt, & ab ea sibi abundè satisfieri agnoscunt & fatentur. Cùm enim hominibus etiam concedatur vt ipsi sint optimi verborum suorum interpretes, quantò magis hic honor Scripturæ sacræ deferendus est? Itaq; si controuersia de sententia alicuius in Scriptura loci moueatur, quod alijs in scriptis faceremus, multò magis hic oportebit facere. *Primùm videlicet vt analogia fidei consideretur, id est, nulla expositio, quæ cum doctrinæ fundamento, hoc est, cum aliquo fidei articulo præceptóue Decalogi, aut cum aliquo diserto Scripturæ testimonio pugnet, recipiatur, sicut Paulus monet, vetans super fundamentum superstruere lignum, fœnum, stipulas.* Secundò, *quæ antecedunt, quæq; consequuntur locum illum de quo est quæstio, expendantur: vt non modò nihil cum illis pugnans huic affingatur, sed eius etiam ea statuatur esse sententia, quam illa requirunt.* His enim non animaduersis aut dissimularis, non rarò deprauatur Scripturæ sententia.

Ecclesia non semper loquitur verba Sp. S.

Non tollitur decisio.

Modus decidendi in locis controuersis.

1. Analagia fidei. 1. Cor. 3.

2. Antecedentia & Conseq.

Sic

Psal.91. *Sic illa Psalmi verba, Mandauit Angelis suis de te, vt in manibus gestent te, ne ad lapidem offendas pedem tuum, Diabolus tentans Christum, interpretabatur de factis temerarijs & curiosis; cùm tamen de facientibus propria vocationis accipienda esse doceat, quod additum est, In omnib. vijs tuis.*

3. Loci idē docentes clariùs. Tertiò, *in Scriptura circumspiciatur, an extet locus aliquis, vbi in confesso, aut manifestum sit, aut ostendi possit, verbis alijs eandem de eadem re doctrinam tradi, quę eo loco cōtinetur, de quo est controuersia. Etenim si de loci clarioris aut non controuersi sententia constet, etiam de controuerso certi erimus, quādoquidem vtrobiq; idem docetur, vt cùm Ro. 3. dicitur: Arbitramur fide iustificari hominem absq; operibus legis: quòd hoc loco, fide iustificari, non sit placere Deo propter dignitatem fidei, sed propter meritum Christi fide apprehensum: & opera legis, non ceremonias tantùm, sed vniuersam legis, præsertim moralis obedientiam significare, docent alia loca, quæ pluribus & clarioribus verbis eandem de hominis coram Deo iustificatione doctrinam tradunt, vt eodem capite, ex operibus Legis non iustificabitur omnis caro in conspectu eius. Per legem enim agnitio peccati. Nunc verò absque Lege iustitia Dei manifestata est, comprobata testimonio Legis & Prophetarum: iustitia verò Dei per fidem Jesu Christi in omnes, & super omnes qui credunt: non enim est distinctio. Omnes enim peccauerunt, & destituuntur gloria Dei: iustificantur autem gratis per illius gratiā, per redemptionē quæ est in Christo Iesu.* Quartò, *conferantur loca Scripturæ, vbi non quidem eadem de ijsdē rebus dicuntur, sed voces tamē & loquendi formæ similes de similib.*

4. Loci similes de similibus locis. *rebus usurpantur. Si enim certa sit similis alicuius loci interpretatio, & in loco controuerso similis interpretationis adhibendæ, eadem quæ illic, extiterint causæ: idem de similibus erit indicandum. Iubet Dominus Matth. 5. oculum erruere, manū amputare, si scandalo sint nobis. Cùm autem corpus mutilare vetet Lex, Non occides; hac figura Dominum velle, vt rebus etiam charissimis renuntiemus potiùs quàm vt earum desiderio aut impulsu à Deo nos abduci patiamur, ostendit similis forma sermonis alibi vsurpata ad*

signi-

significandas res charissimas & pretiosissimas, vt Ierem.22. Si esset Iechonias annulus in manu dextera mea, inde auellerem te Et Deut.32. *Custodiuit eum vt pupillã oculi sui.*

Secundum has normas, vbi de cuntrouersia scripti, & sententię iudicatum est, rectè etiam *ad consensum Ecclesiæ Catholicæ*, sed longo interuallo, & non sine magna cautione, descenditur. Ne enim titulo *Ecclesiæ* nobis imponatur, primùm omniũ *nulla sententia, quam istæ quæ iam expositæ sunt iudicandi regulæ, non ferant, est recipienda.* Deinde *considerandum, quæ tempora, & quorum scripta puriora sint: quæ partes doctrinæ, quibus ætatibus vel rectè explicatæ, vel erroribus deprauatæ fuerint: cuius denique interpretatio maximè testimonio Scripturæ, vel ab ipso autore probetur, vel à nobis probari possit.* Atque huic omnium de Scripturæ sensu controuersiarum decisioni è Scriptura petitæ acquiescunt pij & veritatis amantes, sicut dicitur. *Qui ex Deo est, verba Dei audit: Ecclesiæ* verò *veteris & catholicæ testimoniũ*, quatenus cum Scriptura vident illud congruere libenti & grato animo amplectuntur, eoq; magis de agnita veritate confirmantur. Si qui autem contentiosi Scripturæ testimoniis non cedunt, propter hos iudicem verbo Dei superiorem non oportet quærere, sed eos iudicio Dei relinquere, vt monet Apostolus ad Tit.3. *Hæreticum hominem post vnam atque alterã admonitionem fuge, sciens quod euersus sit, qui talis est, & peccet per seipsum condemnatus* Et 1.Cor.14. *Si quis ignorat ignoret.* Et Apo.vltimo: *Qui sordidus est, sordescat magis.* Neque verò is, cui verbum Dei non satisfacit, hominum autoritati acquiescet, quemadmodum res ipsa docet. Cæterùm vt hæc ad obturanda veritati contradicentium ora, vel saltem ad manifestandam eorum impudentiam sufficiunt; ita ad singulorũ piorũ conscientias muniendas in religionis diffidiis, præter curam discendi doctrinam ex verbo Dei, ardens & assidua Dei inuocatio requiritur, qua doceri nos & gubernari à spiritu sancto petamus. Id enim si

5. Ecclesia Catholica.

Ioa.8.

6. Preces.

Matt.11.28. Isa.57.15.

fecerimus, nō sinet nos Deus perseuerare in errore, qui nos auellat ab ipso: sed de omnibus ad salutem nostram necessariis, veram ac certam verbi sui sententiam nobis aperiet, vt fides nostra non humana, sed diuina autoritate nitatur, quemadmodum promittitur Mat.7. *Petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Quisquis enim petit, accipit: & quicunque quærit, inuenit: & pulsanti aperietur.* Luc. 11. *Quantò magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum Sanctum petentibus ab ipso?* Iacob.1. *Si cui vestrûm deest sapientia, petat a Deo, qui dat omnibus simpliciter nec exprobrat, & dabitur ei: sed postulet cum fiducia nihil hæsitans.*

Obiect.11. Sp.sanctum subiicere alteri, indignum.

Addunt his argumentis; *indignum esse, si Spiritus sanctus loquens in Ecclesia, examini & iudicio alterius subijciatur: ideoque reuocandum ad scripturæ regulam non esse.*

1. Argumēti inuersio.

Sed cùm idem Spiritus in Ecclesia & in scriptura loquatur: dum vocem Ecclesiæ secundùm scripturam examinamus, non alteri Spiritum Sanctum subijcimus: sed eum sibi ipsi conferimus. Atque hoc pacto primùm ei veritatis ac constantiæ laudem tribuimus, dum sibi perpetuò similem esse, & nusquam à seipso discedere agnoscimus ac testamur: Deinde supremam de voluntate diuina pronunciandi autoritatem penes ipsum esse fatemur, dum non inquirimus an vera certaque sint, quæ ipse locutus est, sed an ipsius verba sint, quæ homines illi ascribunt: idq; facimus eo quo ipse præscripsit modo, & postquam ab eo profectum aliquid ex regula verbi scripti cognouimus, ei sine controuersia mentes & voluntates nostras subijcimus. Contrà verò, *cuius nos accusant in Spiritum sanctum contumeliæ*, ipsos aduersarios esse reos, facile est intelligere. Dum enim *de Scripturæ sensu pronunciandi, controuersias decidendi autoritatem, non penes scripturam, sed penes se esse volunt*: hoc ipso & Spiritum sanctum à seipso dissidere posse fingunt, & iudices Sp.S. & verbo Dei superiores sese ipsi constituūt.

Postre-

Postremò, cùm dicat Paulus 2. Cor. 3. *Ministrum se esse noui Testamenti, non literæ, sed Spiritus: literam enim occidere, Spiritum viuificare:* quidam inde colligunt, *non quid verbum Dei scriptum sonet, sed quid Spiritus dictet per Ecclesiam, vel in cordibus, audiendum esse:* Quinetiam inualuit ante hæc tempora opinio, *sententiam verborum scripturæ grammaticam perniciosam esse, nisi omnia in allegorias transformentur.* Sed multiplex in hoc argumento paralogismus facilè apparet; si consideretur, quid *litera & spiritus* apud Paulum significet. *Literam* enim nominari à Paulo omnem de Deo doctrinam ac notitiam & legis obseruationem externam in non renatis: *Spiritum* verò primum quidem *ipsum Spiritum sanctum:* secundò *veram doctrinam de Deo: quando Spiritus sanctus per eam est efficax:* tertiò *fidem & conuersionem & motus Deo placentes à Spiritu sancto per verbum accensos*: apparet ex verbis antecedentibus. Pro eo enim quod hic dicit, *se factum à Deo ministrum non literæ sed spiritus*; dixit suprà, *subministratam à se esse epistolam Christi non atramento sed spiritu Dei scriptam in tabulis cordium*, id est, non inanem, sed efficacem in cordibus hominum fuisse prædicationem suam, agente per eam Spiritu sancto: & in eandem sententiam Rom. 2. *Circumcisionem in litera* nominat ceremoniã sine conuersione: *circumcisionem verò cordis in spiritu*, ipsam conuersionem. Et Roman. 7. *iubet nos ambulare in nouitate spiritus, non in vetustate literæ*, id est, in vera sanctitate, qualis inchoatur in renatis per spiritum sanctum: non in peccatis & hypocrisi eorum, qui norunt quidẽ voluntatem Dei, ac prestant etiam externam disciplinam, sed manent sine fide & conuersione. Primùm igitur, quemadmodum doctrina non suo, sed hominum vitio tantùm *litera* manet: sic etiam non sua naturâ, sed propter hominum prauitatem occidit, hoc est, iudicio Dei mentes terret, ac fremitum & odium contra Deum irritat, vt disertè cap. 7. ad Rom. docetur: *Lex ipsa quidem sancta*

Ob. 12. Litera occidit, Spiritus viuificat.

1. Litera occidit per accidens.

cta: & præceptum est sanctum, & iustum & bonum. Ergo *quod bonum erat, mihi factum est mortiferum? Absit.* Imò *peccatum, vt appareret peccatum per id quod bonum est, mihi mortem gignere, vt peccatum fieret summè peccatum per præceptum. Scimus enim quòd lex spiritualis est: at ego carnalis sum, venditus sub peccatum.* Effectus verò scripturæ proprius est, viuificare homines, hoc est vera Dei agnitione illustrare, & ad dilectionem Dei flectere: sicut dicitur 2.Cor.2. *Christi bonus odor sumus Deo in his qui saluantur & in his qui pereunt: &c.*

2. Sine Spiritu.

Secundò, etsi *litera*, hoc est, doctrina sine spirituali motu occîdat, Spiritus sancti tamen operatione accedente, cùm non iam litera, sed spiritus & potentia Dei sit ad salutem omni credenti, nequaquam occîdit sed viuificat, vt Psalmo 119. dicitur, *Eloquium tuum viuificat me.* Ne itaque occîdat nos litera, non oportet scripturam, sed contumaciam cordis abiicere, & orare Deum, vt doctrinam suam in nobis & in aliis non *literam*, sed *spiritum* esse velit, hoc est, efficaciter per eam corda nostra moueat, & ad se conuertat? Tertio, quòd additur, *spiritum viuificare*, id non

3. Spiritus viuificat consentiens verbo.

a scriptura ad alias opiniones aut reuelationes nos auocat. spiritus enim ille viuificat, à qua Scriptura non dissentit, sed eadem docet ac sapit quæ in scriptura prodidit. ille autem *Spiritus* qui à Scriptura homines abducit, non viuificat, sed multò veriùs qaàm litera videlicet non per accidens, sed sua natura, occidit. Est enim spiritus Antichristi, mendax & homicîda, ac proinde nobis sit anathema.

4. Aliud in conclusione.

Quartò autẽ procul à Pauli mente aberrare illos, qui per *literam*, vel characteres literarum, vel propriam & Grammaticam sententiam, siue scripturæ totius, siue allegoricè & figuratè dictorum; & per *spiritum*, eorum interpretationem intelligunt: cùm ex iis quæ de sententia Pauli sunt dicta, tum inde manifestum est, quòd non solùm omnis scripturæ sententia, siue propria siue figurata, sed omnis etiam eius inter-

pre-

pretatio, est & manet *litera occîdens*, nisi viuifica Spiritus sancti vis ad eam accesserit.

Quare cùm neque interpretationis, neque reuelationis, neque autoritatis, neque alio prætextu liceat relicta scriptura Prophetica & Apostolica, ad quęcunque de religione dogmata scripturæ testimonio non comprobata transire; eam velut oraculum de cœlo sonans audiamus, ad lectionem eius, neque opinionibus vel ex nobis vel aliunde conceptis, neq; affectibus, neque præiudiciis occupatos animos, sed timorem Dei, & studium cognoscendi veritatem afferentes. Ita enim futurum est, vt & sententiã scripturæ veram intelligamus, ac per eam pietas & consolatio certa & solida in nobis accendatur & progressus faciat.

DE VERA PIORVM CONSOLATIONE.

SCOPVS huius doctrinæ est, vt habeamus consolationem firmam in vita & in morte. Atq; vt hanc habeamus, Christiana doctrina potissimum discenda est. Summa autẽ consolationis istius in eo consistit, quòd *sumus mẽbra* Christi: id est, quòd sumus Christo per fidem insiti: quòd sumus ei curę, & per eum à Deo dilecti, Deo reconciliati, & cum eo coniuncti.

Illam consolationem Diabolus nobis adimere conatur hoc modo. 1. *Tu es peccator. Ergo Deo non es acceptus.* Resp. Sed Christus pro me satisfecit suo precioso sanguine. 2. *At tibi est moriendum.* Resp. At Christus me liberauit à potestate mortis, & scio me per Christum ex morte emersurum. 3. *Quid si autem amittas gratiam Christi? potes enim labi, & perire, cùm longum sit iter in cœlum.* Respon. Non tantùm mihi meritus est sua beneficia Christus, sed etiam confert, eaq; in me conseruat, & perseuerantia me donat, ne excidam á gratia. 4. *Quid si hæc ad te non pertineant? & vnde scis te esse Christi?* Resp. 1. Quia habeo testimoniũ Spiritus S. in me. 2. Quia vniuersalis promissio per-

tinet ad omnes fideles. Si ergo habeam fidem, ad me promssio illa pertinet. Scio autem me habere fidem ex effectis fidei. 1. Quia habeo voluntatem obsequendi & credendi Deo, etiãsi sim infirmus. 2. Quia habeo bona opera, quæ sunt signa veræ fidei. Ergo habeo verã fidem, & per consequens, Christus & eius beneficia ad me pertinent.

Necessaria est hæc consolatio. 1 *Propter nostram salutem, ne desperemus.* 2 *Propter celebrationem Dei.* Vt enim possimus celebrare Deum, oportet nos emergere ex peccato, & morte: non ruere in desperationem, sed firma consolatione sustentari vsque ad finem. Hanc consolationem etsi reliquæ sectæ promittant, non tamen prẹstare possunt, quia conscientia & experientia sæpe reclamat. Sola autem Ecclesiæ doctrina eam prẹstat, ita ut conscientiæ acquiescant, quia sola hæc ostendit fontem omnium miseriarum, quibus genus humanum est obnoxium: sola quoq; hæc rationem eluctandi ex iis prẹscribit.

Partes huius consolationis sunt. 1 Reconciliatio nostri cum Deo per Christum, cuius vnius Christi nos proprii sumus: ac proinde: non sumus nostri iuris ita vt liberè peccemus, nec in nostris viribus vel manibus cõsistit salus nostra. Quod si ita esset, singulis momentis amitteremus eam. 2 Modus reconciliationis, nimirum per sanguinem Christi. 3 Liberatio ex miseriis. 4 Conseruatio reconciliationis & liberationis, itavt ne pilus quidem de capite nostro cadere
Mat. 10. 30. possit sine voluntate patris nostri cœlestis. *Obiect.* At pij quotidie interficiuntur. *Resp.* Hęc non nocent,
Rom. 8. 27. sed iuuant nostram salutem. Diligentibus Deum omnia simul conferunt ad bonum. 5 Testimonium Spiritus Sancti in cordib. nostris efficientis veram consolationem, & veram ad Deum conuersionem. Hoc Sp. S. testimonio cognoscimus nos esse Dei, postquam semel erepti sumus ex istis miseriis. Nam Spiritus S. qui est eius rei pignus certissimũ, testatur in

cordi-

cordib. nostris ea ad nos verè pertinere. Efficit. n. *vt sine metu Deo seruiamus.* At hic *Spiritus Christi, quem Deus misit in corda nostra, clamat Abba pater. 6. Certitudo vitæ æternæ.* Differt hæc pars à quinta: quia illa est certitudo earum rerum: hęc autem, est certitudo nostra, qua scimus hęc esse certa. Atq; hoc est initium fidei. Luc. 1. 71. Gal. 4. 6.

Vt habeamus hanc consolationem tria considerandasunt. 1 *Agnitio miseriæ nostræ*, vt desideremus liberationé, & Deo grati simus. 2 Liberatio, sine qua non habemus consolationem. 3 Gratitudo, sine qua non liberamur. Hic summa & propositio totius sacræ Scripturæ continetur. Atque hæc planè consonant *cum diuisione Scripturæ, seu doctrinæ Catholicæ, in Legem & Euangelium*, & harum partium discriminibus. Ad illa enim tria membra *Lex* & *Euangelium* referuntur: ad primum & tertium *Decalogus* pertinet, quia duplex est vsus Legis, Agnitio peccati, & Regula vitæ. Ad secundum membrum pertinet *Symbolum*, quia hoc de liberatione agit, & est summa Euangelij: *Sacramenta* similiter ad secũdum membrum referenda sunt, quia confirmant id quod in Euangelio docetur. Ea nimirum sunt appendices promissionis gratiæ, & sigilla iustitiæ fidei. *Precatio* ad tertium membrum pertinet, ad gratitudinem scilicet: quia precatio est præcipua pars gratitudinis.

Ex his oriuntur quatuor quæstiones. 1 *Quare ista tria necessaria sint ad consolationem.* 2, *Vnde hæc tria sciamus: ex Lege scilicet & Euangelio.* 3 *Quomodo.* 4 *Quare.*

Cognitio miseriæ necessaria est ad consolationem. 1. Quia non agnita miseria, & quidem eius magnitudine, neque magnitudinem beatitudinis agnosceremus, neque liberationem ex malis expeteremus. Si non expetimus liberationem ex malis, non quærimus eam, si non quærimus, non consequimur eam, *quia Deus tantùm quærentibus dat liberationem: tantùm pulsanti aperitur*, cóque in ijs finem suum assequitur, nempe sui celebrationem. *Beati qui sitiunt iustitiam. Venite ad*

Mat. 11. 28. Isa. 57. 15.

me omnes qui laboratis. In Spiritu contrito habito. Quæ iam diximus hoc etiam syllogismo confirmantur. Quod necessarium est ad desiderium liberationis in nobis excitandum, id necessarium est ad consolationem: Agnitio miseriæ nostræ necessaria est ad desiderium salutis, aut liberationis. Ergo agnitio miserię nostrę necessaria est ad consolationę consequendam: non tamen ad nos consolandum: nam terret nos ista miseriæ cognitio: sed terror iste, nobis est salutaris, quia nisi agnoscamus miseriam nostram, non expetimus liberationem. Qui verò liberationem non expetunt, eam non accipiunt. 2. Miseriæ nostræ cognitio necessaria est ad consolationem, quia essemus ingrati, si ignoraremus ex quantis miseriis essemus liberati & extracti. Quantò magis enim sentimus magnitudinem mali nostri, tantò magis desideramus & expetimus remedium, & eò magis erga Deum grati sumus, quia præbuit nobis remedium aduersus peccatum. 3. Quia concione Legis fit præparatio ad concionem de gratia: alioqui sequitur securitas carnalis, fitque consolatio instabilis. Hinc patet, cognitionem miseriæ nostræ nos potissimum haurire ex Lege, ac proinde inchoandum esse à prædicatione Legis, sicut fecerunt Prophetę & Apostoli: idq; vt deijciantur conscientię & corda coram Deo, ac præparentur ad pœnitentiam, & ad recipiendum Euangelium. Hoc nisi fiat, reddentur homines magis securi & contumaces, & porcis obijcientur margaritæ pedibus conculcandæ.

Cognitio Liberationis necessaria est ad consolationem. 1. Quia bonum non agnitum non expetimus, iuxta illud, *Ignoti nulla cupido.* Imò inuentum quoq;, si ignoremus quale illud sit, non expetimus, ideóq; non consequimur. Immò illud ipsum quo liberationem consequimur requirit agnitionem liberationis. Errabis enim in petitione liberationis, nisi scias quæ & qualis sit, & quomodo accipiatur. Deinde, per fidem fi-

mus participes huius liberationis. Atqui fides non est sine cognitione. Necessaria igitur est agnitio Liberationis, tum vt consequi eam possimus: tum quia instrumentum ipsum quo eam consequimur, non potest esse sine liberationis nostræ cognitione. 2. Bonum non agnitum non consolatur: vt igitur te consoletur, oportet scire quantum & quale sit bonum illud. 3. Necessaria est liberationis agnitio, vt possimus esse grati, quia pro bono ignoto gratias non agimus, quippe, quod parui facimus, & si volumus verè esse grati, cognoscimus & desideramus omnes eius boni circumstantias: Liberationem cognoscimus ex Euangelio. 1. Audiendo illud. 2. Discendo. 3. Assentiendo, & quidem ex Euangelio: quia illud solum promittit Liberationem credentibus in Christum. Oportet autem diligenter modum Liberationis obseruare, vt non cum nominis diuini contumelia, & nostro salutis periculo modum liberationis ipsi fingamus, aut ab alijs confictum amplectamur.

Gratitudinis cognitio necessaria est ad consolationem. 1. Quia nemo potest Deo facere grata, nisi sciat quæ ipsi grata sint: nam vult coli, & nos gratos esse, non eo modo quo nos volumus sed eo modo quo ipse præscripsit. Nisi igitur scias quæ ei grata sint, nullam inde consolationem accipies. 2. Quia ibi primùm est vera consolatio, vbi est gratitudo: nisi enim sis gratus, non potes tibi applicare meritum filij Dei. Nam tantùm gratis nobis offertur & applicatur: Gratitudinem autem præstare non potes: nisi agnoscas modum quo nobis dat beneficia sua Dominus. 3. Gratitudinis cognitio requiritur necessariò, quia est præcipuus finis & scopus liberationis. *In hoc apparuit Filius Dei, vt destrueret opera Diaboli.* 4. 1. Ioa. 3. 8. Vt sciamus illa quę prestamus non esse meritum, sed tantùm gratitudinis declarationem. Pro qua re autem gratias agis, eã scis te nõ esse meritum. 5. Ex hac gratitudine fides in nobis & consolatio confirmatur.

Obiect.

Obiect. Quod vltrò sequitur, id non est necesse doceri. Sed vltrò necesse est sequatur gratitudo. Non igitur necesse est illam doceri. *Resp.* Sequitur gratitudo liberationem, sed modus gratitudinis non item: de hoc enim ex verbo Dei docendi sumus. Deinde maior non est vniuersalis: potest enim doceri, quod vltrò sequitur magnoperè, maioris & amplioris cognitionis & confirmationis causa, Gratitudinem autem cognoscimus, 1. Ex Euangelio, quia illud promittit liberationem cum conditione pœnitentiæ. 2. Ex lege quia Lex in specie ostendit & determinat species obedientiæ. Quoniam illa vera, firma, atque vnica fidelium consolatio scopus est totius doctrinæ Christianæ: & quoniam ad illam consolationem hæc tria necessariò requiruntur Miseriæ scilicet hominis, liberationis, & gratitudinis consideratio: constat hæc tria præcipuas esse doctrinæ Christianæ partes. Proinde de ijs ordine deinceps agemus.

PRIMA PARS.

DE HOMINIS MISERIA.

Vnde tuam miseriam cognoscis?

[a] Rom. 3. 20

EX Lege Dei [a].

Quid à nobis postulat lex Dei?

Id docet nos Christus summatim Mat. 22. *Diliges Dominum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota cogitatione tua, &* [b] Luk. 10. 27 *ex omnibus viribus tuis* [b]. *Istud est primũ et maxi-*

mum

mum mandatum. Secundũ autem simile est huic: Diliges proximũ tuũ sicut teipsum. Ab istis duobus mandatis tota Lex & Prophetæ pendẽt.

Num hæc omnia perfectè seruare potes?

Minimè[c]. Natura enim propensus sum ad odium Dei & proximi[d].

Num ergo Deus hominem ita prauum & peruersum condidit?

Nequaquam[e]: Imò verò bonũ & ad imaginẽ sui condidit eum[f], hoc est, vera iustitia & sanctitate præditum, vt Deum creatorẽ suum rectè cognosceret, & ex animo diligeret, cum eo beatus in æternum viueret, idq; ad eum laudandum & celebrandum[g].

Vnde igitur existit hæc naturæ humanæ prauitas?

Ex lapsu & inobedientia primorum parẽtum Adami & Euæ[h]: Hinc natura nostra ita est deprauata, vt omnes in peecatis concipiamur & nascamur[i].

An verò adeò corrupti sumus, vt ad bene agendum prorsus non simus idonei, & ad omne vitium procliues?

Certè; nisi per Sp. S. regeneremur.[k]

Annon igitur Deus homini iniuriam facit, qui ab eo in lege flagitet, quæ præstare non queat?

Minimè[l]. Nam Deus hominem talem condiderat, vt ea prestare posset: verùm homo, impulsore diabolo[m], suaʼipsius cõtumacia, se et omnem poster. diuinis illis donis orbauit.

Num

c Ro. 3. 10. & 23. 1. Ioa. 1. 8.
d Rom. 8. 7. Eph. 2. 3. Tit. 3.
e Ge. 1. 31.
f Ge. 1. 26. & 27.
g 2. Cor. 3. 18. Col. 3. 10. Eph. 4. 24.
h Ge. 3. Ro. 5 12, 18. 19.
i Psa. 51. 7. Gen. 5. 3.
k Ioa. 3. 6. Gen. 6. 5.
Iob. 14. 4. & 15. 14 16. & 35. Isa. 35. 6.
l Ioa. 3. 5.
m Ep. 4. 24. Luc. 10. 30.

Num Deus hanc contumaciam & defectionem hominis dimittit impunitam ?

n Rom. 5.12 Heb. 9.27. Imò verò horrendis modis irascitur[n], tum ob innata nobis peccata, tum ob ea, quę ipsi committimus, eaq; iustiss. iudicio prę sentib & ęternis supplicijs punit, sicut ipse pronuntiat: *Maledictus omnis qui non permanet in omnib. quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea*[o].

o Deut. 27. 26. Gal. 3.10.

Annon igitur Deus est misericors?

Est ille quidem misericors[p], verùm ita, vt etiam sit iustus[q]. Quapropter postulat eius iustitia, quod aduersus summam Dei maiestatem commissum est, id quoq; vt summis, hoc est, sempiternis cùm animi tum corporis supplicijs luatur.

p Exod. 34.6 q Exod. 20.5 Psal. 5.5. 2. Cor. 6.14.

PRIMA. In hac parte tractantur tres Loci:

1. *De Peccato.*

2. *De Creatione hominis, qui* facit ad intelligendum locum de Peccato.

3. *De Libero arbitrio.*

Miseriã nostram & nos habere peccatum cognoscimus ex Lege Dei, quæ à nobis exigit & requirit eius contrarium quod in nobis est. Nam propensi sumus ad odium Dei & proximi, id quod est ipsum peccatum: at Lex amorem Dei requirit. Latiùs autem patet nomen *miseriæ*, quàm *peccati*. *Miseriæ* nomine intelligimus *malum culpæ*, id est omne peccatum: & *mala pœnæ*, quod complectitur omnes destructiones naturæ rationalis, dolores, cruciatus, calamitates. In summa, *Malum pœnæ* complectitur omnes miserias, & sequentia peccata, quib. puniuntur præcedentia. Sic numeratio populi, à Dauide facta, est simul pœna & peccatum.

Ex Lege cognoſci miſeriam noſtram ſatis appareret ex hoc Syllogiſmo, cuius maiorem propoſitionẽ recitat Lex ipſa: *Maledictus omnis qui non permanet in perfecta Dei & proximi dilectione.* Atqui illam *dilectionem Dei* vocat Chriſtus *primum & maximũ mandatum* Item conſcientia addit Minorem: Ego non manſi in omnibus. Concluſio eſt approbatio ſententiæ Legis: Ergo ſum maledictus. Ita *ex lege eſt agnitio peccati.* Deut.27.16. Gal.3.10. Mat.22.38.

Maior tamen eſt latiùs explicanda. 1. Dicitur, *Qui non permanſerit in perfecta dilectione*, &c. id eſt, vt Chriſtus explicat, *Qui Deum non dilexerit ex toto corde, ex tota anima, ex tota cogitatione, & ex omnibus viribus.* *Ex toto corde*) quo omnes affectus, inclinationes, appetitus intelliguntur. Vult enim Deus ſe ſolum agnoſci ſummum, ſeque ſupra omnia alia amari, & vt in eo acquieſcant homines, ſibi totum cor vult, non partem ſibi & alteri partẽ tribui. Et opponitur huic, *non ambulare coram Deo perfecto corde.* *Obiect.* Si debemus Deum ex toto corde diligere: Ergo parentes non debemus diligere. *Reſp.* Licet quidem nobis & alia diligere, ſed nihil ſupra Deum. Debemus quidem parentes diligere: ſed non ſummè. Reliqua enim diligere debemus propter Deum: *Ex tota anima*) qua partem volentem, ſeu motus voluntatis complectitur: id eſt, voluntate tota & propoſito. *Ex tota cogitatione*) qua intellectum & mentem intelligit. quantum cognoſcimus de Deo, tantum etiam ipſum amamus: ideò *cum perfectè eũ cognouerimus, deſinet id quod eſt ex parte.* Proinde & dilectio Dei, quæ nunc eſt ex parte, erit perfecta. *Ex omnib. viribus.*) quibus omnes actiones internas cum Lege Dei congruentes complectuntur. 2. Dicitur, *in dilectione Dei*: cui nempe patefacto, & benefacienti ſibi ſit obligatus, vnde ſe Deum noſtrum Dominus vocat. *Diligere autem Deum*, eſt eum agnoſcere ſummum bonum, & quidem ſummum bonum nobis, idq; ita amare, vt omnia potiùs deſerere velis, omnia pati, quàm ab illo recede- Matt.22.37. 1.Co.13.10.

re.

re & nolle cum illo coniungi,nã quod optimũ eſt, id maximè expetis,& cum eo maximè coniungi cupis.

3. Dicitur,*in dilectione proximi*.Diligere proximum, eſt ex dilectione Dei bene velle & benefacere proximo,& præſtare ei omnia quæ tibi fieri iuſtè & ſecundùm legem cuperes.

Dilectio Dei eſt ſumma legis,quia ſumitur pro tota obedientia,quippe cùm ſit obedientiæ cauſa. *Dicitur autem dilectio Dei primum mandatum*,quia eſt fons aliorum.*Fons eſt*,1.quia eſt cauſa impulſiua & efficiens.2. Quia eſt finalis cauſa aliorum,quę eſt vt declaremus amorem noſtrum erga Deum. Eadem ratione dicitur *Maximum mandatum* 1.Quia finis eſt aliorum omnium mandatorum,& totius obedientiæ: nam ideò debes benefacere proximo, quia diligis Deum, & vt ipſi rurſum præſtes obedientiam. 2. Quia cultus principalis eſt,propter quem ceremoniales leges inſtitutæ ſunt, atque ita opponitur cultui ceremoniali, qui fiebat propter hanc legem moralem.

Obiect. *Secundum præceptum eſt primo ſimile: Ergo primum non eſt maximum.* Reſp. *Dilectio proximi,dilectioni Dei ſimilis eſt.* 1. Quia pręceptum illud de proximo diligendo opponitur ceremoniis. 2. Quia obedientia primæ eſt cauſa ſecundæ tabulæ.3. Quia violatio ſecundæ tabulæ æquè meretur æternas pœnas,ac primę. 4. Quia pertinet ad cultum moralem,qui deſcribitur in prima & ſecunda tabula. 5. Similis eſt quod ad cohærentiam: quia neutra ſine altera ſeruari poteſt. 6. Quia idem eſt vtriuſque autor. 7. Quia vtraq; integram obedientiam complectitur.Hinc iam patet reſponſio ad obiectionem: *Ergo proximus eſt æquandus Deo,& æquè colendus.* Nam dictum eſt ſuprà, *Deum ſolum diliges ex toto corde. Similis autem eſt proximi dilectio* dilectioni Dei, quod ad genus cultus:diſſimilis quod ad gradus. Eſt tamen etiam diſſimilis. 1. quoad obiecta. Nam Deus & homo diuerſa ſunt obiecta. 2. quatenus dilectio

proximi

Proximi ex dilectione Dei oritur, non contrà. 3. vti dictum est quod ad gradum dilectionis. Obiect. *Si dilectio Dei est summum mandatum: Ergo dilectio Dei est maior fide.* Resp. *Dilectio* sumitur hîc pro tota obedientia, quam Deo debemus, sub qua fides comprehẽditur, quæ est causa reliquarũ omnium actionum. Nam quia Deum diligere iubemur, eum quoq; prohibemur offendere: nemo enim dilectum à se offẽdit.

Dilectio proximi dicitur secundum mandatum. 1. Quia continet summam secundæ tabulæ: si enim *dilexeris proximum sicut te ipsum*, non occides eum, non illi nocebis. 2. Quia ex prima tabula, nempe ex dilectione Dei debet oriri proximi dilectio: atque ita explicatur etiam quod additur à Christo, *Ab istis nimirum duobus mandatis pendere totam Legem, & Prophetas*, id est totam reliquam obedientiam legalem, quæ in Mose & Prophetis comprehensa est, oriri ex dilectione Dei & proximi. Obiect. *In Prophetis est etiam promissio, seu doctrina Euangelij: Ergo malè videtur hîc loqui Christus. Resp* Loquitur de doctrina legali, non de promissionibus Euangelij, quod apparet ex quæstione Pharisęi, quærentis *quodnam esset præcipuum mandatum*, non quæ principalis promissio, ideò Christus ei respondet ad propositum. Huc vsque tendit explicatio maioris propositionis.

Nunc minor propositio restat, ea est, *Atqui ego non permansi in omnibus*, id est, neque Deum dilexi, sicut oportebat, neque proximum. *Ergo maledictus.* Atque ita apparet reipsa agnitionem miseriæ, eoque agnitionem pœnæ, quæ miseriæ nomine continetur, esse ex lege. Id quod & alio argumento confirmatur. *Lex pœnam ostendit, quia obligat nos vel ad obedientiam vel ad pœnam. Sed nemo præstat obediẽtiã. Ergo obligat ad pœnam.* Quin & lex præterea ostendit *omnia mala nobis accidere propter peccata* Item ostendit Dei iustitiam, magnitudinem & grauitatem iræ Dei aduersus peccatum. *Hinc oritur quæstio, Vndenam sit peccatũ*, cùm præsertim Dominus

Dominus hominem creauerit bonum, & ad imaginem ſuam. Ad hanc quæſtionem pertinet Locus *de Peccato, de Creatione hominis, ac de libero arbitrio*: quos tres locos ordine perſequemur.

LOCVS DE PECCATO.



Væſtiones hîc obſeruandæ.

1. *An ſit, vel vnde conſtet eſſe peccatum in nobis.*
2. *Quid ſit peccatum,*
3. *Quotuplex ſit.*
4. *Quæ ſint peccati cauſæ.*
5. *Quæ effecta ſint peccati.*

Eſſe non tantùm in mundo, ſed etiam in nobis peccatum ſcimus, 1. *Ex lege Dei*, hoc eſt, collatione noſtri ad legem, conſiderando quid ea requirat, & quid nos præſtiterimus. Lex requirit integrã & perfectam obedientiam, internam & externam. Hanc verò in nobis non inuenimus. Obiect. *Quod docet nos iuſtitiam extra nos quærere, & nos peccati reos arguit, ex eo habemus agnitionem peccati: Sed Euangelium iubet de nobis deſperare, & alibi iuſtitiam quærere. Ergo ex Euãgelio habemus agnitionem peccati.* Reſp. Concedo nos aliquo modo ex Euangelio cognoſcere peccatum, ſed non principaliter. Hic enim eſt vſus legis principalis. Euangelium autem præſupponit quod lex probauit: videlicet nos eſſe peccatores, antequàm ableget nos ad Chriſtum. Sic etiam ſcientiæ ſubalternæ à ſuperioribus ſumunt ſua principia, & non probantes ea ex iis procedunt. Deinde Euangelium in genere nos arguit tantùm peccati: ſed non in ſpecie declarat quid & quæ ſint peccata. Hoc autem eſt principale & proprium Legis officium: ideo non ponimus excluſiuam, quòd ex ſola lege ſit agnitio peccati. 2. Scimus in nobis eſſe peccatum ex Lege naturali, ſiue ex iudicio conſcientiæ quod eſt in omnibus. 3. Ex teſtimoniis ſacræ Scripturæ, vt Pſalm.

14.

14.& 53.Isai. 59. 4. Ex pœnis & miseriis peccatum consequentibus. 5. Ex concionibus pœnitentiæ. Hæc autem quæstio ponitur. 1. contra Libertinos. 2. vt sit exercitium pœnitentiæ. Atque hic non quæritur, an peccatum sit in aliqua re, vel in aliquibus hominibus: sed, an sit in omnibus hominibus peccatum. Cùmque sine huius rei cognitione, nec suus honor Deo tribui, neque salus nobis contingere possit, vult Deus naturam & causas peccati & pœnarum intelligi & inquiri. Sed quemadmodum de ipsa origine generis humani: sic etiam de illius corruptione & instauratione nihil certi homines nouerunt extra Ecclesiam, quæ voce diuina de his tantis rebus eruditur. Ideoque errant philosophi de ipsa peccati definitione, dum vel externas tantùm actiones, vel consilia & cupiditates cum honesta disciplina pugnantes iudicant peccata esse: non autem prauas inclinationes & affectus, ignorantiam, errores, & dubitationes de Deo & ipsius voluntate: & breuiter cùm legem diuinam integrè non intelligant, fieri non potest, quin multa maxima peccata pro peccatis non habeant. Errant & de causa peccati, quòd cùm defectionem diabolorum à Deo, & seductionē ac deprauationem naturæ hominum in primis parentibus ignorent, existimant non cum hominibus nasci peccatum, sed singulos per ętatem sua tantùm voluntate in illud prolabi. Errant denique de peccati effectu, cùm & pœnas æternas ignorent, & iram Dei horribilem aduersus peccata ne quidem verbo Dei de illa edocti, satis cogitare possint: Rom. 7. *Cupiditatem non nossem, nisi lex dixisset, Non concupisces,* Ioh. 16. *Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quòd non credunt in me* Psal. 90. *Quis cognoscit vim iræ tuæ? vt timor tui, ita & ira tua.*

QVID PECCATVM SIT.

COnuenit inter omnes, peccatum esse quiddam Deo displicens, contrarium iustitiæ, & pœnas

commerens, iuxta dictum Psal. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es, &c.* Vt igitur norma iustitiæ est voluntas diuina: sic è contrario quid peccatum sit, non alunde quàm ex eadem regula vitæ & actionum humanarum cognoscendum est. Itaque peccati definitio 1. Ioh. 3. rectissima & simplicissima est: *Peccatum est transgressio legis: siue, quicquid pugnat cum lege Dei.* Quia verò hic mentes hominum quærunt, quę sint illa mala quæ lege diuina prohibentur & damnantur, addenda est ex concionibus & declarationibus legis per totam Scripturam sparsis, huius definitionis explicatio, quòd videlicet, *Peccatum sit defectus, vel inclinatio, vel actio pugnans cùm lege Dei, offendens Deum, & peccantem eiúsque posteros reos faciens pœnarum temporalium atque æternarum, nisi fiat remissio propter filium Dei Mediatorem.*

Peccatum definiendũ ex Lege.

Peccati Genus.

Genus peccati est *defectus*: Item, *Inclinatio* vel *actio*. *Defectus* autem nominantur *in mente ignorantia & dubitatio de Deo & eius voluntate, & in corde priuatio dilectionis Dei & proximi lætitiæ in Deo, & ardentis desiderij ac studij obtemperandi Deo secundùm omnia ipsius mandata, & omissionem actionum internarum & externarum, quæ lege diuina præcipiuntur.* Vel *defectus* est absentia 1. *Inclinationum bonarum in mente.* 2. *Agnitionis Dei.* 3. *Motuum ad obtemperandum Legi Dei.* 4. *Actionum internarum, quæ in Lege requiruntur.* 5. *Actionum externarum, quæ illas sequuntur.*

Inclinationes autem prauæ dicuntur *contumacia cordis & voluntatis aduersus Legem Dei, siue contra mentis iudicium de actionibus honestis & turpibus: siue pronitas ac propensio naturæ ad ea facienda quæ Deus prohibet, quæ malum nominant concupiscentiam.* Vel, *Inclinatio praua est qualitas, quam sequitur actio, ita videlicet vt etiam actu nondũ velimus facere quæ Lex prohibet, velimus tamen inclinatione. Quòd peccatum sit defectus, probabitur in quæstione de peccato originali. Quòd peccatum promereatur æternas pœnas, probabitur in quęstione de eius effectis.*

Dis-

Differentia peccati est pugnans cum lege Domini. Diffentia.

Proprium, ream faciens creaturam iræ Dei æternæ, vt enim *peccati differentia specifica est, pugnantia aduersus legem: sic proprietas est illi necessariò adhærens, reatus personę peccantis, hoc est obligatio ad pœnas temporales & æternas quæ fit ex ordine diuinæ iustitiæ & voluntatis.* Proprium.

Atque hoc est quod vulgò dicunt, *peccati geminum esse formale: pugnantiam cum lege, & reatum: siue duos respectus, quorum ille est collatio siue dissimilitudo cum lege: hic verò ordinatio ad pœnam.* Hoc enim cum respectu cõsideratur peccatũ in Ecclesia, vt integra sit eius descriptio, non tantùm vt habitus malus voluntatis, qui vitium nominatur à Philosophis. Is autem reatus in hominibus non tantùm peccantes, sed etiam posteros ipsorum in iudicio diuino inuoluit, sicut dicitur, Exod. 20. *visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem, eorum qui oderunt me.* Et Deut. 28. *Maledictus fructus ventris tui, &c.*

Accidens peccati est, *nisi fiat remissio propter satisfactionem Filij Dei:* ne hoc dici videatur in definitione, omnes quicunque peccauerint, periisse immutabiliter cum tota posteritate. Etiamsi enim naturam peccati, quæ est *pugnare cum lege*, sequitur damnatio peccantis & posterorum: tamen ab hac eximuntur vtrique, si meritum Christi per fidem sibi applicent, & conuertantur. Accident.

3 *Quotuplex sit peccatum.*

Diuisiones Peccati præcipuæ sunt quinque.

Prima autem hæc est: Aliud est *Originale*, aliud *Actuale.*

DE PECCATO ORIGINALI.

Quòd sit peccatum originale in omnibus hominibus, probatur contra Pelag. & Anabap. 1 *Testimoniis Scripturæ*: vt, *Quis dabit mundum ex immundo? In peccatis concepit me mater mea. Qui non ex sanguine, neque ex libidine carnis, neque ex libidine viri: sed ex Deo nati sunt.* Iob. 14. Psal. 51. 7. Ioa. 1. 13.

Ioan. 3. 36. Rom. 5. 16. Ephes. 2. 3. *Qui non credit filio, ira Dei manet super eum. Reatus ex una offensa introiit ad condemnationem. Eramus natura filij iræ, &c.* 2. *Nam & infantes sunt peccato obnoxij: quia moriuntur.* Non antem ex imitatione habent peccatum: ergo ex propagatione. Quod etiam Scripturæ

Gen. 6. 5. Isa. 48. 8. Rom. 7. 23. testimoniis confirmatur. *Omne figmentum cogitationũ cordis humani duntaxat malum est, idque omni tempore. Transgressorem ex utero vocauit te. Video aliam Legem in membris meis, &c.*

Errores de peccato originis. Contra hanc autem *de peccato originali* doctrinam olim contenderunt Pelagiani, vt nunc Anabaptistæ, *nullum esse originis peccatum, quandoquidem nec propter lapsum primorum parentum rei sint posteri, neq; in eos peccatum à maioribus deriuatum sit propagatione, sed singuli tantùm imitatione primorum parentum peccent, ac reatum contrahant.* Alij verò concedunt quidem *reatum esse propter primum peccatum, sed non simul etiam prauitatem singulis innatam, quæ condemnationem & iram Dei mereatur: defectus enim, cum quibus nascimur, & concupiscentiam non esse peccata.*

Vt autem planè nos contra Pelagianos & Anabaptistas, & alios eiusdem farinæ muniamus, quatuor hæc diligenter consideranda proponuntur.

1. *Reum esse totum genus humanum propter primorum parentum inobedientiam, nisi beneficio Mediatoris ab hoc reatu eximantur.*

2. *Esse in nobis præter hunc reatum defectus & inclinationes cum lege dei pugnantes, ab ipsa natiuitatis nostræ hora.*

3. *Hos defectus & inclinationes esse peccata, & mereri æternam iram Dei,* nisi per *Filium liberemur.* Liberat enim nos Christus non tantùm à reatu: sed etiam à prauitate. Vt enim duplex malum nobis ab Adamo contigit, Reatus nimirum noster, propter peccatum in ipso admissũ, & deprauatio naturę, ab ipso in nos propagata: Ita per Christum alterum Adamum gemina nobis contigit gratia, videlicet imputatio iustitiæ, & Regeneratio. Hæc duo simul probantur in

Scrip-

Scriptura, vt, *Omnes peccauerunt, ac destituuntur gloria Dei. Omnia concluſit Scriptura ſub peccatum, vt promiſſio, &c. Circumcidet Deus cor tuum & cor ſeminis.*

4 *Hæc mala non imitatione, ſed propagatione naturæ vitioſæ à primis parentibus in omnes poſteros excepto Chriſto, deriuari.* Ita cognoſcimus quòd ſit peccatum originale: iam videamus quid ſit.

Definitio peccati originalis.

Peccatum originale eſt reatus totius humani generis propter lapſum primorũ parentum, & priuatio agnitionis Dei, ipſiuſq; voluntatis in mente, & inclinationis ad obediendũ Deo voluntate, & corde: contrà in his inclinatio praua ad repugnandum Legi diuinæ, ſequuta lapſum primorum parentum, & ab illis deriuata in omnes poſteros, ac totum eorum naturam ſic deprauans, vt omnes propter hanc prauitatem rei ſint æternæ iræ Dei, nec placens quicquam Deo facere poſsint, niſi fiat remiſsio propter filium Dei mediatorem, & renouatio naturæ per Sp. S. Breuior definitio naturæ peccati originalis hæc eſt. *Peccatum originale eſt carentia iuſtitiæ originalis debitæ ineſſe, Eſt autem originalis iuſtitia, Conformitas & obedientia perfecta, interna & externa, iuxta totam Legem Dei: quia homo propter eam conformitatem Deo placebat.*

Formale peccati.

Formale peccati ad pœnam, *eſt reatus. Eſt* autem *reatus, eſſe obnoxium pœnis, ordinatum eſſe ad pœnas æternas, dignum eſſe his propter offenſionem Dei. Reatum eſſe propter Adæ lapſum probatur,* 1. Scripturæ teſtimoniis: *Sicut per vnũ hominem peccatum in mundum introiit &c. Per inobedientiã vnius hominis peccatores cõſtituti ſunt multi.*

2 Id etiam patet ex hac Antitheſi: Sicut liberatio à peccatis eſt, nõ eſſe reũ propter ſatisfactionẽ Chriſti: ita peccatum originale eſt reatus propter lapſum primorum parentũ, deriuatus in omnes poſteros.

Priuationẽ eſſe peccatum.

Priuationem agnitionis Dei peccatum eſſe, probatur hoc argumento. *Omne contrarium Legi eſt peccatũ. Priuatio agnitionis Dei eſt contraria Legi. Ergo & peccatum. Ratio* Minoris. 1. quòd his defectib. & inclinationib. oppoſita dona & facultates lex diuina in hominibus

requirit. *Maledictus.n.omnis qui non manserit in omnibus.* *At vera Dei agnitio & omnium virium in natura homini congruentia cum voluntate Dei, in lege præcipitur*, cùm inquit: *Ego sum Dominus Deus tuus, &c. Non habebis deos alios coram me.* Item: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. Quicunque igitur opinionibus de Deo vagantur, nō agnoscentes eum iuxta patefactiones diuinas, & quorum corda non sic ardent dilectione Dei, vt nullatenus ipsos à Deo auocare possit, hi quantum in ipsis est à vita æterna exciderunt, & maledictionis sunt obnoxij.* Huc pertinent omnia dicta, quę taxant ignorantiā Dei. *Errantes, nescientes Scripturas. Occultari dicitur Euangelium iis qui pereunt.* Ignorantia Euangelij est peccatum.

Inclinationem prauam ad repugnandum Legi diuinę est peccatum probatur. 1o. præcepto, *Non concupisces.* Lex.n. requirit internam & externam obedientiam, vtque habeamus inclinationem ad amorem Dei. Illa igitur defectus est & peccatum. *Peccatum est legis transgressio.* 2. Ex testimonijs Scripturæ: *Figmentum humani cordis prauum est ab adolescentia sua. Eramus natura filij iræ &c.* 3. Ex morte, atque aliis pœnis subsequutis. *Stipendia peccati mors.* Inclinationes igitur ad malè volendum & faciendum sunt peccatum.

Obiect. Quod voluntarium non est, nec euitari potest non est peccatum. Inclinationes non sunt voluntariæ. Ergo non sunt peccatū. Resp. Maior vera est in politicis, nō in diuinis rebus, docet enim vtrumque Scriptura, nempe *carnis intelligentiam Legi Dei non subiici posse: & quicunq; non subiiciuntur Legi, eos esse iræ Dei obnoxios.* Postulat igitur Dei iustitia creaturam rationalem à Deo damnari & puniri, quandocunque cum lege ipsius non congruit, siue volens, siue non volens, siue sua siue maiorum culpa deprauata sit. Tanta enim & tam inuiolabilis est Dei maiestas, tantum mali est in peccato, vt satis sit ad iram Dei in totam posteritatem irritandam, vnius hominis à Deo defectio.

Obiect. 2. Pœnæ non sunt peccata. Hæ inclinationes ordefectu

fectus sunt pœnæ primi lapsus. Ergo non sunt peccata. Resp. ad maiorem, *Pœnæ non sunt peccata*, scilicet in iudicio politico: non autem in diuino: Nam Deus sæpe peccata peccatis punit. Id inprimis ostenditur, Rom. 1. & 2. Thess. 2. Habet enim Deus potestatem priuandi creaturas suo spiritu: quam potestatem creaturæ non habent.

Obiect. 3. Priuatio est peccatum. Deus infligit eam, creans in nobis animam non ornatam illis donis quæ contulisset, si Adam non peccasset. Ergo Deus est auctor peccati. Resp. Est fallacia accidentis. Nam quatenus Deus infligit eam, est iustitia Diuina: sed quatenus attrahitur culpa maiorum, & nos etiam volentes recipimus, est peccatum. *Instantia. Sed Deus non debebat tali pœna punire istam culpam, cum sciret tantum malum subsequuturũ. Resp.* Exequatur Deus iustitiam suam, & pereat mundus. debebat ergo, quia iustum est.

4 *Obiect. Appetitiones obiectorum sunt naturales. Ergo non sunt peccata. Resp. Appetitiones* scilicet ordinatæ suorum obiectorum, quæ illis Deus ordinauit, non autem inordinatæ, & quæ sunt contra Legem. *Appetere* enim *per se non est peccatum: sed appetitus est per se bonus: Appetitus* autem contra Legem est peccatum.

Obiect. 5. Natura bona est: Ergo nullum est peccatum originis. Resp. ad antecedens. 1. *Bona est natura*, scilicet ante corruptionem. *Omnia erant valde bona quæ fecerat Deus.* 2. Etiam nunc *natura bona est*, quod ad substantiam, & quatenus à Deo condita: non autem quod ad qualitates, & quatenus est corrupta.

Mala ista non imitatione tantùm attrahi, sed nobiscum nasci, dum ex primis parentibus natura vitiosa in totam posteritatem propagatur, manifestè docent hæc testimonia, Iob. 14. *Quis dabit mundum ex immundo.* Psal. 51. *Ecce in iniquitate formatus sum.* Ioh. 1. *Qui non ex sanguine neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum in mundum introijt, ac per peccatum mors, & ita in omnes homines*

Mala originis insunt per generationem, non per imitationem.

homines mors transijt, eò quod omnes peccauerunt. Et cap. 7. *Scimus legem esse spiritualem : At ego carnalis sum, venditus vt subijcerer peccato.* Eph. 2. *Eramus, naturâ filij iræ, sicut & cæteri.* Denique cùm & infantes peccato sint obnoxij, vnde & moriuntur, & baptizandi sunt, sicut olim circumcidebantur : illi autem nondum possint imitatione peccare : necesse est, peccatum illis ingenitum esse, vt dicitur Gen 8. *Cogitatio cordis humani prauа est à pueritia sua.* & Iesa. 48. *Transgressorem ab vtero vocaui te.*

Obiec. 1. de Traduce.

Obijcitur contra hanc sententiam: Primò. Si *peccatum ex maioribus in posteros propagatur, aut anima peccati originis contaminata, per traducem ex anima parentum deriuatur : aut peccato infecta à Deo creatur ex nihilo, & corpori infunditur : aut quæ pura creatur à Deo, vitium contrahit à corpore cui vnitur. Sed cùm spiritualis substantia non in partes secetur, non per traducem propagantur animæ : neque vitiosæ à Deo creantur, cùm Deus hoc pacto peccati autor fieret, contra quam dictum est : Vidit Deus omnia quæ fecerat, & erant valde bona: neque à corporibus depranantur, partim quòd animam puram & innocentem cum eo corpore coniungi à quo depranaretur, cum fine ad quem homo est conditus, nempe ad vitam æternam, et cum bonitate Dei pugnaret, partim quòd peccatum non per corpus, quod brutum est, nec in animam agit, sed per animã propagari potest. Non igitur ex parentibus corruptis liberi corrupti nascuntur.*

Animæ vitiantur à corporib.

Responsio duplex est. Primò nequaquem obtinere possunt, quod tertio loco dicunt in Minore : *Anima non posse vitium contrahere à corporibus.* Nam & primi parentes ad vitam æternam erant conditi, & tamen deprauantur deficientes à Deo. Itaque vt primorum parentum creatio & exploratio per tentationẽ, & in tentatione desertio, quib. positis certò futura erat ipsorum deprauatio : ita & coniunctio animarum cum corporib. in quib. certò deprauabuntur, cum bonitate Dei non pugnat : partim quia Deus sic est beneficus vt iram etiam aduersus peccata & iustitiam suam vin-

cum

cum misericordia in operibus suis declarare velit, partim quia remedium in filio suo proposuit, ad quod confugientes, ab hæreditaria & necessaria corruptione, et damnationis periculo liberãtur: nec ab eius bonitate alienum est, potiùs ex peccato & morte per Filij vnigeniti mortem liberatos, quàm in hæc mala nunquam prolapsos, seruare. Neque absurdum est, *naturam siue temperamentum corporis etiamsi brutum sit, ad mala esse pronum, & non aptum animæ ad bonas actiones instrumentum:* animam verò in rectitudine & puritate, in qua condita est, non confirmatam sequi inclinationes & temperamentum corporis vitiosum, & à sua integritate deficere, quamprimùm corpori immundo vnitur: cúmque corpus ex parentibus peccatobus & reis propagatum, sit pars altera hominis, Deum toti homini propter partem eius ream irasci, & gratiam sui Spiritus subtrahere, vt etiam pars altera, videlicet anima, donis spiritualibus priuata, in prauitatem & maledictionem ruat.

Anima hominis simul & creatur & vnitur corpori.

Sed etiamsi obtinere totam Minorem possent, tamen alia est responsio ad Maiorem sufficiens, vt neque de traduce, neque de modo propagationis peccati originalis anxiè disputare sit necesse. *Etsi enim animas singulorum hominum cùm viuere incipiunt, a Deo creari concedamus:* tamen non est fingendum, esse aliquandiu animas, antequàm corporibus inserantur. Simul enim & creantur, & vniuntur corpori: Sicut dicitur, *Inspirauit in faciem eius spiritum vitæ.* Sicut autem corporum etiam substantia, quamuis ex parentum substantia sumitur, tamen à Deo creari, hoc est, formari rectè dicitur, & hominum pariter ac Diabolorum peccantium substantiæ à Deo conseruantur, neque tamen propterea Deus peccati aut malitiæ ipsorum autor vel conseruator existit: ita & animarum substantiam & naturales facultates, Deus simul & creat, & priuat donis suis: quę Adamo ea conditione dederat, vt etiam posteris ipsius daret, si ipse

illa

illa retineret: non autem daret, si ipsa sua ingratitudine illa abijceret: anima verò spiritu & luce diuina destituta, etsi ad appetitiones & operationes inclinata est, tamen cæca est, non ad tales appetitiones & actiones, quales lex Dei requirit, inclinata: Atq; hac ratione inclinationes rectitudine sua spoliatæ, sua sponte existunt malæ, & cum lege diuina pugnant: Defectus autem illi in mente & voluntate, & corde primorum parentum, quatenus à Deo infliguntur ipsis & ipsorum posteris iustæ sunt peccati à parentibus & à sobole in parentibus admissi, pœnæ: inclinationes autem his defectibus vitiatæ & ipsi defectus, quia faciunt vt homo diuinæ legi neq; sit conformis, neque possit esse, quatenus ab hominibus, & sibi & soboli, peccando attrahuntur, & ab ipsis, & à sobole existunt, peccata sunt.

Obiect. 2. Quod non habent parentes, non possunt in sobolem transmittere: Peccatum originale in sanctis tollitur: Ergo saltem hi non propagant illud in posteros. Resp. Peccatum originis tollitur in sanctis quoad reatum, hoc est ita vt remittatur ipsis propter Christum. Sed manet quoad vitium pugnans cum lege. Etsi enim regenerantur simul Spiritu sancto, quibuscunque condonatur peccatum: tamen ea renouatio in hac vita non perficitur. Propagant itaque etiam sancti talem naturam in posteros, qualem ipsi habent, nimirum vitiosam, defectibus & malis inclinationibus obnoxiam. *Si instent, saltem ergo reatum non propagari in sobolem, siquidem ab eo parentes liberati sunt. Resp.* Id non propagari ex parentibus in posteros, quod parentes naturâ non habent: à reatu autem eos non naturâ, sed, per gratiam & beneficium Christi immunes existere. Non igitur iustitiam gratuitò imputatam, sed iniustitiam & damnationem, cui naturâ sunt obnoxij, in posteros propagant. Causa verò, cur non iustitiam, sed reatum propagent, ea est, quia non secundùm gratiam, sed secundùm naturam nascuntur ex ipsis

posteri

posteri, neque carnali propagationi, sed liberrimæ Dei electioni gratia & iustificatio alligata est, sicut dicitur Iohan. 1. *Qui non ex sanguine neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.*

Obiect. 3. Neque illud Rom. 11. obstat: *Si radix est sancta, sancti erunt & rami.* Sanctitatem enim hîc non intelligit remissionem peccatorum & regenerationem: sed hanc posteritatis Abrahami dignitatem, quòd Deus propter fœdus cum Abrahamo initum, semper ex ipsius posteris aliquos conuertere, & vera atque interna sanctitate donare constituerit.

Obiect. 4. dicitur sanctis parentibus: *Liberi vestri sancti sunt.* Sed Paulus in eo loco neque omnes sanctorum liberos remissione peccatorum donari, aut à Spiritu sancto regenerari, neque sanctitatem liberorum ex carnali propagatione proficisci docet. Nam *de Iacob & Esau dictum est, antequam boni aut mali quidquam fecissent, Iacob dilexi, Esau odio habui.* Est igitur sententia Pauli, piorum parentum liberos, etsi alter parens infidelis sit, tamen sanctos esse, quoad externam societatem Ecclesiæ, i. habendos esse pro membris, seu ciuibus Ecclesiæ Christianæ, ac proinde etiam pro electis & internè sanctificatis, nisi incredulitate & impietate sua alios se esse ipsi probent. Neq; externa autem, neq; interna sanctitas ex natura parentum, cùm neutra in ea reperiatur: sed vtraq; ex gratuita misericordia, & fœdere, seu promissione diuina, tam soboli quàm parentibus contingit.

Obiect. 5. *In quos peccata omnium maiorum transeunt, miseriores sunt ijs, in quos tantùm aliquorum peccata propagantur. At si peccatum ex parentibus transit in liberos, in postremos homines omnium maiorum, in priores tantùm eorum peccata propagantur, qui anteceſſerunt. Ergo posteriores sunt miseriores omnibus alijs, quod absurdum foret, & cum iustitia Dei pugnans. Responsio prima est: Non absurdum neq; iniustum fore, etiamsi posteriores Deus homines grauiùs quàm priores puniret, ac magis desereret.*

Quantò

Quantò enim plura peccata à genere humano committuntur & cumulantur, tantò ira ipsius vehementiùs accenditur, & pœna magis exaiperatur: vnde sunt illa dicta Gen. 15. *Nondum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum, &c.* Mat. 23. *vt veniat super vos omnis sanguis iustus &c.* 2. Priorum parentum peccatum trãsire Deus sinit in omnes posteros, quoad vitium naturæ & reatum, vt iustitiæ ipsius satisfieret, & misericordiæ suæ in Filio exercendæ occasionem ipse haberet. Rom. 5. & 11. *De actualibus* verò *singulorum peccatis* dicit, *se visitare iniquitatem patris in filijs in tertia & quarta generatione*, hoc est, se ex iustitia sua punire peccata parentum in posteris, & tamen ex misericordia metas peccato figere, vt non semper maiorum peccata luant, vel imitentur posteri, neque sit necesse malorum parentum malos aut deteriores aut miseriores liberos existere: quemadmodum & *misericordiam exercet in milleſimam generationem eorum qui diligunt ipsum*, & tamen electionis suæ libertatem retinet vt non semper bonorum parentum bona sit posteritas. Ratio discriminis huius inter originale & actuale peccatum est, quòd iustitia & vita æterna non per posteros, sed per primos parentes primùm est amissa.

Peccatum Deus iustè punit in posteris.

Obiect. Atqui Deus non vult punire posteros propter peccata parentum. Resp. 1. Scilicet, nisi perseuerent in ijs. 2. Si parentes non acceperint conformitatem cum Deo pro se & posteris, vt si retinerent, etiam & posteris retenta sit: & si amitterent, etiam posteris amitterent. Hinc potest intelligi, duabus de causis Deum iustè in posteris, & propria ipsorum & maiorum peccata punire: primùm, quia parentum peccantium tota natura est rea: soboles autem tanquam pars parentum est, cùm de ipsorum substantia siue massa sit propagata. Non potest igitur non ipsa etiam esse rea tam post, quàm ante propagationem ex parentibus, nisi singulari beneficio ipsi contingat remissio culpę, quam

quam in ipsis parentibus iam contraxit. Secundò, quia parentes acceperunt Dei dona communicanda etiam posteris, ea lege, si parentes ea retinerent: quòd si hi abiicerent, atque amitterent, etiam posteri iis priuarentur. Ergo postquam parentes iustitia & gratia Dei se priuarunt, non possunt immundi mundos procreare, sed corruptos, sibique similes, ac proinde reos tam sui quàm parentum peccati, quia huic in se propagato ipsi participant, ei siue actu, vt adulti, siue inclinatione consentientes, vt infantes, nisi singulari Dei misericordia hæc innata ipsis prauitas corrigatur.

Naturæ prauitas sequuta est lapsũ.

Additum est in definitione, quod *hæc prauitas naturæ secuta sit lapsum in primis parentibus*. Nam de homine nondum lapso dicitur, *quòd ad imaginem Dei creatus fuerit, & omnia quæ fecerat Deus fuerint valde bona*: de lapso autem, & eius posteris, *Omne figmentum cordis humani taniùm est malum omni tempore*. Vbi simul docetur totam naturam hominis, hoc est, mentem, voluntatem & cor, & omnes facultates sic esse deprauatas, vt nullas nisi vitiosas & Deo displicentes actiones possint producere sine renouatione, iuxta dicta, Rom. 7. *Scimus enim legem esse spiritualem: At ego carnalis sum, venditus vt subiicerer peccato*. Item: *Noui.n.quòd non habitat in me, id est, in carne mea, bonum*. Et 8. *Ergo qui in carne sunt, Deo placere non possunt*. Matth. 7. *Non potest arbor putris fructus bonos ferre &c*. Et quidem ratio, cur ita fieri necesse sit, non est obscura. Quicquid .n. nõ exactè ad legis normam congruit, placere Deo non potest, sed maledictionem & iram Dei æternam meretur, sicut dictum est: *Maledictus omnis qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis*. Iacob. 2. *Quisquis totã legem seruauerit, offenderit autem in vno, omnibus tenetur, &c*. Sed nulla hominũ actio post lapsum integrè est legi cõformis. Ergo nulla potest placere Deo. Minor hinc est manifesta: quòd lex in omni actione requirit agnitionem veri Dei, congruentem cum

cum diuinis patefactionibus,& hunc finem principalem,vt verus Deus illa obedientia creaturæ rationalis honore afficiatur,ac tale ſtudium obediendi Deo, talemque dilectionem Dei,vt omnia malit homo amittere,quàm à voluntate Dei vel in re minima diſcedere,neque vlla ſit vel minima affectio aut cupiditas,aut inclinatio, quæ à ſummo illo & ardentiſſimo amore Dei,& obedientia erga legem Dei ipſum auocet.1.Cor.10.*Omnia ad gloriam Dei facite*.Deut.6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,& ex tota mente,& ex totis viribus tuis,&c*.Non renati autem in omnibus ſuis actionibus, ne agnoſcunt quidem verum Deum, nedum omnia ad ipſius honorem referunt, aut ipſum ſupra omnia diligunt,ſed ab ipſo auerſi & ipſius hoſtes ſunt:Rom.5.*Cùm inimici eſſemus,reconciliati fuimus Deo;&c*.Et cap.8. *Intelligentia carnis inimicitia eſt aduerſus Deum*.Nulla igitur eorum actio, qualiſcunque in ſpeciem appareat, ad normam diuinæ legis congruit. vt Rom.14.dicitut, *Quicquid non eſt ex fide,peccatum eſt*.

Doctrina hæc de peccato originis in Eccleſia tenenda eſt. 1.*vt agnitio peccati ſit integra*. 2. *Quia Deus vult ſciri prauitatem noſtram eſſe tantã, vt ne obedientiam quidem per nos inchoare poſſimus ſine ipſius gratia,& ſpiritu ſancto* 3.*Vt ſciamus quæ peccata in ſanctis ſint, & quæ diſcrimina peccatorum in renatis & reprobis*.

Actuale *peccatum eſt omnis actio interna & externa pugnans cum Lege Dei, tam in mente quàm in externis actionibus: & omiſſio eorum,quæ Lex præcipit,vt velle, cogitare,proſequi,facere mala: nolle,fugere, omittere bona. item motus,& paſſiones Legi Dei contrariæ. Huc pertinet illa diuiſio,in facti & omiſſionis peccata*.

Secunda diuiſio Peccati.

Aliud *Regnans*:aliud *non regnans*.Hęc diuiſio ſumpta eſt ex Ro.6.*Ne regnet peccatum in mortali veſtro corpore*.

Peccatum Regnans eſt omne peccatum quod non deploratur,& cui non reſiſtitur gratia Spiritus Sancti, & propter

quod

quod non tantùm ex ordine iustitiæ Dei, sed ex re ipsa æternarum pœnarum reus est, qui illud habet. vocatur autem *Regnans*, 1. *quia indulgetur illi.* 2. *quia imperium tenet in hominem, & eum facit æternę damnationis reum.* Talia sunt omnia peccata in impiis, qui non credunt filio, suntque sine fide & pœnitentia. Illud est etiam in electis ante conuersionem, etsi remissum est quod ad consilium Dei: ipsi tamen nondum agnoscunt. Postquam autem conuersi sunt, repugnant, ne teneat imperium.

Vocatur & *Mortale*, in quo qui perseuerat, & moritur in eo, perit. *Qui facit peccatum*, id est, qui data opera peccat & cum delectatione, *ex diabolo est.* Vbi *de Peccato regnante* loquitur. *Peccatum regnans* est omne peccatum in renatis ante conuersionem, in non renatis semper: siue sint defectus, siue inclinationes, siue errores, siue peccatum actuale.

Peccatum Non Regnans, est quod deploratur, & cui resistitur gratiâ spiritus sancti, & cuius remissionem consequimur, & hoc peccatum est in sanctis. *Si dixerimus, nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus, & veritas non est in nobis.* Hoc dicit Ioa de *nõ regnante peccato. Non amplius ego id perpetro: sed peccatũ quod in me habitat, id perpetrat.*

Peccatum Non Regnans, dicitur etiam Veniale, nõ quòd mereatur remissionem, aut quòd sit indignum pœna: sed quia remissio sequitur tale peccatum. Ego tamen vsurpare malim nomina *regnantis & non regnantis peccati*, 1. *quia nomina mortalis & venialis peccati sunt obscura, & ambigua.* Nam *omnia peccata sunt mortalia:* & Ioannes etiam vocat *peccatum mortale, seu peccatum ad mortem, peccatum in Spiritum S.* 2. *Propter errores Pontificiorum dicentium venialia dici peccata, quę sunt leuia, nec merentia æternas pœnas: dum tamen dictum sit, Maledictus omnis, qui non permanet in omnib. &c.* 3. *Quia Scriptura non vtitur his vocabulis, maximè nomine venialis peccati.*

Ob. 1. *At electi non excidunt gratia. Resp.* Finaliter. at mortaliter peccantes & non resipiscentes, pereunt.

Non

Hoc in electos quidem non cadit, sed ante fidem labuntur citò & sæpissime.

Obiect. 2. *Voluntas Dei est immutabilis. At vult electorum salutem & remissionem peccatorum.* Resp. Concedo, de Dei consilio, non de fiducia remissionis peccatorum. Consolatio enim non consistit cum erroribus contra fundamentum, & peccatis contra conscientiam. *Tunc* autem *habere dicimur remissionem peccatorum*, cùm hæc beneficia nobis applicamus. Ephe. 2.13. *Nunc in Christo Iesu qui olim procul fuistis, &c.* Ose. 2.23. *Vocabo populum meum, &c.*

Obiect. 3. *Natus ex Deo non peccat. Ergo &c.* Resp. *Non peccat* ad mortem. Nam electi non in vniuersum à Deo deficiunt, etsi peccent contra conscientiam: sed aliquot initia veræ pietatis retinent, quibus ad pœnitentiam rursus velut scintillis excitantur, vt Dauid, Petrus, Manasses. 2. non peccat, scilicet quatenus est renatus: peccat autem quandiu est in hac vita, peccato non regnante, & aliquando etiam regnante, quatenus non ex Dei spiritu renatus, sed adhuc carnalis est. Non enim vno momento perficitur, sed in hac vita inchoatur tantùm, in altera verò absoluitur demum regeneratio: siue renouatio nostri ad imaginem Dei. Sic enim ipse Iohannes de se & omnibus sanctis in hac vita pronuntiat cap. 1. *Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, &c.*

Est igitur hæc sententia Iohannis, *renatos peccare* quidem: sed non ita vt indulgeant peccato, aut si aliquando cedant & assentiantur malis cupiditatibus, vt omnem pietatis affectum abijciant, & non resipiscant. Semper enim in renatis aliquid naturæ renatæ manet reliquum, quod aut luctam aduersus peccatum, aut pœnitentiam veram efficit, hoc est, ad mortem siue exitium æternum peccare, seu à Deo in vniuersum deficere, ipsos non sinit. Atque hanc consola-

tionem

tionem tantisper habent, dum se renatos esse sciunt, hoc est, dum fidem & bonam conscientiam retinent.

Obiect. 4. 1. *Iohan. cap. 3. Semen ipsius in eo manet, nec potest peccare, eò quòd ex Deo natus est.* Et 1. Pet. 1. *Renati non ex semine mortali, sed ex immortali, per sermonem Dei viui & manentis in æternũ, &c. Si igitur semen verbi Dei nunquam in renatis emoritur, semper manent renati, & semper retinent gratiam, neque vnquam ruunt in peccatum regnans.* Ob. 4. Semen manes, & immortale.

Respon. Amitti potest gratia & Spiritus sanctus à renatis, & sæpe amitti; quoad aliqua dona, aliâs plura, aliâs pauciora: etiamsi non amittant eum quoad omnia. Manet enim in ipsis aliquod initium seu vestigium veræ fidei & conuersionis, quod etiamsi, cùm succumbunt malis inclinationibus aut cupiditatibus, ita opprimitur & obscuratur, vt neque ab aliis agnosci, neq; ipsos de gratia Dei & salute sua in præsentia confirmare possit: tamen eos à Deo & agnita veritate in vniuersum deficere, & propositum amplectendi fide meritum Filii Dei, abiicere nõ sinit. Sic Dauid precatur Psal. 51. *Cor mundũ crea mihi Deus: & spiritum rectum innoua in visceribus meis, &c.* Item: *Redde mihi gaudium salutis tuæ, &c.* Amiserat igitur munditiam cordis, rectitudinem & nouitatem Spiritus, & gaudium salutis, quæ sibi reddi à Deo petit: & tamen his non in vniuersum carebat: alioqui enim non petiuisset, neque expectasset à Deo hanc restitutionem. Semen Dei, hoc est, verbum Dei veram fidem & conuersionem in electis efficiens, manet & non emoritur in renatis, quoad conuersionem & perseuerantiam finalem, vtcunque ante finem sæpe grauiter labantur. 1. Iohan. 2 *Si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum, &c.* Semen manet, quoad aliqua dona.

Obiect. 5. *Non potest arbor bona fructus malos ferre.* Ob. 5. Arbor bona.

Resp. Scilicet, quatenus bona est. Si enim simpliciter bona sit, omnes fructus eius sunt boni: id quod in vita cœlesti futurũ est: sin verò partim bona, partim mala sit, tales etiã sunt fructus, vt in hac vita experimur.

Hoc in electos quidem non cadit, sed ante fidem labuntur citò & sæpissime.

Obiect. 2. *Voluntas Dei est immutabilis. At vult electorum salutem & remissionem peccatorum.* Resp. Concedo, de Dei consilio, non de fiducia remissionis peccatorum. Consolatio enim non consistit cum erroribus contra fundamentum, & peccatis contra conscientiam. *Tunc* autem *habere dicimur remissionem peccatorum*, cùm hæc beneficia nobis applicamus. Ephe. 2.13. *Nunc in Christo Iesu qui olim procul fuistis, &c.* Ose. 2.23. *Vocabo populum meum, &c.*

Obiect. 3. *Natus ex Deo non peccat. Ergo &c.* Resp. *Non peccat* ad mortem. Nam electi non in vniuersum à Deo deficiunt, etsi peccent contra conscientiam: sed aliquot initia veræ pietatis retinent, quibus ad pœnitentiam rursus velut scintillis excitantur, vt Dauid, Petrus, Manasses. 2. non peccat, scilicet quatenus est renatus: peccat autem quandiu est in hac vita, peccato non regnante, & aliquando etiam regnante, quatenus non ex Dei spiritu renatus, sed adhuc carnalis est. Non enim vno momento perficitur, sed in hac vita inchoatur tantùm, in altera verò absoluitur demum regeneratio: siue renouatio nostri ad imaginem Dei. Sic enim ipse Iohannes de se & omnibus sanctis in hac vita pronuntiat cap. 1. *Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, &c.*

Est igitur hæc sententia Iohannis, *renatos peccare* quidem: sed non ita vt indulgeant peccato, aut si aliquando cedant & assentiantur malis cupiditatibus, vt omnem pietatis affectum abijciant, & non resipiscant. Semper enim in renatis aliquid naturæ renatæ manet reliquum, quod aut luctam aduersus peccatum, aut pœnitentiam veram efficit, hoc est, ad mortem siue exitium æternum peccare, seu à Deo in vniuersum deficere, ipsos non sinit. Atque hanc consolationem

tionem tantisper habent, dum se renatos esse sciunt, hoc est, dum fidem & bonam conscientiam retinent.

Obiect. 4. 1. *Iohan. cap. 3. Semen ipsius in eo manet, nec potest peccare, eò quòd ex Deo natus est.* Et 1. Pet. 1. *Renati non ex semine mortali, sed ex immortali, per sermonem Dei viui & manentis in æternũ, &c. Si igitur semen verbi Dei nunquam in renatis emoritur, semper manent renati, & semper retinent gratiam, neque vnquam ruunt in peccatum regnans.* Ob. 4. Semen manes, & immortale.

Respon. Amitti potest gratia & Spiritus sanctus à renatis, & sæpe amitti, quoad aliqua dona, aliâs plura, aliâs pauciora: etiamsi non amittant eum quoad omnia. Manet enim in ipsis aliquod initium seu vestigium veræ fidei & conuersionis, quod etiamsi, cùm succumbunt malis inclinationibus aut cupiditatibus, ita opprimitur & obscuratur, vt neque ab aliis agnosci, neq; ipsos de gratia Dei & salute sua in præsentia confirmare possit: tamen eos à Deo & agnita veritate in vniuersum deficere, & propositum amplectendi fide meritum Filii Dei, abiicere nõ sinit. Sic Dauid precatur Psal. 51. *Cor mundũ crea mihi Deus: & spiritum rectum innoua in visceribus meis, &c.* Item: *Redde mihi gaudium salutis tuæ, &c.* Amiserat igitur munditiam cordis, rectitudinem & nouitatem Spiritus, & gaudium salutis, quæ sibi reddi à Deo petit: & tamen his non in vniuersum carebat: alioquin enim non petiuisset, neque expectasset à Deo hanc restitutionem. Semen Dei, hoc est, verbum Dei veram fidem & conuersionem in electis efficiens, manet & non emoritur in renatis, quoad conuersionem & perseuerantiam finalem, vtcunque ante finem sæpe grauiter labantur. 1. Iohan. 2 *Si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum, &c.* Semen manet, quoad aliqua dona.

Obiect. 5. *Non potest arbor bona fructus malos ferre.* *Resp.* Scilicet, quatenus bona est. Si enim simpliciter bona sit, omnes fructus eius sunt boni: id quod in vita cœlesti futurũ est: sin verò partim bona, partim mala sit, tales etiã sunt fructus, vt in hac vita experimur. Ob. 5. Arbor bona.

Ob. Iusti habent peccata.

Dictum est, *omnia peccata esse sua natura mortalia.* Opponunt quidam huic sententiæ dictum Psalm.31. *Confitebar peccata mea Domino, & tu remisisti prauitatem peccati mei.* Et Prouerb.24. *Septies cadit in die iustus, & resurgit, &c.* Inde colligunt *esse aliqua peccata, quæ committentes manent iusti, ac proinde mortẽ æternam non merentur.* Sed malè ratiocinantur ab eo quod per accidens accedit peccato, ad illud quod per se insit peccato. *Verum est enim esse multa peccata, propter quæ sancti non amittunt sanctitatem & iustitiam, nec fiunt obnoxij ire Dei:* sed hoc non ex leuitate, aut natura peccati, qualecunque illud sit, verùm ex gratia Dei, non imputantis, nec volentis punire æterna morte illa peccata, quæ tamen sua natura hanc merebantur. Id euidentissime docet propheta eodem Psal. cùm ait: *Beatus vir, Cui remissa est præuaricatio, &c.* Et Psalm.142. *Ne venias in iudicium cum seruo tuo, &c.*

Ob.2. Non omnia peccata digna gehenna.

Obiect.2. Matth.5. *Quicunq; irascitur fratri suo temerè tenebitur iudicio: Quicunque verò dixerit fratri suo, Raca tenebitur consessu: quisquis autem dixerit, fatue, tenebitur gehenna ignis.* Inde concludũt, *cùm Christus ipse statuat gradus pœnarum & peccatorum, ita vt ex his tantùm tertio minetur gehennam, reliquis verò duobus, tantùm pœnas temporales, esse quædam peccata minora, quàm quæ supplicio æterno digna sunt.* Sed responsio ex ipsis verbis manifesta est, Christum non loqui de iudiciis & pœnis politicis, cùm nominat iudicium & consessum. Neque enim de politico ordine hîc agit, sed de vera legis diuinæ sentẽtia, & de iudicio Dei aduersus peccatum terna & externa, contra Pharisæorum corruptelas disputat. Neq; pœnis corporalibus à magistratu puniri possunt aut debent, vel gestus acerbitatem aliquam aut contemtũ significantes, vel affectus vitiosi quibus non accedit conatus efficiendi aliquẽ iniuriam. Tertio autẽ loco gehennam nominans, non eximit reliqua duo peccati genera æternis pœnis, sed tertium atrociùs à Deo punitum iri significat.

O

Ob.3. Aliqua remittentur in futuro seculo.

Ob.3. Math.12. *Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, blasphemia verò in Spiritum non remittetur, &c.* Hinc dicere volunt *quædam peccata in hoc seculo, quædam in futuro, hoc est, in purgatorio, quædam verò nunquam remitti, quorum hęc mortalia, illa venialia sint sua natura.* Sed primum neq; hîc neq; alibi Christus docet, quædam peccata remitti in futuro seculo. Omnia enim alia peccata non quidem in futuro demum, sed tamen in hoc seculo remitti, & hoc loco vult Christus & alibi Scriptura docet: quia nõ remitti peccata, nisi pœnitentiam agentibus certum est. Peccatum verò in Sp.S. non tantùm in futuro, sed etiam in præsenti seculo remitti negat, vt veniæ negationem significantius exprimat. Secundò, siue in hoc siue in futuro seculo remissionem dicant fieri, tamen non ex peccati natura siue paruitate, sed ex gratuita misericordia propter Christum eam fieri, immotum manet. Quòd si autem omne pecctum est tam graue vt non nisi sangunine Filj Dei potuerit expiari, sine dubio sangúinem illum afficiunt contumelia, qui peccatum aliquod sic extenuant: vt pœnam æternã cui mors Filij Dei æquipollet, illud mereri negent. Præterea vel ipsorum confessione multa sunt peccata mortalia, quę tamen in hac vita remittuntur. Aut igitur hęc omnia vt sua natura faciant venialia oportet, aut ex hoc loco peccati leuitatem remissionis causam esse non probabunt.

Ob.4. Non omnia excludunt regno Dei.

Obiect.4. Rom.1. *Palam est ira Dei è cælo, aduersus omnem impietatem &c.* 1. *Cor.6. An ignoratis iniustos non esse Dei hæreditatem possessuros*, Ex his atque similibus locis colligunt, *cùm peccata mortalia sint, quæ excludunt homines à regno Dei: id verò non omnia peccata faciant: esse quædam peccata sua natura non mortalia*. Sed plus concludunt quàm sequitur. Esse enim quędam venialia non dubium est: sed per gratiam remittentem peccata, quæ non accedente remissione, sine dubio à regno homines excluderent.

Ob. 5. Quædam ignē æternū merentur.

Obiect. 5. 1. Corinth. 3. *Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse tamen saluus erit, sed quasi per ignem. Ergo*, inquiunt, *quædam peccata in ignem quidem, id est, in aliquam pœnam, sed non æternam, homines merentur.* Id etiam non de natura peccati concedimus, sed de condonatione, quæ contingit retinentibus fundamentum, quod est Christus. Nam ligna & stipulas fundamento superstruere, hoc est, non necessarias quęstiones, humanas opiniones & traditiones verbo Dei assuere, quæ sæpè schismatum in Ecclesia, sæpè idololatriæ & errorum occasiones sunt, nō tam leue peccatum est, quàm illi qui hoc faciunt, existimant, sed malidictionem æternam meretur, nisi fiat remissio propter Filium Dei, vt Apocal. 22. docetur.

Ob. 6.

Obiect. 6. Heb. 5. *Pontifex assumtus ex hominib. debet, quemadmodum pro populo, ita & pro seipso offerre*, Hic locus nequaquā peccata sacerdotis per se siue natura sua, sed proprer victimā Christi per sacrificia typica significatam, esse venialia docet: ac proinde sententiam aduersariorum funditus euertit. Nam si omnia peccata sacerdotis etiam iusti coram Deo, tanta sunt, vt non nisi morte filij Dei potuerint expiari, necessariò sequitur, ea mortē ęternā sua natura mereri.

Ob. 7. Peccatum consummatum gignit mortem.

Obiect. 7. Iacob. 1. *Cupiditas postquam concepit, parit peccatum: peccatum verò consummatum gignit mortem. Hîc*, inquiunt, *Iacobus aliud peccatum consummatum esse dicit, cùm videlicet voluntas deliberans prauæ cupiditati consentit: aliud non consummatum, quando peccatur sine deliberatione: & peccato demum consummato tribuit quod mortem gignat.* Respondemus non valere consequentiam, quia proprium pluribus speciebus, cùm vni speciei tribuitur, non sequitur ab alia remouendum esse. Distinguit enim Iacob. species siue gradus peccatorū: Originale videlicet & actuale, & post actuale mortem consequi dicit, non quia post originale non sequatur mors: sed quia actuale inter originale peccatum & mortem tanquam huius causa & illius effectū

effectus intermedium sit, & mortem siue pœnã peccato originali iam attractam exasperet. Neque de gradibus pœnarum principaliter, sed de earum origine in nostræ naturæ prauitate quærenda docet.

Ob.8. Iac.3. *In multis labimur omnes hinc probare volũt, iustorũ peccata esse venialia, quia vel in pauca vel in nulla mortalia labãtur*: ad illud sicut ad pleraq; superiora respond. peccata iustorum retinentium aut accipientium fide iustitiam esse venialia, nõ natura, sed gratia. Ob.8.

Ob.9. *Deus non est crudelis, sed misericors, neq; leuis in amore sed constans. Ergo non propter quoduis leue peccatum iudicat hominem esse dignum æternis suppliciis.* Sed fingunt pugnare iudicium Dei de peccato cum misericordia: quæ non pugnant, sed optimè conueniunt. Sic enim Deus est misericors, vt sit etiam iustus. Postulat autem Dei iustitia, vt omnem etiam leuissimã sui numinis offensionem & contemptum æterna abiectione dignum iudicet. Hoc de peccato quouis iudicium non tollit misericordia & amoris diuini constantia: sed satis est ad eãm præstandã & declarandam, pereuntium interitu non gaudere, eiusq; testificandi causa omnes ad pœnitentiam inuitare, & pœnitentiam agentib. peccata, quæ per se digna erant æterna morte, condonare, hoc est, non in peccantibus, sed *in Filio proprio misso in carnem*, supplicio iustitiæ suæ satisfaciente punire atque expiare. Ob.9. Deus est misericors.

Ob.10. Matth.5. *Quisquis soluerit vnum ex mandatis hisce minimis &c.* hoc sic interpretantur, *quòd qui peccando simul & docẽdo legi aduersatur, is regno Dei excidat. non autem qui docendo subscribit legi, etsi leuiter aliquando contrà quàm docet, faciat.* Sed primùm antithesis quam addit Christus: *Quisquis autem fecerit & docuerit, iste magnus vocabitur in regno cœlorum*: innuit Christum in priori membro orationis intelligere eos qui soluũt, hoc est violant legem quam docent, vt sit sententia: Etsi quis benè docuerit, & tamen violauerit vnũ ex istis præceptis, quę Pharisęi vocant minima, hoc est, Ob.10. Mandata minima.

ex præceptis Decalogi, is experietur hæc præcepta adeò non minima, sed maxima esse, vt ipse minimus, id est, nullo loco sit futurus in regno Dei. Secundò, etiamsi cõcedatur ipsis, quòd in verbis Christi, *sic docere*, sit idem quod contra legem docere: nequaquam tamen inde colligi poterit, eos tantùm fore minimos in regno Dei, qui docendo & peccando legem soluant, & non eos etiam, qui tantùm peccando, non autẽ docendo. Ratio prima est in ipsis Christi verbis, quia minima mãdata vocat per mimesin ea quę sunt maxima, & quorum violationem siue factis, siue doctrina, siue vtroq; admissam, Deus exclusione è regno suo dignam iudicat, etiam aduersariorũ confessione, hoc est, totum decalogum quem pharisæi postponebãt suis traditionibus. Altera est in iis quę Christus subiungit: *Dico enim vobis nisi abundauerit vestra iustitia plus quàm Scribarum & Phariſæorum, vos nequaquam ingreßuros esse in regnum cælorũ.* His verbis docet Christus, longè aliam iustitiam lege diuina requiri, quàm Pharisæi existimabant: & ea quoque esse peccata tam grauia, vt excludant homines è regno cælorũ: quę Pharisæi aut pro leuibus aut pro nullis peccatis habebant, vt *irasci temerè fratri, dicere ei Raca, aut fatue*: laborare prauo affectu, aut cupiditate vindictę, &c. Nam etiam hæc dicit effugienda esse, si gehennã effugere, & Patris nostri cælestis esse velimus, itaque inquit: *Quicunque aspicit mulierem vt concupiscat eam, iam adulterauit eam in corde suo.* Et 1. Ioh. 3 *Quisquis odit fratrem suum, homicida est: & nostis nullum homicidam habere vitam æternam in se manentem.* Ac propterea non tantùm grauiora, sed etiam leuiora peccata habentes, non nisi imputata ipsis Christi satisfactione, mortem æternam possunt effugere.

Ob. 11. Mortale nõ habendum pro Veniali

Vt autem hanc sententiã, *quòd omnia peccata per se siue natura sua sint mortalia, hoc est, mortem æternã mereantur, nimij rigoris accusant aduersarij sic & alteram, quod videlicet agentib. pœnitentiam fiant venialia, quæ suâ naturâ sunt*

sunt mortalia, tanquam nimis lenem & iustitiæ Dei repugnantem reprehendunt: cùm quod mortale est, pro veniali habere, pugnet cum veritate & iustitia. Sed expedita est responsio, Deum si natura peccati spectetur, omne peccatum æterna morte dignum iudicare: veniam autem nulli dare nisi ex gratia propter filij sui Mediatoris interces sionem & satisfactionem.

Tertia diuisio Peccati.

Aliud peccatum *Contra conscientiam*, aliud *Non contra conscientiam* est. *Contra conscientiam committitur à scientib. & volentib.* Sic Dauid & Petrus peccarunt: non tamen fuit regnans peccatum Petri. *Oraui pro te ne deficiat fides tua.* Nec fuit peccatū in Sp. S. quia amabat Christum nō minus cum negabat, quàm cum flebat, licet propter metum periculi non potuerit exercere illum affectum. Luc. 22. 32.

Non contra conscientiam est quod vel non scientes vel nolentes committimus, vel quod cōmittitur à scientib. voluntatem Dei, peccatum agnoscentib. & deplorantib. sed id euitare non valentib. vt sunt peccata originalia, omissionis, ignorantiæ, infirmitatis. Multa omittimus bona aut facimus mala, subitò victi infirmitatibus. Tale fuit peccatum Pauli, *Quod nolo malum, hoc facio: non ego facio sed peccatum in me habitans.* Ignorantię peccatum fuit eiusdem persecutio. *Ignorans*, inquit, *feci, propterea Deus mei misertus est.* Item Petrus sciens quidem, sed non volens, abnegat Christum: ideo flet amarè.

Quarta Diuisio peccati.

Peccatum aliud est *remißibile*, aliud *irremißibile*. Remissibile est omne peccatum, cuius aliqui homines agūt pœnitentiam, & veniam consequuntur. Irremissibile est agnitæ veritatis de Deo eiusq; voluntate & operibus de qua conuicta est conscientia, ex consilio facta negatio, vel oppugnatio, cuius nemo veniam consequitur, quia punitur à Deo desertione ac cæcitate perpetua, ita vt sic peccantes, nunquam ad Deum per veram pœnitentiam redeant. Cur dicatur in Sp. S.

Excluſi autem à pœnitentia, etiam à remiſſione peccati neceſſariò excluduntur. Chriſtus Matth. 11. hanc ſpeciem nominat peccatum ſiue blaſphemiam contra Spiritum ſanctum, cùm inquit: *Propterea dico vobis, quoduis peccatum & blaſphemia remittetur hominibus: blaſphemia verò in Sp. S. non remittetur hominibus &c.* Peccatum autem in Sp. S. non ideo dicitur, quòd Spiritus ſanctus offendi à quoquam poſſit, vt non ſimul in Patrem & Filium peccetur: ſed quia cœleſtis veritatis patefactio eſt opus Diuinitatis, quod immediatè fit per Sp. S. atque idcirco qui ſcientes & volentes huic repugnant, contra omnes quidem Deitatis perſonas, ſed ſingulari modo contra Spiritum S. hoc eſt, contra propriam ipſius & immediatam operationem in mentibus ſuis, ſunt blaſphemi. Hanc peccati ſpeciem eo nomine ſignificari vel hinc eſt manifeſtum, quòd peculiari ratione in S. S. peccare non poſſint, niſi quos ille peculiari ac proprio, hoc eſt, per ſe immediatè præſtito beneficio affecerit, & ad ſanctificationem, ſiue officium ipſius, quod in eccleſia exercet, pertinente, quod eſt lux veritatis accenſa in ipſorum mentib. Patet item ex oratione Chriſti, & Marc. cap. 3. diſertè exprimit, inquiens, *Dicebant enim ſpiritum impurum habet*, Chriſtum videlicet hoc peccatum, illis tribuere, qui conuicti de doctrina Chriſti & operibus ipſius diuinis, tamen contra conſcientiam hæc diabolo tribuebant. Idem oſtendunt alia dicta, in quibus hoc peccatum deſcribitur, vt Hebr. 6. *Nam fieri non poteſt, vt qui ſemel fuerint illuſtrati, &c.* 2. Pet. 2. *poſtquam inquinamenta mundi per agnitionem Domini & Seruatoris Ieſu Chriſti effugerint, ſi his rurſum implicati ſuperentur, &c.* Ex quibus primò intelligimus, *non omnes reprobos, qui remiſſionem peccatorum non conſequentes pereunt, in Spiritum ſanctum peccare:* ſed hoc peccatum in eos tantùm cadere, qui à Sp. S. certa veritatis cognitione ſunt illuminati: id quod non omnibus reprobis contingit, etiamſi interea omnibus tantum eſt patefactum de

Cur dicatur in Spiritum ſanctum.

1. Peccatum hoc cadit non in omnes reprobos.

Deo

Deo, quod ad iustam ipsorum & sobolis condemnationem sufficiat. Non enim datur Sp.S. nisi ijs, qui cognitione cœlestis doctrinæ sunt imbuti, vt dicitur Iohan. 14. *Quem mundus non potest accipere, quia non vidit eum nec nouit eum.* Item: Luc. 12. *Seruus qui scit voluntatem Domini nec se comparauit, &c.* Pereunt igitur aliqui à Sp. S. veritatis luce non donati, ac proinde hoc aduersus Sp.S. singulare peccatum non admittunt.

Ob. Omnes reprobi habent irremissibile.

Si obijciatur: *omne peccatum irremissibile esse peccatum in Sp.S. quia Christus dicit, solum peccatum in Sp.S, esse irremissibile. At perseuerantia finalis in quocunque peccato sine pœnitentia, nulli remittitur. Ergo est peccatum in Spiritum sanctum: & per consequens, omnes qui pereunt, peccant in Spiritum sanctum.* Quatuor terminos facit ambiguitas peccati irremissibilis. Nam in Maiore peccati specie, quæ nulli vnquam remittitur, quia omnes quicunq; illud siue in fine, siue ante finem vitę admittunt, in eo perseuerant vsque ad finem sine pœnitentia: in Minore autem, non certam speciem peccati, sed omnia peccata non agentium pœnitentiam significat: quæ his quidem non remittuntur, quia in eis ad finem vsque sine pœnitentia perseuerant, & irremissibilia nõ ante finem, sed in fine vitæ demum fiunt. remittuntur tamen alijs, qui in illis non perseuerant, sed agunt pœnitentiam. Perseuerantia enim in peccatis, aliud non est, nisi ipsa peccata, quæ ad finem vsque continuantur: ac proinde hæc est sententia Minoris: Peccata, in quibus perseuerant homines sine pœnitentia vsque ad finem, non condonantur illis qui in his perseuerant. Sed interea non omnes in his perseuerant, sicut in peccato contra spiritum sanctum perseuerant, quicunque in illud prolabuntur. Christus autem, in hac distinctione non docet, propter quæ peccata homines à Deo æterna morte puniantur. Id enim fieri propter omnia peccata, ex quibus homines non resipiscunt, certum est: sed quæ talia sint peccata, vt quicunque admittunt ea, nunquam resipiscant.

Irremissibile est duplex.

Hoc

Hoc de nulla peccatorum ſpecie, niſi de blaſphemia in Spiritum ſanctum aſſeuerat.

2. Non quoduis regnans eſt in Sp.S.

Secundò, ex teſtimoniis allegatis colligimus, *peccatum in Spiritum ſanctum non eſſe quoduis peccatum regnans, ſiue contra conſcientiam, ſiue contra agnitam veritatem admiſſum: ſed peccatum contrà primam legis tabulam, & non contra aliquam tantùm eius partem, ſed defectionem à tota religione, ſeu pietate: & quidem non ex imbecillitate vel terrore aut metu aut cruciatu: ſed ex deliberata & pertinaci malitia profectam negationem aut oppugnationem aut contumeliam veræ Doctrinæ de Deo eius q; voluntate.* Primæ enim tabulę obedientia eſt, *ſemel guſtato Dei verbo reuerenter obedire & ſubſcribere.* Neque à parte doctrinę, ſed à tota religione deficiunt, qui prolabuntur *ita vt Filium Dei ſibimet ipſis denuò crucifigant & conculcent, ſanguinem fœderis prophanũ ducant, & Spiritum gratiæ contumelia afficiant.* Neque ex imbecillitate peccant Iudęi, *acta Chriſti tribuentes diabolo*, aut *homines hæretici*, poſtquam errorum ſuorum certis & manifeſtis verbi Dei teſtimoniis conuicti ſunt, quique ſub Chriſti nominis prætextu *canes & porci* manent, *tandem ad vomitum & volutabrum, à quo aliquandiu externa profeßione & ſimulatione abſtinuerant redeuntes.* Atque hinc eſtimari aliquo modo poteſt huius peccati grauitas, cùm ad peccatum diabolorum proximè accedat, qui cum ſciant veritatem, tamen in ea non ſteterunt, ſed odio & furore horribili eam contumeliis afficiunt, & opprimere conantur.

3. Non cadit in electos.

Tertiò, hinc etiam ſequitur, *electos & verè conuerſos in peccatum contra Spiritum ſanctum nunquam incidere: qui autem hoc perpetrant, eos nunquam vera fide & pœnitentia donatos fuiſſe.* Omnes enim ad vitam æternam à Deo electi, in hac vita conuertuntur: & omnes verè conuerſi, ſe in electorum numero eſſe, ac proinde nũquam ſic peccaturos, vt pereant, certò debent ſtatuere, iuxta dicta Iohan. 10. *Oues meæ non peribunt in æternum, neque rapiet eas quiſquam è manu mea.* Luc. 22. E-

gor-

go rogaui pro te, ne deficiat fides tua. 2. Timoth. 2. *Solidum fundamentum dei stat, habens sigillum hoc, nouit Deus, &c.*

Quòd *ex reprobis* multi dicuntur *illuminati & participes facti Spiritus sancti, gustasse donum cæleste, bonum Dei verbum ac virtutes futuri seculi, deniq; sanctificati esse per sanguinem fœderis*: item apud Petrũ *inquinamenta mundi effugisse*: hoc de cognitione veritatis, & errorum ac flagitiorum ad tempus omissione ac detestatione, ac denique de meriti Christi pro ipsorum etiam peccatis delendis sufficientia, eiusq; facta illis per verbum & Sacramenta oblatione, intelligendum esse ostendunt Apostoli, cùm *illuminationem & gustum* illum interpretantur *veritatis & iustitiæ cognitionem*, eosque *canes & porcos*, non denuò factos, *sed redeuntes ad vomitum & volutabrum dicunt, atque adeò terræ imbrem quidem imbibenti* conferunt, sed pro fructu optato *spinas & tribulos gignenti.* Hæc enim veræ fidei & conuersioni non competunt.

Etiam reprobi gustarunt donum cœleste.

Heb. 10. 2. Pet. 2.

Quartò, ex his quæ dicta sunt, apparet *non temerè pronunciandum esse, qui contra Spiritum sanctum peccent, ac non nisi à posteriori de hoc peccato iudicandum esse*, hoc est, postquam eos, qui veritatem agnoscebant, seq; conuictos de ea esse fatebãtur, ex eius odio eam persequi & contumelia afficere, aut in odio & contumelia aduersus eam ex hac vita discessisse cognouimus. Ratio manifesta est, quia nos cordiũ inspectores nõ sumus.

4. De illo iudicandum à posteriori.

Si obijciatur, quod 1. Iohan. 5. dicitur, *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico vt roget. Si pro peccantibus ad mortem non vult orari: necesse est vt nos eos discernere ab aliis possimus*: Respondemus, Iohannem non vniuersaliter prohibere, *ne pro quoquam sic peccante oretur*: sed tum demum quando vel diuino testimonio, vel manifestis argumentis & professione peccantium id constat. Antequam verò hoc certum & manifestum est, omnium conuersionem à Deo petere debemus, & ei quantum in nobis est, studere, iuxta dicta 1. Timoth. 2. Adhortor ante omnia, vt fiant deprecationes,

Ob. 1. Non orandum pro illo.

preces,

preces, postulationes, gratiarum actiones pro quibuſuis hominibus. 2. Tim. 2. *Seruum Domini non oportet pugnare, ſed placidum eſſe erga omnes, aptum ad docendum, tolerantẽ malos, cum lenitate erudientem eos qui contrario animo ſunt affecti, ecquãdo det eis Deus vt reſipiſcentes agnoſcant veritatem, & elapſi ex diaboli laqueo, à quo captiui tenentur, mentis ſanitatem recipiant ad præſtandam illius voluntatem.* Mat. 5. *Precamini pro ijs qui vos infeſtant, & perſequuntur vos.* Act. 7. *Domine ne ſtatuas eis hoc peccatum.*

Ob. 2. Si inſtetur, *ſic futurum eſſe, vt precatio noſtra diuinæ voluntati aduerſetur, ſi ignorantes oremus pro ijs, qui in Spiritum ſanctum peccant:* Expedita reſponſio eſt: orari pro illis cum conditione, qua voluntatem & vota noſtra conſilio Dei ſubijcimus, vt cõuertat & ſeruet aduerſarios veritatis, ſi ſanabiles ſint: reprimat autem & puniat eos, ſi non ſanare ipſos decreuit.

Ob. 3. Pro omnib. orandum. Eadem reſponſione hoc argumentum diluitur: *pro quibus orandum eſt, ij non habent peccatum irremiſſibile. Pro omnibus eſt orandum. Ergo nulli habent peccatum irremiſſibile.* Primò negatur Minor: Quia ſi teſtimonio diuino, vel manifeſtis argumentis & ipſorum profeſſione conſtet eos abiectos eſſe, ſiue in Sp. ſanctum peccent, ſiue alioqui non agant pœnitentiam: non eſt pro ipſis orandum. Secundò, neque Maior vera eſt. Si enim ignoremus, an in Sp. S. peccent, aut à Deo abiecti ſint nec-ne, pro illis orandum eſt, ſed cum ea conditione, ſi ſint ſanabiles.

Ob. 4. Ex ijs etiam quæ dicta ſunt, reſpondetur ad hanc obiect. *Cui metuendum eſt, ne habeat peccatum irremiſſibile, is nunquam poteſt eſſe certus de remiſsione peccatorum & vita æterna. At ſi eſt aliquod peccatum irremiſsibile, quod ante finem vitæ admittitur, nemo poteſt eſſe certus, ſe non habere aut habiturum tale peccatum. Ergo, aut nullum tale peccatum eſt, aut nemo de gratia Dei & ſalute ſua certus eſſe poteſt.* Minor enim falſa eſt de credentibus. Nam hi certò ſtatuere debent, ſe neque habuiſſe aut habere peccatum in Spiritum ſanctum: quia *nulla condemnatio*

est his qui sunt in Christo:nec vnquam habituros,quia *oues Christi ex manu eius nemo potest rapere,&c.*

Peccatum in Spiritum Sanctum & contra conscientiam differunt,sicut genus & species. *Peccatum contra conscientiam* est genus. Nam potest quis etiam per infirmitatem,& ignorantiam abnegare veritatem,non odio eius,vt Petrus & Paulus.

Peccatum vero in Spiritum sanctum dicitur irremissibile,non quod superet magnitudinem meriti Christi, sed quia cæcitate finali punitur qui id perpetrat, nec datur ei pœnitere.Quia singulare genus peccati est, ideo habet singularem pœnam, vt non agant tales pœnitentiam. Sine pœnitentia autem non datur remissio peccatorum.

Quinta diuisio Peccati.

Peccatum aliud *per se*,aliud *per accidens*.

Peccata *per se* sunt omnia illa à Deo prohibita in Lege,vel omnia quæ Lex damnat:ut sunt inclinationes pugnantes cum Lege Dei,& quędam etiam actiones, quæ respectu nostri sunt peccata: respectu verò Dei sunt pœna.

Peccata *per accidens* sunt vel res præceptæ à Deo, vel neque præceptæ,neq; prohibitæ,id est, adiaphoræ,quæ non eodem modo fiunt, nec eodem fine,quo Deus eas vult fieri, hoc est sine pœnitentia, vel cum magno defectu.Res præceptæ in non renatis sũt peccata,quia licet actiones earum rerum sint præceptæ, tamen persona,à qua actiones istæ proficiscuntur,nõ placet Deo,nec Deo est reconciliata. Deinde quod non renati faciunt,id non eo fine faciunt,quo debent nempe ad gloriam Dei,neque etiam faciunt illud ex fide.Nesciunt enim an Deum habeant propitium,aut an illi placeat quod agunt.Atqui hæ conditiones necessariò requiruntur ad bonum opus: non enim sufficit,ciuiliter bona opera facere. Bona quidem opera ciuilia sunt quatenus à Deo proficiscuntur:quatenus autem sunt in hominibus non renatis,mala sunt; vt

Pecca-

peccatum est,si impius det eleemosynam: quia scilicet non proficiscitur ex dilectione Dei, & proinde non ex fide,neque ad gloriam Dei refertur.

Prohibita sunt per se peccata: precepta per accidens.

Sed interea tamen quæ homines faciunt in lege diuina prohibita, per se & propriè peccata sunt,cùm illis propriè peccati natura seu definitio competat, videlicet,quòd contra expressum Dei præceptum fiunt Ideoq; in Scriptura,quæ sic ab hominibus fiunt, semper mala nunquã autem bona dicuntur. Quę verò a Deo præcepta sunt,cùm fiunt à non renatis, aut per hypocrisin,sic vituperãtur,vt simul tamen etiam in bonis censeantur & laudentur: idq; non tantũ respectu Dei,illa in hominib.efficientis,cuius respectu omnes malorũ actiones bonę sunt:sed etiam respectu hominũ à quibus fiunt,ita vt hi quoq; benè egisse dicantur:vt,1.Reg.21.*Vidisti ne quod humiliauerit se Achab à facie mea,&c.*2.Reg.10.*Dixit dominus ad Iehu: Quãdoquidem studiosè fecisti quod rectum erat in oculis meis,&c.*

Obiect.1. Actiones sunt per se bona.

Neque est quòd aliquis hic dicat,*inclinationes & actiones per se bonas esse quia sint res in natura à Deo conditæ & excitatæ.* Sint enim per se bonæ, quatenus à Deo proficiscuntur:quatenus autem sunt in hominibus deprauatis,vel ab iis fiunt,per se malæ ac vitiosæ sunt,eò quòd contra legem diuinã admittuntur,Non enim Deus,sed homines contra legẽ diuinã faciunt.

Obiect. 2. Præcepta sunt per se bona.

Sed neque è contrariò,*opera non renatorum ciuiliter siue moraliter bona, sequitur ideò non esse peccata & Deo displicentia,quòd sint ab ipso mandata.* Vt enim opus sit bonum & placens Deo, non tantum quod præcepit, sed etiam eo quo Deus præcepit modo,necesse est vt fiat,siue,quod idem est, non tantum ex aliqua,sed ex omni parte cum lege diuina congruat.Sic autem cum nequaquam fiant opera non renatorum, etiamsi non in vniuersum,tamen magna ex parte aberrãt à lege Dei,& perfectione ac rectitudine illa destituuntur,sine qua Deo placere non possunt.

Si quis vrgeat, *quod etiam renatorum opera non sint perfecta*

perfecta, neque tamen idcò inter peccata censeantur: Non igitur in alios tam seuerè statuendum esse: In promptu est responsio: piorum operibus fidem prælucere, impiorum verò minimè. Itaque illa placere Deo, eorumq; imperfectionem tegi per Christi satisfactionē & intercessionem, quod in his neqnaquam fit. Deniq; in illis inchoatam esse veram & internam obedientiam voluntatis & cordis: in his verò non item: ideoq; hæc esse hypocrisin, quæ seueriter à Deo damnatur. Obiect. 3. Neque renatorum sunt perfecta.

Sic etiam *si compensari & ornari præmiis, ac proinde non esse peccata dicantur:* Primò, quod bonum est in illis *probari & recompensari* respondemus: quod verò malum concurrit, non modò damnari atque puniri, sed bonum etiam quod fit ab impiis, operum verè bonorum ac Deo placentiū honore ac nomine, atq; adeò mercede æterna priuari. Secundò, *compensari* hęc aliquando præmiis temporalibus, nunquam autem æternis. Tertiò compensari à Deo his præmiis, non quòd ea simpliciter probet, aut sic pro bonis agnoscat, vt non simul etiam pro peccatis habeat: verùm vt alios tā infideles quàm fideles his præmiis ad disciplinam & honestatem externam prętandam inuitet: Quia vult in genere humano seruari aliquem ordinem ad conseruationem humanę societatis necessarium, etiam inter impios & hypocritas. Quartò, præmia illa sunt pœnarum diminutio vel mitigatio magis quàm præmia: cùm ad salutem eorum quibus contingunt non faciant. Vult autem Deus ordine suę iustitiæ, grauiora peccata grauioribus pœnis & minora minoribus punire in hac & in futura vita. Obiect. 4. Compensantur.

Est etiam hæc accidentis fallacia, *si quis non esse facienda colligat opera mortalia non renatorum, siquidem peccata sunt,* Illa enim quæ per se peccata, hoc est, à Deo prohibita sunt, vitari necesse est, quæ verò per accidens peccata sunt, non omitti, sed corrigi, & sic præstari debent, vt sine peccato concurrente fiant. Non enim propter se, sed propter adhærentia Obiect. 5. Ergo non facienda.

peccata

peccata damnantur. Non autem sequitur, quod reliquum est boni, propter imperfectionem & defectus abijciendum aut destruendum: sed potiùs fouendum augendum, & à malis quibus contaminatum est, repurgandum esse. Necessaria est igitur disciplina etiam in non renatis, propter mandatũ diuinum: propter vitandam pœnarum atrocitatem: quę sequitur disciplinæ violationem: propter pacis & societatis humanæ conseruationem: propter aditum ad conuersionem, qui intercluditur perseuerantia in manifestis sceleribus.

Obiect. 6. Si instetur: *Hypocrisis per se peccatum & fugienda est*, vt Matth. 6. dicitur, *Nolite fieri sicut hypocritæ. Impiorum verò disciplina est hypocrisis: Ergo per se est peccatũ, & ab illis omitti debet*: respondemus ad Maiorem per distinctionem. Duplex est hypocrisis, alia est in operibus non mandatis à Deo, ostentationis aut deceptionis causa factis, vt quæ Mat. 6. commemorat Christus, *curare buccina cani ante se in danda eleemosyna, in conuentibus & angiportis platearum stando precari, esse tetricum & obscurare faciem in ieiunio*, & omnes superstitiones & humanæ traditiones non pertinentes ad ædificationem Ecclesiæ. Hęc omittenda esse non est dubium, sicut dicitur: *frustra colunt me docentes doctrinas mandata hominum*. Ideòq; hîc disertè à Christo damnantur & prohibentur. Alia verò est in operibus à Deo mandatis, sed non eo modo factis, quo Deus requirit. Hæc non omittenda, sed corrigenda sunt, & sine hypocrisi, id est, cum vera fide & pietate præstanda: vt ibidem Christus docet *de eleemosyna, precatione, ieiunio, non omittendis à pijs, sed aliter præstandis quàm ab hypocritis*.

Duplex hypocrisis.

Ex his manifestum est, quare necessarium sit hoc discrimen peccatorum per se & per accidens: ne videlicet falsa propriæ iustitiæ aut meritorum persuasio animis hominũ insideat, neue cum per se malis etiam bona quæ per accidens fiunt mala abiiciantur, atque ita peccata & pœnę generis humani cumulentur.

Opera

Opera renatorum & non renatorum septem modis differunt.

Notandum est hoc loco *discrimen inter opera renatorum, & non renatorum*, Septem verò modis illa differunt. *Vnum enim, atque idem opus à Deo præceptum, in renatis bonum est, in non renatis peccatum.* 1. Quia renati sunt reconciliati Deo, non renati minimè. 2. Renati faciunt ad gloriam Dei: non renati nullo modo. 3. In vtrisque bonum illud opus quidem est imperfectum: sed piorum tegitur satisfactione, & intercessione Christi: impiorum non item. 4. Piorum opus est coniunctum cum obedientia inchoata: impiorum cum peccato regnante. 5. Bonum opus quod in impiis est, fit malum, at bonum in piis licet sit peccatis contaminatum, tamen quia tectum est satisfactione Christi, nõ punitur, nec obiicitur ei, quòd dona Dei suis peccatis inquinet, neque propter illud opus Dominus vita æterna renatum spoliat: sicuti facit non renatis. 6. Bonum opus in impiis ornatur præmiis tantùm tẽporalibus: ídque non quòd Deo placeat, sed quòd hoc modo alios ad honestatem inuitet: Bonum verò in piis non tantùm temporalibus, sed etiam æternis beneficiis gratuitò ornatur, idq; etiam quia placet ei in mediatore, non autẽ tantùm quia per id alios ad honestatem inuitet, iuxta illud Christi, *Ita splendeat Lux vestra coram Hominibus, vt &c.* Ideo bona opera piorum sæpe adumbrãtur in veteri testamento per *sustentum gratum*, quo Deus afficiatur. Et *pietas* (vt ait Apostolus) *habet promissionem vitæ præsentis & futuræ.* 7. Bonum in non renatis tantùm facit ad mitigationem pœnarum, ne sicut alij facinorosi, grauiora patiantur. Piorum verò bonum opus non tantùm facit ad hoc, vt leuiora patiantur, sed etiã vt prorsus ab omni malo liberentur. Mat. 5. 16. 1. Tim. 4. 1. Ro. 14. 23.

Res *Adiaphoræ* possunt etiam esse peccata per accidens, nempe si fiant cum scandalo vel sine fide. *Quicquid, n. fit sine fide, peccatum est. Omnia quidem pura* Tit. 1. 15. Ro. 14. 20.

puris, sed malum est homini qui cum offendiculo vescitur. Et his, & similibus locis, hæc diuisio sumpta est. Cùm enim dicit Apostolus, Omnia esse immunda immundis & impijs, iudicat ea etiam quæ per se sunt bona, impijs esse immunda, vel peccata.

In omnibus hisce Diuisionibus dicitur etiam in sanctis esse peccatum. *Tenenda est igitur differentia inter peccata renatorum, & non renatorum.* Varia quidem peccata sunt in sanctis: vt 1. *peccatum originis.* 2. *multa actualia,* velut ignorantiæ, omissionis, infirmitatis. *Aliqui etiam ruunt in errores pugnantes cum fundamento, aut in peccata contra conscientiam,* propter quæ amittunt bonam conscientiam, consolationem, multa dona Spiritus sancti, non omnia, & damnarentur nisi pœnitentiam agerent. Sed interea *plurimùm differunt renati peccantes ab impijs;* 1. *Quia propositum Dei pios perpetuò seruare.* 2. *In piis est certa pœnitentia finalis.* 3. *In ipsis peccatis est initium verum fidei,* aliâs quidem minus, aliâs maius, & eluctantur è peccato pij, vt non labantur in errores contra conscientiam & fundamentum.

4. *Quæ sint peccati causæ.*

1. *Originem peccati alij deriuant ex fato stellarum, dicentes, Peccaui, quia infausto sum sub sydere natus.*

2. *Alij dum peccant & propter peccatum obiurgantur, respondent, Non ego, sed Diabolus in culpa est, quòd adegerit hoc facinus.*

3. *Alij, omissis excusationibus, directè in Deum culpam reiiciunt, dicentes, Deus ita voluit: nam si noluisset, non peccassem.*

4. *Alij cùm Deus* (inquiunt) *prohibere potuisset, non tamen prohibuit, ipse peccati mei auctor est.*

Nouum non est, homines blasphemam acuere linguam contra Deum. Parentes enim primi cùm peccassent, & peccati commissi accusarentur à Deo, à seipsis commissum scelus transferunt in alios, nempe ingenio

ingenuè veritatem confitentur. Adam non tam in vxorem quàm in ipsum Deum culpã regerit, *Mulier* (inquit) *quam tu mihi dedisti sociam præbuit mihi fructũ & comedi.* quasi diceret: Nisi illam mihi coniunxisses non peccassem. At non tradidit ei vxorem dominus, vt esset occasio mali, sed vt viro melius esset. Mulier simpliciter imputat malum Diabolo, dicens. *serpens seduxit me, & comedi.* Hęc sunt falsissima & corruptissima de origine mali iudicia, impia & detestãda, quib. dei maiestas, veritas & iustitia grauiter offenditur.

1. *Qui peccatis fatum obtendunt.* 1. *Sic fatum* definiunt: *esse seriem connexam per æternitatem, ac necessitatẽ quandam perpetuam consiliorum & operum secundũ consilia dei, vel ipsas stellas malas* Iam si roges, quis fecerit stellas? Non habent quod respondeant nisi Deus. Ergo isti Deo malum suũ impingunt. At fatum tale non asseruerunt vel saniores philosomnes, nedum Christiani. 2. Augustinus contra duas Pelagianorũ epistolas ad Bonif. lib. 2. cap. 6. *Fatum* (inquit) *quod affirmant, de siderum positione, ad tempus quo cõcipitur quisquis vel nascitur, quas constellationes vocant, non solum actus & eventa, verumetiã ipsas nostras voluntates pendere contendunt. Dei verò gratia, nõ solùm omnia sidera & omnes cœlos, verumetiam omnes Angelos superexcreditur* Concludantur hæc verbo domini per Ieremiam, in hãc sententiam pronunciante: *hæc dicit dominus, Iuxta vias gentium nolite incedere, & à signis cœli nolite metuere quæ timent gentes: quia leges populorum vanæ sunt.* Ergo quod sidus Saturni inclemens & asperum, vel crudele: Veneris, benignum & mite ab Astrologis appellatur, vanitas est vanitatum. Non enim Astra vllam vim habent benefaciendi vel malefaciendi. Proinde culpa peccatorum nequaquam illis imputari debet. Ier. 10. 2.

2. *Diabolum non vnum esse peccati autorẽ.* qui nob. quidem peccantib. ipse peccati culpam sustineat solus, nos immunes simus à crimine, id maximè declarat, quòd ille homini suadere & malum ingerere potest,

cogere autem non potest. Deus enim suo Diabolum imperio premit, vt non possit quod velit: sed hoc tantùm quod & quantum Deus permittit. Imò *ne infa-*
diſsimos quidem porcos imperium habet, nedum in nobiliſſimas hominũ animas. Habet sanè suadendi astutiam & maximas vires: at fortior est Deus, qui & ipse nunquam cessat homini suggerere bonum: nec plus permittit Satanæ quàm prodest homini. Id videre licet *in viro sanctiſſimo Iob, in exemplo Pauli,* & in verbis eiusdem, *Fidelis est Deus qui non sinet vos tentari*
2. Cor. 12. 7. 1. Co. 10. 13 *supra id quod poteſtis.* Ergo vani sunt qui culpam scelerum suorum exonerant in humeros diaboli.

Deus non est causa peccati.

Restat demonstrandum, ne Deum quidem esse auctorem peccati. Gen. 1. & 2. *Vidit Deus quæ fecerat, & erant valde bona.* Psal 5. *Quia non Deus volens iniquitatem tu es: &c.* Iacob. 1. *Nemo cùm tentatur, dicat se à Deo*
1. *tentari, &c.* Eccl. 15. *Ne dicas defeci impulſu Domini: nam*
2. *quæ ille odit, tu non debes facere &c.* His & similibus dictis quàm plurimis accedit summa & perfectissima Dei bonitas, puritas & sanctitas, propter quam est
3. impossibile, vt vllus ipsius effectus sit malus. Quia autem deus est verax, & ab omni simulatione & fraude alieniſsimus, neque seipsum destruere aut negare potest. 2. Tim. 2. certum est voluntates contradictorias in ipso non esse. Testatur autem se horribiliter odisse peccatum. Non igitur illud vult, ac multò minus efficit vel adiuuat. Præterea, quod quis ipse operatur in alio, id iure punire non potest. Iustissimus autẽ Deus punit omnia peccata. Ergo nullum eorum
4. ipse vult aut efficit. Ro. 3. *Num iniuſtus Deus qui inferrat pœnam? Absit: alioqui quomodo iudex erit Deus mundi?*

Voluntas Diaboli & hominum est causa.

Ex his concludimus, *Deum non esse peccati auctorem,* sed *originem mali ex ipso deriuari homine, impulſore Satana:* sic tamen vt dicamus, hunc initio corruptum corrupisse hominem, nihil tamen potuisse efficere, nisi sua sponte in malũ consensisset homo. hîc reuocãda est lapsus patris nostri Adami. *Condidit Deus Adam*

ad imaginem & similitudinem suam, hoc est, creauit, optimum, integerrimum, sanctissimum, iustissimum & immortalem, instruxit eum donis præstantissimis, vt ad beatitudinem in Deo ipsi non deesset quicquam. Pollebat ergo intellectu planè diuino. Voluntas ipsi erat liberrima & sanctissima. Facultates habebat faciendi bonum & malum. Data est ipsi à Deo Lex, quæ quid ageret aut fugeret ostendebat: dixit enim Dominus, *Ne comederis ex fructu ligni scientiæ boni & mali* Postulauit Deus simpliciter obedientiam ac fidem, & vt totus Adam penderet à Deo, idque non necessitate adactus, sed liberè ageret. *Ab initio, Deus creauit hominem, & permisit ipsum consilio ipsius: dicens, si voles custodies mandata & fidem, faciendo quod placet.* Ergo cùm serpens hominem tentaret, suaderetq; gustare de arbore prohibita, homo non ignorauit consiliũ serpentis pugnare cum mandato Domini. Non cogebat eum Dominus: non cogebat eũ Satan in serpente. Dixerat enim Deus, *Ne comederitis ex illa arbore, neq; attigeritis, alioqui moriemini.* Ergo in manu consilij sui erat edere, vel non edere. Declarauit ei Deus sententiam, disertè præcipiens ne ederet, & periculo adiuncto retrahebat ab esu, *Ne fortè moriaris.* Satan quoq;, vt non potuit, non adhibuit vim vllã: probabiliter autẽ suasit, tandem & persuasit. Declinante enim voluntate mulieris ad verbum Diaboli, recessit mens à verbo Dei, reiectaq; bona lege malũ opus patrauit. Deinde maritum sponte sequentem traxit in mali consortium. Id inculcat Scriptura his verbis: *Et videns mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, & oculis desiderabile & concupiscibile, tulit de fructu eius & comedit: dedit denique* viro suo, qui & ipse comedit. Habes *mali initium, Diabolum:* habes quod *voluntatẽ hominis commouerit, falsum scilicet Diaboli elogium,* adeoq; merum mendacium: & delectabilis species arboris. Sponte ergo faciunt Adam & Eua quod faciunt, spe ducti excellentioris sapientię, quam mẽ-

Eccl. 15. 14.

Gen. 3. 6.

daciter promiserat seductor. Cõcludimus ergo peccatum oriri non ex Deo prohibente malum, sed ex Diabolo & hominũ libera electione, deprauata per mendacium Diaboli. Ideoq; Diabolus & obsequens deprauata hominis voluntas causa sunt peccati verissima. Hoc malum ex primis parentibus in omnem dimanauit posteritatem, vt peccatum non aliunde quàm ex nobis ipsis & corrupto iudicio ac praua voluntate & Diaboli suggestione oriatur. Mala.n. radix & prima illa corruptio progignit ex se putridũ germẽ, suæ conueniens naturæ, quod Satan nunc quoque suis dolis & mendaciis veluti plantas prouehit & excolit: sed frustra alioqui laborat, nisi formandos & colendos nos ei præbeamus. Peccatum illud, *Originale* appellatur, quod à prima venit origine, nẽpe à primo parente in omnes deriuatum propagine vel traduce. Hoc etenim ex vtero materno in nostra natura nobiscum adferimus in hanc vitam. *In iniquitate formatus sum, & in peccato fouit me mater mea.* De Diabolo autem ita Christus loquitur: *Ille fuit homicida à principio, & in veritate non perstitit: non est.n. veritas in eo. Quotiescunq; loquitur mendacium, de suo loquitur, quia mendax est, & mendacij pater.*

Psal. 51. 7. Ioan. 8. 44.

His accedit ratio: quòd peccatum non nisi illius causæ effectus per se & proprius esse potest, quæ cõtra legem potest facere. Id verò nulla natura potest, nisi angelica & humana. Deus enim ipse sibi lex est, & contra legem suam facere aut intẽdere nihil potest. Aliæ verò creaturæ, cùm non sint rationales, ac proinde lex illis non sit lata, peccatum facere non possunt: quandoquidem lege sublata locus peccato non relinquitur. Necessariò itaque sequitur peccatũ esse talem effectum, qui solis angelis qui sunt lapsi & hominibus competat.

Sed ordo in his causis obseruandus est. Nam *primi peccati* in paradiso *causa est Diabolus* impellens, *& voluntas hominis* assentiens, vel obtemperans, ac pecca-

ta

ta ista præcedentia sunt causæ cõsequentium. Ratio 1. *quia per vnum hominem peccatum ingressum est mundum:* 2. quia homo & Diabolus per se contra Legem peccare possunt. Illud autem primum peccatum, seu primus lapsus in paradiso est *causa peccati originalis*, tum in Adamo qui lapsus est, tum in aliis ex ipso procreatis. *Originale peccatũ* est *causa præparans omnium peccatorum actualium:* iuxta illud Pauli, *Peccatũ quod in me habitat illud perpetrat, & inclinationes* malæ & prauæ præcipitant me in *actiones prauas. Causæ peccatorũ impulsus* sunt obiecta ad peccandum solicitantia. Etiam actualia peccata causæ sunt sequentium peccatorum.

Porrò autem, cùm peccata sequentia pœnas præcedentium esse Scriptura doceat, sit autem culpa siue meritum causa impulsiua pœnæ, manifestum est etiam peccata actualia præcedentia, sequentium esse causas, sicut aliarum pœnarum siue calamitatum quæ peccatis attrahuntur. Idq; tam de peccantium quàm de aliorum lapsibus intelligendum est, quibus tam ij quorum lapsus sunt, quàm illi qui prius peccarunt puniuntur; Vt peccata parentum per peccata liberorum, peccata subditorum per peccata magistratuum, vel contra, vt Rom. 1. ex professo docetur. *Quamobrem tradidit eos Deus cupiditatibus cordium ipsorum ad impuritatem, &c.* 2. Thess. 2. *Cuius aduentus est ex efficacia Satanæ, cũ omni potestate & signis ac prodigiis mendacibus, & cum omni fraude iniustitiæ in iis qui pereunt. &c.* Exod. 20. *Ergo Dominus Deus tuus, Deus zelotes, visitans iniquitatem Patrum in filiis in tertiam & quartam generationem, odio habentibus me.* 2 Sam. 12. *Sic dixit Dominus, En ego suscitaturus sum aduersus te malum de domo tua, tollamq; uxores tuas in oculis tuis & dabo proximo tuo.*

Ob 1. Pœna est à Deo. ergo & peccatum.

Si obiiciat ratio humana: *Pœnarũ autor & effector est Deus. Si igitur peccata sunt peccatorum pœnæ, sequitur Deũ esse peccatorum causam. Resp.* fallaciam accidentis esse in Minore. Per accidens enim, hoc est, vitio peccantium fit, vt dum iusto Dei iudicio per malos

vel ipsi vel alij puniuntur, ipsi interea (Deo permittente, hoc est, non ostendente ipsis se puniendi causa per ipsos velle fieri ea, quæ odit, quæque in hac & futura vita puniturus est) suas cupiditates à lege Dei aberrantes expleant, seque à Deo magis magisque peccando alienantes, pœnas sibi grauiores attrahãt. Eôdem redit Maioris distinctio: *Pœnas à Deo esse tanquam autore & effectore*, quatenus pœnæ sunt: quatenus autem peccata sunt, non ipso volente vel approbante, vel efficiente, sed permittente, euenire. Hoc enim genus pœnarum, quod peccando sibi vel alijs infligunt peccantes, permittere, nihil aliud est, quàm non efficere, vt mali hoc ipsum, quod Deus puniendi causa vult fieri, faciant eo fine, vt huic voluntati diuinæ obtemperent.

Obiect. 2. Priuatio est à Deo.

Sic etiam ad illud argumentum respondetur: *priuatio iustitiæ & sapientiæ diuinæ, tanquam pœna, à Deo infligitur hominibus: Ea verò priuatio peccatum est. Ergo peccati effector est Deus.* Priuatio enim hæc non peccatum est, quatenus Dei iusto iudicio infligitur, sed quatenus ab hominibus vltrò accersitur ipsorum factis & meritis, & in animum, voluntatem & cor admittitur siue recipitur: sicut actiones malæ, non quatenus à Deo gubernantur, sed quatenus per homines fiunt, sunt peccata.

Ob. 3. Vult fines.

Aiunt etiam: *Qui vult finem, is vult & medium. Deus vult fines peccati: videlicet pœnam, & patefactionem suæ iustitiæ & iræ in pœnis. Ergo vult etiam peccata, per quæ ad fines istos peruenitur.* Sed neganda est Minor, quòd videlicet pœna & illustratio gloriæ Dei sint fines peccati. Finis enim est id quod mouet efficientem causam vt producat effectum: pœna verò aut illustratio gloriæ Dei nequaquam mouent peccantem vt peccet. Non igitur hi possunt dici fines peccati. Propriè autem fines peccati sunt, quos diaboli & homines in peccando spectant, videlicet hominum perditio, cupiditatum malarum impletio, Dei & veritatis di-

Pœna & gloria Dei non est finis peccati.

uinæ

uinæ oppressio & contumelia.

Si instent: *Homines quidem non habere hos fines, sed tamen eos à Deo spectari: siquidem quod permittitur à Deo, vt puniendo iustitiam suam ostendat, illius finem habet Deus pœnam peccantium & suam gloriam: Peccatum autem ideo permittit, vt puniat illud, & puniendo se iustum esse testetur. Idcirco hi sunt fines peccati, quantum ad consilium Dei attinet:* Negamus Maiorem: Deus enim sinens peccatum fieri, non operis alieni, videlicet peccati diabolorum vel hominum, sed sui operis, videlicet permissionis peccati, finem habet pœnam peccatorum & iustitiæ suæ manifestationem. Aliud enim est peccatum, aliud peccati permissio, de qua dicitur Exod. 9. *In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te potentiam meam, vtque narrent nomen meum in vniuersa terra.* Prouerb. 16. *Omnia propter seipsum fecit Deus, etiam impium ad diem malum.* Rom. 9. *Volens ostendere iram & notam facere potentiam suam, pertulit multa lenitate vasa iræ coaptata ad interitum.* Non igitur finis, sed consequens siue effectus peccati proprius est pœna, accidentarius autem illustratio gloriæ Dei: vt Paulus docet Rom. 3. *Etenim si veritas Dei per meum mendacium redundauit in gloriam ipsius, &c.*

Inst. 1. Est finis respectu Dei.

Si hîc rursus instent: *etiam qui vult consequens, is vult antecedens: Deus autem vult consequentia* peccatorum, videlicet pœnam & executionem iustitiæ: Ergo vult *etiam antecedens, videlicet ipsum peccatum, sine quo illa non consequerentur:* Negamus consequentiam: quia ex puris particularibus nihil sequitur. Maior enim non vniuersaliter, sed tum demum est vera, cùm antecedens pariter & consequens cum natura eius congruit, qui vult consequens: non autem, cùm consequens ei congruit, antecedens verò cum ea pugnat. Hoc enim quando fit, consequens quidem voluntatis est, antecedens verò non voluntatis, sed tantùm permissionis. Nam velle dicitur Deus ea quæ approbat, tanquam cum natura & rectitudine ipsius congruen-

Inst. 2. Vult consequens: ergo & antecedens.

tia: permittere autem quę improbat quidem, auersatur ac damnat, sed tamen iustis de causis non impedit quò minus fiant. Ideoq; vitam æternam consequentem & conuersionem hominum antecedentem velle & efficere: pœnam verò peccata sequentem non velle, sed permittere ipsum in Scriptura traditur. Rom. 9. & Ephes. 1.

Inst. 3. Non prohibet cùm possit.

Si rursus vrgeant: *Qui non prohibet peccatum, cùm possit prohibere ne fiat, in eo est aliqua peccati causa & culpa. Deus permittit cùm posset prohibere. Ergo aliqua in eo peccati causa & culpa est.* Negamus consequentiam: quia Maior non est vniuersalis. Est enim vera tantùm de eo qui non perfectè odit peccatum, & ideo non impedit illud cùm potest: & qui obligatus est ad impediendum peccatum ne fiat. Non autem vera est de Deo qui ineffabili ira execratur & damnat peccatum, nec tamen impedit quo minus fiat, quia neq; ad hoc obligatus est cuiquam, neque sine optimis & iustissimis causis illud permittit. Preterea posset deus per absolutã suam potentiam prohibere malum, sed non vult creaturam suam & hominem iustum corrumpere. Agit ergo cum homine humano more: proponit ei leges: proponit præmia & supplicia: iubet eũ amplecti bonum & fugere malũ: ad quam rem conficiendã, nec gratiam suam negat, sine qua nihil possumus: nec diligentiam & laborem nostrum aspernatur. Hic si cesset homo, peccatum & negligentia homini ascribitur, non Deo, licet prohibere potuisset, nec prohibuit, quia prohibere non debuit, ne turbaret ordinem, & suum opus destrueret. Ergo Deus non est autor mali seu peccati.

Inst. 4. Non facienda mala propter bona.

Si obiiciant illud: *Faciens mala vt eueniant bona, non rectè facit.* Rom. 3. *Deus permittens mala propter bonos fines, facit malum vt eueniant bona. Ergo contra suam ipsius iustitiam ac legem facit & per consequens, obligatur ad prohibenda mala:* Negamus minorem: Non enim malum, sed bonum facit Deus permittens peccata. Aliud

Iud enim est permissio peccati, quæ est bonum & iustum Dei opus: aliud peccatum, quod est malum & iniustum opus diaboli vel hominis peccantis.

Inst. 5. Permittit volens.

Denique aiunt: *Quod volens deus permittit, hoc vult fieri. Peccatum autem permittit volens. Ergo peccatum vult fieri: Et per consequens, est peccati causa.* Sed Maior neganda est: Permissionem, hoc est, priuationem Spiritus & gratiæ suæ Deus vult: peccatum verò creaturæ concurrens non vult, quia neque intendit illud, neque approbat. Confirmant ipsi Maioré hoc argumento: *Permittere aut est velle aut nolle. Sed non est nolle: alioqui enim aut nõ fieret quod dicitur Deus permittere, aut Deo nolente aliquid fieret, quorum utrunque est absurdum. Ergo est idem quod velle. Et per consequens Deus permittens peccatum vult peccatum.*

Inst. 6. permittere est velle.

Negamus consequentiam. Quia non est sufficiens enumeratio in Minore. *Deus enim dupliciter velle & nolle aliquid dicitur*, videlicet, velle aut quoad approbationem & effectionem simul, aut quoad approbationem tantùm, sub qua & mandatũ comprehenditur: nõ autem quoad effectionem: Nolle autem dicitur quippiam, quoad improbationem & prohibitionem effectus simul, aut quoad improbationem tantùm, non autem quoad inhibitionem. Vtraq; species voluntatis in Maiore comprehenditur: sed in Minore tantùm altera, videlicet, quę est improbare simul & impedire ne fiat. Sic enim si nollet peccatũ fieri Deus, sequerétur absurda quæ dicunt. Nos verò cùm nolle Deum peccata dicimus, ea displicere ipsi seriò, & tamen à Deo quo minus fiant, nnon impediri intelligimus: quod ipsum etiam non est velle, sed nolle peccatum. Nihil enim Deus velle potest, nisi ipsius naturæ & bonitati conueniens: nec vsquam quæ naturæ ipsius aduersantur, quatenus talia sunt, velle Deum sacra Scriptura dicit.

Duplex velle & nolle in Deo. Permittere est nolle.

Obiicitur hoc etiam: *Qui causa siue effector est causæ, est etiam autor effectuum illius causæ: etsi* non proximus tamen remotus. Deus autem est causa voluntatis quæ

Ob. 4. Est causa causæ peccati.

quæ est causa peccati. Ergo etiam effectus voluntatis, nimirum peccati causa est. Respondemus ad Maiorem per distinctionem. Causa enim remota aliâs per se, aliâs tantùm per accidens causa est. Per se causa est alicuius effectus, cùm non modò causam propinquam produxit, sed etiam hanc mouet ac regit in producendo effectu, quem ipsa intendit, vel ad quem ordinata est: vt cùm Deus voluntatem hominum, quam cõdidit, format & flectit ad bona opera, vel ad actiones quas ipse vult fieri: cùm pater aut præceptor instituit filium aut discipulum ad optima, & doctrina quam eius animo instillat, permouet eum ad rectè agendum: Cùm sol & pluuia terram fœcundant, & terra fruges profert. Cùm verò causa remota vel non mouet propinquam, vel non intendit eius effectum, nec ad eum est ordinata, causa illius effectus dici non potest nisi per accidens: vt cùm Patre bono natus est filius malus & malè agens aut malo patre filius bonus & bene agens: Cùm pius magistratus mandato suo mouet voluntatem carnificis impij, vt sumat supplicium de sonte, is verò vel cupiditate vindictæ, vel odio, vel crudelitate impulsus gaudet malo eius, quem afficit supplicio, atq; ita homicidium committit coram Deo: cùm alius gladium fecit, alius eo vtitur, siue bene, siue malè. Iam autem quoties causa propinqua vel ante effectum deprauata est vel in effectu à se, vel ab alia causa deprauata, vitiosum effectum producit, quem causa remota, quæ vel producit vel mouet propinquam, neque intendit, neque ex ordinatione aliqua ad eum, producit: vt cùm voluntas & manus sectionem instituunt, ferrum verò obtusum fractionem eius quod secatur, efficit. Sic etiam Deus creat & mouet voluntatem: sed quia voluntas hominum à Diabolo & à se ipsa deprauata est, ipsa peccatum efficit, quod Deus neque creans neque mouens voluntatem, intendit siue cogitat efficere. Nequaquam ergo sequitur ipsum esse causã peccatorum

catorum,quæ creaturis deprauatis committuntur.

Obiec.5.Secunda causa nõ agit sine prima.

Item: *Secundæ causæ nihil possunt agere sine prima:Ergo neque peccatum efficiunt,neque se deprauant, quin prima causa hoc simul efficiat.* Respondetur ad antecedens. *Secundæ causæ non agunt sine prima*, scilicet conseruante eas, & mouente vt agant, quatenus bonum est quod agunt : sed agunt sine prima concurrente ad efficiendum malum culpæ siue peccatum. Ies.30. *Væ filiis declinantibus, dixit Dominus,vt faciant consilium & non ex me: vt tegant se tegumento & non ex spiritu meo, vt addant peccatum super peccatum.*

Ob.6.Voluntas creaturę bona erat ante lapsum.

Item: *Quod bonum est, non potest sese peccando corrumpere,nisi aliunde corrumpatur,sicut dicitur : Non potest arbor bona fructus malos ferre. Voluntas Diaboli & Adami ante lapsum vtriusq; erat bona.Ergo non potuit ipsa se peccando corrumpere,nisi aliunde corrupta.* Negamus maiorem Quantumuis enim creatura sit bona, tamen Deo bonitatem eius nõ conseruante,hoc est, voluntatem eius per obiecta mouente,aut moueri volente, neq; interea suę voluntatis agnitione eam illustrãte & gubernante,nõ modò possibile, sed etiam necessarium est eam peccare , arborem malam fieri, suapte volũtate & culpa à deo se auertere,in deterius ruere, & iustam peccati pœnam cæcitatem sibi ac suis accersere: sicut dictum est: *Sine me nihil potestis facere.*

Ob.7.Subtrahit gratiã necessariam

Item, *Qui subtrahit peccanti gratiam, sine qua non potest euitari peccatum,is causa est peccati.* Deus subtraxit homini gratiam suam, sine qua non poterat perstare in iustitia. *Ergo Deus fuit causa peccati hominis.* Negamus Maiorem:Primò,quia non obligatus ad seruandum gratiam quam dederat: secundò, quia subtrahens volenti & ultrò abiicienti gratiam,suam:tertiò, quia subtrahens gratiam non eò quod inuideat peccanti iustitiam & vitam æternam, aut quòd peccato delectetur, verùm vt exploret eum, hoc est, ostendat quàm nihil possit creatura facere aut retinere boni,absque singulari beneficio & misericordia creatoris

atoris nequaquam est causa peccati, etiamsi hanc subtractionem necessariò peccatum sequatur in eo cui gratia subtrahitur. Sic igitur cùm Deus homini gratiam subtraxerit, non Deus eam subtrahens, sed homo eam abiiciens, peccati & exitij sui causa est.

Ob. Voluit deus tentari hominem.

Item: *Qui tentari vult eum, quem certò sit ipsum lapsurum, si tentetur, is vult peccatum eius qui labitur. Deus autem voluit à Diabolo tentari hominem, quem certò sciuit esse lapsurum, alioqui enim tentari homo non potuisset. Ergo deus est causa lapsus.* Negamus & hîc maiorem. Non enim est causa peccati, qui tentari vult lapsurum, explorandi siue infirmitatem creaturæ manifestandi causa: Diabolus verò tentans hominem hoc fine, vt peccet, atque à Deo auellatur; & homo obtemperans tentatori contra præceptum diuinum, causæ sunt peccati. Non enim antecedens, quo posito necesse est aliud consequi, causa est consequentis, nisi in eo producendo aliquid agat. Deus autem neque gratiam suam subtrahens, neq; tentationem hominis volens, agit in producendo peccato, quatenus peccatum est, quia illud nunquam intendit.

Ob. 9. Est causa actionis & priuationis.

Item: *Qui causa est eorum quæ constituunt peccatum, causa est ipsius peccati. Deus est causa eorum quæ constituunt peccatum, videlicet actionis, quæ est materiale, & priuationis rectitudinis quæ est formale peccati. Ergo est igitur peccati autor.* Resp. est priùs tradita. Neganda enim est minor. Quia actio & priuatio lucis & gubernationis diuinæ constituit peccatũ, quatenus pugnant cum lege. Iam verò quatenus ab homine admittuntur, & in eo existunt, cum lege diuina pugnant, ac peccatum constituunt: quatenus verò à Deo gubernantur & infliguntur, non peccatum sed exploratio peccaturi, aut pœna sunt peccantis. Non igitur id quod peccatum constituit, à Deo, sed ab homine & à Diabolo est.

Postremò, *cùm Deus Adami lapsum, aut quatenus peccatũ, aut quatenus pœna erat, voluerit: nõ autem vt pœnam velle potuerit, cùm peccatum aliud, quod eo puniretur, non*

præ-

præcessisset; consequi videtur, deū illud opus, quatenus peccatum erat voluisse. Sed hæc etiā consequutio fallit, quia enumeratio in Maiore non est sufficiens. Etsi.n. non fuerit pœna primum peccatum, tamen actionem illam Deus volebat, non quatenus peccatum, & voluntati ac naturæ ipsius contraria, sed quatenus in puniendo & per filium suum in gratiam recipiendo genere humano, iustitiæ & misericordiæ suæ exercendæ ac patefaciendæ via atque occasio, & firmitatis omnium creaturarum etiam præstantissimarum, si beneficio singulari Creatoris non seruentur, documentum erat, vt Rom. 11. docetur: *Conclusit Deus omnes in contumacia, vt omnium misereretur.* Et ibidem de cæcitate Iudæorum docetur, *obdurationem istam euenisse Israeli ex parte, tantisper dum plenitudo gentium introiret: & Iudæos Euangelij inimicos esse propter nos: & per ipsorum contumaciam nos esse misericordiam consequutos,* hoc est, Deum voluisse hanc indurationem, non quatenus peccatum erat Iudæorum, neque duntaxat vt pœnam aliorum peccatorum, sed etiam vt occasionem transferendi Euangelij ad gentes. Et Rom. 3. dicitur, Deum in prædicatione legis hoc spectare, *vt obnoxius fiat totus mundus condēnationi dei.* Ergo hoc etiā spectauit & voluit in permissione peccati: sine cuius interuentu, *lex non fecisset mundum condemnationis reum.*

Satan est conditus à Deo. Ergo & malitia Satanæ. Resp. Deus condidit quidem omnes Angelos, etiam eos qui facti sunt Apostatæ & cacodæmones: sed tamen ad initio Angelos omnes bonos creauit. Satan autem dicitur *in veritate non perstitisse.* Ergo ante lapsum in veritate stetit. Sed postea perfidè excidit a fide & peccauit contra Dominum: ideoque mali culpa hæret in Diabolo perfuga. Nam ex eo tempore quo cecidit nulla est in ipso veritas, nulla fides, nulla integritas, nullus Dei timor, nulla lux, nulla bonitas. *Qui committit peccatum ex Diabolo est &c.* Est enim primus peccator & peccatorum origo.

Ob. 10. Adami lapsum Deus non volebat vt pœnam.

Deus

Deus condidit Adamum: Ergo & peccatum. Resp. Peccatum est corruptio bonæ naturæ à Deo conditæ, non creatura à Deo in homine condita. Bonum condidit Deus hominem, qui à suasore Satana bonitatem à Deo in se acceptam sua voluntate corrupit: vt iam peccatum sit hominis, non creatura creata in homine Dei. Nec etiam ipsa natura hominis causa est peccati. Deus enim, qui omnia, ipsam etiam naturam hominis creauit, Bona omnia creauit: idcirco & natura hominis creata est bona. Aduentitia qualitas est, quæ accidit homini in lapsu & post lapsum, non substantialis proprietas, mox ab initio talis qualis nunc est indita. Nunc quidem cùm in peccato nascimur, peccatum naturalis est hominum proprietas, iuxta Augustinum contra Manich. cap. 9. Sed & si quos naturaliter dicimus malos, propter originem veteris peccati dicimus, in quo tota iam nostra mortalitas nascitur.

Sed voluntas & facultas in Adamo ab ipso Deo erat: Ergo & peccatum ast à Deo. Resp. Deus non dedit homini voluntatem & facultatem operandi malum. Nam lege lata malum prohibuit. Ipse ergo Adam voluntatem à Deo acceptam malè collocauit, malè illis vtens. Accepit pecuniam à patre prodigus filius, non vt prodigeret luxuriosè: sed vt haberet quantum sufficit necessitati. Proinde cùm ipse pecuniam malè collocat, ac ipse perit, sua non patris culpa perit, licet pecuniam acceperit à patre. Abusus igitur vitio vertitur. Qui tibi illa suppeditat, vsum eorum tibi relinquit. Si iustus est, ea tibi ad vsum concedit, non ad abusum. Tu cùm illis abuteris, culpa tibi abutenti, non autem concedenti imputatur. Sic Deus Adamo voluntatem & facultatem ad bonum, non ad malum patrandum dedit.

Deus condidit hominem labilem, nec in eo bonitatem naturæ confirmauit. Ergo voluit eum cadere seu peccare. Resp. Scriptura proteruiam istam hominum impiè curiosorum

sorum retundit. *Quis tu es qui ex aduerso responsas Deo?* Rom.9.20.
Væ qui contendit cum factore suo. Nisi labilem condi- Isa.45.9.
disset hominẽ, nulla fuisset laus operis siue virtutis. Nam necessitate fuisset bonus. Quid, quòd labilem oportebat condi hominem? Ita enim poscebat ipsa Dei natura. *Deus non dat gloriam suam vlli creaturæ.* Adam homo erat, non Deus. Et vt Deus benignus, ita etiam iustus est. Benefacit hominibus, sed vult vt ei obediant & grati sint. Contulit innumera beneficia in hominem: ergo gratus & obediens debebat esse ac subiectus. Lege enim sanciuit quid velit & quid nolit. *De ligno scientiæ boni & mali*, inquit, *non comedes*, Gen.2.17.
alioquin morieris: quasi diceret, Me respicies, mihi adhærebis, mihi obedies, mihi seruies: nec aliũde petes formulas boni & mali quàm ex me, atq; ita te mihi obsequentẽ exhibebis. *Inst. Præsciuit Deus lapsum hominis, quem si voluisset, impediuisset. Sed non impediuit. ergo Dei culpa Adam peccauit. Resp.* Iam responsum est suprà ad hanc obiectionem: nec sequitur ex præscientia Dei illa necessitas, vt necessitate peccarit Adam, quia ipsum peccatum præsciuerit Deus. Præsciuit prudens aliquis pater ex signis, futurũ vt aliquando filius suus perimatur gladio: nec fallit hæc præscientia, confoditur enim filius iste propter fornicationem. Sed non ideo confossus creditur quia pater prænouit perimendum: sed quia fuit adulter. Sic Ambros. l.2. De vocat. Gent. cap.4. loquens de parricidio Caini: *Vtique præsciebat Deus ad quem progressurus esset furor insanientis: neque ex eo quòd falli scientia diuina non poterat, necessitate peccandi vrgebatur, facinus voluntatis.* Augustinus, li.3. de libero arbitrio, ca.4. *Quorum non est malus autor, iustus est vltor.*

5. QVI SVNT EFFECTVS PECCATI.

POstquam quid sit peccatum, & vnde emerserit, constitutum est, etiam quæ mala sequuntur peccatum, est considerandum. Nisi enim hoc etiam cog-

noſcatur,nondum intelligitur, quantum in peccato ſit mali,quantòque odio Deus illud perſequatur. Hîc autem ſuprà dictum, *duplex eſſe malum: aliud culpæ, quod eſt peccatum,aliud verò pœnæ.* malum pœnæ effectus eſt mali culpæ. Hoc vt magis intelligatur, hîc rurſus meminiſſe oportet, *pœnas alias eſſe tantùm pœnas,quæ ſunt naturæ deſtructio,aut cruciatus, alias verò ſimul pœnas & peccata,vt omnia peccata,quæ primum lapſum ſunt ſequuta.*

1. Peccata ſequentia ſunt effecta præcedentium.
Rom. 5. 19. Sic.1.Originale peccatũ eſt effectus peccati,aut lapſus primorum parentum.per *Inobedientiam vnius hominis,peccatores conſtituti ſunt multi.*2. Omnia peccata actualia ſunt effectus originalis peccati. *Peccatũ per*
Rom.7.11 *occaſionem ſumpta ſeduxit me per illud mandatum.*

2. Actualium effectus eſt ipſorum incrementum nempe maior reatus,ratione iudicij diuini iuſtiſſimi:quia Deus peccata peccatis punit. *Quamobrem*
Rom.1. 28. *tradidit etiam ipſos Deus cupiditatib.cordium ipſorũ, &*
2.Theſ.2.10 *Propterea mittet illis Deus efficaciam erroris. A non habente auferetur etiam id quod habet.*
Mat.25. 29.

3. Peccatorum actualium effectus ſunt ſæpius etiam aliena peccata,ratione ſcandali aut exempli,quo alij ab aliis deteriores redduntur, & ad peccandũ illiciuntur ſiue impelluntur.Sic Diaboli ſuaſus effectus defectionem hominis à Deo: & nunc agit in hominibus contumacibus. Sic mali doctores abducunt homines à Deo ad errores,idololatriam,& alia peccata.Sic vſus libertatis intempeſtiuus offendit,& peccandum allicit infirmos,&c.

4 Sequitur peccatum ordine immoto & perpetuo diuini iudicij,*mala conſcientia,quæ eſt notitia & improbatio peccati proprij in mente & notitia iudicij diuini aduerſus peccatum, profecta ex notitia legis diuinæ, quæ ſequitur metus iræ Dei,& pœnarũ ex ordine diuinæ iuſtitiæ,& fuga atq; odium Dei deſtruentis peccatum,quod eſt initium deſperationis & cruciatuum æternorum, niſi ſit*
ſecus

sanatio per consolationem Euangelij, Rom. 2. *Gentes ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis vnà testimonium reddente ipsorũ conscientia, & cogitationib. sese mutuò accusantib. aut etiã excusantibus* Iesa. 57. *Non est pax impiis.*

5. Pœnæ corporales & spirituales, mors temporalis, omnes denique huius vitæ calamitates.

6. Si quis obiiciat *etiã eos morti temporariæ & aliis calamitatibus obnoxios esse, quibus remissa sunt omnia peccata: Idcirco non omnia mala temporaria peccati pœnas siue effectus esse, sed quædam alias causas habere:* Respondemus non valere consequentiam à negatione vnius speciei ad negationem generis. Etsi. n. calamitates renatorũ non sint effectus peccati tanquam pœna, quæ peccantibus infligatur vt satisfiat iustitiæ Dei: tamen sunt eius effectus tanquam castigationes & exercitia, quibus reprimitur & magis magisque expurgatur peccatum donec per mortem corporalem vniuersum tandem aboleatur.

Illud autem Ioh. 9. de cæco: *Neq; iste peccauit, neq; parentes eius:* nõ simpliciter vult eos nõ peccasse, aut peccata eorum nõ fuisse causã istius calamitatis, sed nõ fuisse ipsorum peccata causã principalem, quare is cæcus nasceretur: *verũ vt opera Dei manifesta in eo fierent*, Christo per miraculũ ipsius oculos aperiente.

7. Æternæ pœnæ, quæ etiam in reprobis in hoc seculo incipiunt, anxietas videlicet & cruciatus cõscientiæ: quę etiam nos sentiremus, nisi liberati essemus ex gratia Dei.

Nomine autem mortis æternæ non intelligitur animę aut corporis destructio, vel eorum diuulsio: sed animæ & corporis viuentis abiectio è cõspectu Dei, horror & cruciatus perpetuus, & sensus ac fuga iræ & iudicij diuini, & fremitus horribilis contra Deum vindicantem peccata.

Quòd si obiiciant *peccata credentium in Christum non puniri æterna morte:* respondemus, ea in Christo punita esse pœna, quæ & propter supplicij grauitatem

& propter personæ patientis dignitatem æterni pœnis, quæ nobis infligendæ fuerant propter nostr peccata, æquipollet: sicut dicitur Ies. 53. *Coniecit eum iniquitates omnium nostrûm.*

Contra id quòd omnium peccatorum etiam m nimorum effectus sit æterna mors. *Obiect.* 1. *Imp bus non debent paria tribui: sed peccata non sunt paria. E go non omnia debent æterna morte puniri. Resp.* Est plus i conclusione. Tantùm hoc sequitur: Ergo non omn peccata pari pœna sunt punienda. Omnia enim pe cata, etiam minima, merentur æternam pœnam quia omnia peccata delinquunt in æternum & in mensum bonum. Ergo quod ad durationem, omn quidē peccata pari pœna puniuntur: sed non qu ad gradus pœnarum. Omnia peccata puniuntur æ ternis suppliciis: ita tamen vt non suppliciis æqu libus: grauiora enim peccata grauioribus pœnis p nientur. *Seruus qui scit voluntatem Domini, & non* Luc. 12. 47. *cit, etiam percutietur plagis multis. Terræ Sodomorum* Mat. 11. 34. *rabilior conditio in die iudicij, quàm tua.*

Obiiciunt Stoici, *omnia peccata seu vitia cum vno coniuncta, atque idcirco omnia inter se esse paria. Sed ne consequentia* valet, cùm etiam imparia inter se co iuncta esse possunt: neque antecedens conceditur probari videtur dicto Iacob. cap. 2. *Qui in vno de quit, factus est omnium reus.* At Iacob non omnia pe cata vel vitia cum vno dicit concurrere, sed prim in vna parte totam legem violari, sicut totum c pus læsum dicitur, vna parte violata: Deinde cu quolibet peccato fontem siue causam omnium al rum peccatorum concurrere, videlicet contemp Dei. Hoc verò malũ corde existens, dilectionē D ac proinde omnes alias obedientiæ erga Deum p tes violat. Nullum enim opus quod ex perfecta D dilectione & reuerentia non proficiscitur, cum le diuina congruere ac Deo placere potest. Neq; ta hoc obstare experimur quũ vitio vno laborans

alia peccata magis, ad alia minùs propendeat aut prolabatur, præsertim cùm ipsa quoque vitia inter se opposita sint, quorum non vtroque, sed altero virtutem vnusquisque vno tempore violat.

Neque illa etiã principia concedenda sunt: *Quàm longè in peccando progrediare, cùm semel transieris lineam siue medium, quod est virtus, ad augendam transeundi culpam nihil pertinere: Et vitutes omnes esse pares inter se, ita vt viro forti non sit fortior.* Cùm enim peccatum sit à medio discessus, manifestum est, quantò ille discessus est maior, tantò peccatum esse grauius: Et virtutes tam in iisdem quàm in diuersis hominibus, aliâs maiores, aliâs minores esse, non minùs quàm corporum qualitates differũt gradib. experientia testatur.

Obiect. 2. Misericordis est exercere misericordiam, & proinde mitigare pœnam. At Deus quum omnia peccata punit æquali pœna, nimirum æterna, non exercet misericordiam, &c. Resp. 1. ad maiorem per distinctionem; Debet exercere misericordiam sine violatione iustitiæ suæ. 2. Deus etiam erga impios misericordiam exercet, dum non delectatur impiorum pernicei, & dum illis etiam benefacit, vsque inuitat ad pœnitentiam.

Obiect. 3. Ad id, quòd Deus ita misericordiam exerceat, vt non violet iustitiam suam. *Qui nihil remittit de summo iure, non est misericors, sed tantùm iustus. Deus nihil remittit de summo iure, quia omnia punit sufficienti pœna. Ergo Deus est tantùm iustus. Resp.* Nego minorem. *Deus enim dat nobis filium, & hunc pro nobis pœna subiicit, ex mera misericordia, nullo iure, nullis meritis nostris ad hoc obligatus.* Præterea maior secundæ obiectionis est distinguenda. *Misericordis est exercere misericordiam*, scilicet in credentes, & agentes pœnitentiam.

Inst. 1. Misericordis est parcere, siue agentibus, siue non agentibus pœnitentiam. Resp. Nego posteriorem partem maioris Syllogismi. Inst. 2. *Pœnitentia non est*

causa misericordiæ. Ergo secundùm istam responsionem nos pœnitentes deberent consequi misericordiam, hoc est, liberationem à morte. Responsio. Concedo *pœnitentiam non esse causam misericordiæ*, & non propter pœnitentiam hoc fieri, sed propter Christum, si agant pœnitentiam.

Inst. 3. Imò ne erga pœnitentes quidē Deus exercet misericordiam. Si enim Deus omnia peccata pœna sufficiēti punit in Christo, non est misericors. Resp. Nego cōsequens propositionis: quia ipse nobis donauit filium suum gratis, qui pro nobis satisfaceret, hanc satisfactionem addit Euangelium.

Obiect. 4. qui non remittit sine omni recompensatione, non remittit gratis, ac proinde nō ex gratuita misericordia. Deus non remittit sine omni cōpensatione, Ergo &c. Res. Deus non remittit nobis peccata gratis respectu Christi, sed gratis respectu nostri, quia nihil à nobis exigit, & satisfactionem Christi gratis nobis donat. Licet igitur ab alio satisfactionem vult fieri, videlicet à Christo: tamen gratis peccata nobis remittit, quoniam ipse (sicut dictum est) ex gratuita misericordia nobis Christū largitur: qui pro nobis satisfaciat & ab ipso satisfactio atque applicatio proficiscitur. Efficit enim & sua electione, & satisfactione Christi gratis ab ipso nobis dati, & Spiritus Sancti donatione, vt Christum fide accipiamus: & quidem hoc efficit nulla alia de causa, nisi ex gratuita misericordia. Gratia estis seruati, 1. quia Satisfactio non fit à nobis: 2. quia precium pro peccatis nobis imputatur. Ephe. 2.

Inst. Ad id quod respondetur ad Obiect. secundam, nempe *misericordiam Dei etiam ad malos extendi.* Ieremias ait, *Ne sis propitius iniquitati eorum, ne condoleas iis. Ergo non extenditur ad reprobos misericordia dei. Responsio* prima. Verum est quando nimirum Deus negat misericordiam resipiscentibus. 2. Illud intelligendum est de gradu misericordiæ, quo Deus Ierem. 18.

com-

complectitur electos, de hac scilicet misericordia, qua illos donat remissione peccatorum Spiritus S. & vita æterna. Non autem illud conceditur de misericordia communi, qua gubernat & regit omnes creaturas.

Inst. Ad id quod in eadem responsione ad Obiect. 2. dicitur, *Deum videlicet non delectari impiorum pernicie. Apud Isaiam, Dominus ait. Heu consolationem capiam de meis hostib. Ergo delectatur hostium suorum exitio. Resp.* Isa. 1.
Hæc & similia per, *anthropopatheian* dicuntur, atq; ijs significatur, Deum velle executionem iustitiæ suæ, non autem delectari interitu vel perditione hominum, vtpote suarum creaturarum.

Vsus.

Hanc de peccato doctrinam in Ecclesia notam esse oportet, *vt quantum malum sit peccatum agnoscentes, laudem iustitiæ tribuamus Deo, illud seuerissimè punienti:* 1. *& ab omnibus peccatis toto pectore abhorreamus, nósque à Deo muniri & defendi contra omnia peccata ardentiùs petamus, neque vllum extenuantes, nobis blandiamur opinione iustitiæ propriæ, aut spe impunitatis: vt peccatum lege diuina metientes, nec mala pro bonis, aut bona pro malis habentes, conscientias soluamus Deo constringente, aut Deo* 3. *soluente constringamus: vt peccati reliquias in nobis, &* 4. *multos nostros lapsus agnoscentes, non desperemus de venia confugientes ad Deum Mediatoris fiducia: vt nos ab impiis* 5. *& prophanis in quibus regnat peccatum, & à peccantibus in spiritum sanctum possimus discernere, atque animo spem & fiduciã misericordiæ dei concipere: vt peccatorum & perditionis nostræ causam & culpam non in Deum reiiciamus,* 6. *sed in nobis ipsis quærendam esse meminerimus: vt pœnarum & peccatorum gradus esse scientes, non addamus peccata peccatis, sed minora peccata minoribus, maiora maioribus pœnis à Deo punitum iri cogitemus: vt peccata parentum, in sobole etiam puniri memores, non nobis tantùm, sed* 8. *etiam posteritati in cauendis peccatis parcamus: vt gratias agamus deo pro hoc beneficio, quòd propter suam gloriam* 9.

10. *& Ecclesiæ collectionem & salutem etiam inter impios aliquem ordinem virtutis & disciplinæ conseruat : Ac denique vt vera & æterna gratitudo in nobis accendatur erga deum & Filium eius Dominum nostrum Iesum Christum, quòd nos ab his summis malis, à peccato & à pœnis peccati liberauit.*

LOCVS.
DE CREATIONE HOMINIS.

Homini necessaria est agnitio sui.

CVM in angelorum & hominum creatione præcipuè Deus voluerit sese patefacere, necessaria est hominibus agnitio sui, cùm quia Deus ex ea sui imagine, quàm naturę humanę insculpsit, vult agnosci, tum quia sine illa ad finem ad quem sumus conditi, neq; aspiramus neque peruenimus. Est autem notitia nostri bipartita: hominis nimirum integri qualis à Deo erat conditus, qualisque post instaurationem futurus est : & in peccatum prolapsi atque corrupti, qualis nunc existit, hoc est, generis humani præstantiæ & miseriæ.

Ea duplex est.

Hic autem locus subiungitur loco de Peccato, 1. *quia vbi probatum est esse peccatum, & humanam naturam esse peccatricem, statim oritur quæstio, An Deus hominem creauerit peccato obnoxium: & si non talem, qualem igitur. Ex doctrina enim de peccato originali videtur sequi hæc Obiect. Homo peccator est : homo conditus est à Deo: Ergo homo est peccator conditus à Deo. Resp. Fallacia est accidentis, vel plus sumitur in conclusione, quàm in antecedente.* 2. *Additur hic locus vt intelligatur ex qua fœlicitate se præcipitauerit genus humanum ingratitudine sua.* 3. *Vt sciamus vnde sit peccatum, atque ita Deum non putemus esse iniustum.* 4. *Vt agnoscamus magnitudinem peccati in nobis.* 5. *Vt accendatur in nobis & crescat ardens desiderium recuperandæ primæ fœlicitatis, & quidem longè maioris.*

Cæterùm, multa occurrunt quib. probatur Deum non

non esse auctorem peccati. 1. *Ex natura Dei.* Est sua natura bonus & summum bonum: quomodo igitur ab eo aliquid mali proueniret? 2. Genes. 1 31. *Erant omnia quæ Deus fecerat valde bona.* 3. *Ex lege Dei qua mala omnia & peccata Deus damnat, & bona præcipit.* Ergo peccatorum auctor non est. Nam lex Dei est quasi speculum puritatis quæ est in Deo. 4. *Ex pœnis quas Deus infligit peccantibus:* esset autem iniustus si id puniret in homine cuius esset auctor. 5. *Ex descriptione peccati, quod est destructio imaginis Dei in homine, ad quam homo fuit conditus.* Imago autem hæc fuit iustitia: ergo non peccatum.

Ad hunc locum creationis referri potest locus *de Imagine Dei.* Item locus *de primo peccato Adami & Euæ.* Duos illos locos huic subiiciemus, vt ita deinde accedamus ad locum de libero arbitrio, qui cum hoc de creatione hominis etiam coniungitur.

Quæstiones de Creatione hominis præcipuæ sunt duæ.

1. *Qualis homo à Deo fuerit conditus.*
2. *In quem finem, seu ad quid homo conditus fuerit.*

1. *Qualis homo fuerit à Deo conditus.*

Hæc quæstio iisdem ferè de causis proponitur, ob quas totus ipse locus: nempe. 1. Vt constet Deum non esse auctorem peccati. 2. *Vt magnitudinem peccati & ingratitudinis humanæ agnoscamus.* 3. *Vt oremus Deum & expetamus ardenter ipsius gratiam, & liberationem à peccato.* 4. *vt simus grati pro liberatione à peccato.*

CReatus est homo, 1. corpore ex terra, eóque immortali, si maneret in iustitia, mortali si deficeret: Animo verò 1. rationali, spirituali, & immortali. 2. Anima prædita qualitatibus sapientia & iustitia perfectè.

2. Corpore & Anima simul, 1. Exercens actiones externas, & internas, organicas, & non organicas, iustas

iustas & Deo placentes. 2. Perfectè sanctas.

3. In summa beatitudine verè scilicet ac perfectè beatus.

4. Ita vt haberet dominum in omnes reliquas creaturas. Atq; vt hæc omnia breuiter complectar: Creatus est homo ad imaginem dei. Quid autem sit imago Dei postea dicemus: nunc scire sufficiat, Imaginem Dei in homine comprehendere potissimùm perfectam hominis sanctitatem, iustitiam, sapientiam, beatitudinem, ac dominium in reliquas creaturas.

2. Ad quid homo conditus.

Vltimus & principalis finis creationis hominis, est celebratio Dei. Ideo enim Deus creauit rationales creaturas, vt ab iis agnitus celebraretur. Propria autem hominis actio est agnoscere & celebrare Deum: Ergo conditus fuit ad agnitionem & celebrationem dei, id est, ad professionem, inuocationem, gratiarum actionem, & obedientiam: denique ad Deum & proximum diligendum.

Obiect. 1. Etiam irrationales creaturæ dicuntur celebrare Deum. Ergo ad id non opus erat hominem condere. Resp. Dicuntur celebrare deum, quatenus sunt materia laudis, ex cuius intuitu, & cognitione creaturæ rationales, angeli scilicet & homines habent occasioné celebrandi deum, & ipsius sapientiam, bonitatem, atque omnipotentiam. Opus igitur erat intelligentibus creaturis, & cernentibus ordinem naturæ. Si non agnosceretur ordo ille, & non videretur qualem causam huiusmodi effectus requirant, ipsæ creaturæ rationales non possent dici laudare Deum.

Celebratio Dei complectitur Inuocationem nominis Diuini, Gratiarum actiones, laudes, & obedientiam, quæ constat officiis erga Deum & homines. Plures alij fines huic principali subordinantur. *Celebrationi enim substituitur Agnitio Dei.* Deus enim non agnitus, nō potest celebrari. *Hæc est vita æterna vt te solum cognoscant esse verum Deum.* Deinde *Ag-*

Ioan. 17. 3.

nitum

nitioni Dei subordinatur fœlicitas & beatitudo hominis, quæ est fruitio & communicatio Dei sempiterna, in qua gloria & vita æterna consistit. *Huic subordinatur patefactio Dei, siue declaratio misericordiæ Dei in Electis ad vitam æternam, & iustitiæ, iræq; aduersus peccatum in reprobis puniendum.* Vt enim agnoscas Deum, & fœlix sis, oportet vt etiam se tibi patefaciat. *Patefactioni subordinatur conseruatio societatis in genere humano.* nisi enim essent homines, non haberet Deus, quibus se patefaceret. *Narrabo nomen tuum fratribus meis. Conseruationi isti substituuntur mutua officia, mutuaq; beneficia inter homines.* Nam vt conseruetur genus humanum necesse est esse pacem. Psalm. 22.

Obiect. 2. Fœlicitas, aut beatitudo est qualitas, seu conditio, in qua, vel cum qua conditus est homo, id est, pars est imaginis Dei, ac forma & proprietas hominis. Ergo ad primam quæstionem, qualis sit homo conditus, pertinet. Resp. Nihil pugnat: quia idem potest esse in multis causa finalis, & formalis: sic homo conditus est fœlix, ita vt vnà cum ipsa creatione cœperit esse fœlix: quia non erat peccator. Interim tamen etiam talem creauit eum Deus, vt talis perpetuò maneret. Rectè igitur respondetur *quòd homo sit fœlix creatus, & ad id vt esset fœlix.* Illud pertinet ad quæstionem *Qualis*, respectu principij: hoc verò ad quæstionem, *Ad quid*, respectu perseuerantiæ. Sic etiam Deus creauit hominem agnoscentem Deum, & vt Deum agnosceret. Fœlicitas porrò proprietas est hominis, quatenus pars conditionis, in qua conditus est. Hęc prima hominis creatio cum humani generis miseria diligenter conferenda est, & finis ad quem conditi sumus cum aberratione à fine: vt scilicet hac etiam ratione agnoscamus miseriæ nostrę magnitudinem. Quantò enim videmus maiora fuisse bona, quæ amisimus; tantò maiora cognoscimus esse mala in quæ incidimus.

De Imagine Dei in homine.

Quæst. præcipuæ sunt. 1. *Quid sit imago Dei in homine.*

2. Quate-

2. *Quatenus illa sit amissa, & quatenus reliqua manserit.*

3. *Quomodo illa reparetur in homine.*

4. *Quomodo illa sit in Christo, & quomodo in nobis.*

1. *Quid sit Imago Dei in homine.*

Imago spectanda in anima, & quidem renata.

Cùm Deus non sit corporeus; non in corpore, sed in anima humana imaginem illam spectari: & quia per peccatum valde obscurata ac penè deleta est, non ex eo in quo post admissum peccatum homines esse cœperunt statu, sed ex reparatione, quæ per Christum fit, hoc est, ex natura hominis renati, eam æstimari oportebit. Ac denique cùm regenerationis in hac vita non nisi tenue fiat initium, in æterna demum vita & gloria, lucentem in nobis integrè restitutam Dei imaginem integrè contemplabimur atq; intelligemus.

Non in sola substantia, sed in facultatibus animæ.

Porrò non in sola animæ substantia quærendam esse imaginem Dei, sed præcipuè in virtutibus & donis, quibus à Deo in creatione ornata fuit, vel ex eo manifestum est, quòd animæ natura etiam in non renatis reliqua, imago autem Dei maxima ex parte amissa est, veruntamen cùm anima sit spiritus intelligens, præstantior pars substantiæ hominis separabilis à corpore, immortalis, principium & causa vitæ & motus in corpore viuente: fatendum est eius etiam non renatæ substantiam esse aliquam diuinitatis vmbram. Ea verò, cùm substantia vt spiritualium naturarum in vniuersum, ita & animæ humanæ nobis in vitæ huius caligine sit incognita: in facultatibus & operationibus iis est considerandæ, quibus hominem Creaturis aliis antecellere videmus, ac Deo cõformem esse ex verbo & operibus diuinis cognoscimus. Hæ autem præcipuæ sunt duæ. Intellectus & voluntas. intellectui sensus interiores, voluntati affectus subiiciuntur.

Imago Dei in homine, est mens rectè agnoscens De

natura,

naturam, voluntatem, & opera: & voluntas liberè obtemperans Deo, omniumq; inclinationum, appetitionum, actionum cum voluntate Dei congruentia: ac denique spiritualis, ac immutabilis animæ, totiusq; hominis puritas, integritas, perfecta beatitudo, & lætitia acquiescens in Deo, ac dignitas hominis, & maiestas, qua cæteris naturis præstat, & dominatur.

Vel, *Imago Dei in homine est* 1. *Ipsa anima cum suis facultatibus ratione ac voluntate prædita.* 2. *In anima Sapientia, & notitia de Deo, deque voluntate, & operibus eius: talis videlicet qualem Deus à nobis requirit.* 3. *Conformitas cum Lege Dei, vel sanctitas & iustitia sub qua comprehendimus cor & omnes affectus.* 4. *Fœlicitas sine miseria & corruptione, beatitudo, lætitia, & gloria, qua erat ornata natura humana: dominium hominis in creaturas, vt in pisces, aues, & alia animantia.* His omnibus creatura aliquo modo refert creatorem, exæquari tamen creatori nullo modo potest. Paulus, *Iustitiam, & Sanctimoniam,* Ephe. 4. tanquam præcipuas partes huius imaginis ponit: quæ tamen notitias præsupponunt. Nemo.n. Deum potest colere incognitum. Deinde iustitia, & sanctimonia nõ sunt sine cognitione, sicut fœlicitas, & gloria. Vnde consequitur, vbi vera est iustitia ac sanctimonia ibidem & absentiam esse malorum culpæ, & malorum pœnæ.

Obiect. In definitione dicitur, perfecta beatitudo. At in solo Deo est perfectio iustitiæ & sanctitatis: vel nulla creatura habet perfectam sapientiam. Ergo nullus potest esse beatus perfectè. Resp. In solo Deo est beatitudo perfecta, *Instantia. Quomodo igitur homo habuit perfectam? Resp.* In homine est perfecta, at ea perfectione quæ competit creaturæ, vt posset Deum cognoscere. Sic dicitur homo *perfectè iustus*, quia conformis erat omnibus quę Deus requirebat ab eo: non quòd esset æqualis Deo, aut haberet iustitiam in eo gradu quo Deus habet, sed erat perfectus quantum sufficit naturæ creatæ ad beatitudinem. Angelorum sapientia & beatitu-

atitudo est perfecta, sed tamen aliquid accedere potest, alioquin esset infinita. Ad eam autem perfectionem non requiritur vt aliquid ignoretur. *Iustitia & Sanctitas* in textu possunt pro eodem sumi vel discerni; vt *Iustitia* de actionibus, *Sanctitas* de qualitatibus dicatur *Iustitia*, id est, congruentia voluntatis & cordis cum mente rectè iudicante id est secundùm verbum Dei.

Primus homo è terra terrenus: secundus homo ipse De cœlo. Qualis terrenus ille, tales & qui terreni sunt: & qualis ille cœlestis, tales & qui cœlestes sunt. Et sicut gestauimus imaginem terreni, gestabimus etiam imaginem cœlestis. Non hîc Paulus imaginem cœlestis hominis Adamo adhuc integro detrahit: sed naturam & statum ipsius tam ante, quàm post lapsum, cum gloria cœlesti, in quam per Christum restituimur, hoc est, non modò naturam hominum corruptam peccato & morte, sed etiam gradum imaginis Dei in natura hominis ante lapsum, & ante glorificationem, confert cum eo qui glorificationem sequitur.

2. *Quatenus amissa sit imago Dei, & quatenus reliqua manserit.*

Non in vniuersum, sed maxima ex parte amissa est imago Dei in homine. *Mansit enim* 1. *Substantia incorporea animæ cum suis potentijs, Item Libertas in voluntate* quæ quicquid vult liberè vult. 2. *Multæ notitiæ*, vt earũ rerum quas per sensum cognoscimus, vt sunt physica principia: aliquæ etiam notitiæ de Deo, voluntate & operibus eius. 3. *Vestigia quædam virtutum, & disciplinæ externæ possibilitas* 4. *Fruitio multorum bonorũ.* 5. *Dominium etiam in creaturas in totum non est amissum:* multas regere, & iis vti potest.

Hæ reliquiæ sunt à Deo conseruatæ, 1. *Vt essent testimonium beneficentiæ Dei erga indignos.* 2. *Vt Deus vteretur his ad instaurationem suæ imaginis in homine.* 3. *Vt reprobos reddat inexcusabiles.*

Imago autem Dei non est reliqua, 1. *quoad verã sa-*

lutarem & sufficientem Dei & ipsius voluntatis cognitionẽ. 2. *Multæ malæ sunt inclinationes internæ, vnde sequuntur actualia peccata, & merentur ęternam damnationem.* 3. *Dominiũ in creaturas magna ex parte est amissum.* Quæ antè metuebant hominem, nũc ei insidiantur: hostes sunt ei moxii, nec illi obediunt. Agri spinas & tribulos ferunt. 4. *Ius vtendi creaturis,* quia filiis suis non hostibus illud concessit. 5. *Amissa est vita æterna, & ei successit mors æterna & temporalis,* cũ omnis generis calamitatibus, id est fœlicitas huius & alterius vitæ amissa est.

Obiect. Ethnici habent magnas virtutes, & opera magna faciunt. Ergo non est verum imaginem Dei esse amissam in illis. Resp. Ea omnia opera non placent Deo, quia non operantur ethnici eo fine vt ad Deum omnis gloria redeat. Illæ virtutes sunt tantùm disciplinæ externæ, non autem ex corde vt obediant Deo quem fugiunt, & ad cuius gloriam nihil facere queunt.

Paulus Eph. 4. 24. aliter describit *imaginem Dei* quã nos supra, complectens præcipuas partes *iustitiam & sanctitatem:* quia hæ partes præsupponunt notitias. Notitia autem & Sapientia non sunt sine cognitione: & has subsequuntur aliæ, fœlicitas & gloria.

3. *Quomodo reparetur in nobis imago Dei.*

Præparatio fit à solo Deo, qui hominib. eam dederat: cuius enim est vitam dare, eiusdem quoque est amissam restituere. 2. *Restituit eam Pater per Filium.* 3. *Filius per Spiritũ Sanctum. Transformatur in eandem gloriam, tanquam* à Domini Spiritu. 4. *Spiritus S. eam restituit per verbum: Euangelium est potentia Dei ad salutem* 5. *Ita fit à Deo vt in hac vita tantùm inchoetur in electis: confirmetur autem, & crescat ad finem vitę: perfecta fiat in fine huius vitæ, quod ad animam, quod ad totum hominem in resurrectione corporum.* Ergo notandum quo autore, quo ordine, quo modo fiat reparatio.

Obiect. 2. Fœlicitas est qualitas in qua & cum qua homo est conditus, non finis: Ergo est ponenda in quæstione:

Qualis

Qualis, non, Ad quid. Resp. Hæc inter se non pugnant quia in multis causa finalis & formalis possunt esse idē. 2. Quia etsi in creationis articulo extitit fœlix, tamē rectè dicitur ad hoc creatus vt esset fœlix, quia Deus volebat eum talem manere: ergo oportuit eum talem creare, sicut etiam sui cognitionem in creatione edidit, & tamen creauit vt agnosceretur ab eo.

4. *Quomodo Imago Dei in Christo, & in nobis.*

Aliter Christus est imago Dei, aliter Angeli & homines.

Iam si obiicitur, *honorem hunc esse Christi proprium, quòd sit imago Dei.* Col. 1. Heb. 1. notum est, *alia ratione Christum esse imaginem Dei, quàm alios homines* Est enim respectu Diuinitatis suæ imago non sui ipsius, neque Spiritus sancti, sed Patris æterni coæterna, consubstantialis & æqualis Patri proprietatibus essentialibus & operibus, & persona illa, per quam Pater immediatè se patefacit. Ioh. 1. Naturæ autem humanæ respectu, etiamsi & ipsa imago Diuinitatis creata est, longè tamen gradibus & numero donorum, vt sapientia, iustitia, potentia, gloria &c. omnibus angelis & hominib. antecellit: & peculiari ratione Patrem nobis refert doctrina, virtutibus & actionibus, quia sicut ipsa natura humana assumpta, sic omnes illius proprietates & actiones, substantialis & coæterni Sermonis æterni Patris, sunt propriæ. Ioh. 14. *Philippe, qui vidit me, vidit Patrem. Non credis me in Patre, & Patrem in me esse? Verba quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor: sed Pater qui in me manet, ipse facit opera.* Angeli verò & sancti homines, tam Filij & Sp. sancti quā Patris æterni respectu, nominantur imago Dei, vt dicitur, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram:* idque non propter essentiæ similitudinem vel identitatem, aut æqualitatem aliquā: sed propter quarundam proprietatum conuenientiam, non gradibus vel essentia: sed genere & imitatione, quæ in Deo sunt essentiales & immensæ, in creaturis verò sunt finitæ, & accidentales, hoc est, qualita-

tes

tes & motus à Deo in ipsis ad repræsentandam aliquatenus naturam suam esse effecti.

Aiunt etiam, qui, *vt olim Anthropomorphitæ, imaginem Dei volunt esse formam humani corporis; Totum Adámum esse factum ad imaginem Dei: Ergo etiam secundum corpus.* Sed non vidēt, vsitatam de persona ex diuersis naturis composita loquendi formam, quæ *idiomatum communicatio* nominatur, cùm de tota persona dicitur in concreto, quod alterius tantū naturæ proprium est, vt eodem loco: *Factus est Adā in animā viuentem.* Sicut autem animæ naturam, sic & imaginē Dei talem Scrip. proponit, quę in corpus non cadit.

Item, *Christus est imago Dei, Fideles autem gerunt etiam in corpore imaginem Christi. Heb. 2. & 4. Phil 3. Ergo etiam corpus est imago Dei:* Quatuor termini sunt: quia Christus nō corpore suo, sed Deitate est imago patris: Anima verò & donis siue proprietatibus illius & actionibus, est imago totius Diuinitatis. Est igitur etiam in fidelib. imago Dei, id quod imago Dei est in Christo: neq; secundùm omnia Diuinitati sunt similes, secundum quę similes sunt Christo: quia in Christo aliquid est præter Diuinitatem, & præter Diuinitatis imaginem, quæ in anima est, videlicet, corpus, quod non cum diuina, sed cum nostrorum corporum natura cognationem & similitudinem habet.

Item, *Fabrica humani corporis est admirabili artificio constructa: lucet igitur in ea, & conspicitur tanquam in imagine, Creatoris sapientia.* Sed hinc non sequitur, corpus esse imaginem Dei. Sic enim omnia essent ad imaginem Dei facta, cùm in omnib. Dei operibus, potentia, sapientia & bonitas ipsius appareat: quod tamen Scriptura non permittit: quæ hoc elogio tantùm creaturas rationales ornat: & imaginem Dei in iis rebus constituit, quæ non corporis sunt, sed animæ.

Quæritur hîc etiam de loco 1. Cor. 11. *Vir imago & gloria dei est: mulier autē gloria viri est, vbi videtur Paul.*

imaginem Dei tantùm viro tribuere, mulieri autem den-here. Sed intelligit Paulus, virum solum esse imagi-Dei, non quo ad naturam diuinæ sapientiæ, iustu-& lætitiæ participem, neq; quoad dominium in cre-aturas alias: hæc enim viro & mulieri sunt comm-nia: sed quoad ordinem politicum, œconomicum, Ecclesiasticum, in quo gubernationē & adminis-tionem publicam vult esse penes virum, non pen-mulierem. Gen. 3. 1. Cor. 14. 1. Tim. 2.

Quæst. Cùm homo sit ad imaginem Dei condit-quæritur *vnde sit hic status, in quo nunc omnia viden-contraria. Resp.* Ex peccato primorum parentum.

DE PRIMO PECCATO.

Quæstiones præcipuæ sunt. 1. Quale illud fu-rit. 2. Quæ causæ. 3 Qui effectus. 4. Cur De-permiserit.

1. *Quale primum illud peccatum Adami & Euæ fuerit.*

Varium & multiplex illud fuit: multa quidem pe-cata in illo primo conspiciuntur. 1. *Superbia aduer-Deum, contemptus Dei, ambitio, admiratio sui.* Hanc e-probrat deus cùm dicit: *Ecce Adã factus est quasi vn-ex nobis*, 2. *Incredulitas:* arguebat enim Deum menda-cij: dixerat Deus, *Morte morieris:* hoc negauit Diabo-lus, inquiẽs, *Non moriemini:* ac Diabolo Adamus cr-didit. Deo autem non credere, & cõtrà credere Dia-bolo, est habere Deum pro non vero Deo. 3. *Contum-cia, & inobedientia.* Nã fit inobediens Deo. 4. *Ingr-titudo pro acceptis beneficiis*, pro iis nempe, quod er-conditus ad imaginem Dei, & ad vitam æternam: *Astorgia.* Erat enim in eo neglectus dilectionis er-posteros: quia non ipsi tantùm erant illa bona da-sed & toti posteritati: Itaq; ipse illa habebat, vt & s-& suis ea seruaret, vel vtrisque ea amitteret. Hoc a-tem totum neglexit. 6. Apostasia, vel manifesta d-fectio à Deo ad Diabolum cui obediit, cui credi-

Gen. 3. 22.
Gen. 2. 17.

que-

quem constituit in locum Dei, auellens se à Deo. Non expetiit à Deo bona quæ accepturus erat, sed consilio Diaboli vult consequi æqualitatem cum Deo.

Ex hac igitur origine est quod homines tot peccata committant, videlicet *ex peccato originali*, quod est causa actualis peccati. Et huius prauitatis naturæ causa est primus lapsus seu prima auersio à Deo.

QV. *Sed quomodo primum peccatum potest esse causa, cùm iamdudum præterierit? Resp.* Prima inobedientia attraxit obscurationem agnitionis Dei, & gubernationis ac Sanctificationis Spiritus Dei. Primæ autem inobedientiæ prima causa est diabolus. Ex hoc patet fuisse horrible peccatum, & dignum tanta pœna quanta punitum fuit.

2. *Quæ causæ primi peccati.*

1. *Impulsus Diaboli.* 2. *Libera hominis voluntas: Deus probabat hominē per Diabolum: gratiam resistēdi non dabat homini. Peccatum autem nolebat: sed sinebat subtracta sua gratia cum probatione sua concurrere, vt ostenderet quid posset homo sine Deo.*

3. *Qui sint effectus huius peccati.*

1. *Peccatum originale.* Non opus est hic disputare de traduce animæ, quomodo ingrediatur in corpus: constat enim à Deo inditam. 2. *Omnia peccata actualia:* quia quod est causa causæ, illud est etiam causa effectus. Si originalia ab eo sunt: ergo etiam actualia. 3. *Omnia mala pœnæ:* quia peccatorum est causa, ergo etiam pœnarum.

Quæst. Si est aliqua imaginis Dei pars reliqua, quæritur an etiam sit liberum arbitrium?

Resp. Est.

4. *Cur Deus permiserit.*

Permisit Deus, id est, non dedit gratiam resistendi

primis parentibus, ſicut beatis Angelis, *quia* (vt Paulus ait Rom. 9.) *voluit oſtendere ſuam iuſtitiam, iram & potentiã in puniendis peccatis impiorum in æternum: misericordiam autem & amorẽ erga genus humanum in ſemidis electis, peccatum eis non imputans propter Filiũ.* & Rom. 11. 32. *Gal.* 3. 22. *Concluſit Deus omnia ſub peccato, vt omniũ miſereatur, vt obturetur omne os.* 2. *Negloriemur:* quia ex miſericordia Dei in æternum ſeruati ſumus, non quòd Deum obligatum habuerimus.

Hęc de creatione hominis doctrina propter multas cauſas & vſus quos habet, Eccleſię neceſſaria eſt. Scire oportet, *hominem abſq; peccato à Deo conditũ eſſe, ne deus peccati autor ſiue cauſa eſſe fingatur. Cum ex luto corpus humanum ſit formatum: cogitemus de fragilitate noſtra, & ne efferamur ſuperbia. Cùm tam admirabile ſit artificium Dei in ſtructura humani corporis, idq; etiã ad miniſterium diuini cultus, & ad habitationem Dei, & ad vitam æternã ſit conditum; eo neque ad turpitudinem abutamur, neque illud volẽtes deſtruamus, neque haram diabolorum faciamus, ſed caſtum & mundum ſeruantes, templum & organũ ſpiritus ſancti eſſe cupiamus ad celebrandum Deum. Cum, ſexu geminо conſtare genus humanum Deus voluerit, ſuus vtrique locus & honos tribuendus eſt, nec infirmior contemnendus aut premendus tyrannide, aut libidine, aut iniuriis & contumeliis afficiẽdus, ſed iuſtè gubernandus & defendẽdus eſt. Præſertim autem cùm homo ad imaginẽ & ſimilitudinem Dei ſit conditus; hoc ſummum decus grato animo agnoſcendum ac celebrandũ eſt, nec noſtra petulantia & malitia imago & ſimilitudo Dei in imaginẽ & ſimilitudinẽ Sanctæ transformanda: neq; vel in nobis, vel in aliis deſtruẽda. Cùmque ea per peccatũ noſtra culpa ſit deſtructa; magnitudinem huius ingratitudinis & malorũ quæ ſequuta ſũt ex collatione bonorũ quę amiſimus, agnoſcamus ac deploremus. Reſtitutionẽ huius fœlicitatis ac gloriæ ardẽter expetamus. Et quia maior eſt gloria & beatitudo, quæ nobis per Filium Dei reſtituitur, ea quam in Adamo amiſimus; ſtudium gratitudinis & profectus in nobis tantò magis accendatur. Cui*

Vſus.
1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.

omnia

omnia in vsum hominis esse condita: idque in creaturas dominium in Adamo amissum, in Christo nobis restitui audimus, beneficentiam Creatoris erga nos celebremus: ab ipso tanquam Creatore & Domino supremo, qui ius & potestatẽ habet bona omnia dandi, quibus & quatenus vult, omnia petamus: & rebus vsui nostro concessis, & bona conscientia, & ad gloriã Dei, qui dedit eas, vtamur: vtque hoc fieri possit, nostra infidelitate, eo quod in Christo recipimus iure nos ne abdicemus: & si pro iure suo vel minùs det, quàm cuperemus, vel quæ dedit, auferat deus, iusto ipsius & nobis salutari cõsilio patienter nos subiiciamus. Cùm anima sit potior hominis pars, & corporis fœlicitas ex animæ fœlicitate pendeat: cùmque ad vitam immortalem simus conditi; eorum quæ ad animam & vitã æternam, quàm quæ ad corpus & vitam temporariam pertinent, curam potiorẽ geramus. Ac tandem cùm finis & beatudo hominis sit Dei communicatio, agnitio & celebratio, ad eam perpetuò aspiremus, & omnem vitam & actiones nostras referamus. Et cùm generis humani partẽ videamus esse vasa iræ ad ostendendã Dei iustitiam, & scueritatem aduersus peccatum, grati simus Deo, quòd ex mera & immensa bonitate nos voluerit esse vasa misericordiæ, ad declarandas in æternitate diuitias gloriæ suæ. Deniq; vt hæc dicere, meditari, & inchoare possimus in hac vita, societatem communem, & aliorum salutem, ad quã sumus nati, pro virili colamus & iuuemus.

10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.

LOCVS
DE LIBERO ARBITRIO.

Causæ disputationis de Libero arbitrio.

QVM Deus sit agens liberrimum, & homo ad imaginem Dei conditus etiã libertate volũtatis fuerit ornatus: multis non cõgruere videtur, quòd omnes volũtatis humanæ actiones immutabili Dei prouidentia regantur, & natura hominum lapsu primorum parentum, & originali peccato ita sit corrupta,

rupta,ut nihil nisi malum ac Deo displicens, absq;
renouatione & beneficio Spiritus Dei singulari,q
sit producere.Neque enim libertatẽ agnoscunt,q
necessitati alicui alligata sit, neque libertatem v
luntatis per peccatum vniuersam esse amissam,co
1. cedendum videtur,quandoquidem etiam post la
sum aliqua imaginis Dei vestigia in hominibus re
2. cta sunt,& peceati culpa in homines, nisi libera
3. voluntas,conferri nõ posset. Accedit huc etiã ing
4. nij humani superbia,quæ nihil ægriùs admittit,q
5. bonorum omniũ originem & gloriam á sese in
6. lum Deum transferri.Tum etiam virtutes præcl
non renatorum: ac denique sensus ac rationis
strę iudiciũ arcanam diuinę prouidẽtiæ guberna
onem in actionib.humanis,absq; luce verbi Dei,n
animaduertens.Hinc igitur disputationes de libe
arbitrio exortæ sunt, dum vana sapientiæ & inst
persuasione tumentibus philosophis indulgẽtes
teres Theologi,& recentiores assentientes,aut
Quid doce- riosiùs quàm oportebat de viribus humanæ voli
at,& cur tis loquuti,aut hominibus, quæ in ipsis post lapsu
necessaria. non inueniuntur,arrogare conati sunt.Nos verò
ctrinam de libero arbitrio,non facultatis & præst
tiæ,sed imbecillitatis ac miseriæ humanæ contem
plationem esse meminerimus: quæ ideò cũ doc
na de creatione & lapsu hominis coniungenda
vt ex quanta dignitatis & fœlicitatis altitudine,
quam profundam ignominiæ & miseriæ voragi
per peccatum deturbati simus, magis agnoscem
nõ altiùs nos virium nostrarũ inani fiducia in m
præcipitemus, sed ad veram erga Deum humili
tem & gratitudinem flectamur, & ab ipso viuifi
mur & sanemur.

Quæ sit quæstio.

Vt enim scopus huius disputationis teneatur,&
sus percipiatur: sciendum est,hanc esse quæstion
in ea principalem, *An sicut homo se ipsum à Deo auer*
atque deprauauit,sic etiam suis viribus redire ad Deum
obtine

oblatam à Deo gratiam accipere, ac sese corrigere possit: atque adeò an voluntas hominum prima & principalis causa sit, cur alij conuertantur, alij in peccatis perseuerent, ac tam conuersorum quàm non conuersorum alij plus, alij minus boni aut mali, ac deniq; siue bona siue mala, hoc vel illo modo faciant. Ad quæstionem hanc respondent aduersarij, Pelag. & similes, *omnibus hominibus tantum à Deo gratiæ datum & naturæ reliquum esse, vt ad Deum redire, eiq; obedire possint, nec aliam causam voluntate humana priorem aut superiorem quæri oportere, propter quam alij accipiant aut retineant, alij repudient aut abiiciant auxilium diuinum in vitandis peccatis, & hoc vel alio modo consilia & actiones suas instituant.* Responsio aduersariorum.

Contra verò nos è Scriptura sacra didicimus: *Etiamsi naturâ omnibus tantùm de Deo & eius voluntate notum sit, quantum ad excusationem peccati omnem ipsis adimendam sufficiat: & opera moraliter bona etiam à non renatis multa præstari manifestum sit: ac voluntas tam bona quàm mala eligat liberè: tamen opus Deo placens nullum sine regeneratione & singulari Spiritus sancti beneficio ab vllo homine suscipi aut perfici: neq; plus vel minus in cuiusquam consiliis aut actionibus boni existere posse, quàm Deus gratuita & singulis destinata bonitate sua in eis voluerit efficere, nec aliò voluntatem vllius creaturæ inclinari, quàm quò æterno & optimo Dei consilio visum fuerit.* Responsio Ecclesiæ.

Præcipuæ quæstiones hîc obseruandæ sunt quinq;.

1. *De voce, libertas.*
2. *Quid sit libertas voluntatis.*
3. *Quid commune, & quid diuersum habeat, libertas voluntatis in Deo, & in Angelis, & homine.*
4. *Sitne aliqua, & qualis sit libertas in nobis.*
5. *Gradus liberæ voluntatis.*

1. *De voce, Libertas.*

Libertas alia est politica seu ciuilis. Et aliâs *relationem significat, videlicet facultatem, siue ius, hoc est ordinationem personæ aut rei, seu voluntate alicuius, seu natura factam, ad agendum proprio arbitratu aut motu,*

secundum leges honestas, aut ordinem naturæ suæ congruentem, & fruendum bonis sibi conuenientibus absque prohibitione aut impedimento, & non sustinendum defectus aut onera naturæ suæ non propria. Hæc libertas ab obligatione & à miseria dici potest. Sic *Deus est liberrimus*, quia nemini est obligatus. Sic Romani & Iudæi erant liberi, hoc est, immunes à dominiis aut oneribus quibus carere non erat à iustitia alienum: Sic liberi ab ira Dei & à morte æterna reddimur per Christum Ioh. 8. Hæc significatio libertatis ad disputationem de libero arbitrio non pertinet. Multa enim liberæ voluntas nostra vult, quæ tamen perficiendi libertatem vel prohibitione aliqua, vel alio impedimento obstante non habemus.

Alia est *libertas voluntatis, quæ est potentia, ius, facultas volendi aliquid, eligendi vel repudiandi obiectum ab intellectu monstratum, vt ipsa se moueat (interno principio motus, id est, quod in se habeat causam mouendi se) proprio motu (& apta sit ad volendum aut nolendum, & sit sine principio externo) sine vlla coactione.* Nominatur hęc facultas arbitrium, respectu mentis mouentis obiectum eligendum aut repudiandum, aut etiam suspendendum. Liberum verò dicitur respectu voluntatis vltra sequentis iudicium intellectus, sine vlla coactione.

Atque hoc est quod dicunt *agere ex præeunte deliberatione*: qui est modus agendi volũtatis proprius. Hoc enim est discrimen *agentis naturalis & voluntarij*: quòd *naturalis causa* ad vnum ac certum agendi modũ ordinata seu determinata, seu apta est, nec potest actionem suam admoto obiecto in quod agat, suspendere: vt ignis non potest non vrere admotum corpus, quod vri potest. *Voluntas* autem ad oppositum vel ad diuersum obiectum eligendum vel repudiandum, vel ad differendam electionem est idonea: vt homo potest velle ambulare vel non ambulare, vel ambulandi voluntatem differre. Ex hac principali significatione vocabuli *libertatis*, oritur etiam altera, quæ itidem est

relatio, sed alia quàm de qua suprà dictum est, videlicet *ordo mutabilis inter voluntatem siue agens voluntarium & effectum voluntarium*, qui ordo à natura causæ voluntarię existit,& se ad contingentiam habet tanquã species ad genus. Quod enim liberè fit, contingenter fit: sed non quicquid contingens est, liberum est. Et sicut contingentia est relatio seu ordo inter agens & eueniens contingenter: sic libertas est respectus seu ordo inter agens & factum liberè. Hoc sensu libertas & contingentia actionum humanarum esse dicitur, à voluntate proficiscentium.

Distinguitur etiam libertas, quòd alia sit ab obligatione, alia à miseria, alia à coactione.

Quid sit libertas voluntatis.

Liberum arbitrium est facultas naturæ rationalis, eligendi vel repudiandi obiectum monstratum ab intellectu, proprio motu, interno principio motus, id est, quod in se habet causam qua mouet se sine coactione seu impulsu violento à principio externo, manente interea voluntatis natura integra, siue ad hoc siue aliud agendum vel repudiandum, vel etiam ad suspendendam actionem. Hîc tria sunt obseruanda. 1. *Requiritur vt cognoscas obiectum.* 2. *Consultes de appetendo vel repudiando obiect.* 3. *Vnde proueniat actio boni vel mali.*

Deinde *liberum* hîc intelligitur, *quod interno principio cietur, vt sic agat vel non agat*, unde additum est, *proprio motu. Arbitrium sequitur voluntatem hic agentem, sed præeunte intellectu*, qui ostendit rem vel bonam vel malam, vel apprehendendam vel repudiandam esse.

Cæterùm, *liberum arbitrium differt à libertate voluntatis. Arbitrium* est tanquam concretum cum voluntate & intellectu, vel iudicio præcedente. Nam *liberum arbitrium est ipsum iudicium & voluntas in creatura rationali eligens vel repudians obiectum ab intellectu monstratum:* vel est ipsum velle, seu ipsa actio volendi. *Libertas autem voluntatis est quiddam abstractum:* vocaturque *libera voluntas* propter modum proprium & iudicium voluntatis vt sic agat.

Quid

3. *Quid commune, & quid diuersum habeat libertas voluntatis in Deo & in Angelis & homine.*

Hæc duo sunt communia Deo & rationalibus creaturis, hoc est, angelis & hominibus, quòd numerum ex deliberatione agunt & consilio: & quòd sine coactione volunt ea quę cogitarunt, hoc est, voluntas sua natura idonea existens ad volendum oppositum aut diuersum eius quod vult, aut differendam suam actionem, sua sponte ac vi sibi insita in partem alteram inclinat. De Deo enim dicitur Psalm. 115. *Omnia quæ voluit fecit.* Et de hominibus. Matth. 23. *Ierusalem, quoties volui congregare filios tuos & noluistis.*

Sed discrimina etiam libertatis in Deo & in creaturis consideranda sunt. 1. *Est in intellectu.* Deus omnia à se, perfectè & semper intelligit & agnoscit, neque vlla in eum ignorantia vllius rei, aut vllus error iudicij vnquam potest cadere. Creaturæ autem neq; ex se, neque omnia, neque eædem quouis tempore sciunt, sed quando & quantum ipsis reuelatur. *Intellectus* hîc fit mentio, quia requiritur vt rem intelligas, si vis eligere aut repudiare. *Quis cognouit mẽtem Domini? De die illo ac hora, &c.* Deus dat sapientiam. *nec est vlla res creata quæ non manifesta sit in conspectu ipsius. Illuminat omnem hominem.* Omnia intueri, quæ infinita sunt, est immẽsæ potentiæ & sapientiæ quæ est solius Dei.

Rom. 11. 34. Mar. 24. 36. Isai. 40. 13. Dan. 2. 21. Hebr. 4. 13. Iohan. 1. 9.

2. *In voluntate.* Voluntas Dei à nulla alia causa regitur, aut flectitur, aut pendet quàm à se ipsa. Angelorum verò & hominum voluntates sic sunt actionum suarum causæ, vt nihilominus arcano Dei consilio, & vbiq; præsenti vi & efficacia ad obiectorum electionem aut repudiationem flectantur: siue immediatè à Deo, siue mediatè per instrumenta, aliâs bona, aliâs mala, quibus Deo vti est visum, vt præter æternum & immutabile Dei decretum & consilium eas agere quicquam sit impossibile. Ideoq; vocabulum αὐτεξουσίου maximè propriè deo competit, qui perfectè & simpliciter est sui iuris. De creaturis autem rectiùs vsurpa-

Prou. 21. 30.

tur ἐξουσίαν, quo vtitur Paulus ad Philem. v. 14. Hebr. 10.26. 1. Pet. 5.2.

Deum esse primam suarum actionum causam docet Scriptura. *Omnia quæcunq; voluit fecit.* Qui pro sua voluntate agit tam in exercitu cœlesti, quàm inter habitatores terræ. Creaturarum verò voluntates & consilia à Deo superiore pẽdere, hæc & similia dicta probant: *Dominus mittet angelum suum coram te. Vade & congrega seniores Israel. Hunc definito consilio & prouidentia Dei deditum interemistis. Scio vos per ignorantiam feciſſe ista: &, Deus autem hęc impleuit: &, Coacti sunt Herodes & Pontius Pilatus, vt facerent quæcunque manus tua & consilium tuum prius definierat facienda.* Psal. 115. 3. Dan. 4.32. Gen. 24.7. Exod. 3.16. Act. 2.23. & 4.27.

Voluntas Dei à nulla alia creaturarum pendet, sed regitur à superiore, videlicet Deo. Nam omnes causæ secundæ, sicut creatæ sunt à deo, ita ab eo regũtur tãquam priore. Dei voluntas autem à nullo: quia alioqui poneretur causa secunda ante primam Deus autem sicut non habet causam efficientem, ita nec flectentem. *Cor regis in manu Dei,* inquit Solomon. Prou. 21.1.

Flectitur voluntas naturæ rationalis, non rapitur, id est, ostensis subiectis à mente efficaciter mouetur voluntas ad volendum quod tunc bonum iudicat, & repudiandum quod malum videtur.

Tam ad intellectum quàm ad voluntatem pertinet quòd Deus sicut immutabiliter omnia scit, sic etiam decreuit ab æterno, & vult immutabiliter omnia quę fiunt, quatenus bona sunt, & permittit quatenus peccata sunt: Creaturarum autem sicut notitię & iudicia de rebus sic etiam volũtates mutabiles sunt, vt velint quod antea nolebant, & nolint quod antea volebant. Cum enim Dei consilia omnia sint optima, iustissima & sapientissima, nunquam ea improbat, corrigit, aut mutat, sicut homines sæpe faciũt, cùm se imprudẽter antea statuisse agnoscunt. Neq; Deus à causis secundis earum vel motib. actionib. aut mutationib. pendet aut capit sicut creatura: sed cum ipse prima causa sit, omnes

omnes omnium creaturarum, actiones ab ipsius consilio dependent. Non enim sicut homines, consilium de fine capit ex mediorum siue antecedentium contẽplatione, sed ex decreto suo de fine siue consequenti, media siue antecedentia decernit & ordinat, hoc est, non agit deus, prout viderit causas secũdas agere: sed sic facit vel permittit causas secũdas agere prout ipse agere decreuit. Huc illa dicta pertinent, Num. 23. *Non est homo Deus, vt mentiatur, &c.* Malach. 3. *Ego Iehoua & non mutor.*

Ob. Decretum Dei est immutabile. In quo consistat libertas diuina.

Obiect. *Qui consilium mutare non potest, liberam voluntatem non habet: Deus autem consilium quod semel cœpit, mutare nunquam potest. Non igitur libera est eius voluntas.* Primò negamus Maiorem: Non enim is, qui non mutat consilium quod cœpit, non est liberæ voluntatis: sed is qui capere aliud, impeditus à causa externa, non potuit. Libertas autem diuina non in mutatione voluntatis aut consilij consistit, sed in eo, quòd Deus quæcunque vult, summa voluntate, & à se ipso vult, & omnia quæ de creatione, conseruatione & gubernatione rerum ab æterno decernit, vel non decernere, vel aliter decernere potuisset: iuxta hæc dicta, Mat. 19. Luc. 18. *Apud homines, hoc est impossibile: apud Deum autem non est impossibile omne verbum.* Hæc & similia dicta ostendunt, Deum sic ab æterno instituisse apud se rerum creationem & Eccl. collectionem ac seruationem, non quia hoc omittere, aut aliter instituere non poterit, sed quia sic illi visum fuit, nec aliam aut superiorem ipsius voluntate causam omnium diuinorum operum, quę in creaturis exercet, quęri oportere, nec aliam in iis necessitatem reperiri, quàm quę ex liberrima Dei ordinatione pendet. *Vt enim tale consilium capere quod mutandũ sit, sic etiam illud siue in melius siue in deterius mutare, seruitutis magis quam libertatis est: Eiusmodi verò consilium capere, quod decerni quidem aut non decerni equè potuerit, postquam autem decretum est, nec mutetur, nec mutandum vnquam sit; hoc demum perfectæ ac diuinæ libertatis*

tatis est, Tam igitur immutabilitas in Deo, libertatem eius non minuit, quam immortalitas & alia quę diuinitatis sunt propria. Secundò si quis vrgeat, *libertatis esse, non tantùm capere consilium quod libuerit, sed etiam postquam cœperis, illud persequi aut mutare posse:* ex iis quę dicta iam sunt, intelligitur, hoc in creaturas competere, quę errare in suis cõsiliis possunt, ac proinde mutationibus indigent, non autem in Deum, qui errare, ac proinde mutationem consilij expetere, nunquam potest.

Denique si instent: *Quòd mutare consilium semel initum, non posse, sit facultatis siue potentiæ defectus; atque idcirco libertati diuinæ aduersum:* Respondemus antecedens verum esse, si mutatio sit impossibilis propter impedimentum ab aliqua externa causa, vel propter naturę aut facultatis defectum: falsissimũ verò esse, si mutationis impossibilitas ex naturæ illius, quę non mutatur, perfectione, & consilij, quod immutabile est, sapientia & rectitudine, & voluntatis in eo quod rectum & bonum est, perseuerantia & constantia proficiscitur, sicut in Deo fieri constat.

Contra illud autem, quod omnium creaturarum voluntates sic à Deo gubernari dictum est, vt neque velle, quod ille ab æterno non decreuerit, neque non velle possint, quod ab ipso decretum est vt velint: magis disputari solet. Contra gubernationẽ voluntatis creatæ.

Quod immutabili Dei voluntate regitur non agit liberè. Voluntas angelorum & hominum regitur immutabili voluntate Dei Ergo aut nulla est eius libertas, aut non pendet eius electio à voluntate diuina. Responsio est ad Maiorem per distinctionem: Non est liberum agens quod à Deo regitur sine deliberatione & electione propria. Quod autem Deus regit, monstrans intellectui obiectum, & eo efficaciter mouens atque afficiens voluntatem ad illud eligendum, id nihilominus liberè eligit, etiamsi nutu & voluntate Dei, quò ipse vult, inclinetur. Liberè enim agere in creaturis non est ex nullius gubernatione, sed ex deliberatione & motu volun- Ob. 1. Regugnat libertati.

Libera actio creaturę quæ.

voluntatis proprio & ſpontaneo agere, etiamſi hic motus aliunde excitetur & regatur. Non igitur immutabilitas & operatio diuinæ voluntatis & prouidentiæ, ſed iudicij priuatio & coactio, quæ eſt impulſio ſeu motio non ab interno principio ſeu facultate, ſed tantùm ab externa cauſa, præter vel contra naturam eius quod mouetur, profecta, libertati repugnat. Talis verò impulſio in voluntatem non competit: ſed mouet eam Deus obiectis alliciens, vt eligat quod ipſe vult.

Neceſſitas non tollit libertatem. 1.

Porrò *neceſſitatem ſiue immutabilitatem*, quæ non ex coactione, ſed ex natura voluntatis, aut eius per alias cauſas ad eligendum vel repudiandum obiectum à mente cogitatum, commotione exiſtit, nequaquam cum libertate voluntatis pugnare, facilè oſtendi poteſt. Primùm, quia hæc neceſſitas mentis iudicium & voluntatis aſſenſum ſpontaneum non tollit, ſed efficit & conſeruat, quandoquidem Deus & notitias & electionem obiectorum in hominibus efficit.

2. Deus neceſſariò bonus. &c.

Secundò, Quia Deus etiamſi naturâ, hoc eſt, ſumma & abſoluta neceſſitate bonus eſt, & Filium genuit & Sp. ſanctum habuit ab æterno: tamen non coactè ſed liberrima voluntate exiſtere, viuere, beatus & bonus eſſe, Filium & Spiritum ſanctum habere, & omnia ſua conſilia & opera bona & iuſta eſſe vult, quantumuis impoſſibile ſit, eum his contraria velle. *Si igitur abſoluta neceſſitas hæc volendi in Deo, non tollit ſummam libertatem, non dubium eſt, quin ea quę tantùm ex hypotheſi, hoc eſt ex decreto & gubernatione diuina eſt, neceſſitas, nō tollat libertatem eam, quæ creaturis competit, hoc eſt iudicium & electionem ſpontaneam.*

3. Sancti neceſſariò volunt tantùm recta.

Tertiò, Sancti angeli & homines beati in vita cæleſti, etiam aduerſarijs confitentibus, maiori libertate voluntatis præditi ſunt, quàm in hac vita ſumus. Illi autem neceſſariò tantū recta & iuſta volunt, omniaq; mala & iniuſta oderunt & auerſantur: eò quòd tales

tales à Deo facti & sic ab ipso confirmati sunt,& Spiritu sancto illuminantur & reguntur, vt aliter velle aut agere non possint:neque hac necessitate bona ac Deo placẽtia volendi, libertas voluntatis in ipsis tollitur aut minuitur, sed augetur potius & cõfirmatur, vt qui summa voluntate tantũ iusta eligant & faciãt.

Quartò multis testimonijs Scripturæ ostenditur, voluntates & actiones voluntarias hominum bonorum & malorum,quas liberas esse & fuisse aduersarij contendunt, & nos rectè intellecto libertatis vocabulo,libenter confitemur,sic regi arcano & immutabili diuinitatis consilio, vt aliter agere & fieri nec possint nec potuerint.Aut igitur tot manifestæ scripturæ loca negari, aut palam corrumpi,aut concedi, oportet, vnam & eandem voluntatis actionem liberam & contingentem respectu voluntatis, & necessariam respectu diuinæ gubernationis esse.

4.Eadẽ actio est & contingens & necessaria, respectu diuerso.

Quintò, multis scripturæ testimoniis ostenditur omnes effectus contingentes retinere suam contingentiam,quam ex natura suarum causarum habent, etsi fiant ex immutabili determinatione consilij seu prouidentiæ diuinæ. Omnes autem effectus siue motus voluntarij sunt contingentes respectu voluntatis,quæ ad oppositа eorum facienda erat sua natura æquè idonea. Ergo retinent contingentiam, hoc est,libertatem suam(hæc enim actionum voluntatis est contingentia) etiamsi à voluntate diuina sic determinati sint,vt alij existere non possint. Ratio Maioris in hoc argumento est, quod ita Deus mouet causas secundas,& per eas quæ vult efficit,vt interea naturam earum, quam illis in creatione indidit, sua prouidentia non destruat aut aboleat, sed potius conseruet, ac foueat, vt quantum ad ipsarum naturam attinet,aliæ contingenter, aliæ necessariò agant,etiamsi quoad libertatem consilij diuini,omnes contingenter, & quod ad immutabilitatem decreti diuini,omnes necessariò sic agant. Quando enim Deus

5.Decretũ Dei non tollit contingentiam effectuum.

Deus flectens causas secundas,sinit manere tales quales condidit.

Deus per ſolem exorientem illuſtrat mundum, non talem facit ſolem, qui non neceſſariò exortus illuſtret, aut ſua natura ad non illuſtrandum aptus ſit: tamen vel mutandi naturam ſolis, vel ea manente qualis eſt, non illuſtrandi mundū poteſtas penes Deum eſt, vt in Aegypto & in paſſione Chriſti oſtendit. Quando item coturnices aduolant ad caſtra Iſraëlitarum, & corui cibum ferunt Eliæ, & paſſer vnus in terram deuolat, non talem Deus facit naturam iſtorum animalium quæ aliò ferri non poſſit: & tamen ea, propter intercedentem Dei voluntatem, non alium quàm eum quem habent, motum habere poſſe, Scriptura palam aſſeuerat. Hinc manifeſtum eſt, vt in alijs contingenter agentibus, contingentiam, ita in voluntate libertatem illi à Deo inditam, non tolli per diuinam gubernationem, ſed potius conſeruari.

Qualis libertas ponenda in creaturis.

Iam igitur in argumento ſuo aduerſarij ſi libertatem eam intelligunt, quæ in mentis deliberatione & voluntatis aſſenſu ſpontaneo conſiſtit, non modò concedimus, ſed melius etiam quàm ipſi defendimus voluntatis libertatem in omnibus eius actionibus: & ſic falſa erit maior argumenti, quod videlicet quæ immutabili Dei decreto fiunt, non fiant libera voluntate hominum & angelorum. Hanc enim libertatem prouidentia Dei adeò nō impedit, ſed potius ſtabilit atq; confirmat, vt ſine hac ne quidem poſſit illa conſiſtere: ſiquidem Deus & ſeruat ſuum ordinem quem in creatione inſtituit, perpetua ſua efficacia & operatione, & notitias veras atque electionem rectam ſua virtute omnibus inſpirat. Sin libertatem creaturis vendicant, à nullo alio principio, à quo gubernatur pendentem, totū argumentū negamus, vt qui talem libertatem creaturarum cum vniuerſa Scriptura pugnare, eamq; ſoli Deo competere ſciamus. *Ipſi enim ſoli omnia ſeruiunt: In ipſo ſumus, viuimus, & mouemur:* ipſe non tantùm vitam ſeu facultatem ſe mouendi, ſed etiam halitum, id eſt, motum ipſum cor-

Pſal. 119. Act. 17.

nibus ſuppeditat.

Eòdem & hæc ob.ſpectat: *Si voluntas dum conuertitur à Deo, aut ad alia obiecta flectitur, nõ poteſt repugnare; habet ſe purè paſſiuè.* Sed fallit eos hęc cõſecutio, cùm non ſit ſufficiens enumeratio in antecedente actionum, quas voluntas dum flectitur à Deo, poteſt habere. Poteſt enim non tantùm repugnare Deo mouenti, ſed etiam ſuo ac proprio motu aſſentiri & obſequi. Hoc autem faciens minimè ocioſa eſt, nec tãtùm patitur, ſiue mouetur, ſed etiam agit & ciet ipſa ſuas actiones. *Atque hoc ipſum tamen de actionibus voluntatis intelligendum eſt, non de qualitatibus ſiue inclinationibus nouis ad obediendum Deo. Has enim non ſua, ſed ſolius Spiritus ſancti operatione accipit voluntas.*

Ob.2. Voluntas ſe habet puré paſſiuè.

Tertiò dicunt: Quod repugnat voluntati diuinæ, id non regitur ab ea, Voluntas hominum repugnat Deo in multis actionib. Ergo non ſemper regitur à Dei voluntate. Sed non valet conſequentia, cùm ſint quatuor termini. Maior enim vera eſt, ſi intelligatur volũtas Dei patefacta & arcana, ita vt ſimpliciter ei repugnetur, & fiat quod ipſa ſimpliciter ſiue nullo modo vult: id quod fieri eſt impoſſibile propter omnipotẽtiam & libertatem diuinam. In Minore autem intelligi oportet voluntatem Dei quatenus patefacta eſt. Arcana enim diuinę voluntatis & prouidentiæ decreta ſemper ſunt rata, & in omnibus perficiuntur, etiam in iis qui præceptis diuinis quàm maximè aduerſantur. Neque tamen in Deo ſunt voluntates contrariæ. Nihil enim in arcanis ipſius conſiliis reperitur, quod cum natura eius in verbo patefacta pugnet: Et in lege ſua Deus quid probetur & placeat ipſi, quidve cum natura ſua & ordine ſuæ mentis congruat, nobis patefacit: non autem promittit aut patefacit quantum ſingulis gratiæ ad obtemperandum ipſius præceptis dare velit aut conſtituerit.

Ob.3. Repugnat deo.

Voluntas ſigni & beneplaciti.

Quartò de hac obiectione: *Si omnes motus voluntatum etiam malarum, dei voluntate excitantur & reguntur:*

Deus per ſolem exorientem illuſtrat mundum, non talem facit ſolem, qui non neceſſariò exortus illuſtret, aut ſua natura ad non illuſtrandum aptus ſit: & tamen vel mutandi naturam ſolis, vel ea manente qualis eſt, non illuſtrandi mundũ poteſtas penes Deum eſt, vt in Aegypto & in paſſione Chriſti oſtendit. Quando item coturnices aduolant ad caſtra Iſraëlitarum, & corui cibum ferunt Eliæ, & paſſer vnus in terram deuolat, non talem Deus facit naturam iſtorum animalium quæ aliò ferri non poſſit: & tamen ea, propter intercedentem Dei voluntatem, non alium quàm eum quem habent, motum habere poſſe, Scriptura palam aſſeuerat. Hinc manifeſtum eſt, vt in alijs contingenter agentibus, contingentiam, ita in voluntate libertatem illi à Deo inditam, non tolli per diuinam gubernationem, ſed potius conſeruari.

Qualis libertas ponenda in creaturis.

Iam igitur in argumento ſuo aduerſarij ſi libertatem eam intelligunt, quæ in mentis deliberatione & voluntatis aſſenſu ſpontaneo conſiſtit, non modò concedimus, ſed melius etiam quàm ipſi defendimus voluntatis libertatem in omnibus eius actionibus: & ſi falſa erit maior argumenti, quod videlicet quæ immutabili Dei decreto fiunt, non fiant libera voluntate hominum & angelorum. Hanc enim libertatem prouidentia Dei adeò nõ impedit, ſed potius ſtabilit atq; confirmat, vt ſine hac ne quidem poſſit illa conſiſtere: ſiquidem Deus & ſeruat ſuum ordinem quem in creatione inſtituit, perpetua ſua efficacia & operatione, & notitias veras atque electionem rectam ſua virtute omnibus inſpirat. Sin libertatem creaturis vendicant, à nullo alio principio, à quo gubernatur pendentem, totũ argumentũ negamus, vt qui omnem libertatem creaturarum cum vniuerſa Scriptura pugnare, eamque ſoli Deo competere ſciamus. *Ipſi enim ſoli omnia ſeruiunt: In ipſo ſumus, viuimus, & mouemur:* ipſe non tantùm vitam ſeu facultatem ſe mouendi, ſed etiam halitum, id eſt, motum ipſum cor-

Pſal. 119. Act. 17.

nibus ſuppeditat.

Eòdem & hæc ob.ſpectat: *Si voluntas dum conuertitur à Deo, aut ad alia obiecta flectitur, nõ poteſt repugnare; habet ſe purè paſſiuè.* Sed fallit eos hęc cõſecutio, cùm non ſit ſufficiens enumeratio in antecedente actionum, quas voluntas dum flectitur à Deo, poteſt habere. Poteſt enim non tantùm repugnare Deo mouenti, ſed etiam ſuo ac proprio motu aſſentiri & obſequi. Hoc autem faciens minimè ocioſa eſt, nec tãtùm patitur, ſiue mouetur, ſed etiam agit & ciet ipſa ſuas actiones. *Atque hoc ipſum tamen de actionibus voluntatis intelligendum eſt, non de qualitatibus ſiue inclinationibus nouis ad obediendum Deo. Has enim non ſua, ſed ſolius Spiritus ſancti operatione accipit voluntas.*

Ob.2. Voluntas ſe habet puré paſſiuè.

Tertiò dicunt: Quod repugnat voluntati diuinæ, id non regitur ab ea, Voluntas hominum repugnat Deo in multis actionib. Ergo non ſemper regitur à Dei voluntate. Sed non valet conſequentia, cùm ſint quatuor termini. Maior enim vera eſt, ſi intelligatur volũtas Dei patefacta & arcana, ita vt ſimpliciter ei repugnetur, & fiat quod ipſa ſimpliciter ſiue nullo modo vult: id quod fieri eſt impoſſibile propter omnipotẽtiam & libertatem diuinam. In Minore autem intelligi oportet voluntatem Dei quatenus patefacta eſt. Arcana enim diuinę voluntatis & prouidentiæ decreta ſemper ſunt rata, & in omnibus perficiuntur, etiam in iis qui præceptis diuinis quàm maximè aduerſantur. Neque tamen in Deo ſunt voluntates contrariæ. Nihil enim in arcanis ipſius conſiliis reperitur, quod cum natura eius in verbo patefacta pugnet: Et in lege ſua Deus quid probetur & placeat ipſi, quidve cum natura ſua & ordine ſuæ mentis congruat, nobis patefacit: non autem promittit aut patefacit quantum ſingulis gratiæ ad obtemperandum ipſius præceptis dare velit aut conſtituerit.

Ob.3. Repugnat deo.

Voluntas ſigni & beneplaciti.

Quartò de hac obiectione: *Si omnes motus voluntatum etiam malarum, dei voluntate excitantur & reguntur:*

Ob. 4 Deus est causa peccati. Motus impiorũ quatenus peccata sunt.

Multi autem ex his pugnant cum lege diuina & peccata sunt: videtur Deus peccatorum effector cõstitui. Resp. Paralogismum accidentis esse. Pugnant enim cũ lege non quatenus à Dei voluntate ordinantur aut proficiscũtur (hactenus enim optimè cum iustitia & lege diuina congruunt) sed quatenus à diabolis aut hominibus fiunt: idq; propter hunc defectum, quod aut voluntatem Dei in agendo non agnoscunt, aut eius intuitu ad agendum non mouentur, hoc est, fine nõ agunt, vt Deo sic voléti obtemperent. Quid quid enim hoc fine fit, nequaquam pugnat cũ lege, cùm lex non nisi cum ea conditione præcipiat aut prohibeat quidquã, si deus diuersum facere aliquid non iusserit. Sic enim vetat lex Dei quenquam occidere, nisi quem occidi ab aliquo Deus iusserit. Qui igitur Deo non iubente occidit, is haud dubiè contra legem facit ac peccat: Neque Deus à se aut a lege sua dissentit, cùm aliquid præter communem regulam in lege à se præscriptam, siue patefacta, siue arcana voluntate vult fieri. Omnium enim suorum consiliorũ fines & causas eas habet, vt naturæ ipsius & iustitię non possint non accuratissimè congruere. Quintò: *Libertas quæ aliundè regitur, non potest esse imago libertatis non aliunde pendentis, quæ in Deo est. At libertas voluntatis, humanæ est imago libertatis in Deo. Ergo libertas voluntatis humanæ non pendet aut regitur à voluntate diuina.* Maiorẽ negamus. Cùm enim simile nõ sit idem, ad cogitandam aliquo modo libertatem diuinam, satis est creaturas rationales ex deliberatione & spõtanea voluntatis electione agere, etiamsi huius electio in creaturis simul ab ipsis & ab alio, in Deo autem à nullo alio, quam ab ipsa mente diuina regitur. Vt enim aliarum facultatum siue attributorum sic etiam libertatis gradus pares esse in deo & in creaturis est impossibile, cùm omnia in Deo infinita, in creaturis finita sint. Cùm igitur sapientia, iustitia, robur, &c. in creaturis imago sit immensę sapientiæ, iustitiæ,

Ob. 5. Libertas non esset imago

iustitiæ & potentiæ in Deo, etiam libertatis modus creaturis competens, imago libertatis diuinæ esse potest.

Sextò, *Si creatura quod Deus vult fieri, non potest non facere, & quod Deus non vult, creatura non potest facere, nulla est actio voluntatis, sed ea se habet tantùm passiuè, præsertim in conuersione, quæ est opus Dei: nullus item est vsus legum, doctrinæ, disciplinæ, hortationum, minarum, pœnarum, exemplorum, promissionum, studij deniq; & conatus nostri, &c.* Negamus consequentiam: Quia posita causa prima siue principali, nequaquam tollitur secunda siue instrumentalis. Sicut enim Deus illustrat mundum ac terram vegatat, fruges producit, alit animalia, &c. & tamen non otiosa sunt organa diuinę operationis, vt sol, pluuia, terra, agricolę, alimenta, &c. sic homines Deus conuertit, regit ipsorum consilia, voluntates, & actiones, hoc est, docet ac permouet eos ad assentiendum & eligendum quodipse vult, legibus magistratibus, doctrina, præmiis, pœnis, atq; ipsa deniq; voluntate vtens tanquam instrumentis, non quia sine his mentem notitiis illustrare & volũtatem flectere non posset, sed quia per hæc suam potentiam exercere ipsi visum est.

Ob. 6. Media essent inania.

1. Inst. Etiam sine mediis consequitur effectus.

Si instent, *necessariò futurum esse quod fit, etiam sine illis. Frustra igitur adhiberi:* Negamus antecedens. Etsi enim posset Deus sine his mouere voluntates, & si ita decreuisset facere, omnio sine his facturi essent homines, quę his permoti faciunt; Tamen postquã Deus ita decreuit effectus, vt simul destinauerit eorum causas secũdas instrumentales & inpulsiuas, fiet quidem id quod vult Deus fieri, sed non sine mediis & causis secundis, quarum opera & interuentu deus consilia & decreta sua vult perficere, Luc. 11. *Dabit S.S. petentib. Quos prædestinauit, hos & vocauit. Inst. 2. Etiãsi concedatur in iis nõ esse hæc inania, in quib. deus per ea vult esse efficax: tamen in aliis qui non permouentur, nullum iſtarum rerum fore vsum: 1. Resp. etsi nullus esset vsus*

In Inst. 2. impiis nihil prosunt.

tamen, cùm nobis, quos mouere aut non mouer. Deus velit, non perſpectum ſit, in omnibus docendis & vrgendis elaborandum eſt, ac deo commendus euentus & laboris fructus: 2. Tim. 4. *Prædica ſermonem, inſta tempeſtiuè, intempeſtiuè, &c.* Ezech. 3. *Si admonueris impium & nõ reſipuerit, ipſe in impietate ſua moriebit, tu verò animam liberaſti.* Secundò; non valet conſequentia à negatione vnius ſpeciei ad negationem generis, ſiue à non ſufficienti enumeratione. Etſi nim multi non obtemperãt doctrinæ & monitionibus, nec mouentur præmiis & pœnis: tamen hic ſus magnus eſt, quod hoc modo ipſorum prauitas, contumacia detegitur, atque ita iuſtitia Dei in ipſ puniendis fit illuſtrior: Ioan. 15. *Si opera non feciſſ inter eos, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberẽt:* Rom. 1. *Deus eis manifeſtum fecit, ad hoc vt ſint inexcuſabiles, &c.* 2. Cor. 2. *Chriſti bona fragrantia ſumus Deo iis qui ſeruantur, & in iis qui pereunt.*

Septimò: Heb. 9. *diſciplina externa nominatur iuſtitia carnis. Ergo pendet à voluntate humana.* Neganda conſequentia: quę non valet à poſitione cauſę ſecundæ ad remotionem primæ. Vt enim nõ ſequitur diem efficit, Ergo Deus non efficit: ita neque ſequitur: Non renati præſtant diſciplinam, Ergo ciunt hoc non efficiẽte in ipſis & regente ipſos

Octauò: allegant etiam teſtimonia, *quæ libertatem voluntate homines bona vel mala facere confirmant, vt* 35, *Filij Iſrael voluntaria obtulerunt Domino.* Deut. *Propoſui vobis vitam & bonum, benedictionem & maledictionem: Elige ergo vitam vt viuas, &c.* Sed his & nib. locis ſimilib. tantùm ea libertas voluntatis manæ, de qua ſuprà dictum eſt, aſſeritur, quòd licet voluntas præeunti iudicio intellectus ſpontaneo ſine vlla coactione obtẽperet aut repugnet, nequaquam autem diuina gubernatio à voluntariis actionibus remouetur. Oſtenſum eſt enim prà, hanc volũtatis libertatem cum neceſſitate

illam ex prouidentia Dei comitatur non pugnare.

Nonò: Proferunt etiam teſtimonia, *in quibus neceſſitas remouetur ab actionib. voluntariis*, Leuit. 22. *Voluntariè ex his offerri poteſt.* Act. 5. *Nonne ſi ſeruaſſes, manebat tibi, & venũdatũ in tua erat poteſtate?* 1. Cor. 7. *Qui ſtat firmus in corde, nec adigitur neceſſitate, ſed in poteſtate habet propriam voluntatẽ &c.* 2. Cor. 9. *Quiſq; ſicut præoptat in corde, ita agat.* 1. Pet. 5. *Paſcite gregem Dei, curam illius agentes non coactè, ſed libenter, &c.* Loquuntur autẽ hæc dicta partim de obligatione, quæ aliquando neceſſitatis nomine ſignificatur, ſicut libertatis nomine obligationis ſolutio, vt Leuit. 22. Act. 5. patim de coactione, vt. 2. Cor. 9. 1. Pet. 5. vel etiã de indigentia, vt 1. Cor. 7. quæ tamen ad obligationem & ipſa referri poteſt, qua tenentur parentes, vt infirmitatis liberorum rationem habeant. Sic & poteſtas voluntatis eo loco ius ſiue facultatem ſtatuendi ſignificat nulla obligatione obſtante. Obligationis autem vel coactionis remotio nequaquam tollit immutabilitem actionis voluntariæ, ex decreto diuino pendentem. Tam enim voluntas eius qui non obligatus eſt aut nulla inopia vel indigentia cogitur, diuinæ prouidentiæ cõſilio gubernatur, & flectitur, quàm eius, quem obligatio vel indigentia conſiliũ aliquod ſuſcipere cogit. Non igitur negat Scriptura, voluntatẽ, à Deo flecti & regi, cùm obligatione vel inopia vel metu ad agendum non impellitur: Sunt enim præter has aliæ rationes & cauſæ plurimæ quibus eam permouere ad volendũ aut nolendum deus poteſt.

Decimò: proferunt dicta, *quæ homines aliquid velle aut facere teſtantur, Deo diuerſum iubente & volente.* Iere. 7. *Quia vocaui vos & non reſpondiſtis, faciam domui huic, ſicut feci Silo.* Mat. 23. *Ieruſalem, Ieruſalem, quoties volui congregare liberos tuos, quemadmodũ gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſtis?* Si igitur quod noluit deus, fecerunt; actiones ipſorum tantùm à propria & non à Dei voluntate pendebãt. Fallacia eſt à

dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter. Nõ vult enim Deus actiones peccantium, quatenus peccata ſunt: ſed vult eas quatenus ſunt peccatorum pœnæ, & iuſti iudicij ipſius exequutio. Non igitur valet iſta conſequutio: *Deus non vult actiones impiorũ quatenus ſunt peccata: Ergo ſimpliciter eas non vult fieri, ſed à ſola impiorum voluntate pendent.* Si. n. ſimpliciter eas nollet, fieri nullo modo poſſent. Ac niſi aliquid in nobis eſſet, quod iuſtitię & naturę diuinę congrueret, non eas pro immenſitate ſuæ bonitatis fieri pateretur. Si inſtent, *Deum velle contraria his quæ agunt homines*, vt dicitur, *Quoties volui te congregare. Ex ſola igitur hominum voluntate fieri id quod homines faciũt:* eadem reſponſio eſt: Deũ videlicet velle obedientiam omnium creaturarum rationalium erga ſuã legem, quoad præceptionem & approbationem. Ab omnibus.n. requirit eam, & omnes ad eam obligat, eamq; in omnib. approbat, velut naturæ & puritati ſuæ congruẽtẽ: ſed non ſemper, nec in omnibus vult eam, quoad efficaciã ſiue gratiã, qua gubernati faciant id quod Deus approbat & requirit. Deut. 29. *non dedit vobis Iehoua cor intelligens & oculos videntes, aures audientes, vſque in hunc diem, &c.*

Voluntas ſigni & beneplaciti.

4. *Sit ne aliqua, & qualis ſit libertas in nobis.*

Eſſe in hominibus libertatem voluntatis, probatur. 1. *Quia homo conditus eſt ad imaginem Dei.* Voluntas autem libera eſt pars imaginis Dei. 2. Ex locis Scripturæ, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu cõſilij ſui.* 3. Ex illius libertatis definitione, ea nimirum quæ homini congruit. Nam homo agit ex deliberatione, liberè ſcilicet, cognoſcens, appetens, & repudians hoc vel illud obiectum. Quoniam autem definitio conuenit homini. Ergo & definitum.

Gen. 1. 26. Eccle. 15. 14. 15.

Obiect 1, Si eſt in homine Libertas voluntatis, euertitur doctrina de peccato originis; pugnat enim non poſſe obedire

& habere libertatem. Resp. Non pugnat, quia habemus libertatem voluntatis non talẽ qualem ante lapsum neq; etiam eodem gradu, *Ob.2. Qui non habet æquè voluntatem ad bonũ atq; ad malum, non habet liberam voluntatem: sed homo nõ habet æquè volũtatem ad bonum, atq; ad malum. Ergo non habet liberam voluntatẽ. Resp.* Nego maiorem: quia arg. sumptũ est à mala definitione liberæ voluntatis. *Obiect.3. Quod aliunde pendet, non est liberum: voluntas* nostra aliunde dependet. *Ergo non est libera. Resp.* sunt.4. termini: Maior est de libertate iuris: Minor autem de libertate voluntatis, quam nõ impedit libertas iuris. *Instantia. Maior loquitur de libertate voluntatis. Resp.* Distinguenda est igitur Maior. Quod ab alio pendet, aut regitur tantùm non est liberum. Humana verò voluntas ab alio regitur, & à se. Sic enim homines mouet Deus, vt tamen nequicquam rapiantur, sed & seipsos moueant. Quæ autem natura tantùm à se mouetur, est solius Dei, cuius infinitè maior est libertas, quàm creaturarum. Sufficit interim ad libertatem in hominibus quòd velint aliquid liberè & propitio motu.

5. *Gradus liberæ voluntatis quatuor.*

Ex gradib. Libertatis humanæ voluntatis, qualis illa sit, facilè cognosci poterit. Quatuor autem sunt gradus illius libertatis in homine.

Primus gradus Libertatis fuit in homine nondũ lapso ante peccatum, nempe ea facultas homini diuinitus data, qua mens illustrata fuit integra ac certa Dei & voluntatis diuinę agnitione, qua & voluntas inclinatione sua & motu spontaneo præstabat integram obedientiam voluntati Dei agnitę. Sed tamen in hac inclinatione & agnitione non ita confirmata fuit voluntas, vt obiecta spe alicuius boni ad deficiendum, ab illa obedientia declinare, & deficere suo & spontaneo motu non posset. *Breuius: Ante lapsum* fuit talis facultas in homine, vt posset velle & prẹstare integrã

obedientiam, vt posset esse conformis Deo, & eligere illam conformitatem. Deinde vt posset ab illa deficere. *Breuissimè. Ante lapsum* aptitudo fuit in homine ad eligendum bonum vel malum: fuit autem homo conformis Deo perfectè, quia *erat ad imaginem Dei conditus.* Item omnia *quæ fecerat Deus, erant valde bona.* Fuisse autem in primis parentibus cum perfecta Dei cognitione & obedientia coniunctam aliquam infirmitatem, quæ vinci posset magnitudine & impetu alicuius tentationis, euentus ipse satis euidenter ostendit. Ac singulari Dei consilio tantum gratiæ collatum non fuisse primis hominibus, vt tentatione diaboli non possent seduci, & ad peccatum permoueri, testatur Paulus Rom. 11. cùm ait: *Conclusit Deus omnes in contumacia, vt omnium misereretur.* Item Rom. 9. dicens, vasa iræ à Deo præparata esse ad interitum, ostendit Deum ideo siuisse labi genus humanum, qui ait non modò misericordiam erga electos, sed iram quoque suam & potentiam & iustitiam in puniendis reprobis declarare ipsi visum fuerit. Præterea cùm nihil sine æterno & optimo Dei consilio fiat, etiam lapsus primorum parentum tantò minus ab eo potest eximi, quantò magis de præcipuo suo opere, nempe mirum de genere humano, Deus quid fieri vellet, accuratè ab æterno constitutum habuit.

Gen. 1. 27. & 31.

Creatura Deo regente, bene: deserente, malè agit.

Deniq; iustitiam & conformitatem cum Deo retinere creatura nullo modo potest, nisi Deo qui dedit eam conseruante: nec amittere, si ille conseruare velit: iuxta hæc dicta Iacob. 1. *Omne munus bonum, et omne donum perfectum est supernè, descendens à patre luminum, &c.* Iohan. 1. *In ipso vita erat, & vita erat lux illa hominum, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ps. 51. *Sp. S. tuum ne auferas à me.* Ps. 104. *Abscondis faciem tuam, turbantur, &c.* 2. Tim. 2. *Sed dum fundamentum Dei stat, habens sigillum hoc. Novit Dominus qui sint sui.* Et de nostra in vita, cœlesti confirmatione, Matth. 22. *In resurrectione sunt vt angeli Dei*

in cœlo, &c. Vt igitur labi non potuisset homo, nisi deo subtrahente manum, & non efficaciter suo Spiritu voluntatem eius efficiente, & regente in tentatione: ita nec perstare in integritate potuit, cùm tẽtaretur, nisi Deo ipsum sustentante & confirmante, sicut angelos beatos confirmauit, ne cum aliis deficerent.

Ratio humana, suo ingenio, in peccati culpa à se deriuanda, indulgens, cùm hæc audit, tumultuatur, *ac nisi talis benè vel malè agendi libertas homini tribuatur, vt perseuerantia aut lapsus è sola ipsius voluntate penderet, multa absurda consequi fingit. Primò, Deum fuisse causam illius primi peccati, ac per consequens, omnium aliorum peccatorum, vt quæ ex primo lapsu sunt orta: fuisse item causam peccati diaboli seducentis hominem: præsertim cùm primum peccatum non habet rationẽ pœnæ, vt alia peccata: siquidem nullum peccatum, quod peccato illo puniretur, præcesserat: ac proinde cùm Deus illud, non vt pœnam velle potuerit, quatenus peccatum erat voluisse videatur.* Sed etiamsi peccatum sui quoq; ipsius pœnam esse nihil prohibeat: cùm in eodẽ actu & creatura se priuans conformitate cum Deo, peccare, & Deus eam hoc bono priuans, quod ipsa sponte abiicit, punire posset, vt de auaritia dicitur Sirac. 14. *Eo qui inuidet sibi ipsi nullus est deterior, & hæc est merces malitiæ eius:* Tamẽ præter pœnam sunt alij fines, propter quos velle actionem illam & diaboli & hominis, Deo conueniebat. Tentationem hominis à diabolo factam, voluit Deus tanquam explorationem hominis, qua manifestum fieret, an perseueraturus esset in vera pietate erga Deum: sicut ipse Deus immediatè tentat Abrahamũ, quando iubet eum facere quod tamẽ fieri nolebat. Hominis autem assensum, quo obtemperabat in diabolo, contra vocem diuinam, voluit Deus tanquam patefactionem infirmitatis creaturæ, quæ sine singulari instinctu & præsidio diuino, dona quibus à Deo est ornata: retinere non possit: Item voluit hoc factum tanquam occasionem seu viam ad manifestandam

Ob. 1. Deus est causa lapsus. Creatura

ſtandam iuſtitiam & ſeueritatem ſuam in puniendis, & miſericordiam in ſeruandis peccatoribus: vt Exod. Rom. 9. Hæc autem ſpectans & volens Deus in illo diaboli ſuaſu & hominis aſſenſu, nihilominus interea oderat, ac proinde non volebat nec efficiebat, ſed fieri permittebat vtriuſque peccatum.

Ob. 2. Homo non lapſus eſt liberè.

Quòd autem dicunt, *non fuiſſe lapſum hominẽ liberè, ſi non æquè perſeuerare in obedientia potuerit ac labi.* Non valet conſequentia, quia ratiocinantur ex mala definitione *libertatis humanæ*, quam fingunt *non poſſe conſiſtere, ſi à Deo determinetur & regatur.* Teſtatur autem vniuerſa Script. ſufficere ad *libertatem creaturæ, ſi voluntas per ſe ſit flexibilis ad oppoſitum eius quod eligit, & ſua ſponte eligat id quod mens approbat vel improbat.*

Ob. 3. Non iure punitur.

Atque hinc illud etiam diluitur, quòd aiunt, *ſi non potuit homo lapſum effugere, non iuſtè ipſum à Deo puniri.* Nam qui voluntariè peccat, aut peccandi neceſſitatem ſibi attrahit, is iuſtè punitur ſua ipſius cõſcientia eum accuſante: neq; eſt iniuſtum, deſeri eum à Deo: & gratia Sp. S. priuari, qui ſciens & volens eã abiicit, & huius ingratitudinis & contemptus dei pœnas luere, etiamſi is, Deo ipſum deſerente, non poſſit aliter facere. Nullum enim Deus niſi volentem deſerit, vt Matt. 18. *Neceſſe eſt vt eueniant offendicula, verumtamen væ homini illi per quem offendiculum euenit, &c.*

Ob. 4. Deus eſt crudelis.

Tandem autem *Deum inquiunt crudelem, inuidum, & à bonitate ac miſericordia alienum conſtitui, ſi gratiam illam homini non contulerit, ſine qua ipſum in tentatione conſiſtere non poſſe ſciebat: & tamen eum tentari à Diabolo voluerit.* Sed hæ & ſimiles operum & iudiciorũ Dei ſugillationes, haud dubiè cum impietate magna cõiunctæ ſunt, quia principium illud euertunt, quod primus ad pietatem & reuerentiam erga Deum gradus eſt, nimirum, quicquid Deus facit, bonum & iuſtũ & ab ipſius natura & lege non alienum eſſe, ſiue nobis illius ratio conſtet, ſiue non. Hæc igitur reſponſio ſufficeret, non pugnare cum Dei miſericordia & bonitate

tate, quicquid ille facit. Sed non desunt etiam aliæ, videlicet illam gratiæ negationem nõ pugnare, sed optimè congruere cum Dei misericordia & beneficentia, quando hanc maioris gratiæ & beneficij conferendi occasionem esse Deus vult: quemadmodum in hominis lapsu & restitutione manifestum est. Item non pugnare cum misericordia, vel vlla alia virtute, quod ad gloriam summi boni, quod est Deus, illustrandam pertinet. Etsi enim sit misericordiæ non lætari ruina vel destructione creaturæ, tamen misericordia cum iustitia pugnare non debet. Iustũ est autem maiorem summi boni, nempe Dei, rationem haberi, & ab ipso & ab alijs, quàm omnium creaturarũ. Simul igitur optimè cohærent in Deo misericordia nolens mortem morientis, & iustitia sinens genus humanum labi, vt per eius lapsum Dei seueritas & bonitas patefiat.

Secundus gradus est in homine lapso post peccatum, & in non regenerato. In hoc statu agit quidem voluntas liberè: sed tamen fertur ad malum, & nihil aliud quàm peccare potest, nisi à Spiritu sancto regeneretur. *Breuius*, Post lapsum in homine non regenerato est aptitudo tantùm ad malũ eligendum. *Omnes hominis cogitationes malæ sunt. Non sumus idonei ex nobis ipsis ad cogitandum quicquam boni. Natura eramus filij iræ.* Nullus igitur amor dei est in nobis natura: ergo nullam habemus natura propensionem ad obediendum Deo.

Psal. 59. 11.
2. Cor. 3. 9.
Eph. 2. 9.

Hæc autem libertas non renatorum seruitus peccati miserrima est, & mors in peccatis, de qua multis in locis Scriptura docet: vt Ioh. 8. *Qui facit peccatum seruus est peccati*, Rom. 6. *An nescitis quod cui sistitis vos ipsos seruos ad obedientiam, eius serui estis cui obeditis, vel peccati ad mortem, vel obedientiæ ad iustitiã? &c.* 2. Pet. 2. *Libertatem eis pollicentes, cùm ipsi sint serui corruptionis, &c.*

Non renati libertas est peccati seruitus.

Ob. 1. *Nihil facilius* (inquit Erasmus) *quàm continere manus à furto. Item Socrates, Aristides, & plures alij fecerunt multas virtutes. Ergo in ipsis fuit liberum arbitrium*

ad

ad bonum ante regenerationem. Resp. 1. Est mala definitio liberi arbitrij, & boni operis, quod est facultas præstandi obedientiam Deo placentem. Non renati furantur intus cupiditate, etsi non externo facto. 2. Deus sua prouidentia etiam malorum corda gubernat, hinc autem non sequitur, quòd facilè sit incipere internam obedientiam. Neque sunt bona opera coram Deo, hoc est Deo placentia, quæ non habent coniunctam internam obedientiam. Non autem potuit interna obedientia in illis esse, quia non fuerũt renati.

Obiect. 2. *Opera Legis sunt bona: Ethnici fecerunt opera Legis: Ergo Ethnicorum opera fuerunt bona. Resp.* ad maiorem per distinctionem: Opera Legis sunt bona, scilicet per se, fiunt autem mala per accidens, & sic: nõ renatis mala fiunt per accidens hæc opera Legis quia nõ fiunt ab illis eo fine & modo quo deus iussit.

Ob. 3. *Multa etiã de Deo eiusq; voluntate, & de vitæ rectè instituenda veræ notitiæ in mentibus non renatorum supersunt. Secundùm has igitur notitias, & rectæ rationis iudicium agens voluntas non peccat, sed benè operatur: Resp.* Primùm notitias illas legales siue ad primam siue ad secundam tabulam Decalogi pertineant, non esse integras & sufficientes: ideoque Deum, iuxta has lucis diuinæ reliquias coli rectè non posse, nisi accedat agnitio Dei & voluntatis diuinæ ex verbo Dei Ecclesiæ tradito. Deinde, homines non institutos in Ecclesia multa etiam falsa veris notitiis naturæ impressis assuere & erroribus peccata cumulare. Tertiò esse voluntatis & affectuum etiam contra iudicium rectæ rationis contumaciam, vt ne naturalibus quidem notitiis, ne dum iis quæ ex verbo Dei debent accedere, obtemperent. Vnde sunt illæ etiam Ethnicorum querelę: *video meliora, probóque, Deteriora sequor.* Et Paulina accusatio: *Palam est ira Dei de cœlo aduersus omnem impietatem & iniustitiam hominum, &c.*

Obiect. 4. *Quod euitari nequit, id non est peccatum. Non renati non possunt vitare peccatum. Ergo ipsorum opera non sunt*

sunt pro peccatis habenda. Resp. Neganda est Maior. Ad peccatum enim satis est, si sit voluntarium. Quanto autem magis necessariò, tantò maiori voluntate peccant homines. Non igitur possunt necessitatem culpæ obtendere. Probat hoc exemplum diaboli, qui quantò magis necessariò, tantò grauius peccat, sciens ac volens Deo repugnans, & eum afficiens contumelia. Frustra autem & impiè cauillantur, *Iustitiam Dei non imputare diabolo peccata, quæ post sui depravationem necessariò committit: Item, diabolum esse iam finaliter & sine spe veniæ abiectum à Deo, homines autem in hac vita posse in peccato perseverare, aut ab eo desistere: Itaque horum actiones tantùm ea peccata esse, in quibus peccatum euitari possit.* Omnibus enim diabolorum & hominum peccatis Deus irascitur, & omnia punit æternis pœnis, aut æquiualente. Neque ideo necessarium & ineuitabile peccatum desinit peccatum esse, quòd sanationis & veniæ consequendæ spes est aut non est. Quicquid enim contra legem diuinam committitur, id peccatum est, siue vitari siue non vitari possit, siue desistat, siue perseueret is qui peccat.

Ob. 5. *Qui nõ sic operatur bene, vt in ipsius potestate sit bene aut malè facere, is nec laudem nec præmium meretur, At bona quæ faciunt homines, non sunt in ipsorum potestate & arbitrio sita. Ergo nec laudem nec præmia virtutibus merentur.* Resp. Si de merito quæratur, totum argumentum concedimus. Verum est enim nullam creaturam posse quicquam apud Deum mereri, nec laudem vel gloriam nobis debere tribui, quasi bona quę facimus, ex nobis sint, cùm omnia, quæ in omnibus sunt bona, Deus operetur. Si verò nec præmium nec laudem iustè tribui bonis dicant, plus est in conclusione quàm in præmissis. Vt enim testetur Deus iustitiam sibi placere, & suam bonitatem magis magisque exerat, gratuitis eam præmiis ornat, & bona ac iusta ideo laudari debent, quòd bona & Deo placen-

tia

tia: imò quod ipsius dona atque opera & nos ipsius organa simus, quibus se & sua bona communicat iuxta hæc dicta, Ro.8. *Quos elegit, hos & vocauit, &c.*

Ob.5. omnes pariter boni erunt aut mali.

Ob.5. *Qui non habent parem facultatem bonum aut malum eligendi, eos necesse est vel omnes bonos vel omnes malos existere. Non renati non habent boni aut mali eligendi parem facultatem, sed tantùm libertatem eligendi malum. Ergo necesse est omnes pariter malos esse.* Resp. Si de natura humana, qualis est sine gratia Sp.S. intelligatur argum. concedendum est totum. Certum est.n. ante regenerationem omnes æquè à fide & conuersione alienos esse: Imò ne disciplinam quidem externam præstarent, nisi Deo ipsos frenante, ne flagitia perpetrent. Gen.20. *Ego prohibui te, ne peccares mihi.* Sin autem cõcludant manere etiam omnes pariter malos oportere, mouente & flectente S.S. corda & animos ad conuersionem: plus est in conclusione quàm in præmissis. Vt .n. quos Deus non flectit, impossibile est conuerti, sic eos quos ipse dignatur regenerationis gratia, nõ modò possibile, sed etiam necesse est conuerti. Io.6. *Omne quod dat mihi Pater ad me veniet.* Inst. Hoseę 13. dicitur: *Pernicies tua ex te Israel.* Et Ies.57. *Peccata tua diuiserunt. Ergo in voluntate hominis est causa huius discriminis, quòd alij conuertuntur, alij non conuertuntur: nõ autem in collatione aut subtractione gratiæ diuinæ, hoc est, ante gratiam regenerationis donatam, sic sunt alij alijs meliores, vt ipsi accipiant gratiam, quam alij repudiant.* Sed resp. addit Hoseas: *Tantùm ex me salus.* Docet .n. sic pendere salutem nostram ex Deo, vt illa nisi per ipsius misericordiam & gratiam singularem contingere nobis non possit. Est igitur perditio ex pereuntibus quoad meritum pœnæ: sed hoc non tollit causam superiorem, videlicet reprobationem diuinam. Causa enim proxima nõ tollit remotam. Idem de dicto Ies. resp. Peccata separant à Deo electos ad tempus, reprobos in æternum: sed præcedente consilio diuino, quo Deus decreuit sibi adiungere aut abiicere quos ipsi

Inst. Ex te perditio.

ipsi visum fuit. Rom. 9. *Cuius vult miseretur: quem autem vult indurat.*

Ob. 6. *Qui non habet libertatem faciendi bona & vitandi mala, is frustra urgetur præceptis & doctrina. Sed non renati non habent libertatem faciendi bona opera, & omittendi mala. Ergo frustra ipsis præcipitur obedientia.* Resp. Maior neganda est. Quia dum voluntatem suam denunciari Deus sinit impijs, aut eos simul etiam intus suo spiritu illuminat & permouet, vt voci diuinæ obtemperent, aut stimulis conscientiæ pungit, vt vel disciplinam externam præstent, vel minus persequantur agnitam veritatem, aut in hac oppugnanda ipsorum hypocrisin & furorem detegit, aut infirmitatem atque ignorantiam manifestam facit, ac tandem eos in hac vita & in extremo iudicio inexcusabiles reddit. Ob. 6. Præcepta sunt inania.

Inst. 1. Cuius conuersio & obedientia pendet ex gratia S. S. ei nihil est opus hortatione & præceptis. Sed in iis etiam qui conuertuntur, cõuersio pendet ex gratia. Ergo inania sunt præcepta. &c. Resp. ad Maiorem per dist. Si conuersio pendet ex gratia, sic vt non adhibeat S. S. doctrinam velut instrumentum, quo doceat mentes, & moueat corda; concedatur hoc sanè: quanquam vt ante dictum est, restant adhuc alij vsus doctrinæ. At quando placuit Deo per hoc ipsum organum & illuminare & flectere animos ad fidẽ & obedientiam, falsissima est Maior. Scriptum est enim Ro. 1. *Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.* 1. Inst. Etiã sine doctrina potest conuertere.

Inst. 2. Præcepta & doctrinam iis proponere, quib. gratia obediẽdi negetur, quiq; ea magis indurentur & grauiùs dãnentur, non misericordiæ, sed crudelitatis est. Non igitur hoc facit deus qui summè misericors est. Negamus rursus Maiorem: 1. quia summa misericordia in Deo non tollit iustitiam. 2. quia sic vult eos fieri inexcusabiles per prædicationem doctrinæ cœlestis, vt interea non lętetur ipsorum perditione & supplicio: sed propter iustitię suę patefactionẽ, cuius rationẽ haberi maiorem diuina iustitia postulat, quàm omnium creaturarum, id 2. Inst. Deus est summè misericors.

id vult quod alioqui auersatur pro misericordia & bonitate erga omnes creaturas, quemadmodum dicit Ezech.21: *Nolo mortem morientis.*

Ob.7.Præparant se ad gratiam.

Obiect.7. *Qui præparat se ad accipiendam gratiam, qui faciat bona opera, is iam facit opera Deo placentia. At homines præparant se ad gratiam accipiendam. Ergo etiam ante regenerationem faciunt opera Deo placentia. Negamus Minorem: quam probare videntur illa, 1. Sam.7. Præparate cor vestrum Domino.* Act.10. *preces & eleemosynæ Cornelij* antequam doceretur & baptizaretur à Petro, *ascenderunt in memoriam coram Deo.* Sed in his & similibus locis præparare, siue parare, siue firmare cor, non est facere opera ante conuersionem, quibus inuitetur Deus, vt gratiam regenerationis conferat in homines: sed est à iam renatis & conuersis promptam & firmam voluntatem præstari obediendi Deo, & in vera pietate perseuerandi, Nam & populus Israelitarum egerat pœnitentiam cùm ad eos hoc diceret Samuel. Præcedit enim eo in loco: *Lamentata est omnis domus Israel, & secuta est Iehouam.* Cornelius item antequàm à Petro edoceretur, Iesum esse Messiam, dicitur iam fuisse pius & timens deũ, & sic inuocans deum vt preces ipsius placerent deo, & exaudirentur.

Ob.8. Bona opera sunt nostra.

Obiect.8. *Opera quæ præstare non est in nostra potestate, non sunt nostra, nec verè & propriè dicuntur à nobis fieri. At bona opera dicuntur nostra esse, & à nobis præstari. Ergo est in nostra voluntate positum ea facere aut non facere. Negamus Maiorem.* Non enim ideo dicuntur nostra vel à nobis fieri, quia ex nobis sint: sed, quia Deus in nobis & per nos ea operatur, & quidem ita vt nostra voluntas ea suo & proprio motu faciat, quamuis non nisi renouata, excitata & gubernata à Spiritu S. Eph. 1. *Ipsius sumus opus, conditi in Christo Iesu ad bona opera quæ præparauit Deus vt in eis ambularemus.*

Ob.9.Adiuuamur à Deo.

Ob.9. *Qui adiuuatur ab alio in conuersione & bonis peribus inchoandis, aliquid eorum ipse præstat prius quàm adiuuetur. Qui enim iuuatur, inchoat actionem. Deus nos iuuat.*

Ergo nostrûm est inchoare bona opera. Minor probatur Marc.9.*Credo Domine, sed opem fer incredulitati meæ* .Ro. 8.*Spiritus adiuuat infirmitatem nostram.* Resp. Ex puris particularibus nihil sequitur. Maior enim non est vniuersalis, cùm adiuuare possit non tantũ is qui inchoat opus, sed etiã in quo inchoatur & perficitur ab alio. Sic autem nos adiuuamur à Deo, vt ipse primũ in nobis efficiat veram agnitionem sui, & inclinationem ad obediendum ipsi, & bonorum motuũ initia, & eadem à se inchoata, etiam augeat & perficiat. Iuuare autẽ nos ideo dicitur, quia sic agit in nobis, vt nos non simus otiosi, sed ipso agente quoq; agamus, & tamen præseruare aut perficere sine ipso nõ magis quàm incipere possimus. Phi.1.*Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque ad diem Iesu Christi.* & 2.*Deus est is, qui efficit in vobis & vt velitis, & vt efficiatis, pro gratuita sua benevolentia.*

Acti agimus.

Hìc verò præcipuè insurgunt aduersarij: *Non quidem posse nos cõuerti ad Deum, nisi præueniente nos & mouente ad conuersionem ipsius gratia: sed gratiam hanc præuenientem conuertendos, omnibus eatenus à Deo dari, vt penes ipsos sit, hac vti aut eam repudiare, id est, conuerti aut perseuerare in peccatis. Ac tũ demum, qui prima illa & vniuersali siue omnes præueniẽte gratia rectè vsi fuerint, id est, ad eligendum bonum, ad quod eligendum à Deo solicitantur, sed tamen non efficaciter flectuntur, sua libertate se applicauerint: his etiam dari gratiam subsequentem siue cooperantẽ, vt quod sine hac non potuissent, hac interueniente iam præstare possint, hoc est, verè ad Deum conuerti & perseuerare. Probant hoc Scripturæ dictis, quæ gratiam Dei ex conditione voluntatis humanæ suspendere videntur,* vt Zach.1.*Cõuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Iesa.1.*Si volueritis, bona terræ comedetis.* Ier.7.*Vocaui vos & non respondistis.* Sed è Scriptura certò constat, neque sine Spiritus sancti donatione quenquam conuerti posse, neque hunc omnibus à Deo donari: sed iis tantùm quos ille gratuita misericordia

Inst. Nostrũ est vti gratia prima.

Conuersionis & initiũ & progressio est donum Dei gratuitum.

cordia hoc beneficio dignatur, ita vt non in hominibus, sed in sola Dei misericordia causa sit quærenda cur hi potiùs quam illi credant voci diuinæ, & ad Deum conuertantur: atque idcircò possint quidem omnes conuerti, quantum ad libertatem & potentiam diuinam, & ad voluntatis humanæ mutabilem naturam attinet, sed nō possint omnes, cùm propter auersionem naturę á Deo & prauitatē omnibus ingenitam, quæ à Deo quidem tolli, sed ipso hoc non efficiente, à nobis deponi atque exui non potest, ti propter immutabile decretum diuinum, quo statuit Deus aliquos in peccato & exitio, in quod ruere ipsos permisit, relinquere, atq; ideò vel mentes eorum vera ipsius cognitione non illustrare, vel corda & voluntates non renouare nouis inclinationibus seu viribus, nec efficaciter flectere ad obediendū veritati agnitę. Neque testimonia quæ allegant aduersarii diuersum docent. Iubet Deus *nos conuertere ad se, & ipse cōuertatur ad nos*, hoc est, pœnas auertat & mitiget ac sua beneficia in nos cōferat, nō quia conuersio nostra potestate sita sit, sed quia per hęc præcepta cordibus electorum eam vult efficere & confirmare. *Volentibus obtemperare promittit bona*, non quia velle obedientiam in nostra potestate sit, sed quia promissionibus eam voluntatem in nobis excitare vult. *Reprobrat pertinacibus ipsorum prauitatem*, non quia hanc exuere in ipsorum potestate sit, sed quia voluntariæ contumaciæ accusatione, vult ipsis excusationem omnem in iudicio suo adimere.

Inst.1.

Instant rursus: *Etsi nemo sine gratia conuerti aut bene agere possit: tamen non tantùm sequentia dona & beneficia Dei, sed primam quoque gratiam Spiritus sancti, quacōtimur, omnes volentes habere posse, cùm Deus omnibus volentibus eam se daturum promittat, vt* Ies.1. Apoc.3. & Ies.55. *Omnes sitientes venite ad aquas. Omnes autem possint velle. Ergo omnes possint conuerti.* Minorem negamus. Eam probant. *Voluntas accipiendi præcedit*

Inst.2. Omnes possunt velle conuersionem.

Inst.3.

cepit

ceptionem. Ergo nondum habentes gratiam possunt eam velle accipere. Antecedens negamus de gratia cõuersionis. Nemo enim potest hãc expetere, nisi prius initium eius habeat. Nã *Deus est qui efficit vt velimus & vt efficiamus.* Voluntas igitur credendi & pœnitentiã agendi, est ipsum fidei & conuersionis initium, quod quicunque verum & nõ simulatum habẽt, in ijs augetur & perficitur, vt dictum est, *Qui cœpit in vobis bonum, idem etiam perficiet.*

Velle credere est credere.

Ob. 10. *Quod Deus optat id penes alium est: Deus optat vt simus idonei ad bonum aliquod agẽdum. Ergo per nos aliquid boni agere possumus. Et per consequens non egemus operatione Spiritus Sancti. Resp* Sunt quatuor termini. In maiore, propriè sumitur optãdi verbum, in minore, non. Deus optare dicitur per anthropopatheian & ideó mutatur genus prædicationis. *Deus autem dupliciter optat* 1. mandato & inuitatione, 2. quod ad amorem erga creaturas attinet, & ad cruciatũ pereuntium: non autem quòd ad executionẽ suæ iustitiæ attinet. Inst. 1. *Qui inuitat alios & lætatur bona ipsorum actione, id facere est penes alium, & non penes eũ qui inuitat. Sed Deus inuitat nos & delectatur, &c. Ergo penes nos est aliquid boni agere. Resp.* Nego maiorem: quia non est satis Deum inuitare: sed oportet etiam nostram voluntatem faciendi aliquid boni accedere, quam habere nõ possumus nisi á solo Deo. *Inst 2. Cùm igitur non possimus præstare legẽ, videtur Deus iniustus, qui præcipit seu postulat impossibilia Resp.* Qui præcipit impossibilia, est iniustus, videlicet nisi prius dederit possibilitatẽ: deinde nisi homo impossibilitatem eam velit: postremò nisi ista præceptio impossibilis rei sit stimulus ad agnoscendam ac deplorandã impossibilitatem. Deus non remittit suum ius homine abiicitẽte suum bonum: imò quia illud abiicimus mandatũ Dei transgrediẽdo, & quia transgressoribus minatus est: ideò nos punit. *Inst. 3. Atqui nos peccatum non attraximus. Resp.* Primi parentes lapsi amiserunt hanc

possibilitatem sibi & omnibus posteris suis: sicut illi quoq; acceperunt pro se, & pro posteritate. Si princeps det nobili feudum, & is deficiat, feudum nō fit tantùm, sed posteris amittit: & princeps non facit iniuriam liberis istius si non restituat feudum amissum patris culpa: si dat, facit ex gratia.

Ob. 11. *Qui non consequitur finem suum frustrà postulat.* *Resp.* Deus non frustrà præcipit, quia mandando & postulando consequitur in nobis suum finem. *Instantia.* *Qui præcipit impossibilia superuacanea præcipit.* *Resp.* Fallacia est accidentis, vel à dicto secundū quid ad dictum simpliciter: quum sint alij fines, etsi nos eos nō præstemus. 1. In piis agnitio impossibilitatis, & inchoatio nouæ obedientiæ. 2. Manifestatio iustitiæ diuinæ in impiis. Præterea ad maiorem respondeo: *præcipit superuacanea*, videlicet si non faciat possibilia. Deus autem facit in electis per doctrinam Euangelij, inchoās nunc & perficiens tandem. Ergo hęc postulatio impossibilis est maximum beneficium, quæ est via ad recipiendam possibilitatem.

Atq; hinc facilè intelligitur, quo sensu accipienda sint vulgata illa Hieronymi dicta: *Anathema sit, si quis dixerit, Deum præcipisse impossibilia.* Et: *Anathema sit quis dixerit legem possibilem esse sine gratia.* Impossibile enim est non renatis: possibilis est, quod ad perfectam obedientiam attinet, nondum lapsis, aut integrè restitutis: Renatis autem & nondum glorificatis possibilis est per imputationem satisfactionis Christi & inchoationem nouitatis, quæ sit in spiritu sancto in hac vita.

Ob. 12. Promissio, sub conditione impossibili, est inutilis.

Ob. 12. Dicta etiam colligunt promittentia Dei beneficentiam cum conditione nostrę obedientię: *Si vis vitam ingredi, serua mandata.* Itē: *Hoc fac & viues, &c.* Ex illis sic ratiocinātur: *Promissio habens adiectam conditionem impossibilem, est inutilis, & ludificatoria cui facta est. At promissiones diuinæ habent conditionem impossibilem. Ergo omnes incertæ, imò nunquam implendæ.*

nihil nisi ludibrium sunt. Resp primùm negatione Maioris. Nam promissio etiam in iis qui non accipiunt eam, habet hunc vsum, vt manifestum fiat, Deũ nullius perditione lætari, & iustũ esse in puniendo, cùm eos etiã ad se inuitet, qui sua ingratitudine promissiones diuinas contemnunt & repudiant. Secundò per distinctionem, videlicet inutilem esse promissionem illis, quibus conditio addita nunquam fit possibilis, non autem iis, quibus hoc fit possibile per fidẽ & gratiam iustificationis per Christum, & regenerationis, per Spiritum sanctum. Sic autem possibilis fit electis. Ergo neutros Deus ludit, sed vtrisque ostẽdit seriò quales oporteat esse, quibus vitam æternã largiatur, & quàm sint beneficiis diuinis indigni, & nũquam eorum futuri participes, nisi gratuita Dei misericordia ab interitu eximantur: tum etiam fideles ad præstandam obedientiam magis ac magis allicit & confirmat.

Postremò, citant & alia dicta, quæ in hominum voluntate conuersionem & bona opera constituere videntur: Psal. 119. *Inclinaui cor meum ad obseruanda præcepta tua.* 1. Ioh 5. *Quisquis ex Deo est, seruat seipsum.* Hęc & similia dicta opus Dei tribuũt hominibus: primò quia non tantùm sunt obiectum, sed etiã instrumentum operationis diuinæ, quam spiritus sanctus in ipsis exercet. Deinde quia tale instrumentũ sunt, quod à spiritu sancto renouatum & motum, ipsum quoque vnà operatur & sese mouet. Non enim alius Spiritui sancto, alius voluntati, sed idem vtrique effectus tribuitur, spiritui tanquam principali, voluntati tanquam secundariæ causæ.

Ob. 14. *Si nihil nisi peccare possumus ante regenerationẽ, Deus iniuste nos punit peccantes necessariò.* *Resp.* Qui necessariò peccat, iniustè punitur, scilicet nisi ipse sibi attraxerit necessitatem peccandi. Iustè igitur punimur, quia nobis attraximus istam necessitatem. 1. *in primis parentibus.* 2. *quia & ipsi volumus eam.* Scire autẽ

debemus nos iustè propterea puniri,& iustè Deum nobis postulare obedientiam.1.*propter gloriam* Dei, sciamus quòd sit iustus,2.*propter nostram subiectionem* vt submittamus nos illi, cùm videmus illum iure nobis postulare,quod præstare nō possumus. Postulat autē ipse 1. *vt sciamus quales fuerimus ante lapsum* 2.*Vt sciamus quid prin. ipaliter á Deo petere debeamus* nempe renouationem nostram. 3. *Quid Christus pro nobis præstiterit*,nempe satisfecit & regenerat nos.

Tertius hominis status est in hac vita, regenerati quidem,sed nondum glorificati,siue in quo inchoata, sed nōdum perfecta est regeneratio. In hoc statu voluntas libertate sua vtitur non tantum ad malum vt in secundo,sed partim ad bene,partim ad male operandum.Idq; duobus modis accipiendū est: primùm quòd alia renatorū opera sunt bona & Deo placentia,quæ iuxta Dei mandatum ab ipsis fiunt, alia vero mala & Deo displicentia, quæ contra mandatū Dei fiunt faciūt: quod ex infinitis sanctorum lapsibus est manifestum.Secundò,quòd etiā bona opera quæ faciunt cōuersi in hac vita, etiamsi Deo placent propter imputatam ipsis Christi satisfactionem, non tamen perfectè bona.h.e.legi diuinæ conformia, sed imperfecta & multis peccatis contaminata sunt,ac proinde si extra Christum aspiciantur, consistere in iudicio, & condemnationem effugere non possunt. Causa propter quam bene operari voluntas incipit,hæc est, quia singulari gratia seu beneficio S.S.per verbum Dei renouatur natura hominis, accenditur in mente noua lux & agnitio Dei,in corde noui affectus,in voluntate nouæ inclinationes cum lege diuina congruentes, & mouetur voluntas efficaciter ad agendum secundum has notitias & inclinationes, atque ita & facultatem volendi quod Deus approbat,& vsum eius facultatis recuperat, incipitque Deo conformis fieri & ei obedire.Deut.30.*Circumcidet Dominus Deus tuus, cor tuum & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum &*

Regeneratio quid sit.

Ezec.36.*Dabo vobis cor nouum, & Spiritum nouum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis.* Act.16.*Dominus aperuit cor Lidiæ, vt attenderet his quæ dicebantur à Paulo.* 2.Cor.3.*Vbi Spiritus Domini, ibi libertas.* Causæ verò, propter quas non tantùm ad bona, sed etiam ad mala eligenda voluntas libertate sua vtitur, duę sunt. Prima, quòd in hac vita renouatio naturæ non sit perfecta, neque quod ad agnitionem Dei, neq; quod ad inclinationes ad obediendum Deo attinet: altera, quòd renati non semper à S.S. reguntur, sed interdum à Deo vel examinandi, vel castigandi, vel humiliandi ipsos causa, ad tempus deserantur, sed tamen ad pœnitentiam reuocãtur, vt non pereant. De prima causa dictum est Rom. 7. *Scio quod non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum: siquidem velle, adest mihi: sed vt quod bonum est perficiam, non assequor, &c.* Marc.9.*Credo Domine, sed opem fer incredulitati meæ.* De secunda Ps.51. *Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.* Ies. 63. *Quare errare nos fecisti Domine, de viis tuis, induraſti cor nostrum, ne timeremus te? Conuertere propter seruos tuos.* 1. Reg 8. *Sit Dominus Deus noster nobiscum: ne derelinquat nos, &c.*

Cur regenerati etiam malè agant.

Hinc duo consequuntur: Primum, vt homo corruptus, ante regenerationem non potest inchoare nouã obedientiam Deo placentem: ita renatus in hac vita, etiamsi incipit obedire Deo, hoc est, inclinationem aliquam & propositum obtemperandi Deo secũdum omnia ipsius prȩcepta non simulatũ quidem, sed nihilominus languidũ, & luctans cum inclinationibus, affectibus & cupiditatibus prauis, habet, atq; ideò in vita & moribus ipsius elucet studiũ pietatis erga Deum & proximum: non tamen potest integram, seu perfectam obedientiam Deo præstare: quia nec agnitio nec dilectio Dei tanta est ac tam sincera quàm lex Dei requirit, iuxta dictum Psalmi. 143. ver. 2. *Ne venias in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur*

Renatus in hac vita non potest perfectè obedire Deo.

inconſpectu tuo omnis viuens. Secundum inclinationes, etiam cogitationes & affectus bonos, & propoſitum bonum retinere, & in eo perſeuerare conuerſi non niſi eatenus poſſunt, quatenus hæc Spiritus ſanctus in ipſis efficit & conſeruat: eo quippe ducente & regente ipſos, rectè iudicant & faciunt: eo deſerente ipſos, cæcutiunt, errant, labuntur & deficiunt, ſic tamen, vt non pereant, ſed reſipiſcant & ſeruentur, ſi modo verè conuerſi fuerint. 1. Cor. 4. *Quid habes quod non acceperis, ſi autem accepiſti, quid gloriaris?* Phil. 1. *Perſuaſus ſum, quòd qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diē Ieſu Chriſti.* Phil. 2. *Deus eſt, qui efficit in vobis & vt velitis, & vt perficiatis, pro bona voluntate.* Ioh. 15. *Absque me nihil poteſtis facere.* 1. Cor. 1. *Qui etiam confirmabit vos vſq; ad finem inculpatos, in diem Domini noſtri Ieſu Chriſti.* 1. Cor. 10. *Fidelis eſt Deus qui non ſinet vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed præſtabit vnà cum tentatione etiam euaſionem, vt poſſitis ſuſtinere.* 1. Pet. 1. *Qui virtute Dei cuſtodimini per fidem in ſalutem.*

Hanc ſententiam, quòd nec perfectè nec ſemper poſſint renati Deo obedire, præter teſtimonia, etiam confirmant rationes euidentes, nimirum quòd *omnia bona à Deo accipiamus.* Iacob. 1. multò igitur magis hæc bona, quæ ſunt omnium maxima, videlicet conformitatem cum Deo, & in ea perſeuerantiam.

Item: *Præter æternum Dei decretum nihil poteſt fieri. Bona verò opera, quæ faciunt conuerſi, Deus ab æterno decreuit,* Eph. 2. *Nam ipſius ſumus opus conditi in Chriſto Deo ad opera bona, quæ præparauit Deus, vt in eis verſaremur.* Ier. 1. *Priuſquam te formarem in vtero, noui te, & antequam naſcereris, ſanctificaui te.* Ergo neque minus, neque plus eorum poſſunt facere, quàm Deus per ſpiritum ſuum in ipſis efficere decreuit.

Item: *Dona Spiritus ſancti non in hominum, ſed in Spiritus ea diſpenſantis arbitrio & poteſtate ſunt ſita.* 1. Cor. 12. *Omnia hæc efficit vnus ille & idem Spiritus, diſtribuens priuatim illa ſingulis ſicut vult.* Eph. 4. *Vnicuique noſtrum*

data est gratia pro mensura doni Christi. 2. Thess. 3. *Non omnium est fides.* Est autem perseuerantia in vera pietate, & voluntas seu studium perseuerandi, & petitio confirmationis & auxilij Spiritus sancti, non minus donum Spiritus sancti quàm ipsa regeneratio, & fides & conuersio, vt suprà ostensum est. Ergo perseuerare in fide & conuersione non magis est in nostra potestate, quàm credere & conuerti.

Item: *In cuius potestate & arbitrio sita est perseuerantia nostra, is est conseruatio nostræ salutis. Non autem nos, sed Deus est autor & conseruator salutis nostræ.* Ioh. 10. *Nemo rapiet oues meas ex manu mea, &c.* Ergo non in nostra, sed in Dei potestate & arbitrio sita est perseuerantia.

Deniq; *vt conuersio, ita & perseuerantia nostra est gratuitum donum Dei:* hoc est, sicut Deus in nobis causam nullam inuenit, quare nos conuertat, ita neq; in nobis causam inuenit, qua moueatur, vt nos conuersos seruet, ne deficiamus aut labamur. Nec enim in nobis causa est cur potius nos, quàm parentes nostros in paradiso, seruet ne deficiamus: nec in sanctis est prima causa cur alios potius quàm alios contra tentationes & lapsus defendat Deus, vt Samuelem & Iosaphatum potius, quàm Samsonem & Dauidem. Si autem penes nos esset perseuerare, aut non perseuerare, causa discriminis huius in nobis esset. Non igitur nobis, sed misericordiæ Dei, perseuerantia in pietate, & abstinentia à peccatis tribuenda est.

Obiectiones de imperfectione operum.

Sed contra priorem sententiam, quod videlicet etiam optima sanctorum opera in hac vita non sint perfectè bona, ac proinde in iudicio diuino consistere & Deo placere, nisi per imputationem satisfactionis Christi, non possint, à Pontificiis disputatur.

Ob. 1.

Opera Christi & Spiritus sancti, inquiunt, *non possunt esse impura & Deo non placere. Bona opera renatorum Christus per Spiritum suum in ipsis operatur. Ergo necesse est ea pura esse & perfecta, & Deo placere, etiam in se considerata. Non enim Deus potest sua opera damnare, quãtumuis ad iudicij*

dicij ſui rigorem illa examinet. Reſpondemus ad Maiorem. Opera Dei ſunt pura & nulla reprehenſione digna, quatenus ſunt opera Dei, ac talia qualia Deus facit: non autem quatenus à creaturis deprauata ſunt: nec ſemper ſunt pura, quę non Dei tantùm, ſed ſimul etiam creaturarum opera ſunt. Hęc enim quatenus à Deo ſunt, omni vitio carent: quatenus autem à creaturis fiunt, etiam bona & non reprehendenda ſunt, ſi creatura, per quam Deus agat, perfectè ſit voluntati Dei conformis: impura verò & imperfecta, & ſecundùm legis ſententiam, obnoxia damnationi ſunt, ſi creatura per quam Deus agit, praua ſit & vitioſa, hoc eſt, ignorantia Dei & auerſione à Deo corrupta.

Ob. 2. Membra Chriſti non poſſunt damnari.

Obiect. 2. *Deus non poteſt damnare membra filij ſui.* Rom. 8. *Nulla eſt condemnatio his qui ſunt in Chriſto Ieſu. Renati ſunt membra Chriſti. Ergo etiam in ſe conſiderati ipſi & ipſorum opera non poſſunt damnari in iudicio Dei. Reſponſio.* Plus eſt in concluſione quàm in præmiſſis. Tantùm enim hoc ſequitur, Sanctos non poſſe damnari, ſed hoc fit reſpectu ſatisfactionis Chriſti ipſis imputatæ: non reſpectu obedientiæ ipſorum, quæ placet Deo, non quia perfectè cum lege congruat, ſed quia defectus & vitia quæ ipſi adhęreſcunt, propter Chriſtum condonantur.

Ob. Iudicabit ſecundũ opera.

Ob. 3. *Chriſtus in iudicio reddet vnicuique ſecundùm opera ſua. At ſeueritas diuinæ iuſtitiæ non reddit bona ſecũdùm opera non perfectè bona. Sunt igitur ſanctorum opera ſic perfecta, vt damnari in iudicio Dei non poſſint.* Reſp. ad Maiorem. Iuſtitia Dei non niſi ſecundùm perfecta opera reddit bona, ſi legaliter iudicet, hoc eſt, ex pacto integræ obedientiæ erga legem. Reddit vero bonum etiam ſecundùm opera imperfecta, &, niſi peccatum adhærens condonetur, damnationem merentia, cùm iudicat euangelicè, hoc eſt, non ex pacto operum ſeu obedientiæ propriæ, quæ legi ſatisfaciat, ſed ex pacto fidei, ſiue iuſtitiæ Chriſti per fidem nobis applicatæ: & tamen ſecundùm opera, vt ſecundum

argumen-

argumenta, siue testimonia fidei, ex qua proficiscuntur, & quam esse in hominibus, tanquam effectus ostendunt.

Ob. 4. Psal. 119. *Toto corde meo exquisiui te.* Ib. *Beati qui custodiunt testimonia eius, qui toto corde quærunt eum.* Gen. 6. *Noah erat vir iustus & perfectus in generationibus suis.* 2. Paral. 15. *Cor Asæ erat perfectum omnibus diebus ipsius.* Matth. 5. *Estote perfecti, sicut Pater vester in cœlis perfectus est.* Sed in his & similibus dictis, toto corde & perfecto Deum sequi & diligere, non significat perfectionem graduũ siue eum obedientię gradum, quem lex à nobis requirit: sed perfectionem partium siue integritatem, & sinceritatem oppositam hypocrisi & simulationi pietatis, hoc est, verum & non simulatum affectum & studium seu propositum obediendi Deo, & repugnãdi prauis cupiditatibus & initium obedientię siue subiectionis erga Deum secũdùm omnia ipsius præcepta. Etsi autem in omnibus etiam sanctissimis multũ hypocrisis est reliquum, sicut dicitur *Omnis homo mendax*: tamen ingens discrimen est inter eos, qui simpliciter hypocritæ sunt, & sibi de sua hypocrisi placent, nullum habẽtes in cordibus veræ pietatis initium aut sensum, & eos qui reliquias hypocriseos in se agnoscentes & deplorantes, simul habẽt initia veræ fidei & conuersionis ad Deum. Illi à Deo damnantur: hi recipiuntur in gratiam, non propter hoc initium obedientiæ in ipsis, sed propter imputatam ipsis perfectam obedientiam Christi. Ideoq; huic declarationi addenda est altera, quòd cõuersi sunt perfecti in conspectu Dei, non tantùm partibus veræ pietatis, quæ omnes in ipsis inchoatæ sunt, sed etiam gradib. veræ & integrę iustitiæ Christi ipsis imputatæ, sicut dicitur Col. 1. *In ipso estis consummati.* Heb. 10. *Vnica oblatione consecrauit in perpetuum eos, qui sanctificãtur.* Sed instant, *etiam graduum perfectionem Sanctis in Scrip. tribui.* 1. Co. 2. *Sapientiam loquimur inter perfectos.* 1. Cor. 14. *Intelligentia perfecti sitis.* Eph. 4. *Donec occurramus*

Ob. 4. Toto corde perfecti.

Perfectio graduum.

in

in vnitatem fidei & agnitionem Filij Dei, in virum perfectum ad mensuram staturæ adulti Christi. Verùm hæc etiam loca, perfectos, non dicunt respectu legis diuinæ, hoc est respectu illius gradus cognitionis & obedientiæ, quam lex in nobis requirit, sed respectu infirmorum, qui minus habét lucis ac certitudinis, & promptitudinis exercitio confirmatæ ad obtemperandum Deo, ad repugnandum carnalibus desiderijs, & ferendam crucem. Sic enim declaratur hęc perfectio Heb. 5. & Eph. 4. *Vt ne simus amplius pueri, qui fluctuemur & circumferamur quolibet vento doctrinæ.* Et Phil. 3. *Non quòd iam apprehenderim, aut iam perfectus sim.*

Inst. 2. Charitas in nobis expleta est.

Opponunt his responsionibus locum ex 1. Ioh. 4. *Per hoc expleta est charitas in nobis, vt fiduciam habeamus in die iudicij, quod qualis ille est, tales & nos sumus in hoc mundo. Metus non est in charitate: expleta charitas foras eiicit metum, quoniam metus cruciatum habet: qui autem metuit, non est perfectus in charitate.* Sed Ioa. non nostram erga Deum, sed Dei erga nos dilectionẽ perfectam siue expletam. h.e. per effectus siue beneficia Dei in Christo nobis præstita, declaratam & plenè cognitam nobis, siue vt Paulus Rom. 5 loquitur, *in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, effusam, dicit esse causam,* cur intrepidè & cum fiducia expectemus diẽ iudicij. De hac autem Dei erga nos misericordia & gratuita dilectione nos ex hoc signo siue testimonio certos esse, quòd in hac vita per Spiritum sanctum ad imaginem ipsius reformamur. Ex regeneratione enim de iustificatione certi sumus, non tanquam ex causa de effectu, sed tanquam ex effectu de causa. Etsi autem regeneratio in hac vita non est perfecta, tamen si verè inchoata sit, ad probandam nostris conscientijs fidei nostrę veritatem sufficit. Et hoc ipsum quod addit Ioannes: *Dilectio foras eiicit timorem,* ostendit dilectionem in nobis nondum esse perfectam, quia non perfectè liberamur in hac vita à metu iræ & iudicij diuini, & æternarum pœnarum. Sunt .n. simul iam in sanctis

Regeneratio est effectus iustificationis, nó causa.

hi duo contrarij motus, nimirum metus & dilectio Dei in gradibus remissis, decrescente metu, & crescente dilectione & consolatione siue lætitia in Deo, donec lętitia vincat & perfectè eiiciat omnem trepidationem in vita altera, cùm Deus absterget omnem lacrymam.

Ob.6. Ioh.3. *Qui sincerè agit, venit ad lucem, vt manifesta fiant facta ipsius quòd secundùm Deum facta sint.* 1.Iohan.3. *Si cor nostrum nos non condemnat, fiduciam habemus apud Deum.* Psal.119. *A lege tua non declinaui. Ergo bona opera renatorum, in iudicio Dei allegari & consistere possunt, tanquam perfectè legi conformia. Resp.* Hæc & similia dicta non vendicant sanctis in hac vita perfectam legis impletionẽ, sed iustitiam bonę conscientiæ, sine qua fides non potest consistere: sicut neque bona conscientia sine fide, sicut dicitur 1.Tim.1. *Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam.* Et Rom.5. *Justificati igitur ex fide, pacẽ habemus apud Deum per Dominum nostrum Iesum Christum.* Est enim bona conscientia, certa notitia, hos habere fidem & propositum obediendi Deo secundùm omnia ipsius mandata & nos atque obedientiam nostram quantumuis mutilam & vix inchoatam, placere Deo, non quia legi ipsius satisfaciat, sed quia peccata & defectus in nobis reliqui, nobis propter imputatam Christi satisfactionem condonentur. *Nam vt per fidem inchoatur, sic per fidem placet Deo noua obedientia.* Itaque sancti non detrectant suam vitam in lucem produci, nec extimescunt Christi tribunal, & eius conscientia sese consolantur.

Iustitia bonæ conscientiæ.

Ob.7. Renati non peccant. 2.Pet.1. *Studete vocationem & electionem vestram firmam efficere: hæc enim si feceritis nunquam impingetis.* 1. Ioh.3. *Quisquis natus est ex Deo, Peccatum non committit.* His sententijs olim etiam Pelagiani & Cathari, & nunc Anabaptistæ ad statuendam perfectionem nouę obediẽtiæ in renatis, abusi sunt, sed cadere & peccatum committere seu facere, Petro & Ioh. in his locis est peccatum regnãs habere, & in eo persęuerare.

Matth.

Ob.8.Oculus & totum corpus lucidum.

Matth.6.Luc.11.*Lucerna corporis est oculus: Cùm igitur oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit, &c.* Inde colligunt, *sic purgari mentes renatorum in hac vita, vt tota congeries operum ipsorum sit lucida & pura, hoc est, perfectè conformis legi.* Sed quum sit oratio Christi conditionalis, neque antecedens, neque consequens, sed tantùm consequentiam eius asseuerari manifestum est: ac posito etiam antecedente, non aliter poni consequens, quàm ponitur antecedens. Non igitur hac similitudine oculi corpus regentis, affirmat Christus mentes hominum esse lucidas, ac proinde actiones ipsorum omnes rectè & sine peccato institui, sed potiùs accusat peruersitatem hominum, qui etiam quod naturâ in ipsis reliquum est lucis, opprimere & extinguere conantur, & veritatem, sicut Paulus loquitur, in iniustitia detinent, ac propterea toti hoc est, in omnib. suis actionibus tenebrosi, praui ac damnatione digni sunt. Præterea puritas actionum non nisi eatenus poni potest, quatenus mentium puritas siue lux ponitur. Posita enim luce naturali actiones moraliter bonæ: posita luce spirituali, actiones spiritualiter bonæ siue bona opera: posita illuminatione imperfecta, obedientia imperfecta: posita illuminatione perfecta, etiam obedientia perfecta sequitur. Cùm igitur in hac vita non accendatur perfecta, & quantam lex Dei requirit, lux siue agnitio Dei & voluntatis diuinæ in renatis, sed ea in vitam alteram differatur. 1.Cor.13.*Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus: Postquam autem aduenerit quod perfectum est, tunc, quod ex parte est abolebitur:* Idcirco nec in aliis partibus conformitas perfecta cum lege potest in hac vita existere interea tamen de imputatione perfectæ puritatis verum est, sanctos esse puros & sine peccato in conspectu Dei, cùm ipsos in Christo intuetur, quod fit quãdo lux fidei in cordib. accẽsa est.

Qualis mentium, talis est & actionum puritas.

Ob.9.Eccle. non habens maculam.

Sic etiam illud Ephe.5. accipiẽdum est. *Christus tradidit seipsum pro Ecclesia, vt eam sanctificaret mundatam lauacro*

lauacro aquæ per verbum, vt sisteret eam sibi ipsi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut quidquam huiusmodi, sed vt esset sancta & inculpata. Baptismus enim aquæ propter additum promissionis verbum significat & obsignat fidelib. purgationem per Christi sanguinem, quæ perfectissima est, & nos in hac vita inculpatos coram Deo sistit: & per ipsius spiritum, quæ in hac vita inchoatur, & in altera perficitur, ac proinde conscientias pacare nunc non potest.

Sunt etiam contra secundam partem supra positæ sententiæ *de tertio gradu libertatis* obiectiones, quibus contenditur in potestate renatorum esse, vt perseuerent in iustitia vel ab ea discedant. Ob. de perseuerantia.

Qui habent libertatem ad bonum eligendum, habent libertatem perseuerandi. Renati habent libertatem ad bonum eligendum, 2. Cor. 3. Vbi Spiritus Domini, ibi libertas. Ergo habent potestatem perseuerandi. Responsio. Si rectè intelligatur Conclusio, totum argumentum concedi potest, *renatos videlicet eatenus habere libertatem perseuerandi, quatenus à Spiritu sancto illuminantur & reguntur.* Ex huius enim operatione & instinctu pendet ea, quam habent, bonum eligendi libertas. Si verò aut semper aut sic habere sanctos hanc libertatem intelligatur, vt ab ipsis pendeat perseuerantia, plus erit in conclusione quàm in præmissis, idq; duabus de causis. 1. quia hi demum habent libertatem continuè perseuerandi, qui nunquam Sp. S. gubernatione destituuntur: quod in altera vita est futurum. 2. quia etiam illorum, qui nunquam à Sp. S, deseruntur, libertas ad bonum, non ab ipsis, sed à Spiritu sancto pendet. Ob. 1. Renati habent libertatem ad bonum.

Hic verò instant: *Qui non deseritur à Spiritu sancto, nisi ipse prius repugnet motui Spiritus sancti, is semper habet paratum Spiritus sancti auxilium ad persistendum in bono proposito. Sancti autem non deseruntur à Spiritu sancto, nisi ipsi priores repugnent. Ergo semper habent paratum Spiritus sancti auxilium ad perseuerandum. Id autem qui habet, penes eum est perseuerare aut deficere: quia* Ob. 2. Semper iuuantur à S. S.

in

in sola ipsius voluntate causa est cur Spiritui sancto moventi obtemperet aut repugnet. Minorem cùm negamus, ipsi probant. *Pœnam non infligit iustitia Dei nisi peccanti sui. Deseri autem à Spiritu sancto est pœna peccati & ingratitudinis, Ergo nullus à S.S. deseritur, nisi qui prius desertionem sua contumacia mereatur.* Resp onsio duplex est. Primò concedi argumentum potest de renatis. In his enim, quàm diu sunt in hac vita, semper tantum peccati est reliquum, vt non modò temporaneam, sed etiam æternam desertionem mereantur. etsi autem quia peccatum in ipsis reliquum propter Christum eis condonatur, pœna æterna à renatis tollitur: tamen à castigationibus non immunes fiunt, tantisper dũ peccati reliquię in ipsis hęrent. Est igitur etiam peccatorum respectu sęper iustissima causa, quare interdum ad tempus gratia & gubernatione Spiritus sui Deus ipsos priuare velit: 2. Sam. 24. *Et addidit furor Domini irasci contra Israelem, & concitauit Dauidem in eos, dicens vade numera Israelem & Iudam.* Secundò: ad Minorem respondemus, nõ omnem desertionem esse pœnam, vel puniendi causa fieri, sed quandoq; etiam explorandi, id est, imbecillitatem etiam optimorum & sanctissimorũ ipsis & alijs patefaciendi causa, vt discant, se neque ad momentum vnum contra tentationes & insultus Satanæ posse consistere, nisi continuo Spiritus S. ductu sustententur & regantur: vtq; ad implorandũ posthac Sp. S. præsidium & ad cauendos lapsus vigilantiores & ardentiores reddantur. Denique vt in hac & æterna vita magis agnoscant & prędicẽt suam indignitatem & Dei erga se misericordiam, qui ex tam multis & grauib. peccatis ipsos ad se reuocauit, & millies meritos exitium, perire non est passus. De his causis dicitur 2. Cor. 12. *Ne excellentia reuelationum supra modum efferrer, datus est mihi furculus infixus carni, &c.* Et Rom. 11. *Conclusit Deus omnes in contumacia vt omnium misereretur.*

Renati deseruntur ad tempus, ob peccatum.

Non tamen omnis desertio est pœna.

Ob. 3. Petentes semper iuuãtur.

Dicunt contrà: *Deum omnib. petentib. auxilium Sp. S. promit-*

promittere. Sed hoc de finali perseuerantia est vniuersale: de continua verò non item. Nusquam. n. promittit Deus se ita gubernaturum suo Spiritu sanctos in hac vita, vt nunquam labantur.

Ex his etiam illa obiectio euanescet, quod aiunt, *conuersos, cùm sit penes ipsos à recto discedere, & repugnare, etiam perseuerantiam in sua potestate habere*. Nam et si non cogit aut violenter voluntates rapit, sed volentes & spontaneos filios ex rebellib. & hostib. Dei faciat: & quod ad voluntates hominum in hac vita attinet, nihil ipsis est magis ad malum procliue: tamen quantum ad consilium & operationem diuinam attinet, etiam ipsos aduersarios veritatis euidentia fateri cogit, fieri non posse vt voluntas hominum tunc non obsequatur, quando secundum æterna sua consilia efficaciter mouere & flectere eam siue ad conuersionem, siue ad perseuerantiam Deus decreuit. Neq; hæc diuini consilij immutabilitas & efficacia voluntatis libertatem in conuersis tollit, sed potius auget & conseruat.

Ob. 4. possūt deficere.

Frigidius etiam illud est, quod *sanctos reddi securos & ignauos & perseuerandi studium in illis minui dicunt, si audiant, ex sola Spiritus sancti gratia pendere suam perseuerantiam*. Rectissimè. n. hoc inuertimus & in aduersarios retorquemus: cùm sanctos & veré pios nihil magis ad studium cauendi lapsus & assiduam atque ardentem inuocationem Dei acuat, quàm si sciant, ne vno momẽto se aduersus tentationes diaboli & carnis suæ posse consistere, nisi Spiritus sancti virtute & instinctu à malis abducantur, & ad bona efficaciter flectantur: Contrà verò illa opinio, sicut experientia docet, faciat securos & minus de cauendis peccatis sollicitos, qua fingunt homines in sua potestate esse discedere à Deo, cupiditatibus suis aliquantisper indulgentes, & ad Deum redire, quotiescunq; ipsi se facturos putant. Quòd si verò in reprobis & prophanis, vera de perseuerantia ex Spiri-

Ob. Habent se purè passiuè.

tus ſancti gratia pendente, ſententia, ſecuritatem & contemptum dei parit, ex ipſorum ingenio de electis & piis iudicare, aut propter eorum proteruitatem occultare veritatem, ſtultum & iniquum eſt.

Poſttemò, ita contra defectus libertatis in ſecundo & tertio ſtatu homines obiiciunt: *Si conuerſio & perſeuerantia tota ſic pendet à voluntate diuina, & ſit opus Dei in hominib. vt neque habere poſſint eam, in quibus eam ille non operatur, neque non habere poſſint, in quibus eam ipſe vult efficere: non modò libertatem, ſed etiam actionem voluntatis omnem tolli, & coactionẽ ac paßionem ſolam relinqui: id quod cum Scriptura, experientia & lucta ſanctorum, & cum noſtra ipſorum confeßione pugnat.* Sed reſpõdemus, nõ propterea voluntatem ocioſam eſſe, cùm nõ repugnat Spiritui ſancto efficaciter eam mouẽti ſiquidem etiam aſſentiri & optemperare eſt voluntatis actio. Cùm autem inſtant, *nos illam voluntatis obedientiam in conuerſione & in perſeuerantia totam opus dei facere, atq; ita nihil voluntati quod agat, relinquere*, iterum conſequentis paralogiſmum committunt, remouentes operationem cauſæ ſecundę ſiue inſtrumentalis propter poſitionem cauſæ primæ ſiue principalis agentis. Quod. n. ſic totum eſt opus Dei in homine, vt homo ſe tantùm vt ſubiectum in quo deus operatur, habeat: in eo ſe voluntatem habere tantùm paſſiuè fatemur, vt in qualitatib. ſiue inclinationib. nouis voluntati & cordi imprimendis, agendis & ſeruandis. Quod autem ſic eſt opus Dei, vt voluntas hominis non tantúm ſit obiectum, ſed etiam inſtrumentum diuinæ operationis, & quidẽ ſua vi ipſi diuinitus indita agens in producendo effectu, in eo ſe voluntas nequaquam paſſiuè tantùm, ſed actiuè pariter & paſſiuè habet, quandoquidem ideo mouetur à Spiritu ſancto ad agendum, vt ipſa hoc agat quod Deus per eam vult efficere: id quod in omnib. voluntatis actionib. bonis euenit, quemadmodum & in malis, cùm à diabolo vel aliis cauſis incitatur, ipſa

Aſſenſus eſt opus voluntatis.

Voluntas piorum habet ſe paſſiuè, quo ad inclinationes nouas quoad actiones verò ipſas, & actiuè & paſſiuè.

interea nequaquam est ociosa. Ideo apud Ezechielem additur, *Efficiam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis & faciatis ea.*

Quartus gradus libertatis est in homine perfectè regenerato post glorificationem, vel post hanc vitam. In hac libertate voluntas erit libera tantùm ad bonum, & nō ad malum eligendum, atq; hæc erit integra voluntatis nostræ libertas, qua non tantùm non peccabimus, sed & à nulla re magis abhorrebimus, quàm à peccato, atq; etiam peccare ampliùs non poterimus. Rationes hę sunt: *Quia in mente lucebit perfecta Dei & voluntatis diuinæ agnitio, in voluntate autem & corde perfectissima & summa inclinatio ad obediendū deo, summa dilectio dei & lætitiæ in Deo & cōformitate cum deo acquiescens. Idcirco nullus erit locus ignorantiæ, dubitationibus de deo & vel minimæ contumaciæ contra Deū Præterea nunquam deseruntur, sed continuè reguntur beati à Sp. S. in vita cœlesti in omnibus suis actionib. Itaq; fieri non potest vt vlla in actione à rectitudine aberrent. Ideoq; dicitur Mat. 22. Sūt sicut angeli Dei in cœlo.* Neq; hoc modo tollitur, aut minuitur, sed verè demum conformatur & perficitur libetas arbitrij in beatis angelis & hominibus quandoquidem & intellectis ab omni errore, ignorantia & dubitatione immunis, & perfecta Dei cognitione illustratus est, & cor ac volūtas ab omni cōtumacia, & sine omni ad repugnandum deo solicitatione summa dilectione Dei & alacritate ad obediendum agnitæ Dei voluntati fertur. Atq; hinc apparet etiam quantò nostra conditio præstantior erit Adami conditione. Adam quidem erat ante lapsum conformis deo, sed poterat velle bonum & malum. Atqui nos non poterimus nisi velle bonum. Et sicuti mali tantùm feruntur ad malum, quia sunt mali: sic etiam bonum tantùm amabimus, & eligemus, quia erimus boni. impossibile erit tūc nos velle vllū malum: quia seruabimur diuina gratia in libertate illa integra voluntatis.

Hanc de conuenientia & discrimine liberi arbitrij in deo & creaturis, & in diuersis humanę naturę statibus hactenus è Scriptura recitatam, ob multas & graues causas in Ecclesia extare necesse est. 1. *vt gloria hæc Deo tribuatur, quòd solus sit agens liberrimum, cuius sapiẽtia & libertas à nullo alio pẽdeat: creaturas verò omnes ipsius gubernationi esse subiectas.* 2. *vt meminerimus eos qui sciẽtes & volẽtes peccant, aut in peccandi necessitatem sese coniecerunt, nequaquam excusatos esse: atque adeo non Deum, sed ipsorũ voluntates à præceptis Dei sua sponte deflectentes esse peccatorum causam.* 3. *vt sciamus solum deum ex seipso & immutabiliter esse bonum & fontẽ bonitatis: Creaturam verò nullã neq; habere neq; retinere plus bonitatis posse, quàm Deus gratuita bonitate in ea efficere & seruare voluerit, ideoq; ab ipso hanc petamus & ipsi acceptam feramus.* 4. *vt scientes Deum esse liberrimum gubernatorem omnium rerum, confidamus ipsum posse ad suam gloriam & nostram salutem mutare etiam ea quæ videntur maximè immutabilia.* 5. *vt agnoscentes ex qua naturæ nostræ præstantia nostra culpà exciderimus, magis deploremus ingratitudinem nostram, & celebremus Dei misericordiam, nos ad maiorem etiam excellentiam euehentis.* 6. *vt agnita miseria, prauitate naturæ & ingenij nostri, si à Deo deseramur, humiliemur in conspectu ipsius & emergere ex his malis ardentius cupiamus.* 7. *vt intellecta libertate, in qua nos Filius Dei asserit, magis expetamus ipsius beneficia, & ipsi simus grati.* 8. *vt scientes nos sola Dei misericordia discerni à pereuntib. vt nos potius quám illi conuertamur nec efferamur opinione nostræ probitatis aut sapientiæ, sed tota iustificationis & salutis nostræ beneficiũ, nõ alicui causæ in nobis existenti, sed soli misericordiæ Dei adscribamus.* 9. *vt agnoscentes reliquam in nobis etiam renatis infirmitatẽ & prauitatem, in solo Christo iustitiam quæramus, & his malis repugnemus.* 10. *vt scientes nos non posse consistere aduersus tentationes sine singulari Spiritus sancti præsidio, nos á Deo seruari & regi ardenter & assiduè petamus.* 11. *vt audientes nos non repugnantes, sed volẽtes seruari, luctemur*

mur cum mentationibus, & certam facere noſtrã vocationem & electionem nobis ſtudeamus. 12. Vt intellecto conſilio Dei de conuertendis hominibus per doctrinam Euangelij & miniſterium Eccleſiæ, eius vſum ſedulò & cupidè amplectamur.

De malis pœnæ.

In hac quæſtione agitur etiam *de effectibus peccati*, hoc eſt *de altera parte miſeriarum*, nẽpe *de malo pœnæ*. Docetur quòd Deus *grauiſsimè, iuſtiſsimè & certiſsimè* puniat peccata. *Grauiſsimè*, propter magnitudinem peccati, quia infinitum bonum offenſum eſt. *Iuſtiſsimè*, quoniam Lex eius violatur. *Certiſsimè*, quia omne peccatum, etiam minimum, pœnam æternam & abiectionem meretur.

Obiect. 1. *Atqui impij hîc florent. Reſp.* Sed tandem punientur, imò etiam hîc puniuntur. 1. *In conſcientia.* 2. *Etiam in iis quibus vtuntur cum maxima voluptate*, & quidem tantò magis quantò minus agnoſcunt ſe puniri. 3. *Etiam aliis pœnis grauiſsimis ſæpè*, grauioribus tamen in altera vita, vbi erit perpetua mors nõ mortuum eſſe.

Obiect. 2. *Atqui Deus non fecit malum & mortem. Reſp.* Non fecit in principio: Deinde etiam poſt principium malum & mors non extitiſſent, niſi voluiſſemus.

Obiect. 3. *Si Deus peccata præſentibus & æternis pœnis punit, idem bis punit & eſt iniuſtus. Deus idem peccatum bis punit. Ergo videtur*, &c. Reſ. Negatur minor: quia vna eſt tantùm pœna, ſed quæ partes habet. Præſentes enim pœnæ ſunt initium æternarum, quia non ſunt ſufficientes ad ſatis faciendum iuſtitiæ Dei.

Obiect. 4. *Si Deus punit peccata æternis pœnis: ergo perimus omnes: aut Dei iuſtitiæ non ſatisfit. Reſp.* Non violatur Dei iuſtitia, quoniam pœna æquiualente æternis punit peccata noſtra in Chriſto. Non punit ea in nobis ſuppliciis æternis, quia aliâs cogeremur omnes perire. Hæc eſt, perfectio quam Euangeliũ addit

Legi. *Obiect. 5. Sed si in Christo puniuit & est iustus, non debet amplius in nobis punire. Resp.* Afflictiones piorum non sunt pœnę, sed tantùm castigationes paternæ, & crux, quibus ad humilitatem eruditiuntur. Hic igitur necessariò dicendum est *de afflictionibus.*

DE AFFLICTIONIBVS.

Præcipuæ quæstiones sunt,

1. Quæ sunt earum genera.
2. Quæ causæ.
3. Quæ consolationes iis opponendæ.

1. *Quæ sint afflictionum genera.*

Aliæ sunt temporales, aliæ æternæ. Æternæ sunt cruciatus animi & corporis, proprij improborum, in quos abiiciẽdi sunt omnes qui in hac vita nõ cõuertũtur. *Obiect. Qui est summè misericors non potest videre æternos cruciatus creaturarum, nedum infligere. Dei misericordia maior est peccatis. Ergo, &c. Resp.* ad maiorem: scilicet, si non simul etiam sit iustus. *Inst. Stricta summa iustitia non consistit cum summa misericordia. In* Deo *est stricta iustitia. Ergo, &c.* Nego maiorem. *Probo. Quia summa misericordia addit lenitatem; sed hanc non admittit summa iustitia, qualis in Deo est. Resp.* Etiã Dei iustitia admittit lenitatem, non omittendo sed transferendo pœnam in alium. *Inst. 2. Qui strictè vult ius suum exequi, apud eum non habet locum misericordia. Deus strictè exequitur suum ius. Ergo, &c. Resp.* 1. Scilicet, nisi ea sit sapientia præditus vt possit modum inuenire exercendi misericordiam, salua iustitia. 2. Is etiam est misericors qui dum sequitur iustitiã *non gaudet hominis destructione, sed mallet eum esse saluum. Deus autem non vult mortem peccatoris.* Punit quidem omnia peccata nostra stricto iure, sed miseretur, deriuando pœnam à nobis in filium.

Ezec. 18. 23. & 33. 11.

Isai. 66. 24. Marc. 9. 44. Mat. 25. 41. 1. Pet. 4. 18.

Testimonia autem *quòd sint pœnæ æternæ*, hæc sunt. *Vermis eorum nõ morietur, & ignis eorum non extinguetur. Abite in ignem æternũ. Si iustus vix seruatur, impius & peccator vbi comparebit?* Ratio etiam est euidens: quia

posti-

postulatur pœna infinita pro peccato commisso in bonum infinitum, nec per pœnam temporalem creaturæ fieret sufficiens satisfactio æternæ & infinitæ Dei iustitiæ. Similiter & Scripturæ testimoniis probatur pœnas æternas esse corporis & animæ. *Metuite eum qui potest abiicere corpus & animam in gehennam ignis.* Anima est fons peccatorum. Corpus tanquam res bruta exequitur quod anima monstrat. Ergo & auctor & instrumentũ punientur. *Quæst. Qualia mala sunt futura damnatis in inferno? Resp.* Hæc mala vocãtur *vermis, cruciatus, mors æterna*, quia cruciatus eorũ erit talis qualis est morientium qui perpetuò moriuntur. Mat. 10.28.

Temporales afflictiones sunt vtrorumque, piorum & reproborum. Eę sunt vel pœnæ, vel crux. *Pœna* est destructio vel cruciatus inflictus ordine iustitiæ ad personam ream peccati: est-que reproborum, quia infligitur eis hoc fine vt satisfiat iustitiæ Dei. Lex enim obligat omnes vel ad obedientiam vel ad pœnam.

Obiect. Atqui impiorum mala in hac vita sunt nimis parua, quàm vt satisfaciant iustitiæ Dei. Resp. Sunt pars pœnæ, etsi non tota.

Gradus pœnarũ obseruãdi sunt. 1. *est in hac vita: nam cùm rodit eos conscientia, incipit vermis infernalis.* 2. *In temporali morte, cùm incipiunt sentire irã dei.* 3. *In iudicio*, cùm irruent in omnes impios ęternæ & infernales pœnæ.

Crux est piorum afflictio: quia non infligitur, vt satisfiat ea iustitiæ Dei pro peccatis. *Crucis* autem quatuor sunt species. *Castigationes*, quas Deus piis infligit propter ipsorum peccata, vt admoneantur suæ immundiciei, & ad pœnitentiam excitentur. Neque sunt compensatio peccati, sed sunt opera diuinæ iustitiæ, per quæ Deus vult certos fieri & nos & alios de sua iustitia, quæ sint peccata, se verò irasci peccatis, & non solum in hac vita, verumetiam in altera, morte puniturum, nisi fiat ad Deum conuersio. 2. *Probationes* & examina fidei, spei, inuocationis, timoris Dei, & patientiæ, vt proficiant

in suis virtutibus electi Deo placentes: & quæ non sauciant conscientias. Talis est afflictio Iobi. 3. *Afflictiones*, quib. pij suo sanguine obsignarunt & confirmarunt doctrinam quam professi sunt, quòd ea vera sit: & qui in morte experiuntur consolationem quam aliis docendo promittebant. 4. *Totius Christi obedientia*, quæ est satisfactio pro peccatis nostris, & quæ pendet à tota humiliatione, inde ab articulo conceptionis vsq; ad extremum agonem in cruce. Nomina ista sumuntur à finibus.

2. *Quæ sint Afflictionum causæ.*

Peccatum est causa impulsiua (quia meritum malum) *pœnarum in impiis, & etiam crucis piorum:* diuersotamen respectu. Causa pœnarum in impiis, vt peccatum iusta pœnâ compensetur. In piis, causa crucis non fit satisfactio iustitiæ Dei, sed vt peccatum agnoscatur & exuatur. Causa ergo impulsiua in impiis est peccatum ipsorum puniendum: causa principalis inligens est iustitia Dei. *Instrumentales variæ sunt:* impij, Diaboli, & omnes creaturæ, quæ omnes armantur aduersus peccatum.

Crucis causæ. 1. *Agnitio peccati. Cùm iudicamur, à Domino iudicamur. Bonum mihi est, Domine, quod humiliasti me.* Impiis laxat frena vt ruant in exitium. Eos afficit cõmodis huius vitæ, breui quidem cum gaudio, vt conuincat eos ingratitudinis, & quia sunt ipsius creaturæ: sed pios per crucem emendat. 2. *Odium Diaboli & impiorum. Si de mundo essetis, mundus vos diligeret. Non est nobis lucta aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus imperia, aduersus potestates, &c.* 3. *Exercitium pietatis, vt manifesta fiat nob. & aliis spes, fides & patientia. Qui non est tentatus qualia scit?* Sic apparet inanem esse gloriationem in rebus secundis. *Probatio spem efficit.* 4. *Lapsus singulares in Sanctis.* Alij alios habent lapsus: ideo castigationes sunt diuersæ. Deus ostendit quòd etiã piorum peccatis irascatur. *Seruus qui nouit voluntatem domini sui, nec fecit ex voluntate eius*

1. Cor. 11. 32.
Psal. 119. 71.
Ioan. 15. 19.
Eph. 6. 12.
Ecclesiast. 34. 10.
Rom. 5. 4.
Luc. 12.

caedetur

cædetur multis plagis. *Nobis lucta est, sed cum principibus mundi quorum potestas est in aere.* 5. *Confirmatio doctrinæ in martyriis.* Petro sua mors prædicitur. 6. *Gloria Dei in Ecclesiæ liberationibus. Deducit ad inferos & reducit,* vt ostendat se inuenisse rationem liberationis, vbi nulla creatura poterat sperare. 7. *Conformatio membrorum cum capite Christo,* & in gloria & in afflictionibus. *Si patimur etiam cum eo regnabimus. Quos præscivit, eosdem & prædestinauit, vt conformes fiant imagini filij sui, Non est seruus maior domino suo, neque discipulus supra magistrum.* 8. *Afflictiones huius vitæ sunt testimonia & confirmatio futuræ vitæ.* Quia iustitia & veritas Dei requirunt vt aliquando tandem bonis benè sit, malis malè. Hoc autem in hac vita non fit. Ergo restat alia. Et hinc respondendum est ad argumentum mundi contra Dei prouidentiam. *Ecclesia* (inquit) *non est Ecclesia, quia in toto mundo concutitur & conculcatur ab omnibus. Resp.* Imò quia affligitur, propterea vera esse Ecclesia deprehenditur.

Eph. 6. 12.
Ioan. 21. 17.
1. Sam. 2. 6.
2. Tim. 2. 12.
Rom. 8. 29.
Ioan. 11. 16. & 16. 20.
Mat. 10. 24.

3. *Quæ sunt consolationes afflictionibus opponendæ.*

Consolationes in afflictionibus aliæ sunt propriæ Ecclesiæ: aliæ communes cum Philosophia. Propriæ, prima & duæ postremę. Reliquę communes, quoad intuitum, non quoad explicationem. 1. *Remissio peccatorum.* Hæc est fundamentum reliquarum quas absque hac non possumus nobis applicare. Semper alioqui dubitamus an etiam ad nos pertineat promissio gratiæ. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Ratio est, quia ablata causa tollitur effectus. Sublato peccato, etiam pœnæ tolluntur. 2. *Necessitas obediendi Deo.* Pij sciunt se paternæ Dei voluntati obtemperare debere, & quia Deus de ipsis ita sit meritus, & multò maiora etiam in ipsius gratiam ferre debeant, & quia paternæ sunt castigationes. Philosophi dicunt *patienter ferendum quod vitari non potest:* Statuunt fatalem necessitatem: non igitur cõtra stimulos calcitrandũ esse. 3. *Dignitas virtutis*

Rom. 8. 31.

virtutis. Obedientia scilicet erga Deum, quæ est vera virtus, propter quam non est abiiciendus animus in
Mat. 10. 37. & 16. 25. cruce. *Qui non odit patrem & matrem propter me, &c. Qui quærit animam seruare, perdet eam.* Hanc philosophi maximè vrgent, sed frigidè, quia veris virtutibus destituuntur. 4. *Bona conscientia.* Ecclesia certa est de remissione peccatorum in Christo: Philosophi hoc modo suos non cõsolantur: nam afflictus cogitat, cur bonam conscientiam bona fortuna non sequitur? & sic fremunt aduersus Deum, vt Cato, &c. 5 *Causæ finales.* Pij patiuntur vt Deo gratitudinem præstent, propter eius filium, & promptum eius pro nobis sacrificium: & propter salutem Ecclesiæ. Apostoli *Lætabantur quòd digni essent habiti, qui pro nomine Iesu contumelia*
Act. 5. 41. *afficerentur* propter bonum illud .i. conuersionem aliorum. Philosophi dicunt. *Bonus est finis propter quem pateris, vt serues patriam & gloriam æternam consequaris.* Sed interim miser cogitat: quid mihi ista proderunt dum pereo. At *nos castigamur, ne pereamus cum mundo.* 6. *Collatio euentuum.*
1. Cor. 11. 32 Melius est ad breue tempus castigari à domino, quàm in abundantia rerum viuere, ac à Deo auelli, & in æternum exitium ruere. Philosophi conferentes mala inter se, exiguum bonum deprehen-
Mat. 5. 12. dunt, quod ex collatione malorum prouenit. 7. *Spes compensationis. Merces vestra copiosa est in cœlis.* Nos scimus nob. restare alia bona, minimè conferenda cum his afflictionibus: & in hac vita maiora dona pij accipiunt quàm alij homines. Habent enim Deum placatum & alia dona spiritualia. *Nullus est qui reliquerit*
Mar. 10. 29. Psa. 37. 17. Rom. 5. 3. *Domum, &c. quin accipiat centupla nunc isto tempore, & in seculo venturo vitam æternam. Melius est modicum iusto, quàm peccatorum infinitæ diuitiæ. Gloriamur in afflictionibus.* Compensatio in exiguis malis aliquo modo consolatur Philosophos, in magnis minimè: quia cogitant se malle carere illa compensatione, quàm eam tanti emere, propterea quòd incerta, exigua & temporaria est.

8. *Exempla*

8. *Exempla aliorum.* 1. Filij Dei: *non est.n. seruus supra Dominum.* 2. Aliorum sanctorum qui passi sunt cum sua & aliorũ salute. Et quidẽ euaserunt nec perierunt in malis. Comitemur ergo Christum in ignominia & in gloria. Nam gratitudo hoc requirit, & Martyrum exemplum. Consolamur, dum cogitamus nos non esse meliores iis. 2. Sicut illi liberati sunt, ita & nos liberabimur: quia amor Dei erga suos est immutabilis. 9. *Præsentia Dei,* & auxilium in malis: id est, nos in cruce iuuare, defendere, consolari, & suo spiritu corroborare, ne doloris causa à Deo deficiamus: *non pati vt tentemur vltra id quod possumus ferre. Cum ipso sum in tribulatione. Mittam vobis alium paracletum. Ego & pater veniemus. Non relinquam vos orphanos.* 10. *Liberatio finalis & totalis* Sicut enim sunt tres pœnarum, ita & liberationis gradus. 1. *est in hac vita,* cùm habemus initium vitæ æternæ. 2. *in morte,* vbi anima Lazari in sinum Abrahæ defertur. 3. *in resurrectione corporum,* vbi corpore & anima erimus beati, id est, post glorificationem, *Absterget omnem lacrymam.*

Ioa. 15. 20.

1. Cor. 10. 13. Psal. 91. 15. Ioan. 14. 18. & 16. 26.

Apoc. 21. 4.

SECVNDA PARS
DE LIBERATIONE HOMINIS.

Quoniam igitur iusto Dei iudicio, temporalibus & æternis pœnis obnoxij sumus: est-ne reliqua vlla ratio aut via, qua his pœnis liberemur, & Deo reconciliemur?

Vult

VIt deus suæ iustitiæ satisfieri: [a]quocirca necesse est, vel per nos, vel per alium satisfaciamus [b]. *(facere?)*

[a] Exo.20.5. & 33.7.

[b] Rom. 3.4.

Possumus ne ipsi per nos satisfacere?

Nulla ex parte: quinetiam debitum in singulos dies augemus [c].

[c] Iob.9.2.3. & 15.15. Mat.6.12.

Potestne vlla creatura rationalis in cœlo vel in terra, quæ tantùm creatura sit, pro nobis satisfacere?

Nulla: Nam principio non vult Deus quod homo peccauit, id in ulla alia creatura plectere [d]. Deinde nec potest quidem, quod nihil nisi creatura sit, iram Dei aduersus peccatum sustinere, & alios ab ea liberare [e].

[d] Heb.2.14.

[e] Psa.130.3.

Qualis ergo quærendus est Mediator & Liberator?

Qui verus quidē homo sit, ac perfectè iustus, & tamen omnibus creaturis potentior, hoc est, qui simul etiam sit verus Deus [f].

[f] 1.Cor.15. 21. Ier.23.6. Iesa.53.11.12. Cor.5.25. Heb.7.16. Iesa.7.14. Ro. 8.3. Iesa.33. 16.

Cur necesse est eum verum hominem, & quidem perfecte iustum esse?

Quia iustitia Dei postulat, vt eadem natura humana quæ peccauit, ipsa pro peccato dependat [g]: qui verò ipse peccator esset, pro aliis dependere non posset [h].

[g] Rom.5.12. 15.

[h] 1.Pe.3.18.

Quare oportet eum simul etiam verè deum esse?

[i] Iesa.53.8. Act.2 24.1. Pet.3.18.

Vt potentia suæ diuinitatis, onus iræ diuinæ carne sua sustinere [i], nobisq; amissā iustitiam & vitam reparare ac restituere posset [k].

[k] 1.Ioan.1. 2.&4.9.10. Act.20.28. Ioan.3.16.

Quis autem est ille Mediator, qui simul est

vere

verè Deus, & verus ac perfectè iustus homo?

Dominus noster Iesus Christus [a] qui factus est nobis Sapientia à Deo, Iustitia, Sanctificatio & Redemptio [b].

Vnde id scis?

Ex Euangelio, quod Deus primùm in paradyso [c] patefecit, ac deinceps per Patriarchas & Prophetas propagauit [d]: sacrificiis, reliquisq; ceremoniis legis adūbrauit [e]. Ad extremū verò per filium suū vnigenitum compleuit [f].

Num igitur omnibus hominibus qui in Adamo perierant, per Christum salus redditur?

Nō omnib. verùm iis tantùm qui vera fide ipsi inserūtur; eiusq; beneficia amplectūtur [g].

Quid est fides?

Est non tantùm notitia, qua firmiter assentior omnib. quę Deus nobis in verbo suo patefecit [h], sed etiā certa fiducia [i] à Spiritu sancto [k] per Euāgelium in [l] corde meo accensa, qua in Deo acquiesco, certò statuens, non solùm aliis, sed mihi quoque remissionem peccatorum, æternam iustitiam, & vitam donatam esse [m] idq; gratis ex Dei misericordia propter vnius Christi meritum [n],

Quænam sunt illa quæ necesse est hominem Christianum credere?

Omnia quę nobis in Euang. promittūtur [o]: quorū summa in Symbolo Apost. seu in capitib. catholicę & indubitatę omnium Christiano-

a Mat. 1. 23. 1. Ti. 3. 16.
1 Luc. 2. 11.
b 1. Cor. 1. 30.
c Gen. 3. 15.
d Gen. 22. 18 & 49. 10. 11. Rom. 1. 2. Heb. 1. 1. Act. 3. 22. 23. 24. & 1. 10. 43.
e Ioan. 5. 46. Heb. 10. 7.
f Ro. 10. 4. Gala. 4. 4.
g Ioh. 1. 12. 3. 36. Ies. 53. 11. Ps. 2. 12. Ro. 11. 16. 19. Heb. 4. 10. 19.
h Heb. 11. 1. 3 Iac. 2. 19. Gal. 2. 20
i Rom. 1. 36. &c. Iac. 1. 8. Rom. 5. 1.
k Matth. 16. 17. Ioh. 3. 5. Gal. 5. 22. Phil. 1. 19.
l Rom. 10. 16 Ro. 10. 17.
m Heb. 10. 38 Haba. 2. 4. Matt. 9. 2. Ephes. 2. 7. 8. 9. Ro. 5. 1.
n Ro. 3. 24. 25. Gal. 2. 16
o Ioa. 20. 31. Mat. 28. 20.

stianorum fidei breuiter comprehenditur.

Quod est illud Symbolum?

CRedo in Deum Patrem, omnipotentem, creatorem cœli & terræ. Et in Iesum Ch. filium eius vnigenitum, D. nostrum, qui cõceptus est de Sp. S. natus ex Maria virgine, passus sub P. Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus, descendit in inferna, tertio die resurrexit à mort. ascẽdit ad cœlos, sedet ad dextrã Dei Patris omnipotentis: inde venturus est iudicatum viuos & mortuos. Credo in S. S. Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem, remissionẽ peccatorum. carnis resurr. & vitam æternam.

In quot partes distribuitur hoc Symbolum?

In 3. partes 1. est de æterno Patre, & nostri creatione. 2. est de Filio, & nostri redemptione. 3. est de S. Sãcto, & nostri sanctificatione.

Cùm vna sit tantùm essentia, [a] *cur tres istas nominas, Patrem, Filium, & S. S?*

[a] Deut. 6. 4. Ephes. 4. 5. 6.

Quia Deus ita se in suo verbo patefecit[b] quòd tres hæ distinctæ personæ sint vnus ille verus æternus Deus.

[b] Ies. 61. 1. Luc. 4. 18. Ps. 110. 1. Mat. 3. 16. 17. & 18. 19. 1. Ioa. 5. 7.

DE PATRE.

Quid credis cùm dicis, Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ?

Credo æternum Patrem domini nostri Iesu Christi, qui cœlũ & terram, cum omnib. quæ in iis sunt, ex nihilo creauit [c] quiq; eadẽ æterno suo consilio & prouidentia sustentat ac gubernat: propter Christum, Deũ meum

[c] Gen. 1. Psa. 33. 6.

&

& patrem meum esse:[a] itaq; sic ei confido, sic in eo acquiesco, vt non dubitem, quin prouisurus sit omnib. tũ animo tũ corpori meo necessariis[b]. Quinetiã quę mihi mala in hac ærumnosa vita immittit, ea in salutẽ sit cõuersurus,[c] cùm & facere id possit, vt omnipotẽs Deus,[d] & facere id velit, vt benignus pater[e],

Quid est prouidentia Dei?

Omnipotens & vbiq; pręsens Dei vis,[f] qua cœlum ac terram, cum omnibus creaturis, tanquam manu sustinet ac gubernat[g]: vt quę terra nascuntur, pluuia item & siccitas, fertilitas & sterilitas, cibus & potus,[h] bona & aduersa valetudo,[i] diuitiæ & paupertas, omnia denique; non temerè aut fortuitò, sed paterno eius consilio & voluntate contingant.

Quid nobis prodest hæc cognitio Creationis & Prouidentiæ diuinæ[k]?

Vt in aduersis patiẽtes, in secundis gratissimus,[l] in futurũ verò optimam in deo fidissimo patre spẽ repositã habeamus,[m] certòscientes, nihil esse quod nos ab eius amore abstrahat[n] quãdoquidẽ omnes creaturæ ita sũt in eius potestate, vt sine eius arbitrio nõ modò nihil agere, sed ne moueri quidẽ possint[o].

DE FILIO.

Quare Filius Dei appellatur Iesus, h.e. Saluator?

Quia nos saluat ab omnibus[p] peccatis nostris[q]: Nec vlla salus aliunde[r] peti debet, nec alibi reperiri potest[s].

Credunt

a Psal. 11.4. & 115.3. Mat.10.29. Heb.1.3. Ro. 11.36.
b Ioan.1.12. Rom.8.15. Gal.4.5. 6.7. Ephes.1.5.
c Psal.55.23. Matt.6.25. 26. Luc.12. 22.
d Ro.8.28.
e Ro. 10. 12.
f Mat.6.26. & 7.9.10.11
g Act.17.25. &c.
h Heb.1.2.3.
i Iere.1.24. Act.14.17.
k Ioa.9.3.
l Prou. 22.2.
m Rom. 5.3. Iacob.1.3. Iob.1.21.
n Deu.8.19. 1.Thes.5.18
o Ro.5.4.5.
p Ro. 8.38. 39.
q Iob.1.12. & 2.6. Prou.21.1. Act.17.25. 28.
r Matt.1.21. Heb.7.25.
s Act.4.12.

Credunt ne igitur illi in vnicum Seruatorem Iesum, qui à sanctis, aut à se, aut alium de fœlicitatem aut salutem quærunt?

Non: Etsi enim verbo quidem eo Seruatore gloriantur, reipsa tamē abnegant vnicum Seruatorem Iesum [a]. Necesse est enim aut Iesum non esse perfectū seruatorem, aut qui eum seruatorem vera fide amplectuntur: eos omnia in ipso possidere, quæ ad salutem requiruntur [b].

Quare appellatur Christus, hoc est, vnctus?

Quòd à Patre ordinatus, & Spiritu sancto vnctus sit [c] summus Propheta ac Doctor [d] qui nobis arcanum consilium & omnem voluntatem Patris, de redēptione nostri perfecit [e]: & summus Pontifex [f] qui nos vnico sacrificio sui corporis redemit, ac assiduè pro nobis apud Patrem intercedit [g]: & Rex qui nos suo verbo & Spiritu gubernat, & partam nobis salutem tuetur ac conseruat [h].

Cur verò tu Christianus appellaris?

Quòd per fidē membrum sum Iesu Christi, [i] & vnctionis ipsius particeps [k] vt & nomen eius confitear [l] meq; sistam ipsi viuam gratitudinis hostiam [m], & in hac vita contra peccatum & Satanam, libera & bona conscientia pugnem, & postea, æternum [n] cum Christo regnum, in omnes creaturas teneam.

Quam ob causam Christus vocatur filius Dei vnigenitus, cùm nos quoq; simus filij Dei?

Quia

a 1.Cor.1. 13.31. Gal.5.4.
b Heb.12.2. Ies.9.9.Col. 1.19.20.& 2. 10. Ioan.1.16.
c Psa.45.8. Heb.1.9.
d Deuter. 18.15. Act.3.22.
e Ioan.1.18. & 15 15.
f Psal.110. Heb.7.21. & 10.12.
g Rom.8.34. & 5.9.10.
h Psal.2.6. Luc.1.33. Matth.28. 18. Ioh.10.28.
i Act.11.26. Act.2.17. 5.8.10. Apoc.1.6. 1.Cor.6.15.
k 1.Ioan.2. 27. Iesa. 59.21. Ioel.2.28.
l Mar. 8.38.
m Ro.12.1. Apoc.5. 8.10. 1.Pet.2.9. 2.Tim.2.12. Ro.6.12.13. Apoc.1.6.
n 1.Tim.1. 18.19.

Quia ſolus Chriſtus eſt coæternus & naturalis æterni Patris filius [a]. Nos autem propter eum ex gratia, à patre adoptati ſumus. [b]

Qua de cauſa appellas eum Dominum noſtrum?

Quia corpus & animam noſtram à peccatis, non auro nec argento, ſed pretioſo ſuo ſanguine redimēs, & ab omni poteſtate diaboli liberans nos ſibi proprios vindicauit [c].

Quid credis cum dicis, Conceptus eſt per Spiritum ſanctum, natus ex Maria virgine?

Quòd ipſe filius Dei, qui eſt [d] & permanet verus ac æternus deus [e], naturam verè humanam ex carne & ſanguine virginis Mariæ [f] operatione Spiritus S. aſſumpſit [g] vt ſimul ſit verum ſemē Dauidis [h], fratribus ſuis per omnia ſimilis, [i] excepto peccato [k].

Quem fructum percipis ex ſancta conceptione & natiuitate Chriſti.

Quòd is noſter ſit Mediator [l] & ſua innocentia, ac perfecta ſanctitate, mea peccata in quibus conceptus ſum, tegat, ne in conſpectum Dei veniant [m].

Quid credis cum dicis: Paſſus eſt?

Eum toto quidem vitę ſuæ tempore, quo in terris egit, præcipuè verò in eius extremo, iram Dei aduerſus peccatum vniuerſi generis humani corpore & anima ſuſtinuiſſe, [n] vt ſua paſſione, tanquam vnico ſacrificio propitiatorio [o], corpus & animam noſtram ab æterna damnatione liberaret, & nobis gratiam Dei,

a Iohn. 1.14 Heb.1.1
b.Rom. 8.5 Eph.1.6
c 1. Pet. 1 & 18.19.2 9.1.Cor.6 20.& 7.23.
d Ioan.1.1 & 17.5.Rom 1.4.
e Rom.9.5
f Ioan. 1.14 Gal.4.4.
g Mat. 1.18. 20.luc.1.35
h Pſa.132.11 Rom.1.3.
i Phil.2.7.
k Heb. 4.15. & 7.26.
l Heb.2. 16. 17.
m Pſal.32.3. 1.Cor.30.
n 1.Pet. 2. 24. & 3.18. Iſa.53.12.
o 1. Ioan. 2. 2 & 4.10. Rom.3.25.

Credunt ne igitur illi in vnicum Seruatorem Ieſum, qui à ſanctis, aut à ſe, aut alium de fœlicitatem aut ſalutem quærunt?

Non: Etſi enim verbo quidem eo Seruatore gloriantur, reipſa tamẽ abnegant vnicum Seruatorem Ieſum [a]. Neceſſe eſt enim aut Ieſum non eſſe perfectũ ſeruatorem, aut qui eum ſeruatorem vera fide amplectuntur: eos omnia in ipſo poſſidere, quæ ad ſalutem requiruntur [b].

Quare appellatur Chriſtus, hoc eſt, vnctus?

Quòd à Patre ordinatus, & Spiritu ſancto vnctus ſit [c] ſummus Propheta ac Doctor [d] qui nobis arcanum conſilium & omnem voluntatem Patris, de redẽptione noſtri perfecit [e]: & ſummus Pontifex [f] qui nos vnico ſacrificio ſui corporis redemit, ac aſſiduè pro nobis apud Patrem intercedit [g]: & Rex qui nos ſuo verbo & Spiritu gubernat, & partam nobis ſalutem tuetur ac conſeruat [h].

Cur verò tu Chriſtianus appellaris?

Quòd per fidẽ membrum ſum Ieſu Chriſti, [i] & vnctionis ipſius particeps [k] vt & nomen eius confitear [l] meq́; ſiſtam ipſi viuam gratitudinis hoſtiam [m], & in hac vita contra peccatum & Satanam, libera & bona conſcientia pugnem, & poſtea, æternum [n] cum Chriſto regnum, in omnes creaturas teneam.

Quam ob cauſam Chriſtus vocatur filius Dei vnigenitus, cùm nos quoq; ſimus filij Dei?

Quia

a 1.Cor.1. 13.31. Gal.5.4.
b Heb.12.2. Ieſ.9.9.Col. 1.19.20.& 2. 10. Ioan.1.16.
c Pſa.45.8. Heb.1.9.
d Deuter. 18.15. Act.3.22.
e Ioan.1.18. & 15 15.
f Pſal.110. Heb.7.21. & 10.12.
g Rom.8.34. & 5.9.10.
h Pſal.2.6. Luc.1.33. Matth.28. 18. Ioh.10.28.
i Act.11.26. Act.2.17. 5.8.10. Apoc.1.6. 1.Cor.6.15.
k 1.Ioan.2. 27. Ieſa. 59.21. Ioel.2.28.
l Mar.8.38.
m Ro.12.1. Apoc.5. 8.10. 1.Pet.2.9. 2.Tim.2.12. Ro.6.12.13. Apoc.1.6.
n 1.Tim.1. 18.19.

Quia ſolus Chriſtus eſt coæternus & naturalis æterni Patris filius [a]. Nos autem propter eum ex gratia, à patre adoptati ſumus. [b]

Qua de cauſa appellas eum Dominum noſtrum?

Quia corpus & animam noſtram à peccatis, non auro nec argento, ſed pretioſo ſuo ſanguine redimẽs, & ab omni poteſtate diaboli liberans nos ſibi proprios vindicauit [c].

Quid credis cum dicis, Conceptus eſt per Spiritum ſanctum, natus ex Maria virgine?

Quòd ipſe filius Dei, qui eſt [d] & permanet verus ac æternus deus [e], naturam verè humanam ex carne & ſanguine virginis Mariæ [f] operatione Spiritus S. aſſumpſit [g] vt ſimul ſit verum ſemẽ Dauidis [h], fratribus ſuis per omnia ſimilis, [i] excepto peccato [k].

Quem fructum percipis ex ſancta conceptione & natiuitate Chriſti.

Quòd is noſter ſit Mediator [l] & ſua innocentia, ac perfecta ſanctitate, mea peccata in quibus conceptus ſum, tegat, ne in conſpectum Dei veniant [m].

Quid credis cum dicis: Paſſus eſt?

Eum toto quidem vitę ſuæ tempore, quo in terris egit, præcipuè verò in eius extremo, iram Dei aduerſus peccatum vniuerſi generis humani corpore & anima ſuſtinuiſſe, [n] vt ſua paſſione, tanquam vnico ſacrificio propitiatorio [o], corpus & animam noſtram ab æterna damnatione liberaret, & nobis gratiam Dei,

a Iohn. 1.14 Heb.1.1
b.Rom. 8.5 Eph.1.6
c 1. Pet. 1 & 18.19.2 9.1.Cor.6 20.& 7.23.
d Ioan.1.1 & 17.5.Rom 1.4.
e Rom.9.5
f Ioan. 1.14 Gal.4.4.
g Mat. 1.18. 20.luc.1.35
h Pſa.132.11 Rom.1.3.
i Phil.2.7.
k Heb. 4.15. & 7.26.
l Heb.2. 16. 17.
m Pſal.32.3. 1.Cor.30.
n 1.Pet. 2. 24. & 3.18. Ieſ.53.12.
o 1. Ioan. 2. 2 & 4.10. Rom.3.25.

iustitiam & vitam æternam acquireret.

Quid causæ fuit, cur sub iudice Pilato pateretur?

Vt innocens coram iudice politico damnatus[a], nos à seuero Dei iudicio quod omnes manebat, eximeret[b].

a Luc.23.14 Ioan.19.8.4
b Psal.69.2. 5, Iesa. 53. 2. cor.5.21. Gal 3.13

Est verò quiddam amplius, quòd affixus sit cruci, quàm si alio genere mortis affectus esset?

Sanè amplius: Ex hac enim re sum certus, eum maledictionem, quæ mihi incumbebat, in se recepisse. Nam mors crucis à Deo erat maledicta[c].

c Deut.21 23. Gal.3.13

Cur necesse fuit Christum ad mortem usque se demittere?

Propterea quòd iustitiæ & veritati dei[d] nullo alio pacto pro nostris peccatis potuit satisfieri, quàm ipsa morte filij Dei[e].

d Gen.2.17.
e Heb.9.14. 15. Phil.2.8.

Quare etiam sepultus est?

Vt eo testatum faceret, se verè mortuum esse[f].

f Act.13. 29. Math.27 60. Luc.23. 35. Ioan. 19.32.

At cùm Christus pro nobis mortem oppetierit, cur nobis quoque est moriendum?

Mors nostra non est pro peccatis nostris satisfactio, sed peccati abolitio, & transitus in vitam æternam[g].

g Ioan.5.24. Phil.1.21. Rom.7.24.

Quid præterea capimus commodi ex sacrificio & morte Christi?

Quòd virtute eius mortis, vetus noster homo vnà cum eo crucifigitur, interimitur, ac sepelitur[h], ne prauæ cupiditates, & desideria carnis

h Rom.6.6.7 8.11.12.

carnis, posthac in nobis regnent, [a] sed nos ipsos ei hostiam gratitudinis offeramus [b].

a Rom.6.12.
b Rom.12.1

Cur additur: Descendit ad inferna?

Vt in summis doloribus, & grauissimis tentationibus, me consolatione hac sustentem, quòd dominus meus Iesus Christus inenarrabili, animi sui angustiis, cruciatibus & terroribus, in quos cùm antea, tum maximè in cruce pendēs fuerat demersus, me ab angustiis & cruciatibus inferni liberauerit. [c]

c Isa.53.10. Mat.27.46.

Quid nobis prodest resurrectio Christi?

Primùm, sua resurrectione mortem deuicit, vt nos posset eius iustitię quam nobis sua morte pepercerat, participes facere [d]. Deinde nos iam quoq; eius potentia ad nouam vitā excitamur [e]. Postremò resurrectio capitis nostri Christi, nobis glorioſæ resurrectionis nostrę pignus est [f].

d 1.Cor.15 17.54.55 Rom.4.25.1 pet.1.3.21
e Rom.6.4 Col.3.1.5 Eph.2.52.
f 1.cor.15 12. Ro,8.11

Quomodo intelligis illud, Ascendit ad cœlos?

Quòd aspicientibus discipulis Christus de terra in cœlum sublatus est, [g] atq; etiamnum nostra causa ibidem est [h] & erit, donec redeat ad iudicandū viuos & mortuos [i].

g Act.1.9 Math.26 Marc.16. Luc.24
h Heb.4.24 & 7.25.9.11 Rom.8,34 Eph.4.10 Col.3.1.
i Act.1.11 Math.24.30

An ergo Christus non est nobiscum vsque ad finem mundi, quemadmodum promisit [k]?

Christus est verus Deus & verus homo: itaque secundùm naturam humanam, iam non est in terra [l]: At secundùm diuinitatem suā, maiestatem, gratiā & spiritum, nullo vnquā

k Mat.28.20.
l Mat.26.11. Ioan. 28. & 17.11. Act.3.21

tempore à nobis abeſt[a].

An verò iſto pacto duæ naturæ in Chriſto non diuelluntur, ſi non ſit natura humana vbicunque eſt diuina?

Minimè: Nã cùm diuinitas comprehẽdi non queat, & omni loco præſens ſit:[b] neceſſariò cõſequitur, eſſe eam quidem extra naturam humanam quam aſſumpſit, ſed nihilominus tamen, eſſe in eâdem, eique perſonaliter vnitam permanere[c].

Quem fructum nobis adfert aſcenſio Chriſti in cœlum?

Primùm, quòd in cœlo apud Patrem pro nobis intercedit[d]. Deinde, quòd carnem noſtram in cœlo habemus, vt eo tãquam certo pignore cõfirmemur, fore, vt ipſe, qui caput noſtrum eſt, nos ſua membra ad ſe extollat[e]. Tertiò, quòd nobis ſuum ſpiritum, mutui pignoris loco mittit[f], cuius efficacia, non terrena, ſed ſuperna quærimus, vbi ipſe eſt ad dexteram Dei ſedens[g].

Cur additur, Sedet ad dexteram Dei?

Quia Chriſtus ideo in cœlum aſcendit, vt ſe ibi caput ſuæ Eccleſiæ declaret[h], per quod pater omnia gubernat[i].

Quid nobis prodeſt hæc gloria noſtri capitis Chriſti?

Primùm, quòd per Spiritum ſanctum, in nos ſua mẽbra, cœleſtia dona effundit[k]. Deinde, quòd nos ſua potentia contra omnes hoſtes

a Ioan. 14 17. &c. & 16. 13. Ephe. 4. 8. 12. Aug. tract. in Ioan. 50

b Act. 7. 49 & 17. 28. Ier. 23. 24

c col 2. 9 Ioan. 3. 13 11. 15. Mat. 28. 6

d 1. Ioan. 2. 12. Ro. 8. 34

e Ioan. 14 2, & 20. 17. Eph. 2. 6

f Ioa. 14. 16 & 16. 7. Act. 2. 2. co. 1. 22 2. cor. 5. 5

g Col. 3, 1 phil. 3. 14

h Eph. 1, 20 21, 22, 23 & 5 22. Col 1. 18

i Mat. 28, 18 Ioan 5, 22

k Eph. 4, 10

hostes protegit ac defendit[a].

Quid te consolatur reditus Christi ad iudicandum viuos & mortuos?

Quòd in omnibus miseriis & persecutionib. erecto capite, eundem illum, qui se priùs pro me iudicio dei statuit, & maledictionem omnẽ à me abstulit, iudicẽ è cœlo expecto, [b] qui omnes suos & meos hostes in æternas pœnas abiiciat[c]: me vero cum omnibus electis, ad se in cœlestia gaudia, & sempiternã gloriam traducat.[d]

DE SPIRITV SANCTO.

Quid credis de Spiritu sancto?

Primùm quòd sit verus & coæternus Deus cum æterno Patre & Filio[e]: Deinde, quód mihi quoque datus sit[f], vt me per veram fidem Christi & omnium eius beneficiorum participem faciat[g], me cõsoletur, & mecum in æternum maneat[h].

Quid credis de sancta & Catholica Christi Ecclesia?

Credo Filium Dei[i], ab initio mundi ad finem vsque[k], sibi ex vniuerso genere humano [l] cœtum ad vitam æternam electum [m], per Spiritum suum & verbum[n], in vera fide consentientem [o] colligere, tueri, ac seruare[p]: meque viuum eius cœtus membrum esse[q], & perpetuò mansurum[r].

Quid sibi vult Communio sanctorum?

a Psa.2.9 & 110.1.2 Ioan 10.28 Ephe.4.8
b Luc.21.28 Ro.8.23. 33. Phil.3.20 Tit.2. 13.
c 2.Thes.1.6 7. 1.Thes.4. 16. Mat.25.41.
d Mat.25.34
e Gen.1.2 Ies.48.16. 1.Cor.3.16 1.Cor.6.19 Act.5.3.4
f Mat.28.19 2.Cor.1.21
g Gal.3.14 1.pet.1.2. 1.Cor.6.17
h Act.9.31 Ioan.14.16 1.pet.4.14
i Ioan.10.11
k psal.71.18 1.Cor.11.26
l Gen.26. 4
m Rom.8.29 30.Eph.1 10.11.12.13. 1.pet.1.20
n Ies.59. 21. Rom.1.16 & 10.14. 17. Ephe.5.26
o Act.2.46 Eph.4.3.4.5.
p Mat.16 18.Ioan.10. 28.29.30
q 1.Ioa.3.21 2.Cor.13 5
r 1.Io.1.19. 1.co.1.8.9. Rom.8. 35.

Primùm, quòd vniuersi & singuli credentes, Christi & omnium eius bonorum, tanquam
a 1.Ioan. 1.3 Rom.8.32. 1.Cor.12.13 21.1.Cor. 6.17. ipsius membra, communionẽ habeant[a]. Deinde, quòd singuli quæ acceperunt dona, in commune commodũ & vniuersorum salutẽ,
b 1.Co.13.5 Phil.2.4.5.6 promptè & alacriter conferre debeant[b].

Quid credis de remissione peccatorum?

Deum propter satisfactionem Christi
c 1.Ioan.2.2 2.Cor. 5.19. 21. meorum peccatorum atq; illius etiam pra-
d Ier.31.34. Psal.103.8. 10.12.Rom. uitatis, cum qua mihi per omnẽ vitam pug-nandum est[d] memoriam omnem deposuisse, & me iustitia Christi gratis donare, ne tan-
7.24.25.Ro. 8.1.2.3. quam in iudicium veniam[e].

Quid te consolatur, Resurrectio carnis?

e Ioan 3.18. Luc.23.43. phil.1.23 Quòd non tantùm anima mea, postquã è corpore excesserit, è vestigio ad Christum
f 1.Co.15.53 Iob. 19.25. 26.1.Io.3.4 Phil.3.21. suum caput assumetur[f], verùm quòd hæc quoque caro mea, potentia Christi excitata, rursus animę meæ vnietur, & glorioso cor-
g 2.Co.5.2.3 pori Christi conformabitur[g].

Quam consolationem capis ex articulo de vita æterna?

Quòd, quoniam in pręsentia vitę æternæ
h 1. Cor.2.9. initia in meo corde pręsentisco, [h]futurum sit vt post hanc vitam plena perfectaque beatitudine potiar, in qua Deum in æternũ celebrem: quam quidem beatitudinẽ nec oculus vidit, nec auris audit, nec vllus homo cogitatione comprehendit.

At cùm hæc omnia credis quid vtilitatis inde

ad

ad te redit?

Quòd in Christo iustus sum coram Deo, & hæres vitæ [a] æternæ.

Quomodo iustus es coram Deo?

Sola fide in Iesum Christum: [b] adeo ut licet me mea cõscientia accuset, quòd aduersus omnia mãdata dei grauiter peccauerim, nec vllum eorum seruauerim [c]: adhæc etiamnum ad omne malum propensus sim, [d] nihilominus tamen (modò hæc beneficia vera animi fiducia amplectar [e]) sine vllo meo merito [f] ex mera Dei misericordia [g] mihi perfecta satisfactio [h] iustitia & sanctitas Christi [i] imputetur ac donetur, [k] perinde ac si nec vllũ ipse peccatũ admisissem, nec vlla mihi labes inhæreret: imò verò quasi eam obedientiam, quam pro me Christus præstitit, ipse perfectè præstitissem, [l].

a Heb.2.4. Rom.1.17. Ioan.3.36.
b Rom 2,3. 21.22.24. 25.28.& 5. 1.Gal.2.16. Eph.2.8.9. Phil.3.9.
c Ro.3.9.&c
d Rom.7.23. Rom.3.22. Ioan.3.18.
f Tit.3.5. Deut.9.10. Ezec. 36.22.
g Rom.3.24. Eph.2.8.
h 1.Ioan.2.2.
i 1.Ioan. 2.1.
k Rom.4.4. 2.Cor.5.19.
l 2.Cor.5.21.

Cur sola fide te iustum esse affirmas?

Non quòd dignitate meræ fidei, Deo placeam: sed quòd sola satisfactio, iustitia & sanctitas Christi mea iustitia sit coram Deo [m]. Ego verò eam non alia ratione, quàm fide amplecti, & mihi applicare queam [n].

m 1.Cor. 1. 30.& 2.2.
n 1.Io.5.10.

Cur nostra bona opera non possunt esse iustitia, vel pars aliqua iustitiæ coram Deo?

Propterea quòd oporteat eam iustitiã quæ in iudicio Dei consistat, perfectè absolutam esse, & omni ex parte diuinæ legi congruentẽ [o]: Nostra verò etiam præstantissima quæq;

o Gal.3.30. Deut. 27.26.

opera: in hac vita sint imperfecta, atque peccatis inquinata [a].

a Luc. 17. 10

Quomodo bona opera nostra nihil promereatur, cùm Deus & in præsenti & in futura vita mercedem pro his se daturum promittat?

b Mat. 7. 18. Ioan. 15. 5.

Merces ea nō datur ex merito, sed ex gratia [b].

An autem hæc doctrina non reddit homines securos & profanos?

Non: neque enim fieri potest, quin ij qui Christo per fidem insiti sunt, fructus proferant gratitudinis.

De Sacramentis.

Quoniam igitur sola fides nos Christi atque omnium beneficiorum participes facit: Vnde proficiscitur?

Eph. 2. 8. & 6. 23. Ioan. 3. 5. Phil. 1. 29. d Mat. 28. 19. 20. 1. Pet. 1. 22. 23

A Spiritu sancto [c], qui eam per prædicationem Euāgelij in nostris cordibus accendit, & per vsum sacramentorum confirmat [d].

Quid sunt sacramenta?

Sunt sacra, & in oculos incurrentia signa, ac sigilla, ob eam causam à Deo instituta, vt per ea nobis promissionem Euangelij magis declaret & obsignet, quòd scilicet, non vniuersis tantùm, verùm etiam singulis credētibus propter vnicum illud Christi sacrificium in cruce peractum, gratis donet remissionem peccatorum, & vitam æternam [e].

e Gen. 17. 11 Rom. 1. 11. Deu. 32. 6. Leuit. 6. 25. Heb. 9 8. 9. 24. Ezec. 20. 12. 1. Sam. 17. 36. Ier. 6. 6. 7. & 54. 9.

Non vtraque igitur & Verbum & sacramenta eò spectant, vt fidem nostram ac sacrificium

Christi

Christi in cruce peractum, tanquam ad vnicum nostræ salutis fundamentum deducant?

Ita est. Nam spiritus sanctus docet Euangelio, & confirmat sacramētis omnium nostram salutem positam esse invnico sacrificio Christi, pro nobis in cruce oblati [a]. a Rom.6.3. Gal.3.27.

Quot Sacramenta instituit Christus in nouo fœdere.

Duo: Baptismum, & sacram Cœnam.

DE BAPTISMO.

Quare in Baptismo admoneris & confirmaris, te vnici illius sacrificij Christi participem esse?

Quòd Christus externum aquæ lauacrum mandauit [b], addita hac promissione [c], me non minus certò, ipsius sanguine & spiritu à sordibus animæ, hoc est, ab omnib. meis peccatis lauari: quàm aqua extrinsecus ablutus sum [d], qua sordes corporis expurgari solent. b Mat.28.19 Act.2.38. c Mar.16.16. Mat.3.11. Rom.6.3. d Mar.1.4. Luc.3.3.

Quid est sanguine & spiritu Christi ablui.

Est accipere à Deo remissionem peccatorum gratis propter sanguinem Christi, quem is pro nobis in suo sacrificio in cruce profudit [e]. Deinde etiam per spiritum sanctum renouari, & ipso sanctificante, membrum Christi fieri, quò magis ac magis peccatis moriamur, & sanctè inculpatéque viuamus. e Heb.12,24 1.Pet.1.2. Apoc.1,5,& 22,14. Zac.13,1. Ezc.36. f Io.1,8,33. & 3,5. 1.Cor.6,11,& 12,18. Rom.6,4. Col.2,12.

Vbi promisit Christus se nos tam certò sanguine & spiritu suo abluturum, quàm aqua Baptismi abluti sumus?

In

In institutione Baptismi, cuius hæc sunt verba: *Ite & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & S.S. Qui crediderit*[a] *& baptizatus fuerit, seruabitur: qui non crediderit, condēnabitur*[b]. *Hæc promissio repetitur, cùm scriptura baptismū nominat lauacrum regenerationis*[c], *& absolutionem peccatorum*[d]?

a Mat.18.19.
b Mar.16.16.
c Tit.3.5.
d Act.22.16.

Estne ergo externus baptismus aqua, ipsa peccatorum ablutio?

Non est:[e] Nam solus sanguis Iesu Christi purgat nos ab omni peccato[f].

e Mat.3.11. 1.Pet.3.21. Eph.5.26.
f 1.Ioan.1.7.

Cur ergo S.S. baptismum appellat lauacrum regenerationis, & absolutionem peccatorum?

4.Cor.6.11.

Deus non sine graui causa sic loquitur, videlicet non solùm vt nos doceat, quēadmodum sordes corporis aqua purgātur, sic peccata nostra sanguine & spiritu Christi expiari[g], verùm multò magis, vt nobis hoc diuino symbolo ac pignore certum faciat nos non minus verè à peccatis nostris interna lotione ablui, quā externa & visibili aqua abluti sumus.

g Apoc.1.5. & 7.14.1. Cor.6.11.
h Mar.16.16. Gal.3.17.

Sunt-ne etiam infantes baptizandi?

Omnino: Nam cùm æquè ac adulti ad fœdus & Eccl. Dei pertineant[i], cumque eis per sanguinem Christi, remissio peccatorum[k] & S.S. fidei effector, non minus quàm adultis promittatur[l]: per baptismū Ecclesiæ Dei inserendi sunt, & ab infidelium liberis discerné di[m]itidem vt in veteri fœdere, per circumcisionem fiebat[n], cui in nouo fœdere substitu-

i Gen.17.7.
k Mat.19.14
l Lu.1.15,15 Psa.22,11 Is.44,1,2,3
m Act.10,47
n Gen.17.

tus

tus est baptismus[a].

a Col. 2.11: 12.13.

De Coena Domini.

Qua ratione in Cœna Domini admoneris & confirmaris, te vnici illius sacrificij Christi in cruce oblati, atque omnium eius bonorum participem esse?

Quòd Christus me atq; omnes fideles de hoc fracto pane edere, & de poculo distributo bibere iussit, in sui memoriam, addita hac promissione[b]: Primùm, corpus suum non minus certò pro me in cruce oblatum ac fractũ & sanguinem suum pro me fusum esse, quàm oculis cerno, panem Domini mihi frangi, & poculum mihi communicari. Deinde animã meam, non minus certò ipsius corpore, quod pro nobis crucifixum, & sanguine, qui pro nobis fusus est, ad vitam æternam ab ipso pasci: quàm panem & vinum, symbola corporis & sanguinis domini, è manu ministri accepta, ore corporis percipio.

b Mat. 26. 27. 28. Mar. 14. 22. 23. 24. Luc. 22. 19. 20 1 Cor. 10, 16. 17. & 11. 23. 24, 25. & 12. 13.

Quid est crucifixum corpus Christi edere, & fusum eius sanguinem bibere?

Est non tantùm totam passionem & mortem Christi, certa animi fiducia amplecti, ac per id remissionem peccatorum & vitam æternam adipisci[c]: sed etiam per S.S. qui simul in Christo & in nobis habitat, ita sacrosancto eius corpori magis ac magis vniri[d], vt quãuis ipse in cœlo[e], nos verò in terra simus, nihilominus tamẽ, caro simus de carne eius, & os de ossibus

c Io. 6 35. 40 47. 48. 50. 51. 53. 54.

d Io. 6. 55. 56

e Act. 3. 21. Act. 1. 9. 1. Co. 11. 26.

a Eph. 5,29, 30,32,1. Co.6,15,17, 19.Io.3,24, & 4,13. Eph.3,17.

ossibus eius[a]: Vtq; omnia corporis membra ab vna anima, sic nos vno eodemque spiritu viuificemur & gubernemur[b].

b Io.14,23. Io.6,56,57, 58.Io.15,1,2, 3,4,5,6. Eph.4,15,16.

Quo loco promisit Christus, se credẽtibus tam certo corpus & sanguinem suum sic edendum & bibendum daturum, quàm fractum hunc panem edunt, poculum hoc bibunt?

c 1.Cor.11,23 &c. Mat.26,26, &c.Mat.14, 22,&c. Lu.21.19,&c.

In institutione Cœnæ cuius hęc sunt verba[c]. *D. noster Iesus Christus ea nocte qua proditus est, accepit panem, & gratiis actis, fregit, ac dixit, accipite, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur: hoc facite in mei recordationẽ. Itidem & poculum postquam cœnassent, dicens: hoc poculum nouum fœdus per meum sanguinem*[d]*: Hoc facite, quotiescunq; biberitis, in mei recordationem*[e]*. Quotiescunq; enim ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiate donec venerit.* Hæc promissio à Paulo repetitur, cùm inquit: *Poculum gratiarum actionis, quo gratias agimus, nonne communio est sanguinis Christi? Panis quem frangimus, nonne communio est corporis Christi? quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus*[f]*. Nam omnes vnius panis participes sumus.*

d Exod.24,2. Heb.9,20.

e Exo.13,9.

f 1.Cor.16,17

Num ergo panis & vinum fiunt ipsum corpus & sanguis Christi?

Nequaquam: Verùm, vt aqua Baptismi in sanguinẽ Christi non cõuertitur, nec est ipsa peccatorum ablutio, sed Symbolum tantum & pignus earũ rerum, quę nobis in Baptismo obsig-

obſignantur: ita nec panis cœnæ dominicæ, eſt ipſum corpus Chriſti: [a] quanquam pro ratione Sacramentorum, & vſitata Spiritui ſancto de his loquendi forma [b], panis Chriſti corpus appellatur.

Cur ergo Chriſtus panem appellat ſuum corpus, calicem verò ſuum ſanguinem, ſeu nouũ fœdus per ſuum ſanguinem: Paulus item panem & vinum, communionem corporis & ſanguinis Chriſti?

Chriſtus non ſine graui cauſa ſic loquitur: Videlicet non ſolùm vt nos doceat quemadmodum panis & vinũ corporis vitam ſuſtentant: ſic etiam crucifixum ſuum corpus, & effuſum ſuum ſanguinem, verè eſſe animæ noſtræ cibum ac potum, quo ad vitam æternam nutriatur [c]: Verùm multò magis, vt hoc viſibili ſigno ac pignore nobis certũ faciat, nos non minùs verè corporis & ſanguinis ſui, per operationem Sp. S. participes eſſe, quàm ſacra iſta Symbola, in eius memoriã, ore corporis percipimus [d]: Tum etiam, quòd eius paſſio & obedientia, tã certò noſtra ſit, quaſi ipſimet pro noſtris peccatis pœnas dediſſemus, & Deo ſatisfeciſſemus.

Quid intereſt inter cœnam Domini & Miſſam Papiſticam?

Cœna Domini nobis teſtatur, nos perfectam remiſſionem omnium noſtrorum peccatorũ habere, propter vnicum illud Chriſti ſa-

a Mat. 26. 29. Mat. 14. 24. 1 cor. 11. 26. 27. 28. 1. cor. 10. 16 17.

b. Gen. 17. 10. 14. 19. Exod. 12. 27. 43. 48. & 13. 9. Act. 7. 8. Exod. 24. 8. & 29. 36. Leuit. 16. 10. & 17. 11. Iſ. 6. 6. 7. Tit. 3. 5. Act. 22. 16. 1. Pet. 3. 21. 1. cor. 10. 1, 2, 3, 4.

c Ioan. 6. 51. 55.

d 1. Cor. 10. 16. 17.

e Heb. 7. 27. & 9. 1. 2. 26. 28. & 10. 10. 12, 14. Ioan. 19. 30. Matt. 26. 28. Luc. 22. 19. 20.

sacrificiū, quod ipsemet semel in cruce peregit [a]? Tum etiā nos per S.S. inseri Christo [b], qui iam secundùm naturam suam humanā, tantùm in cœlis est ad dexterā patris [c], ibiq; vult à nobis adorari [d]. In missa autē negatur, viuos & mortuos habere remissionē peccatorum propter vnicam Christi passionē nisi etiamnū quotidie Christus pro ipsis à sacrificulis offeratur: Tum etiam docetur Christum corporaliter sub specieb. panis & vini esse, ideoq; in illis adorandū esse [e]. Atque ita ipsum Missæ fundamentum nihil aliud est, quàm abnegatio vnici illius sacrificii & passionis Iesu Christi, & execranda idololatria.

a 1. Cor. 6. 17 & 10. 16. & 12. 13.
b Heb. 1. 3. & 8. 1.
c Ioa. 4. 21. 22. 23. & 20. 17. Luc. 24. 25. Act. 7. 55 56. col. 3. 1. Phil. 3. 20. 1. Thes. 1. 10.
d In canon. Missę item de cōsecratio. distin. 2.
e 1. Cor. 10. 21. & 11. 28. &c.

Quibus accedendum est admensam Domini?

Tantùm iis qui verè dolent, se suis peccatis deū offendisse: confidunt autem sibi ea propter Christum remissa esse: & quas reliquas habēt infirmitates, eas passione & morte illius obtectas esse, quiq; desiderant magis ac magis in fide & integritate vitæ proficere. Hypocritę autem, & qui non verè resipiscunt, damnationem sibi edunt & bibunt [f].

f 1. Cor. 11. 20. 34. Ies. 1. 11. & 66. 3. Ier. 7. 21. &c. Psal. 50. 16.

Suntne illi etiam ad hanc cœnam admittendi, qui confessione & vita, se infideles & impios esse declarant?

Nequaquā: nam eo pacto fœdus dei profanatur, & ira Dei in vniuersum cœtū concitatur [g]. Quocirca, Eccl. ex præscripto Christi & Apost. hos, clauib. regni cœlorū vtēs, à

Cœna

Cœna arcere debet quoad resipuerint & mores mutauerint.

Quid sunt claues regni cœlorum.

Prædicatio Euangelij,& Ecclesiastica disciplina:quibus cælum credentibus aperitur: infidelibus autem clauditur.

Quopacto aperitur & clauditur regnum cælorum prædicatione Euangelii?

Cùm ex mãdato Christi,credentib.vniuersis & singulis,publicè annũciatur,omnia peccata ipsis diuinitꝰ propter meritũ Christi cõdonari,quoties promissionẽ Euãg. vera fide amplectuntur:Contràverò omnib.infidelib. & hypocritis denũtiatur,tantisper ipsis iram Dei & æternam condemnationẽ incumbere, dum in suis scelerib.perseuerant [a] secundùm quod Eũang.testimonium,deus tam in præsenti,quã in futura vita iudicaturus est.

a Ioan.20. 21.22.23. Matt.16.19.

Quopacto clauditur,& aperitur regnum cælorum per disciplinam Ecclesiasticam?

Cùm ex mandato Christi, ii qui nomine quidem sunt Christiani,verùm doctrina aut vita se ostendunt à Christo alienos[b],postquã aliquoties fraternè admoniti,ab errorib. aut flagitiis discedere nolunt,Ecclesiæ indicãtur aut iis qui ab Ecclesia ad eam rẽ sunt constituti,ac si ne horũ quidem admonitioni pareant,ab iisdẽ interdictione sacramẽtorum,ex cœtu Ecclesię:& ab ipso Deo,ex regno Christi excluduntur:ac rursum,si emendationem pro-

b Ro.12.8. 1.cor.12.21. 1.Tim.5.17. 1. Cor.5.4. 2.Cor.2.6.

Matt.18.15. 16.17.18. 1.Cor.5. 2.Thes.3.14. 15.2.Ioan. 10.11.2.cor. 2.6.7.10.11.

profiteantur, & reipsa declarent: tanquam Christi & Ecclesiæ membra recipiuntur.

DE HOMINIS LIBERATIONE.



Væstiones hîc obseruandæ.

1. *Quid sit liberatio, seu qualis sit, aut quibus in rebus consistat.*
2. *Possit ne fieri liberatio post lapsum.*
3. *An sit necessaria, & certa.*
4. *An perfecta sit expectanda.*
5. *Quomodo fieri possit.*

1. *Quid sit liberatio.*

Liberationis vocabulum est relatiuum. Omnis enim liberatio est ad aliquid. Est autem liberatio à peccato,& morte, sicuti ex aduerso miseria complectitur peccatum,& mortem,seu pœnas. Deinde liberatio etiam est restitutio iustitiæ & vitæ æternæ. Atque hæc liberatio perfecta est, & plena, tum à malis culpæ,tum à malis pœnæ. *Ratio* 1. *Quia sanguis Christi purgat nos ab omni peccato:* neque Deus tantùm ex parte est liberator à malis pœnæ. 2.*Perfectè Deus punit.*Ergo perfectè benefaciet, & liberabit. *Absterget omnem lacrymam* ab vtrisque simul. 3. *Deus est perfectæ misericordiæ & bonitatis.*Ergo confert plenam libertatem. 4. *Perfectæ periimus in Adamo:* Ergo perfectè etiam liberabimur. 5.*Christi beneficium est perfectum.*Si imperfectius esset Adami peccato, Christus Adamo cederet.

1.Ioan.1.7.

Apoc 7.17.

Liberatio à peccato est, 1. *condonatio peccati,*vt non imputetur 2.*Abolitio peccati in nobis per regenerationem, & vita noua inchoata,* quæ perfecta erit in altero seculo. *Liberatio à morte* est liberatio, 1.*A desperatione,* vel sensu iræ Dei. 2. *A morte æterna,* & corporali per resurrectionem. 3. *A calamitatibus, & omnibus miseriis.* Liberatio etiam illa est restitutio vitæ æternæ, vel sanctitatis, iustitiæ, & fœlicitatis, atque adeò omnium

um bonorum malis illis oppositorum.

2. *Possitne fieri liberatio post lapsum.*

Fieri posse liberationem, docet Euangelium: sed quæstio est *vnde illud sciamus:* nempe scimus illud ex sola promissione, reuelationeq; verbi, & spiritus sancti in cordibus efficacis. *Quæst. Igitur Adam postquam lapsus erat, non poterat scire certò liberationem sine reuelatione, & promissione? Resp.* Non potuit. 1. *propter iustitiam Dei,* quæ postulat æternam pœnã à mandati sui transgressoribus. 2. *Propter veritatem Dei:* quia minatus erat categoricè mandati eius transgressoribus mortem æternam: Verax autẽ Deus est, & immutabilis. Caro igitur & sanguis non reuelant, quæ propria sunt beneficia Mediatoris. Ac proinde sic Adamus contra liberationẽ cogitare poterat ante illius promissionem. 1. *Impossibile est violari iustitiã Dei, quæ requirit æternã transgredientiũ pœnam: & veritatem Dei quæ eam pœnam comminatur. Atqui euasio ex miseriis violabit iustitiã Dei, & veritatem ipsius. Ergo euasio, seu liberatio, est impossibilis, Probatio* Maioris. *Iustitia & veritas dei nõ permittunt impunè eos abire, qui meriti sũt æternam damnationem. Atqui promerui pœnas æternas etiam posteris communes: Ergo &c. Resp.* Iustitia, & veritas Dei, hoc non permittunt, scilicet nisi fiat plena, & perfecta satisfactio. *Probatio Minoris, Cũ non fit quod iustitia Dei postulat, & veritas minatur, violatur vtraque. Atqui emersio ex malis erit non infligere pœnam, quam iustitia dei postulabat, & veritas Dei minabatur. Ergo. &c.* Conceditur argumentum, si prorsus nulla infligatur pœna, vel peccantibus ipsis, vel aliis se pro peccatoribus ad sustinendam pœnam offerentibus. Christus autem pro nobis pœnam sustinuit.

2. *Quod postulat immutabilis Dei iustitia, & veritas, est immutabile: abiectionem transgredientis mandata ipsius postulat: Ergo &c. Resp.* Ad Maiorem, quod postulat, scilicet simpliciter, & non alternatiue, hoc est, vel vt satisfaciat, vel vt abiiciamur.

3. *Ex quo non habemus facultatem nos liberandi, illud est impossibile. Resp.* Impossibile est, si Deus non sciat rationem nos liberandi. Non igitur poterat Adamus necessariò cõcludere, liberationem non esse possibilẽ. *Ob. Atqui sic euertitur quod antè dictum est, Adamum non potuisse sperare liberationem. Resp.* Non habebat rationẽ necessariam, qua posset sibi polliceri liberationem, nisi Deus, eiusmodi rationem illi patefeciſſet. Sed tamen non sequebatur: quia nulla creatura potest inuenire rationem, vel medium liberationis, imò nec præsentiscere quidem: ideoq; etiam Deũ non posse. Quapropter debebat acquiescere in Deo, neq; desperare, etiamsi ad desperationem solicitaretur.

Probabilia tamen fuerunt hæc argumenta, quibus consolari sese poterat. 1. *Non esse consentaneum deũ creaturam præstãtissimam ad perpetuam miseriam destinasse. Ergo futura est liberatio.* 2 *Non est verisimile Deum tradidisse legem quæ nunquã integrè præstaretur.* 3, fuerunt argumẽta, quib. persuadere sibi poterat Adamus, possibilem fuisse liberationem. 1. *Misericordia Dei*, quam Dominus exercere potest non violata iustitia sua. 2. *Infinita sapientia*, potuit igitur inuenire liberationis rationem. 3. *Omnipotentia*, habet igitur potentiã liberandi à morte, & restituendi iustitiam. Negare ergo liberationem, est adimere Deo sapientiam & potentiam. Sed Deo neque modus, neq; consilium neque potẽtia deest. Ergo est possibilis liberatio. *Deus deducit ad inferos. Domini sunt exitus ex morte. Non abbreuiata est manus Domini. Ob.* 1. *Iustitia Dei non sinit impunitum abire qui æternas pœnas sunt meriti. At enim meriti sunt. Ergo. Resp.* Verũ, nisi fiat plena & perfecta satisfactio. *Ob.* 2. *Ex quo non habemus facultatem emergendi, id est impossibile. Ex peccato & morte non habemus facultatem emergendi Ergo. &c. Resp.* Verum, nisi Deus mutare velit. Vult autem in Christo.

1. Sam. 2. 6. Psal. 68. 21. Isa. 59. 1.

3. *An liberatio sit necessaria & certa.*

Necessarium est necessitate ex hypothesi vt aliq- liberet

liberẽtur, non quasi deo inuito. Etenim non fuit nobis obstrictus vt nos liberaret. *Quis prior dedit domino?* Rom.11,35.
Sed 1. *quia Deus decreuit liberrimè & immutabiliter, & promisit.* 2. *A fine creationis:* quia vult ab hominibus in æternum celebrari. *Creauit nos in laudem gloriæ suæ.* Ergo necesse est vt aliqui liberẽtur. 3. *Non voluit frustrà & simpliciter ad æternas pœnas condere hominem:* vt Ps.89 dicitur. *Creasti ne frustra omnes filios hominum? &c.* finẽ autem suorum consiliorum Deus assequitur. 4. *Quia filium non frustra in mundũ & in mortẽ misit. Non perdam quicquam. Veni vt faciam voluntatem patris. Veni peccatores saluos facere. Venit seruare id quod perditum erat, Mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationẽ nostri.* 5. *Quia Deus magis propẽdet ad misericordiã faciendam & patefaciendam, quàm ad iram.* At in puniẽdis impiis declarat irã. Ergo in piis misericordiã. Eph.1.6 Psa.89.47. Ioan.6.39. & 34. Mat.6.13. Rom.4.25.

Quæst. Potest-ne etiam humana ratio etiam sine verbo dei scire num sit futura liberatio? Resp. Potest, non certò, sed tantùm probaliter. 1. *Quia non est verisimile creaturam præstantissimam, in maximam & quidem perpetuam miseriam esse conditam.* 2. *Non est virisimile deum tulisse legem nunquã implendã. Hæc 2. arg. per se sunt firmissima: sed propter prauitatẽ suã natura humana iis non ita assentitur.*

4. *An perfecta liberatio sit expectanda.*

Est perfecta per gradus. In hac vita inchoatione est perfecta. Post hanc vitã perfectior. In glorificatione perfectissima. 2. *Est perfecta, id est, libera ab omnibus malis culpæ & pœnæ.* 3. *Maior illa gloria quæ ab Adamo amissa est, Ratio.* 1. *Quia Deus non tantũ ex parte est liberator, sed perfectè seruat & diligit quos seruat. Sanguis Iesu Christi mũdat nos ab omni peccato* 2. *Quia perfectè punit impios, vt accuratè satisfaciant pœnis: ergo liberatio etiam erit perfecta,* quoniam magis est propensus ad misericordiã quã ad irã. 3. *Quia perfectè periimus in Adamo. Christi autem beneficium non est nisi in peccato Adæ. Esset autem infirmius, si non perfectè liberaret: quia omnes omnem iustitiam & salutem in Adamo amiserunt.*

5. *Quomodo fieri possit liberatio.*

Modus 1. per satisfactionem pro peccatis admissis, & per expurgationē peccatorum in nobis, & inchoatam iustitiam. 1. *per imputationē seu remissionem peccatorum*, 2. *per regenerationem*. Ea. n. conditione Deus vult remittere peccata, vt desinamus eum peccatis offendere, & in posterum simus grati. Nam si nolumus desistere à peccato, illudimus quasi deo, apud quem Christus pro nobis intercedit.

Sed nos neque satisfactionem neque regenerationem præstare poteramus. 1. *Quia satisfactionem Deus non temporalē requirebat*. Nam nisi sit satisfactio æterna, non erit victoria mortis & peccati, quæ æquiualent æternæ. Et lex vel ad obedientiam vel ad pœnā ęquipollentem ęternæ obligat. At obedientia priori offensioni satisfacere non potest, sed pœna sufficiēs. Hanc quia per nos pręstare non poteramus, alio homine opus erat. 2. *Expurgare peccatum nō poteramus nec regenerare nos ipsos*, quia instauratio imaginis dei in nobis, sicut & effectus eius in prima creatione est opus solius dei. *Neq; per aliā creaturā merā*. 1. *Propter infinitiā Dei quæ requirit vt ipsa nostra humana natura quæ peccauerat pœnas luat*. 2. *Quia nulla creatura potest sustinere tēporale suppliciū æternæ æquipollens, & quo aliquando satisfactura sit*. Si verò ęternum esset supplicium, nihilominus quam satisfieret: quia semper Deus exigeret satisfactionē, & sic nulla esset satisfactio, quoniam ex peccato & morte non nisi absoluta satisfactione emer-

Math. 5. 18. gere possumus. 3. *Quia nō posset instaurare imaginem dei in nobis. Non possibile est vt cadat vnus apex*, &c. Itē: Lex requirit obedientiam vel pœnam ęquipollentē peccatis admissis, alioquin esset inanis sonitus, quod absurdū est de Deo cogitare. Satisfactio autē fit per nos, aut per alium. fit per nos, quod ad legē pertinet.

Obiect. At legi nunquā satisfaciamus. ergo iste modus inanis est & falsus Resp. Obedientia non possumus satisfacere: sed possumus luendo pœnam æternam. Nam

lex

lex vel ad obedientiam, vel ad pœnam obligat, quod vtrumque Christus præstitit. *Inst. At lex requirit obedientiam vel pœnam nostram Resp.* Sed non excludit lex alienam satisfactionem: nusquam improbat eam, etiamsi nostrã requirit. Hunc autem modum liberationis Euangelium postea reuelauit. Nos autem non possumus satisfacere, quia satisfactio debet esse perfecta: nisi sit aut æterna, propter magnitudinem peccati quę pendet à summo bono offenso, aut sustineat pœnas ęternas, vel temporales sed æternæ æquipollentes, quas iustitia Dei recipiat vt satisfactionem. At si sint æternæ nunquam liberabimur, quia non erit finis. Non liberamur autem nisi satisfactione perfecta. Temporariam æternę æquiualentem propter imperfectionẽ nemo potest sustinere. 1. *Quia non potest merus homo tam dignum pretium dare.* Pœnæ etenim impiorum non sunt liberatio, quoniam hęrebunt in perpetuis pœnis. 2. *Quia quotidie cumulamus offensas:* qui autem non desinit lędere non placat offensum. 3 *Quia nil possumus de Deo mereri pro præsenti, nedum pro præterito tempore,* neque vna satisfactione possumus duplex debitum soluere, prędens scilicet & pręderitũ. 4. *Peccatum est offensio boni infiniti.* Deo tantum est malum vt mereatur pœnam ęternam. Si igitur huic infinito bono debet satisfieri, necesse est vt satisfiat per pœnam æternam quę ęquipolleat bono infinito. At sic nunquam homines emergerent. Ergo debet fieri per alium satisfactio.

Ob. *Alium puniri pro nocentibus est iniustum. Ergo Christus non poterat pro nobis puniri. Resp.* Alium puniri pro nocentibus non pugnat cũ Dei iustitia certis obseruatis conditionibus 1. *Si qui punitur eiusdem sit naturæ.* 2. *Si sponte se offerat.* 3. *Si possit ipse emergere ex pœna & non perire in ea.* Ideo homines non possunt alium pro alio punire, quia non possunt facere ne pereat penitus in pœna. 4. *Si consequatur finem intentum, id est gloriam Dei & salutem hominum.*

Quęst. *Is autem qui pro alio satisfacit, pro nobis videlicet, eritne nuda creatura, aut simul Deus?* Resp. Creatura nuda non potest. 1. *quia homo peccauit.* Ergo omnis natura humana quæ peccauit debet puniri. *Sicut per vnum hominem mors, &c.* 2. *Propter infirmatem, temporalem pœnam ęquiualentẽ æternæ nulla creatura potest sustinere.* Rom. 5. 12. Rom. 8. 12. *Quia lex non poterat iustificare, misit Deus filium suum.* Si ergo mediatore opus habemus, nunc de eo nobis dicendum est.

DE MEDIATORE.

DOctrina de Mediatore retinenda est. 1. *vt celebremus misericordiam Dei, qui nobis dedit filium suum.* 2. *Propter gloriam Dei,* vt sciamus Deum non ex leuitate quadã remittere peccata, sed tam grauiter peccatis irasci, vt ea non remittat nisi interueniente filij sui satisfactione. 3. *Vt hoc Mediatore freti, certi simus de vita æterna, quam vult & potest nobis dare.*

Quæstiones præcipuæ sunt hæ.

1. *Quid sit Mediator.*
2. *Quare sit necessarius.*
3. *Quod sit eius officium.*
4. *Qualis esse debeat.*
5. *Quis vel quæ persona sit ille Mediator.*
6. *An possint esse plures Mediatores.*

1. *Quid sit Mediator.*

Mediator in genere significat eum, qui reconciliat duas partes dissidentes. *Reconciliare est.* 1. Intercedere pro eo qui offendit apud offensum. 2. Satisfacere pro iniuria illata. 3. Promittere, & efficere, vt pars quę offendit non amplius offendat.

Mediatoris autem nomen cùm dicitur in specie de Christo, est persona inter deum irascentem peccatis & genus humanum obnoxiũ peccatis, & iræ Dei ordinata, vt sit pacificator homini cum Deo, reconcilians offensum deum, & genus humanum, placans hominibus

hominibus Deum, restituens homines in gratiam, faciens vt homines Deum ament, & Deus homines, idque satisfaciendo iustitiæ Dei, deprecando pro nobis, applicando nobis merita sua, & exaudiendo preces, & gemitus inuocantium.

Differunt *Medius & Mediator*: quòd illud sit nomen naturæ, hoc officij. *Medius* est in quo est natura vtriusque. *Mediator* est quodammodo medius, quia in ipso coniunguntur duo extrema, Deus & homines.

2. *Quare Mediator sit necessarius.*

Necessarius est Mediator. 1. *Quia Deus non reconciliatur sine reditu in gratiam.* Iustitia autem Dei non admittit reditū in gratiam sine satisfactione, & expurgatione imaginis Dei in nobis. Nos verò non possumus hoc præstare, scilicet placare Deum nobis offensum, & nos ipsos Deo acceptos facere. Alio igitur opus est Mediatore, qui hoc nobis præstet. 2. *Deus postulabat mediatorem à parte quæ offenderat.* Deus enim quatenus Deus, noluit à se accipere satisfactionem, & voluit pro iustitia sua, vt pars offendens per eum gratiam impetraret, qui posset perfectè satisfacere, qui & homini & Deo gratissimus esset, ne videlicet repulsam pateretur, & facilè sua gratia, qua valeret apud Deum, nos ipsi reconciliare posset satisfaciendo, deprecando, atque intercedendo pro nobis. Hanc autem personam nos sustinere non poteramus: Ergo opus erat tertio aliquo, scilicet Mediatore, qui intercederet pro nobis apud Deum, Deo satisfaceret pro peccatis nostris, & restitueret nobis imaginem Dei amissam. ita vt in posterum desineremus peccare, atque inciperemus paulatim magis ac magis ad normam Legis diuinæ viuere.

Mediatore nobis opus esse, & hoc argumento probatur. *Si satisfacere debemus iustitiæ diuinæ, vel per nos, vel per aliū satisfacere debemus. Ipsi verò per nos satisfacere nullo modo possumus. Oportet igitur hoc fiat per alium.* Oportere autē iustitiæ dei satisfacere per mediatorē extra nos,

ostendunt. 1. *pauores & cruciatus conscientiæ in nobis, 2. pœnæ impiorum.* 3. *Sacrificia à Deo ordinata,* quibus perfectum Christi sacrificium significabatur. Item sacrificia Ethnicorum, & Papistarum. Extra nos igitur oportet iustitiæ diuinæ satisfieri per alium, & quidem per eum qui non sit homo tãtùm. 1. *Quia nullus homo, imò nulla creatura* (vti supra diximus) *potest iræ Dei satisfacere.* Illud enim supplicium, quo vellet soluere, semper duraret, & nunquam esset sufficiens. 2. *Quia delictum in singulos dies augemus:* nunquam resipiscimus, nunquam redimus in gratiam cum Deo, nisi Deo nos vocante: hoc autem non fit nisi mediatore pro nobis intercedente. 3. *Quia qui ipse peccatis inquinatus est, pro aliis satisfacere non potest.*

Ob. Contra distinctionem in maiore. *Lex vnum modum satisfaciendi ponit, vt nimirum satisfaciamus per nos ipsos. Ergo non debemus ponere modum duplicem.* Resp. ad antecedens. Non debemus modum duplicem ponere, si Lex ita ponit vnum modum satisfaciendi, vt neget alterum. Lex quidem dicit & exprimit vnum modum: sed interim non negat alterum. Etsi igitur Deus alterum modum in lege non expressit, tamen in suo arcano consilio illum subintellexit, & postea reuelauit in suo Euangelio. Duplex hîc satisfaciendi modus est obseruandus: priorem satisfactionis modum Lex postulat, & iustitia Dei, nempe vt per nos fiat satisfactio: alterum declarat Euangelium, & misericordia Dei illum admittit. Neq; tamen Lex cum Euangelio pugnat: nam quod hoc ponit, illa non negat: quia nullibi in Lege est exclusiua, quòd tantum per nos oporteat fieri satisfactionem.

3. *Quod sit Mediatoris officium.*

Oportet agere Mediatorem cum parte offensa & offendente. 1. *Cum parte offensa, scilicet cum Deo.* 1. *Apud Deum intercedere, eum deprecari pro nobis, ab ipso petere vt accipiat satisfactionem, offerre se ad satisfaciendum, spondere fore vt non amplius peccemus: sine hac sponsione ne apud*

homine

homines quidem, nedum apud Deum locum inuenit intercessio. Hoc autem nemo facere potest nisi habeat potestatem donandi nobis S. S. nos ad imaginem Dei reformandi, & nobis impetrandi gratiam. 2. *Reipsa satisfacere, & soluere suo sanguine debitum pro iis qui offenderunt*, alioqui violaretur iustitia Dei.

2. Cum parte offendente agere Mediatorem oportet nobiscum. 1. *Fungi officio Legali*, id est, patefacere nobis ex sinu Patris hoc arcanum consilium Dei de redemptione, quòd videlicet Deus velit nos recipere in gratiam propter Mediatoris illius nostri satisfactionem. *Item docere quòd ipse sit ille Mediator, qui se sistat pro nobis intercedens pro nobis, & deprecans culpam: item satisfacere pro iniuria à nobis illata, ferre pœnam sufficientē pro peccatis nostris interueniente sanguine ipsius, quia alioqui violaretur Dei iustitia. 2. Efficere in nobis per Sp. S. vt illud oblatum beneficium amplectamur, & non respuamus.* Quia non fit reconciliatio nisi vtraque pars consentiat: ipse efficit velle & perficere. Phil. 2. 3. *Imputare, seu applicare nobis illud beneficium.* 4. *Sua virtute tandem abolere in nobis peccatum, & efficere, vt cessemus peccare, & inchoemus nouam obedientiam*, hoc est, vt imaginem Dei in nobis renouet: & Eccl. puram in conspectum Patris adducat. 1. Cor. 15. *Tradit regnum Patri, &c.* 5. *Conuersos seruare ac defendere aduersus Diabolos, & omnes hostes*, etiam aduersus nos ipsos, ne iterum deficiamus. 6. *Resuscitare nos & glorificare*, hoc est, inchoatam salutē nostram perficere, atque adeo dona omnia perficere, tum quæ amisimus, tum quæ ipse nobis meritus est. Hęc porro perficiuntur merito & efficacia *Mediatoris*.

Ista quidem doctrina *de Mediatore* pertinere videtur ad locum *de Iustificatione*, in quo videlicet etiam officium *Mediatoris* explicatur. Verùm aliud est docere quid, & quale sit beneficium iustificationis, & quomodo illud accipiatur: aliud cuius sit illud beneficiū, & quomodo nobis conferatur. Sunt ergo diuersę propositiones. Hìc dicitur, *Iustificatio est Mediatoris.* Ibi. *Remissio*

missio peccatorum est iustificatio. In illa iustificatio est subiectum, hic verò prædicatum.

Cæterum, omnia illa quæ diximus impetrat nobis merito & efficacia, quia duplici ratione Mediator est. Deus dedit nobis vitam æternam, & hæc vita est in Filio. Ioan. 3. *In ipso vita erat.* Ioan. 1.

4. *Qualis esse debeat Mediator.*

Mediator noster esse debet. 1. *Verus homo,* ex nostro genere habens naturam, eamque perpetuò retinens. 2. *Homo perfectè iustus.* 3. *Verus Deus.* Demonstrationes hæ de persona *Mediatoris* ducuntur ab officio Mediationis. Nam propter officium talē esse eum oportuit. 1. Hominem oportuit esse Mediatorem. 1. *Quia*
Rom. 5. 12. *homo peccauit. Sicut per vnum hominem peccatum introiit in mundum, &c.* 2. *Vt posset mori.* Debebat enim satisfacere pro nobis, effundendo sanguinem suum. Non potuisset mori, nisi fuisset verus homo. 3. *Vt posset succurrere nostris infirmitatibus.* 4. *Vt esset frater noster, nostrum caput,*
Heb. 2. 14. *& nos eius membra. Quoniam igitur pueri participes sunt carnis, & sanguinis, ipse quoque consimiliter, &c.* Oportuit igitur Mediatorem nostrum esse verum hominem, & quidem natum ex eodem genere humano quod peccauit, nec autem creatum ex nihilo. 1. *Propter iustitiam Dei,* quæ postulabat, vt ea natura, quæ peccauerat pro peccatis lueret. Verus igitur homo eiusdem naturæ cuius & nos, pro hominibus quod ab ipsis exigebatur dependere debebat. *Quocunq; die comederis ex eo,*
Gen. 2. 17. *morte morieris. Anima, quæ peccauerit ipsa morietur. Vnus*
Ezec. 18. 20. *mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus:* Ideo etiam
1. Cor. 15. 21 dicit Apost. *Nos esse consepultos Christo per Baptismum, &*
1. Tim. 2. 5. *per illum etiam nos cum Christo resurrexisse, &c.* 2. *Propter*
Col. 2. 12. *nostram consolationem,* nisi enim sciremus eum esse ex
Gen. 3. 19. Adamo, non possemus statuere eum esse promissum Messiā. *Semen mulieris conteret caput serpentis.* Oportuit ergo mediatorem ex ipso humano genere natum esse verum hominem: quin & illud addo, oportuisse eum omnibus infirmitatibus nostris, excepto peccato, esse ob-

se obnoxium: idque. 1. *Propter veritatem Dei*, qui passim per Prophetas talem hominem describit Mediatorem nostrum, qui sit *pauper, infirmus, contemptus, &c.* Ac talis imprimis ab Esaia describitur. 2. *Propter consolationem nostram. Qui sanctificat, & qui sanctificantur ex vno sunt omnes* (eiusdem scilicet humanæ naturæ) *quam ob causam non erubescit fratres ipsos vocare.* Esaia. 53. 3. Hebr. 2. 11.

2. *Perfectè iustum hominem oportuit esse Mediatorem*, vt esset Seruator merito. Nam si fuisset peccator, pro suis peccatis ei satisfaciendum fuisset. *Fecit Deus, vt qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum esset &c. Talis nos decebat Pontifex, pius, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, &c. Qui peccatum non fecerat, nec inuētus est dolus in ore eius. Christus semel pro peccatis passus est, iustus pro iniustis, vt nos ad Deum adduceret* Quatuor autem modis Christus perfectè iustus est, seu impleuit Legem. 1. *Sua ipsius iustitia.* Christus enim solus perfectam obedientiam, qualem requirebat Lex, prę-stitit. 2. *Soluendo pœnam sufficientem pro peccatis nostris.* Oportuit hanc geminam in illo esse legis impletionem. nisi enim iustitia eius esset plęna & perfecta, non posset pro alienis peccatis satisfacere. Et nisi solutio pœnæ sufficiens esset, maneremus adhuc peccatis obruti. *Iustitia illa Christi perfecta* dicitur, impletio Legis per obedientiam. *Solutio pœnæ peccatis nostris debitæ*, vocatur impletio Legis per pœnam, quam nimirum pro nobis dependit, ne nos essemus damnationi æternæ subiecti. 3. *In nobis implet Legem suo Spiritu*, quando videlicet per Legem spiritu suo nos informat ad internam & externam obedientiam, quam lex à nobis requirit, atque illam integram præstabimus in vita æterna. 4. *Implet Legem Christus docendo Ecclesiam*, eamque repurgando, ab erroribus, & corruptelis, ac restituendo veram Euangelij doctrinam, & intelligentiam. 2. Cor. 5. 12. Hebr. 7. 26. 1. Pet. 2. 22. 1. Pet. 3. 18.

3. Deum non fictitium, aut donis tantùm excellentibus ornatum, sed *verum Deum oportuit esse Mediatorē.*

1. *Vt posset sustinere iram Dei, seu grauitatem supplicij, quod debebat esse temporale æquiualens æterno.* Creatura propter infirmitatem suam, redacta fuisset in nihilum, & oppressa tanti supplicij mole, atque in æternum iræ Dei mansisset obnoxia. Vt igitur esset proportio supplicij & peccati, ac finito tempore pœnam lueret homo, quæ æquipollebat æternæ pœnæ, oportuit illam personam robore infinito pollere, ac proinde Deum esse, quę supplicium finitum quidem tempore, infinitum verò magnitudine ac dignitate, sine desperatione, atq; in nihilum redactione perferret. Illud autem supplicium tempore finitum esse debuit: quia redẽptorem non oportuit in supplicio vel morte perpetuò manere, vt nempe beneficium redemptionis posset absoluere, atque illud perfectè promeritum posset efficacia sua nobis applicare & conferre. Hæc à nudo homine præstari non poterant.

Ob. *At homo nudus sua obedientia Legem impleuit.* Resp. Sed illa obedientia non potuit esse pretium pro alieno debito, cùm ad eam pręstandam ipse se obligauerit. Requirebatur igitur, vt noster Mediator non tantùm verus esset homo, sed & verus Deus, qui pro nobis iram Dei sustineret: nam nullus homo, imò ne diaboli quidem, atque adeò nullæ creaturæ possunt molem iræ diuinæ ferre.

Ob. *Atqui omnes Diaboli & impij iram Dei ferre coguntur. Ergo illam creaturæ ferunt, ac sustinent.* Resp. Ipsi quidem ferunt: sed non ita vt satisfaciant iræ Dei, & sustineant sufficientem pœnam. Nam in æternum creatura satisfacere non potest. Filius autem Dei ita satisfecit vt satisfactione absoluta illud onus esse desierit. Sed oportuit etiam finitam fuisse pœnam: quia alioqui non fuisset satisfactum, si in æternum intensa fuisset. Denique quia Deus non vult etiam iustum punire propter iniustum, hæc est causa cur dicat, *Anima quæ peccabit, ipsa morietur.* Ezec. 12. 20.

Obiect. Et tamen Christus innocens traditus est pro nobis. Resp.

Resp. Sicut supra: intelligendam esse maiorem cum conditionibus, *vt innocens.* 1, *sit vltroneus.* 2. *Ne pereat ipse.* 3. *Vt faciat ne amplius peccet offensor.* 4. *vt satisfaciat iustitiæ iudicis.* 5. *Vt hoc præstet non solùm cum salute aliorum, sed etiam sua.* 6. *Cum laude iustitiæ diuinæ.* Quod autem ira Dei fuerit intolerabilis, probatur. *Deus est ignis consumens. Coniecit in eum iniquitates. Voluit eum conuertere.* &c. Deut. 4. 24. Heb. 12. 29. Isa. 53. 10.

Hinc soluitur quæstio, cur Christus tantopere mortem exhorruerit, cùm multi martyres intrepidè iugulum porrigant.

2. Causa, *cur Deum esse oportuerit*, Hæc est, *vt esset sufficiens & satis dignum lutron.* Dignitas autem huius lutri consistebat. 1 *in dignitate personæ* 2. *in grauitate pœnæ*: qua dignitate & merito posset nobis reparare iustitiam amissam. Oportebat enim hoc lutron æquipollere pœnæ æternę. Ideo Apostoli passionis Christi mentionem facientes, ferè semper mentionem faciunt Deitatis ipsius. *Deus suo sanguine redemit Ecclesiam.* Act. 20. 28. *Sanguis Iesu Christi mundat nos ab omni peccato.* 1. Ioan. 1. 7. Imò Deus in paradyso cõiungit hæc duo, *Conteret caput Serpentis, & serpens mordebit calcaneum,* &c. Ioan. 1. 29. Gen. 3. 15. Iam verò quod tale oportuerit esse lutron, declarat etiam peccatorum magnitudo: inter quę ab initio mundi vsque ad finem nullum est tam paruum quod mortem æternam non mereatur: omnia tam mala vt nullius creaturæ æterno supplicio possint expiari. Pro his verò omnibus oportuit intercessorẽ spondere, fore vt aliquando Deũ prorsus nullis peccatis offendamus. hoc verò propter prauitatem sponderi à nullo potest, nisi potestatem habeat donandi Spiritum sanctum, & nos per eum ad imaginem Dei reformandi. Nemo igitur fuit qui sciret rationem hoc efficiendi in nobis: alioquin frustra spondisset pro nobis.

3. Causa inde nascitur, quæ est, *vt posset in nobis restituere imaginem Dei*, nimirum efficacia & potentia sua.

4. *Vt posset dare spiritum Sanctum & colligere Ecclesiam, ac conferre omnia sua beneficia & ea cõseruare:* quia Mediatoris

atoris est,non tantùm à se mortem depulisse, sed etiam beneficia,sua morte parta, nobis conferre, & efficere vt à peccato recedamus. 5. *Vt posset nobis arcanam Dei voluntatem reuelare*, quam, nisi fuisset Deus, scire non potuisset. Obiect. *Pars offensa non potest esse Mediator. Christus quà est Deus, est pars offensa. Ergo quà est Deus non potest esse Mediator.* *Resp.* Maior vera est de ea parte offensa, in qua non sint plures personæ.

5. *Quis sit ille Mediator.*

Personæ, quæ sit ille Mediator, obiter fecimus mentionem in quæstione præcedenti, sed ad hanc præcipuè spectat, vt de illa agamus. Non igitur alius est Mediator ille nisi filius Dei. 1. *Non Pater*, quia non agit per se seu immediatè, sed per Filium & Spiritum Sanctum: nec fit ipse Legatus. *Non Spiritus Sanctus*: quia oportebat illum Mediatorem nos facere filios Dei adoptione. Ergo quod Mediator nobis communicaret, oportebat ipsum habere. Hoc autem non habuit Spiritus Sanctus. Nam is non Filius: nec illud habuit Pater, quia ipse debuit nos per Filium in filios adoptare. *Logos* ergo qui est naturalis ille filius Dei est noster Mediator, qui simul est verus Deus & verus homo, & in quo, tanquam primogenito, nos adoptamur. Ius filiationis ille nobis debebat conferre: quia solus ipse hoc poterat, vtpote qui solus hoc habebat, & nisi ipse filius esset, conferre hoc nobis non posset. 2. *Quia filius Dei logos, est illa persona, per quam patefacit, operatur, & dat Spiritum sanctum Pater, per quam fit etiam secunda creatio.* Per filium enim efficimur nouæ creaturæ. Ideoque Scriptura coniungit primam & secundam creationem: quia per eundem debuit fieri secunda creatio, per quem facta est prima: *Per filium omnia facta sunt.* Nempe omnia agit Pater mediatè per Filium, & Spiritum Sanctum, nihil autem per se, seu immediatè, licet omnia agat a se. 3. *Quia Mediator debet nobis dare Spiritum sanctum.* Filius autem cum nobis

Ioan. 1. 3.

dat

dat, seu mittit. Ergo Filius est Mediator. Mittit quidem Spiritum Sanctum & Pater, sed mediatè per Filium: Filius immediatè. 4. Filium esse Mediatorem probatur *ex collatione patefactionum in Vetere testamento, & impletione earundem in Nouo.* 5. Idem probatur *ex operibus & miraculis quæ Christus fecit.* 6. Hoc etiam constat *ex officio Filij.* Officium eius est annuntiare consilium Patris: vnde dicitur logos: *vnigenitus ille Filius, qui est in sinu Patris, ille nobis exposuit.* Ille etiam patefecit nobis veram Dei cognitionem atque arcanam Dei de nostra redemptione voluntatem. 7. Præter alia denique hoc ipsum euincitur ex illo Apostoli, *Christus factus est nobis sapientia à Deo, iustitiáque, sanctificatio, & redemptio.* Ponuntur hîc abstracta pro concretis. Iustificatio autem, & sanctificatio ante lapsum in nobis eadem res erat, sicuti nunc in sanctis Angelis in nobis verò iam differunt. *Iustificatio* enim iam est imputatio iustitiæ Christi, qua iusti habemur coram Deo. *Satisfactio* est effectio conformitatis cum Deo in nobis.

Ioan. 4. 18.

1. Cor. 1. 30.

Hæc de Mediatoris persona sufficiant.

1. *Quòd sit Deus:* id confirmant multa Scripturæ loca: vt *Sermo ille erat Deus, Omnia per illum facta sunt. Deus proprio sanguine acquisiuit Ecclesiam. Qui declaratus est Filius Dei potenter, secundùm Spiritum sanctificationis. Quisquis credit in eum non pudefiet. Tres sunt qui testificantur in cælo, Pater, Sermo & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.* Præter alia huiusmodi loca complura addi possunt his, & illa quibus Christo tribuitur *inuocatio, cultus diuinus, exauditio, opera solius Dei propria, & ea quæ tribuunt Christo nomen Iehouæ.* Vt apud Euangelistam, vbi tribuitur Christo, quod apud Isaiam de Iehoua dicitur.

Ioan. 1. 2. 3. Act. 20. 28. Rom. 1. 4. Ro. 10. 11. 1. Ioan. 5. 7. Ioan. 12. 40. Isa. 6. 9.

2. *Quod sit verus homo.* Huc pertinent loca. 1. *Quæ Christum vocant hominem, & Filium hominis:* vt cum dicitur, *Filius Dauidis, Filius Abraham.* Item. *Fructus ventris, factus ex semine Dauidis, secundùm carnem: &c.*

Matth. 1. 1. Luc. 1. 31. Rom. 1. 3. Rom. 9. 5.

habet

habet corpus Carnis, nempe non imaginarium, sed verum. *Quicunque spiritus confitetur Jesum Christum in carne venisse ex Deo est.* 2. Huc pertinent illa quæ tribuunt Christo *propria hominis, vt crescere, edere, bibere, nescire, quiescere, defatigari, baptizari, circumcidi, contristari, lætari.*

Ioan.4.2.

3. *Quod duæ naturæ in Christo vnam personam constituant.* Huc pertinent loca, quę per communicationem idiomatum tribuunt diuinæ naturæ, quæ sunt humanæ, & contrà, *vt sermo ille Caro factus est. Particeps factus est carnis, & sanguinis. Deus proprio sanguine acquisiuit Ecclesiam. Priusquam Abrahamus fieret, ego sum. Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.*

Ioan.1.14. Heb.2.14. Act.20.28. Ioan.8.58. Math.28.20

6. Quòd vnus sit Mediator.

Vnus tantùm est Mediator. 1.Tim.2.6. *Ratio* Quia solus Filius est Mediator. Filius autem Dei est vnicus.

Obiect. *Etiam Sancti pro nobis intercedunt. Ergo etiam illi sunt Mediatores. Resp.* Discrimẽ est *intercessionis Christi & sanctorum in mundo degentium*, & aliorum pro aliis, aut pro persecutoribus & incredulis precãtium. Sancti enim nituntur Christi merito: Christus suo.

Obiect. *Vbi multa sunt media, ibi non vnus est Mediator. Sed sunt multa media salutis. Ergo &c. Respon.* Nego maiorem. Non enim idem sunt media & mediator Salutis.

Cæterum beneficia Mediatoris continentur in officio. Nam officium à Deo Mediatori iniũctum est beneficia dare. Paulus ad Corinthios, *Christus Iesus*, inquit, *factus est nobis sapientia à Deo, iustitiaq;, & sanctificatio & redemptio.* 1. *Sapientia*, quia est materia & subiectum nostrę sapientię, vt videlicet in eo cognoscamus Deum, ad quam nobis ipse sapientiæ autor est propositus. Tripliciter autem dicitur Sapientia Christus. 1. *Quia protulit eam ex sinu Patris æterni.* 2. *Quia instituit & conseruat ministerium.* 3. *Quia est efficax in cordibus electorum. Vel breuius.* 1. *Quia est subiectum.* 2.

Autor

Autor. 3. *Medium.* 2. *Iustitia*, id est iustificator: in ipso enim tanquam in subiecto est iustitia, ratione meriti & efficaciæ. 3. *Sanctificatio*, quia nos regenerat per Spiritũ sanctum. 4. *Redemptio*, id est, liberator finalis. Nam ἀπολύτρωσις non tantùm pretium sed etiam effectum eius significat. Ponuntur enim abstracta pro concretis, more Hebræis vsitato. Hæc dicta sufficient de persona & officio Mediatoris.

DE FOEDERE.

DIctum est quòd *Mediator sit persona concilians duas partes dissidentes*. Ista autem conciliatio in Scripturis dicitur *Fœdus vel Testamentum*: de quo iam dicendum est veluti de altero correlatiuo in nostra reconciliatione. Igitur cum loco *de Mediatore* cohæret doctrina *de Fœdere*, quia omnis Mediator, est alicuius fœderis Mediator & duarum partium conciliator.

Quæstiones præcipuæ sunt.

1. *Quid sit fœdus Dei, quod per Mediatorem cum hominibus sancitur.*
2. *Possit-ne iniri sine Mediatore.*
3. *Sit-ne vnum & idem Fœdus.*
4. *Quomodo conueniant & differant vetus & nouum fœdus.*

1 *Quid sit fœdus.*

FOEdus in genere significat *mutuã promissionem vel pactionem inter duas partes*, qua vtraq; pars alteri se certis conditionibus obligat ad aliquid faciendum, dandum, vel accipiendum, adhibitis ceremoniis & Symbolis ad solennem testificationem. *Testamentum vocatur vltima voluntas testatoris*, qua moriẽs disponit de suis rebus quid de illis fieri velit. In specie autem *Fœdus, quod cum hominibus per Mediatorem deus pepigit, est promissio vel pactio mutua, qua Deus per & propter mediatorem se obligat ad remittenda credentibus peccata, & dandam iis vitã æternam: qua vicissim sese homines obligant ad recipiendum vera fide tantum hoc beneficiũ, & ad præstandam Deo veram obedientiam, hoc est, ad viuendum*

ſecundùm ipſius voluntatẽ. Pactio hæc mutua ſignis ſacramentalibus confirmatur. Nomen *Fœderis ac Teſtamẽti* ad denotandum hoc *Fœdus Dei* pro eodem ſumitur. Vtrumque enim Reconciliationem noſtri cum Deo, vel mutuam illam pactionem inter Deum & homines deſignat. *Fœdus* autem vocatur hæc pactio, ſeu reconciliatio: quoniam Deus nobis promittit certa bona, & à nobis viciſſim exigit aliquid, adhibens etiam ceremonias ſolennes ad eius confirmationem. *Teſtam.* vocatur: quia interueniente morte Teſtatoris Chriſti facta eſt hæc reconciliatio, vt eſſet rata, quia dum viuit Teſtator habet ius mutandi, detrahendi, & addendi aliquid. Hæc ratio affertur in Epiſtola ad Hebræ. *Teſtamentum* ait Apoſt. *in mortuis ratum eſt, quandoquidem nondum valet quum viuit teſtator.* *Teſtamentum* ergo vocatur illa pactio, ſeu reconciliatio: quia illam nobis Chriſtus acquiſiuit ſua morte & ſimul eam nobis reliquit, non ſecus ac parentes morientes bona ſua relinquunt liberis.

Ob. 1. *Teſtamentum eſt ratum morte teſtatoris. Sed Deus non poteſt mori. Ergo non eſt ratum Teſtamentum, ſiue non poteſt dici Teſt.* *Reſp.* Nego minorem. Quia *Deus redemit Eccl. ſuo ſanguine.* Ergo mortuus eſt: ſed in natura humana. Vel ſic. Chriſtus eſt teſtatot, quia Deus & homo, & moritur in natura humana. Ob. 2. *Sed Chriſtus eſt interceſſor: Deus autem teſtator. Ergo non valet conciliatio.* *Reſ* Differunt in Perſonis & Officiis. Perſona Chriſti differt à perſona Patris & Sp. S. & officio, non efficacia, reſpectu eius eſt interceſſio, reſpectu noſtri receptio in gratiam.

Heb. 9. 16. 17.

2. *Quomodo fœdus inter Deum & homines iniri poſſit.*

Non potuit fœdus illud iniri ſine Mediatore. Nam ſine ſatisfactione, & morte *Mediatoris* non potuit haec reconciliatio ſeu receptio in gratiam. Eramus enim hoſtes Dei, nec patebat nobis aditus ad Deum, nisi intercedente pro nobis Chriſto mediatore, quemadmodum hoc fuſius declaratũ eſt ſuprà in Quæſtione.

Quæſt.

Quare Mediator sit necessarius.

3. *Quotuplex sit fœdus.*

Vnum est substantia & duplex circumstantiis.

Vnum substantia. 1. *Quia vnus est Deus, vnus Mediator dei, & hominum,* vnus modus reconciliationis, vna fides, vna salutis via ab initio omnium qui seruãtur, & seruati sunt. *Iesus Christus heri & hodie idem est, & in* Heb.13.8.
secula. Quia est suprà omnes est q; caput corporis Eccl. in quo Rom.9.5.
totum ædificium congruenter coagmentatum crescit, vt sit Colos.1.18.
templum sanctũ Domino. Non est aliud nomẽ sub cælo, quod Ephe.2.21
datũ sit inter homines, per quod oporteat nos seruari. Nemo Act.4.12.
nouit patrem nisi filius, & cuicunq; voluerit filius reuelare. Mat.11.27.
Nemo venit ad patrem nisi per me. Ego sum via veritas & Ioan 14.6.
vita. Abraham gestiuit, vt videret diem istum meum: &
vidit ac gauisus est. Omnes igitur tam sub Lege, quàm Luc.10.24
sub Euang. saluandi, respexerunt ad vnicum Media- Ioan.8.56.
torem Christum, per quẽ solùm seruati sunt: ac proinde fœdus aliud non est nisi hoc vnum. 2. *Vnũ duntaxat est: quia conditiones principales* (quæ dicũtur substantia fœderis) *& ante Christũ, & post Christũ sunt eædem.* Nam in veteri & in Nouo testamento promittit Deus remissionẽ peccatorũ agentib. pœnitentiam. 3. *In vtroq; fit obligatio ad credendum, pœnitentiãq; agendã.*

Duplex autem est fœdus quòd ad circumstantias, & cõditiones minùs principales, quę sunt formę administrationis subseruientes principalibus conditionibus, vt eas harum adminiculo fideles consequi possint.

4. *Quæ sit conuenientia, quæ item differentia inter Vetus & Nouum fœdus.*

Conuenit Nouum fœdus cum veteri, 1. *Ex parte Dei, quòd vtrumque habet eundem autorem & Mediatorem.* Moses quidem dicitur *Mediator veteris Testamenti,* sed typicus. Christus etiam tunc erat *Mediator,* eo adiuncto tamen sibi *Mediatore* typico. Iam verò *Med.* est sine illo typico. Nam manifestatus est in carne, nec typis amplius est tectus. 2. *Quòd eadem promissio gratiæ veteri populo nobiscum communis est,* etsi iã

clariùs & sępius repetita. Promittit enim Deus gratiam omnibus credentibus in Mediatorem. *In semine tuo benedicetur omnes gentes. Semen mulieris conteret caput serpentis.* Hęc est eadem cum ista promissione iam fidelibus facta. *Qui credit in filium habet vitam æternam.* Hic loquimur, non in specie de circūstantiis gratiæ, sed in genere de promissione gratiæ. 2. *Ex parte nostri, vel hominum conuenit nouum cum vetere: quia in vtroque fit obligatio hominum ad fidem, & pœnitentiā. Ambula corā me & esto perfectus. Ego ero Deus tuus & seminis tui.* Non potest autem Dominus esse Deus noster, nisi remittat nobis peccata nostra, applicet nobis meritum Christi, atque efficiat vt & nos ipsi nobis illud per fidem applicemus, ac nos ad ipsum vera resipiscentia conuertamus. Videmus ita conuenire nouum fœdus cum vetere, quod ad principales fœderis conditiones tum ex parte Dei, tum ex nostri.

Gen.22 Gen.3. Gen.17.2

Differt nouum fœdus à vetere.

1. *Ex parte Dei.* Quia. 1. *in veteri fœdere erant quædam promissiones speciales, de certis quibusdā corporalibus beneficiis,* vt promissio de terra Caanan possidēda & conseruanda, de retinenda forma cultus ceremonialis & politiæ in illa terra, vsque ad tempus Messiæ. Item: de Messia nascituro ex illo populo. *In nouo* autem *Testamento promissio corporalis tātùm est in genere:* quòd nimirum Deus seruare velit hospitia Ecclesiæ. 2. *In veteri* 1. *illa alia est circumstantia promissionis, & gratiæ, quam in nouo Testamento.* In veteri enim fœdere recōciliantur propter Messiam venturum, vel exhibendum: Nos in nouo fœdere reconciliamur Deo propter Messiam exhibitum. 3. *Alia erant symbola, ac signa promissionum in veteri Testamento, quàm nunc in nouo.* Olim multa erant signa, ac sacramenta, vt circumcisio, Pascha, sacrificia. Iam pauca, & simplicia, nempe Baptismus, & Cœna Domini. 4. *In vetere Testamento omnia erant typica, vt sacrificia sacerdotes &c. Nos habemus in nouo Testamento res significatas.* 5. *Vetus fœdus erat temporarium,*

quod

quod nimirum durauit vsque ad Messiam. Nouum Testamentum est æternum, & durat ad finem vsque mundi. Iuxta illud. *Sempiternum fœdus faciam cùm illis.*

2. *Ex parte nostri.* Quia. 1. *in veteri Testamento obligabantur non ad Morales tantùm Leges, sed ad Cerimoniales etiam, & Forenses,* ad politiam videlicet & cultum Mosaicum seruandum. *In nouo Testamento tantùm obligamur ad vsum Sacramentorum, & obedientiam,* hoc est, ad cultum moralem. Reliquæ autem Leges iam sunt adiaphoræ. 2. *Vetus Testamentum alligabatur ad certam gentem, ad quam oportebat omnes accedere, qui volebant seruari. Nouum testamentum ad omnes gentes pertinet, cuiuscunque sint Nationis, linguæ, aut conditionis. Vult enim Deus omnes saluos fieri,* cuiuscunque sint gentis. Obseruãdum hoc loco *vetus fœdus accipi sæpe pro lege,* videlicet eius partis respectu, quæ præcipuè ibi tractatur. Nam in veteri fœdere Lex magis vrgebatur, & multæ eius erant partes: Euangelium contra erat illic obscurius. Eodem prorsus modo, *Nouum fœdus accipitur pro Euangelio,* quia in nouo Testamento magna pars Legum abolita est, & Euangelium clariùs patefactum. Quoniam verò *Nouum Fœdus, & Euangelium* sic inter se cõueniunt, vt vnum pro altero sumatur, doctrinæ *de Fœdere Dei* non incommodè subiiciemus Locum,

DE EVANGELIO.

QVum dicitur *de Mediatore*, necessariò etiam dicendum de doctrina, in qua nobis Mediator ostenditur, describitur, offertur. Ea doctrina est *Euangelium*. Deinde dicendum quoque de medio, quo fimus Mediatoris participes. Illud medium est *fides*. Duplici autem de causa dicendum est de Euangelio, quum de Mediatore dicitur. 1. *Quia Mediator Christus est Euãgelij subiectum.* 2. *Quia Euangelij autor est ipse Mediator.* Est enim officij Mediatoris pars illud reuelare, *Vnigenitus ille Filius qui est in sinu Patris is nobis exposuit.* Ioan. 1. 18.

Quæstiones præcipuæ.

1. *Quid sit Euangelium.*
2. *An semper fuit in mundo.*
3. *Quomodo differat à Lege.*
4. *Quæ propria sint effecta Euangelij.*
5. *Vnde constet Euangelij veritas & certitudo.*

1. *Quid sit Euangelium.*

Ipsa *vox Euangelij significat lætum nuntium*: Itē *præmium* quod datur læta nuntianti: denique *sacrificium* quod offertur Deo pro læto nuntio. *Est* autem *Euangelium doctrina diuinitus inde ab initio mundi patefacta, ac primū in Paradyso per filiū Dei meditatorem, statim post lapsum prolata è sinu Patris æterni, in qua promittitur & annūciatur ex gratuita dei misericordia omnibus credētib. in filium Dei, & agentibus pœnitentiam, Liberatio á morte à maledictione, & ab ira Dei; deinde remissio peccatorū & salus, & vita æterna propter filij Dei Mediatoris nostri victimā, secundùm promissionē patribus in paradiso factā, per quam itidē doctrinam S. S. est efficax excitando in nobis fidem, pœnitentiam, & initium vitæ æternæ.* Alia Euangelij definitio: *Euangelium est doctrina diuinitus reuelata, docens quòd Dominus noster Iesus Christus factus sit nostra sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio, donans remissionem peccatorum omnibus qui vera fide ipsi inseruntur, & eius beneficia amplectuntur* Hanc definitionem confirmant omnes Euangelii summæ: vt, *Hæc est voluntas eius qui misit me, vt omnis qui videt filium, & credit in eum habeat vitam æternam. Ego verò suscitabo eum vltimo die. Oportuit prædicari in eius nomine resipiscentiam, ac remissionem peccatorum apud omnes gentes. Iussit discipulos prædicarē fidem & pœnitentiam. Lex per Mosem data est: gratia verò per Iesum Christum.*

Luc. 24. 27.
Ioan. 3. 16.
Rom. 3. 25.
Heb. 2. 10.
1. Ioan. 2. 12
Act. 12, 11.
Colo. 1. 20.
Rom. 3. 24
Ephes. 1. 7. & 2. 13.
2. Tim. 1. 9.
Rom. 11. 6.
Phil. 3. 9.
Ioan. 9. 40.
Act. 13. 38.
Luc. 24. 47.
Ioan. 1. 17.

2. *An Semper Euangelium fuerit in Mundo.*

Semper Euangelium fuit ab initio Mundi. Id probatur 1 *Testimonijs Apostolorum*: vt Petri, *Huic omnes Prophetæ testimonium dāt, remissionem peccatorum accepturū per nomen eius quemuis qui crediderit in eū. De qua salute*

Act. 10. 43.
1. Pet. 1. 10.

salute inquisiuerunt, & scrutati sunt Prophetæ. Item Pauli, *Quod (Euangelium) antè promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis,* Ipsius etiam Christi dicentis. *Si crederetis Mosi, crederetis mihi: de me enim ille scripsit.* Rom.1.2. Ioan.5.46.

2. Idem constat ex omnibus promissionibus, & vaticiniis de Messia.

Obiect. Atqui Paulus dicit Euangelium fuisse promissum per Prophetas. Et Petrus Prophetas venturam in nobis gratiam prædixisse. Non igitur Euangelium semper fuit. Resp. Conceditur argumentum *quod ad circumstantias eiusdem,* respectu videlicet præteriti & præsentis temporis, rerum exhibendarum, & exhibitarum, claritatis & obscuritatis. Deinde *quod ad eandē qualitatem,* hoc est, si accipiatur vox Euangelij pro doctrina de salute æterna, ac de Messia exhibendo, semper fuit. *Abraham vidit diem meum, & gauisus est.*

Obiect. 2. Paulus ait, Euangelium aliis ætatibus non innotuisse filiis hominum. Resp. Addit Apostolus eo loco, *vt nunc:* quia nunc Euangelium, & multò clariùs, & ad multos propagatum est.

Hic etiam obiter notandum est, quod semper obseruatur discrimen Επαγγελίας & Ευαγγελίε. Vox *Euāgelij* solet notare doctrinam de gratia post impletionem, id est, de rebus gestis & impletis promissionibus, Επαγγελία verò de rebus implendis loquitur, & est adumbratio rerum futurarum de Messia exhibendo. In reipsa nihil differunt hæ voces. Notantur enim eadē beneficia Messiæ per vtramque, vt ex locis sequentibus colligi potest: *Abraham vidit diem meum & gauisus est. In semine tuo benedicentur omnes gentes. Ego sum via, veritas & vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me. Ego sum ostium. Constituit eum caput super omnia. Iesus Christus est heri & hodie.* Ioan. 8. 56. Ephes. 3.5. Ioan 8.56. Gen. 12.3. Ioan 14.6. & 10.7. Ephe 2.22. Hebr. 13.8.

Notandum etiam quomodo Moses de Christo scripserit. 1. *Quod ad promissiones, quas habet de Messia, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Suscitabit Deus Prophetam. Orietur Stella ex Iacob. &c.* 2. *Quod ad* Gen.12.3. Deu.18.15. Num.24.17.

restrictionem certarum personarum, ex quibus Messias erat oriundus quibus subinde magis ac magis renouata est & patefacta promissio de Messia. 3. *Totum sacerdotium Leuiticum & cultus ceremonialis ad Christum spectauit*, sacrificia, hostiæ, altaria, templum. *Etiam regnum & reges erant typus regni Christi.* Sic igitur valde multa scripsit Moses de Christo.

Ioan. 1. 17. *Ob. Lex per Mosem data est, gratia & veritas per Christum. Ergo non semper fuit Euangelium. Resp.* Gratia & veritas facta per Christum, scilicet quoad impletionem, patefactionem, applicationem & perfectionem fidei in cordibus, qua nobis applicamus promissiones gratiæ, non semper fuit. *Instantia. Sed dicit, Lex per Mosem: Ergo non Euangelium. Resp.* Lex per Mosem data est, id est, hoc fuit principale eius officium promulgare legem: sed interim docuit etiam Euangelium, licet obscurius, vt dictū est suprà. At Christi prę cipuum munus est promulgare Euangelium, licet interim legem etiam doceat, sed non ita expresè vt Moses. Purgabat Legem Moralem à corruptelis, & abrogabat legem ceremonialem & forensem.

3. *Quomodo Euangelium differat à Lege.*

Lex & Euangelium, quatenus in vtroque de natura Dei, de voluntate, & operibus eius agitur, inter se quidem conueniunt: sed tamen maximum est inter vtrunque discrimen. Nam *differunt inter se Lex & Euangelium.* 1. *subiectis*, id est materia ipsa vel substantia doctrinæ. *Lex enim docet quales esse, vel quid præstare debeamus: sed non addit vires præstandi illud, vel non addit rationem quomodo tales euadere possimus. Euangelium verò nos docet quomodo tales fiamus, quales nos esse Lex præcipit.* Offert enim nobis promissionem gratię de iustitia Christi perfecta, nobis per fidem non secus imputata, ac si illa esset nostra. *Lex dicit, hoc fac, & vives: Euangelium dicit, crede promissioni, & saluus eris.* 2. *Patefactionibus* vel modis patefactionis. *Lex enim insita est cordib. à natura in ipsa creatione, ideoq; natura nota est. Euangelium non*

à natura, sed cœlitus patefactum est per Mediatorem. Opus Legis scriptum in cordibus. Nemo nouit Patrem, nisi filius & cuicunque &c. Caro & sanguis hæc non retexit tibi. Filius qui est in sinu Patris, ille exposuit nobis. 1. Lex nobis proponit iustitiam Dei nudam, atque ita ex aduerso nostrã iniustitiam. Est enim Lex agnitio peccati: quippe quæ illius nos accusat, ac damnat, & hoc pacto nos occidit: Vnde etiam dicitur *ministerium mortis. Euangelium verò iustitiam Dei nobis proponit coniunctam cum ipsius misericordia.* Atque vtî Lex propter peccatum, cuius nos accusat, terrores incutit conscientiis nostris: contrà S. S. per doctrinam Euangelij generat in cordibus nostris fidem: vnde, & Euangelium dicitur *nos viuificare. 4. Lex, & Euangelium differunt promissionibus. Lex enim promittit quidem vitam æternam, sed cum conditione perfectæ iustitiæ nostræ, atque obedientiæ à nobis præstitæ: Euangelium verò nobis æternam vitam promittit cum conditione quidem iustitiæ perfectæ, sed alienæ, nobis autem applicatæ, & imputatæ.* Fidem tantùm requirit à nobis Euãgelium qua perfectam Christi iustitiam, gratuitò credentibus imputatam, imò qua Christum ipsum cum suis omnibus beneficiis ex mera gratia nobis datum amplectamur. Nec propterea pugnant inter se Lex & Euangelium. Etsi enim *Lex vult præstari à te mandata, si vis vitam ingredi:* non tamen te excludit è vita æterna, si alius pro te Legem præstet. Ponit quidem vnum modum satisfaciendi, nempe per se: sed propterea non excludit alterum modum satisfaciendi, scilicet per alium, quem nobis Euangelium declarat. per alium porrò satisfacere non possumus, hoc est, per Christum, nisi fide perfectam eius iustitiam induamus. Euangelium igitur præcipit nobis vt habeamus fidem, & simul ex animo resipiscamus. Fides enim sine vera resipiscentia consistere nequit.

Rom. 2. 15.
Mat. 11. 27.
Mat. 16. 17.
Ioan. 1. 18.

Ob. *Euangelij nulla est* (inquiunt Flacciani) *præceptio, sed Legis: Ergo resipiscentiæ, vel pœnitentiæ præceptio, non est Euangelij; sed Legis. Resp.* Negamus quod nulla sit

Euangelij

Euangelij præceptio. Hæc enim propria est Euangelij, qua illud nos iubet sibi credere, amplecti beneficium Christi, & post iustificationem inchoare illam iustitiam quam Lex à nobis requirit. *Inst. Atqui Lex etiã nos iubet credere Deo. Resp.* Illa nimirum iubet hoc in genere, vt fidem adhibeamus omnib. promissionib. præceptis, & minis diuinis, idq; cum comminatione pœnæ, *nisi faciamus*. Euangelium verò in specie iubet nos amplecti promissionẽ gratiæ, & deinde hortatur nos intus & foras per verbum & sacramenta, vt viuamus Euangelio dignè: non explicat per species, hoc vel illud facite, sed relinquit illud Legi: tantùm hortatur, *vt dignè versemur Euang.* Deinde non dicit in genere, credas omnib. Dei promissionibus nam & hoc relinquit Legi verùm in specie dicit, huic crede promissioni. Si peccaueris, confugias ad Christum, in eum credas, & remittentur tibi peccata.

4. *Quæ propria sint effecta Euangelij.*

Propria Euangelij effecta sunt. 1. *Fides*, iuxta illud, *Fides ex auditu. Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti* 2. *Conuersio, regeneratio, iustificatio, & salus.*

Rom. 10. 17.
2. Cor. 3. 8.
Rom. 1. 26.

5. *Vnde constet Euangelij veritas & certitudo.*

Euangelij veritas & certitudo constat. 1. *Ex testimonio Spiritus Sancti.* 2. *Ex vaticiniis* per Prophetas, & alios sanctos editis. 3. *Ex impletione vaticiniorum* in Nouo Testamento præstita. 4. *Ex miraculis*, quibus est confirmata Euangelij doctrina. 5. *Ex ipsius Euangelicæ doctrinæ testimoniis*: quia ipsa sola demonstrat viam effugiendi mortem & peccatum.

QV. *Sed quare Deus credentes tantùm vult saluos facere.* *Resp* Quia illi tantùm agnoscunt beneficium Christi, vel quia in illis tantùm assequitur Deus suum finem, propter quem condidit & redemit genus humanum, qui est agnitio & celebratio sui.

Obiect. 1. *Gratia Dei exuperat peccatum Adami: Ergo si propter peccatum Adami omnes perierant, multo magis propter gratiam Christi omnes, non autem tantùm credentes*

saluantur

saluantur. Resp. ad antecedens : *Gratia Dei exuperat* quod ad satisfactionem, non quod ad applicationē. Quod ergo non omnes propter gratiam Christi saluantur, hoc ipsis incredulis est ascribendum. Isti enim omnes gratiam Christi respuunt. *In solis autem credētibus Deus finem suum assequitur*, cum sint grati Deo, beneficia Dei vera fide accipiant eademque celebrant.

Obiect. 2. Præstita satisfactione sufficienti pro omnibus peccatis debent omnes recipi in gratiam. At Christus præstitit satisfactionem pro omnibus peccatis. Ergo si hoc non fiat, Deus aut iniurius est hominibus, aut detrahit aliquid Christi merito. Resp. Ad Maior. Nisi addita sit satisfactioni conditio. Qui sibi satisfactionem illam sufficientem applicant. Maior ergo non est admittenda. Atque hinc apparet *quare non omnes saluētur* quia scilicet non omnes sibi applicant fide satisfactionem Christi, & vult Dominus extare exempla, non misericordiæ tātùm suæ in electis, sed & iustitiæ suæ in reprobis: hoc non fieret, si omnes promiscuè seruarentur.

Obiect. 3 Adam omnes damnationi obnoxios fecit : Christus tantùm aliquos iustificat. Ergo maior vis est peccati ad condemnandum, quàm Christi satisfactionis ad seruandum. Resp. Nego consequentiam: quia vis, efficacia, atque excellentia satisfactionis Christi non cōsistit in multitudine hominum, applicantium sibi satisfactionem & meritum Christi : sed in ipsius beneficij magnitudine. Maius enim opus est liberare vnum, atq; alterū hominē à morte æterna, quam omnes homines ęternæ mortis reos facere per peccatum. Deinde in vi, & excellentia satisfactionis non est causa: cur pauci per Christum seruentur: vitium potius est in hominibus, qui non ęque sibi applicant Christi meritum vera fide atque sibi applicant peccatum Adami. Gratia enim Dei non est angustior, quam peccatum, quod ad sufficientiam satisfactionis : sed quod ad sufficientiam applicationis. Neque Deus ita vult patefacere misericordiam suam, vt non exerceat iustitiam.

DE

DE FIDE.

EXplicata doctrina *de Mediatore*, quæ est Euangelium, superest vt dicamus de medio, quo simus Mediatoris participes, nempe *de fide*: sine qua etiam nihil Euangelij prædicatio prodest.

Quæstiones præcipuæ sunt.

1. *Quid sit fides in genere.*
2. *Quæ sint fidei species.*
3. *Quomodo species illæ differant inter se.*
4. *Quomodo fides, & spes inter se differant, & conueniant.*
5. *Quæ sint causæ fidei.*
6. *Qui effectus.*
7. *Quibus detur.*

Quid sit Fides.

Fides in genere est notitia certarum propositionum quibus assentimur propter autoritatem, ac testimonium testis vera-cis, de quo fas non est dubitare. Fides hæc aut est diuinarum aut humanarum rerum. Fides autem generaliter sumpta in Sacris literis est aliquãto restrictior, & omnibus Fidei speciebus, quæ in Scriptura traditur, competit. *Ea est firmus assensus, vel notitia certa, qua assentimur alicui promissioni, seu propositioni de Deo, & eius*
Heb.11.3. *voluntate, propter ipsius Dei testimoniũ, vel asseuerationem.*

2. *Quæ sint Fidei species.*

Species fidei sunt quatuor.

1. *Fides Historica.*
2. *Temporaria.*
3. *Miraculorum.*
4. *Iustificans.*

3. *Quomodo Species illæ differant inter se.*

Harum specierum discrimen constat ex ipsarum definitionibus. *Historica Fides est noscere & statuere quod verum sit omne Dei verbum diuinitus traditum, vel patefactum, siue per vocem, siue per oracula, siue per alicuius reuelationis modum, propter autoritatem & asseuerationem diuinã*

que

que nobis constat. Nominatur Historica, quia tantùm continet notitiam historiæ, eorum scilicet, quæ Deus dicit se facere, vel feciſſe, vel esse facturũ. Historicã esse talem fidem probatur Scripturæ testimoniis: vt, *Dæmones etiam credunt, & contremiſcunt. Etsi habeam omnem fidem adeo vt montes transferam, &c.* Hoc dictum loquitur de omnibus speciebus fidei, excepta fide iustificante. In actis dicitur ipse etiam Simon Magus credidisse, scilicet veram esse doctrinam quam proponebant Apost. & tamẽ non habuit fidem iustificantem.

Iac. 2. 19. 1. Cor. 13. 2. Act. 8. 13.

Temporalis fides, est assentiri doctrinæ cœlesti, per Prophetas, & Apost. traditæ, eam profiteri, & de ea gloriari, & eius cognitione lęiari ad tempus: sed non propter applicationem promissionis ad se, id est, non propter sensum gratiæ in suo corde, verum propter alias causas. Hæc definitio sumpta est ex verbis Christi. *Qui sermonem audit, & statim cum gaudio excipit, &c.* hoc est, qui profitetur illud, ei assentitur, eoque lætatur: verum non habet radicem in semetipso, & non est illa fides perpetua quia causa non est perpetua. Causæ autem sunt variæ, vt gloria, commoda priuata, vel publica. *Ab historica tamen hæc fides temporalis differt, Lætitia comitante eam, & quod historica fides tantùm habeat notitiam: Temporaria autem fides etiam lætatur ea conditione, quam habet, sed tantùm ad tempus.* Diabolus non lætatur notitia quam habet: sed vellet eam prorsus extinctam. Deinde non profitetur se esse assectam illius, sed illam oppugnat: & licet sciat eam esse veram, tamen mallet eam abolitam. Ob. *Diabolus etiam sæpe professus est Christum. Ergo doctrinam eius non oppugnat. Resp.* Fecit hoc non studio propagandi aut promouendi eam, sed vt eam misceret cum suis mendaciis, atq; ita eam redderet inuisã. Ideo Christus *eum iubet tacere*, quemadmodum, & Paulus in Actis. Aliquando etiam coniuncta est *historica Fides* cum professione. Sæpe enim homines quibusdã de causis ea profitentur quæ oderunt.

Matt. 13. 20. Mare. 1. 25. Act. 16. 18.

Miraculorum fides, est certa persuasio ex singulari reuela-

tione

tione Diuina, qua quis est certus euenturum potentia Diuina
1.Cor.13.2. *opus aliquod extraordinarium, vel miraculosum, & contra naturam, quod petit fieri, & euenturum dicit.* De hac ait Apost. *Si habeam omnem fidem, adeò vt montes transferam.* Licet hoc dictum intelligatur de omnib. fidei speciebus, excepta fide iustificante: tamen precipuè refertur ad miraculorum fidem, quomodo & Christus, *Si*
Mat.17. 20. *habeatis fidem quantum est granum sinapis.* Hæc autem fides non hauritur simpliciter ex verbo Dei, nisi accedat singularis reuelatio diuina, sine qua non possunt edi miracula. Diuersam hanc esse ab aliis fidei speciebus probatur his rationibus. 1. *Ex illo Christi dicto* iam citato: *Si habuero fidem vt granum sinapis.* Atqui multi sancti, qui & historiam verbi Dei nouerant, & lætabantur de ea, & sibi eam applicabant, habuerunt fidem: & tamen non transtulerunt montes. Ergo hæc est alia species. 2. *Multi conabantur eijcere diabolos sine reuelatione, vti filij Sceuæ, quibus propterea res malè succede-*
Act.19. 14. & 8.13. *bat.* 3. *Simon Magus dicitur credidisse, & tamen non potuit edere miracula.* Nam ideo volebat hanc facultatem emere. 4. *Diabolus nouit historiam, & tamen non edit miracula,* quia nemo nisi Creator potest immutare rerum naturam. 5. *Iudas edebat miracula, & tamen à Domino dicitur diabolus esse,* hoc est non habere fidem iustificantem. Ergo habuit aliam fidem, nimirum Miraculorũ,
Ioan.6.70. Mat.7.22. historicam, & fortassis etiam Temporalem. Tales & isti qui aiunt apud Euang. *Nonne in nomine tuo eiecimus dæmonia?* Distincta est igitur hæc species ab aliis. Est enim specialis fides de certa aliqua re sibi diuinitus reuelata: at fides historica ad omnia, quæ in verbo rescripta sunt, sese extendit, sicuti etiam temporaria.

Fides iustificans, est certa fiducia, qua nobis applicamus Christi meritum. Applicamus illud nobis, dum certò statuimus iustitiam, seu meritum Christi nobis donari & imputari. *Fiducia vera est motus cordis, & voluntatis persequens bonum aliquod cognitum, gaudens & nitens.* Porrò *si fides est fiducia, Ergo & notitia* vtpote quam præsup-

ponit.

ponit. Oportet enim te primùm nouisse doctrinam antequam ei credas. Atq; hæ duæ partes *notitia & fiducia*, seu firmus assensus constituunt *genus fidei iustificantis. Differentia est à Sp. S. per Euang. in cordibus accensa.* Vnde etiam patet S.S. esse fidei causam. *Proprium fidei iustificantis talis est fiducia quæ in Deo acquiescat*, quo distinguatur hæc à reliquis omnib. speciebus. Iustificans complectitur historicam, sed hæc non sufficit ad iustificantem: sicut nec aliæ duæ. Nam *si ex fide est hæreditas*, ea erit ex vna aliqua harum quatuor: *at non ex fide historica*, alioquin & Diaboli essent hęredes: *nec ex temporaria*: illam. n. Christus reiecit: *neque ex fide miraculorũ*: alioquin & Iudas esset hæres. Ex fide igitur iustificante est hæreditas: quæ propriè, fides appellatur. Mat. 13. 20.

Quid sit autẽ *Fides iustificans*, nemo intelligit *nisi qui credit, sicut qui nunquam vidit aut gustauit mel, nõ intelligit* quis sit eius sapor, etsi multa de eius suauitate dicas. Reperit autem quisq; credens in se hęc, & potest etiã explicare aliis. 1. *Credit verũ esse quicquid traditur in scrip.* 2. *Sentit se obligatum ad ea credenda.* Si enim vera esse fateor: ergo iustum est vt eis assentiar. 3. *Voluntatem habet obediendi doctrinæ Propheticæ & Apost sine exceptione, in omnib. faciendis aut patiendis.* Si deo credere velim oportet vt eius voluntati obtemperẽ, & statuam hanc voluntatem patefactam non esse à nobis hominib. sed ab ipso. 4. *Applicat sibi hęc omnia*, & ex priorib. sic colligit, Scio ad me pertinere quæ promittuntur, hoc est, fiducia certa concludit. Quum iam me amat Deus, & mihi dat hæc bona etiam seruabit me in æternum. 6. *Sequitur lætitia de his bonis*, id est, pax conscientiæ. 7. *Studium in patiendo & faciendo quæ sunt patienda aut faciendа* Facit igitur homo prędītus fide iustificante officiũ sibi commissum, mundo & diabolo reluctantib. Superat autem omnem intellectum pax illa cõscientiæ.

4. *Quomodo Fides & Spes inter se differant & conueniant.*

Fides iustificans non confunditur cum Spe. *Nam fides apprehendit præsentia bona, spes autem futura.*

Ob.

Ob. *Atqui credimus vitam æternam, quæ tamen est futura. Resp.* Futura quòd ad executionem: Præsens quòd ad voluntatem ad immutabile Dei consilium. Itaque *credimus vitam æternam* quòd & Dei propositum dandi nobis eam: speramus autem dandam: deinde *credimus vitam æternam*, quòd ad initium eius in hac vita, eius consummationem speramus in futura.

Ioan.5.24. Ioan.17.3. *Qui credit in filium transiuit à morte in vitam. Hæc est vita æterna, vt te solum cognoscant esse verum Deum, &c.*

Gal.4,6. *Emisit Deus spiritum filii sui in corda vestra clamantem, &c.*

Rom.8.24. *Spe seruati sumus. Nunc filij Dei sumus sed nondum patefactum est quod erimus, &c.* Fide igitur statuimus nostra esse bona, quæ nondum habemus sed spe certa expectamus. Vnde & autor Epistolæ ad Hebræos, fidem

Heb.11,1. docet circa spem versari: *Fides*, inquit, *est hypostasis*, id est subsistentia, *eorum quæ sperantur*: vel est illud quod facit vt extent quæ sperantur, & quod demonstrat quæ non videntur à sensibus nostris, sed mente capiuntur: non apparent, scilicet quod ad impletionem & consolationem.

Differentia etiam fidei, & spei sic breuiter comprehendi potest. *Fides amplectitur promissiones de rebus: Spes autem res ipsas, de quibus sunt promissiones.* Conueniũt inter se fides, & spes, *quod eadẽ beneficia respiciunt.*

5. *Quæ sint Causæ fidei.*

Causa efficiens prima fidei, & principalis est Spiritus sanctus. Gratia estis seruati per fidem: idque non ex vobis: Dei donum est.

Ob. *Diabolus habet fidem historicam. Ergo à Spiritu Sancto Resp.* Etiam, quę in Diabolo est fides efficitur à deo: sed generali & vniuersali, non speciali, aut particulari operatione, vel modo: quia tali modo Spiritus sanctus in solis Electis operatur, fidem iustificantem in iis efficiens.

Instrumentalis causa fidei in genere est totum verbũ dei, id est, vtriusque Testamenti Libri Canonici, á Deo ipso dictati, qui diuidũtur in Legem, & Euangelium,

in

in duas primarias partes scilicet, & complectuntur non modò verbum, sed multa opera & miracula dei in mundo. *Primum autem organum iustificantis fidei est prædicatio Euangelij. Fides est ex auditu. Euangelium est potentia Dei ad salutem cuiuis credenti.* Sine hac Euangelij prædicatione, nunquam generabitur in nobis fides iustificans. Rom. 10. 17. Rom. 1. 16.

Formalis causa fidei iustificantis est ipsa definitio.

Obiectum Deus, & Christus, eiusq; promissio.

Materia seu subiectum fidei, seu id in quo hæret, est Intellectus, voluntas, & cor hominum.

Finalis causa. 1. *Celebratio veritatis, iustitiæ, bonitatis, misericordiæ Dei.* 2. *Salus nostra.* Fidei miraculorum causa non est simpliciter verbum Dei, sed oportet accedat ipsa reuelatio singularis, multa opera Dei, item congruentia euentuum, prædictionum, & oraculorum.

6. *Qui sunt effectus Fidei.*

Effectus Fidei iustificantis sunt. 1. *Lætitia acquiescens in Deo. Iustificati ex Fide pacem habemus cum Deo.* Rom. 5. 1. Hæc est pax illa conscientiæ.

2. *Tota conuersio quæ fidem sequitur.*

3. *Fructus conuersionis, & pœnitentiæ,* bona scilicet opera. Huc referri possunt consequentia, videlicet incrementum donorum Spiritualium & corporalium.

4. *Acceptio bonorum, in quæ fertur fides,* hoc est, eorum donorum, quę credimus per fidem iustificantem nobis dari, qualis nimirum est iustificatio, atq; omnia quæ eam consequuntur. Quod est causa causę id etiam est causa effectus. Si igitur fides est principalis causa iustificationis, etiam causa est eorum, quæ iustificationem consequuntur. *Fides tua te seruauit.* Luc. 8. 48.

5. *Effectus fidei sunt iustificatio & regeneratio* Rom. 3. 27. & 10. 10. Act. 13. 39.

7. *Quibus detur fides.*

Fides iustificans tantùm est Electorum propria, & quidem

quidem omnium. Datur enim solis & omnibus Electis, etiam infantibus inclinatione. *Nemo venit ad me*
Ioan.6.44. *nisi pater, qui misit me, traxerit eũ. vos nõ creditis: non estis*
Ioan.10.26. *ex ouibus meis. Vobis datum est nosse mysteria regni cælorũ:*
Mat.13.11. *illis autem non est datum. Et crediderunt quotquot erant or-*
Act.13.48 *dinati ad vitam æternam. Quos prædestinauit, eos etiam*
Rom.8.30. *vocauit: quos vocauit, eos etiam iustificauit. Fides dei donũ*
Eph.2.8 *est. Non omnes auscultarunt Euang. Non.n. omniũ est fides.*
Rom.10.16. 2.Thes. 3.2. *Temporalis, & miraculorum fides* datur etiam iis, qui sunt tantùm visibilis Ecclesiæ membra, id est hypocritis. Iam tamen fides miraculorum desiit, quæ viguit in prima Ecclesia, siquidem doctrina iam satis est confirmata.

Historica fides non tantùm visibili, & intuisibili Ecclesiæ: sed etiam iis communis est, qui non sunt externa membra Ecclesiæ, quales sunt diaboli. Habere autem pios *historicam fidem* non est dubium. Nam vt assentiaris alicui rei, oportet te prius habere eius cognitionem.

Ob. Fides historica est bonum opus. Diaboli habent fidem historicam. Ergo habent bona opera. Resp. Fides historica est bonum opus, scilicet si coniucta sit cum applicatione. *Instantia. Fides historica est bonum opus, etiamsi non coniuncta sit cum applicatione. Ergo Diaboli habent bona opera. Resp.* Fides historica est bonum opus, scilicet per se: malum autem fit accidens, cum non applicantur, quæ agnoscit fides historica. Ideò dicuntur Diaboli *contremiscere:* nam quæ norunt de Deo: sibi non applicant.

Ob. Contra id quòd fides sit omnium Electorum. *Infantes plurimi sunt Electi, nec tamen habent fidem: Ergo fides non est omnium Electorum. Resp.* Non quidem habent fidem actualem, sed habent potentiam, vel inclinationem ad credendum, quam Spiritus Sanctus pro eorum captu & modo in iis operatur.

Manet ergo quod antè confirmatũ est nempe *fidẽ esse omnium Electorũ:* quin & illud addo, fidẽ esse omnibus

nibus Electis necessariam: neque fidem tantùm, sed & ipsam fidei confessionem. 1. *Propter mandatum dei.* Exo 20. *Non assumes nomen domini dei tui in vanũ. Ergo rectè assumes. Qui me confessus fuerit, &c.* Mat. 10. 32. 2. *Propter gloriam dei. Luceat lux vestra coram mundo.* Mat. 5. 16. 3. *Quia fides non est ociosa, est enim veluti arbor fructifera.* 4. *Vt alios ad Christum adducamus. Et tu conuersus confirma fratres.* Luc. 22. 32.

Scimus autem nos habere fidem, 1. Ex *reipsa*, id est ex vero & non simulato studio accipiendi beneficia á Christo oblata. 2. *Ex lucta fidei cum dubitatione.* 3. *Ex effectis*, id est, ex serio proposito obediendi Deo secundùm omnia eius præcepta.

Contra *fidei certitudinem*, de qua in definitione fidei. *Ob.* 1. *Qui possunt labi ante finem vitæ in peccatum & damnationem illi non possunt esse certi de vita æterna. Maior probatur, quia certum esse, & posse labi, pugnant inter se: falsũ igitur quod in definitione fidei Iustificantis docetur: vitam scilicet æternam nobis donatam esse, eoq; fidẽ nostrã de eo esse certam. Resp.* Posse labi, vel deficere, scilicet finaliter, pugnant cum certitudine salutis. *Instantia. Omnes infirmi possunt deficere finaliter, Resp.* Si gratia dei non conseruet eos, ne labantur finaliter. *Instantia. Deus non expressit se nos seruaturum. Resp.* Imò expressit quia dixit, *Oues meas nemo rapiet è manibus meis. Instantia. Sed dicitur etiam, Qui stat, videat ne cadat. Ergo. Deus nõ promisit se nos seruaturum, sed nobis perseuerantiam cõmittit. Resp.* Est fallacia à non causa, vt causa. hac enim ipsa adhortatione vult fidelium salutem perficere, fouere, & conseruare, non autem eorum viribus & voluntati perseuerantiam committere. Quare si verè credimus, statuere certò debemus Deum nos esse seruaturum. Nam si nos vult esse certos de præsentia sua erga nos, vult etiam nos esse certos de futura gratia, quia Deus est immutabilis.

Ioan. 10. 28. 1. Cor. 10. 12.

Obiect. 2. *Solomon ait, Nescit homo an amore, an odio sit dignus. Ergo non possumus esse certi de Electione Dei* Eccles. 9.

nec quicquam ſtatuere poſſumus de præſenti Dei gratia, & per conſequens de futura. Reſp. ad antecedens. 1. *hoc ſcire non poſſumus, quoad cauſas ſecundas, ſiue ex euentibus bonis, vel malis.* 2. *neque per nos:* ſed tantùm Deo reuelante, hoc ſcire poſſumus. *Inſt. Quis mentem Domini cognouit? Reſp.* Scilicet ante pateſactionem, ſed poſt pateſactionem cognoſcimus illam.

Ob. 3. *Saul defecit finaliter. Ergo etiam pij. Reſp. Saul non fuit pius. Inſt. Atqui habuit dona Spiritus ſancti. Reſp.* Habuit dona communia Electis & Reprobis: non habuit autem dona regenerationis.

Ob. 4. *Doctrina de certitudine ſalutis parit ſecuritatem. Reſp.* Parit ſecuritatem, nempe ſpiritualem, quòd ſi parit etiam carnalem ſecuritatem, id fit per accidẽs, & quidem in malis & reprobis duntaxat: in piis verò nequaquam.

THESES DE FIDE EX ſuperioribus pendentes.

1. *Nulla Fides eſt, niſi quæ voluntate Dei in eius verbo pateſacta nititur.*

2. *Fidem omnem in hominibus efficit Spiritus Sanctus, ſiue per vocem doctrinæ cæleſtis, ſiue per immediatam reuelationem.*

3. *Cùm autem ordinariam Fidem in nobis accendere & formare & conformare velit Deus per doctrinam Eccl. omnes ad eam audiendam & meditandam obliganur.*

4. *Fides temporaria multis in Eccleſia hypocritis contingit. Hiſtorica & miraculorum piis & impiis communis eſt. Iuſtificans ſolis & omnibus ad vitam æternam electis in hac vita datur.*

5. *Iuſtificans non ſemper Hiſtoricam complectitur: Cum Miraculorum fide non ſemper eſt coniũcta: Sicut etiam fides miraculorum ſemper hiſtoricam aut temporariam coniunctam habet: iuſtificantem non ſemper.*

6. *Fides etiam in ſanctis hominibus in hac vita imperfecta & languida: ſed tamen quiſquis ſerium credendi ſtudium*

fiduciam & luctam cum dubitationibus in corde suo sentit, vera fide se præditum esse certò statuere potest ac debet.

7. *Vera fides semel in cordib. accensa, etsi sæpe ad tempus langueſcit & obscuratur, tamen nunquam tota extinguitur.*

8. *Posthanc vitam autem pleniorem ac certiorem Dei & diuinarum rerum cognitionem assequetur, sensum nimirum & experientiam, cum beatis omnibus præsentiæ Dei: quam cognitionem scriptura nominat, per spiritum, & facie ad faciem.*

9. *Fides quæ tantùm historica est, desperationem & iudicij Dei grauitatem, quamuis per accidens, efficit.*

10. *Tempororia lætitiam quandam, sed non pacatam conscientiam (quia non ex vera causa oritur) confessionem ac speciem aliquam bonorum operum efficit: sed tantùm ad tempus.*

11. *Fides miraculorum, ea (de quibus est) miracula à Deo impetrat.*

12. *Sola fide, applicante singulis promissionem gratiæ, iustitiam coram Deo, & Christi omniumque eius beneficiorum communionem accipimus.*

13. *Eandem fidem vt non possunt antecedere, ita non possunt non comitari vera conuersia & obedientiæ veræ secundùm omnia Dei mandata inchoatio.*

DE SIMBOLO APOSTOLICO.

POST tractionem de *FIDE*, rectè sequitur de credendorum summa, quam *Symbolum Apostolicum* vocamus.

Quæstiones hîc præcipuæ sunt:

1. *Quid sit Symbolum.*

2. *Symbola propriè sunt quæ conferunt homines ad communia ἀπὸ τῦ συμβαλλεσθαι.* Deinde sumitur etiam

am Symbolum *pro signo, tessera, aut nota, qua quis discernitur ab aliis*: cuiusmodi est signum militare. *Symbolum in Ecclesia est breuis, & summaria doctrinæ Christianæ forma, seu breuis summa, vel confessio capitum Christianæ religionis, aut Euangelicæ doctrinæ.* Sic autem vocatur, *quia est tanquam tessera seu professio, qua ecclesia cum suis membris ab omnibus hostibus, atque aliis omnibus sectis discernitur.* Alij dicunt *Symbolum esse dictum hanc breuē doctrinæ Euangelicæ summam, quod hæc doctrina ab Apostolis collata sit, ac singuli Apostoli aliquam eius partem contulerint*: sed illud nequit probari. Sin autem vis inde deriuare, ratio etiã non absurda potest hæc reddi: quòd *articuli fidei sunt forma certa, ad quam omnium fides congruere, & conferri debet quicunq; volunt seruari.*

Hoc autem *Symbolum dicitur Apostolicum*, 1. *Quia continet summam doctrinæ Apostolicæ, quam cogebãtur tenere & profiteri Catechumeni.* 2. *Quia Apostoli eam doctrinæ summam suis discipulis tradidcrunt*: & ab eorum discipulis Ecclesia illam accepit postea.

Idem hoc *Symbolum* dicitur & *Catholicum*, quia est vnica fides omnium Christianorum.

Quæst. *An noua symbola sint facta, vt Symbolum Athanasij, Nicenum, Ephesinum, & Chalcedonense? Resp.* Non sunt alia ab hoc Symbolo Apostolico: sed sunt aliqua verba adiecta, vt explicatio huius, propter hæreticos à quib. ob breuitatem illud deprauabatur. Non mutatur vel res vel doctrina, sed tantùm forma explicandi, vt facilè apparet ex collatione.

2. *Quæ sint Apostolici Symboli partes.*

Partes principales Apostolici symboli sunt tres.

1. *De Patre creatore.* 2. *De Filio redemptore.*
3. *De Spiritu Sancto sanctificatore.*

Obiect. 1. *Patri tribuitur Creatio cœli & terræ: Filio Redeptio generis humani: spiritui sancto sanctificatio. Ergo Filius & spiritus sanctus non crearunt cœlum & terram, neque Pater & Spiritus S. redimerunt genus humanum: nec; Pater & Filius sanctificarunt fideles. Resp.* Nego cõsequen-

sequentiam: quia Patri tribuitur creatio, Filio redemptio: Spiritui Sancto sanctificatio, non excluſiuè, hoc est, quòd hæc non tribuantur omnibus perſonis: Pater.n. nos etiam redimit, quia *tradidit filium pro nobis*: Pater etiam nos ſanctificat, iuxta illud Apoſtoli, *Emiſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra, clamantem Abba Pater. Pater mittit eum in nomine meo.* Sic etiam Filius nos creauit. *Omnia per ipſum facta ſunt*: Filius etiam ſanctificat nos. *Cùm venerit Conſolator ille, quem ego mittam vobis à Patre. Effudit hoc quod vos nunc ſpectatis & auditis.* Idem quoque ſentiendum eſt de S. S. Hac autem diſtinctione notatur *diſcrimen, & ordo agendi inter perſonas. Patri enim Creatio tribuitur*, quia fons eſt & origo Deitatis, atq; ita etiam operationum diuinarũ, & per cõſequens fons creationis. Creauit enim omnia per Filium & S. S. *Filio tribuitur Redemptio.* quia is eſt qui immediatè perfecit opus Redemptionis. Nam ſolus filius eſt factus λύτρον ſiue precium pro peccatis noſtris. Ipſe ſolus *pro nobis peccatum ſoluit in cruce*: non Pater, neq; S.S. & ſolus Filius etiam quod ad efficaciam, eſt noſter Redemptor. *Spiritui S. tribuitur Sanctificatio*, quia nos ipſe immediatè ſanctificat.

Gal. 4. 6. Ioan. 14. 26. Ioan. 1. 2. Ioan. 15. 29. Act. 2. 33.

Obiect. 2. *Sanctificatio tribuitur* (vt dicis) *tribus perſonis promiſcuè: Ergo opera diuinitatis ad extra ſunt indiuiſa, & per conſequens, non eſt opus diſtinctione. Reſp.* Opera diuinitatis ad extra ſunt indiuiſa. i. omnes Perſonæ creant, redimunt, ſanctificant, ſed ſeruato ordine agendi vel operandi in ſingulis perſonis. Nam Pater, & S.S. redimunt nos, ſed mediatè per Filium: Filius & pater ſanctificant nos, ſed mediatè per ſpiritum S.

Notandum eſt hoc loco *opera perſonarum eſſe duplicia: opera ſcilicet ad intra, & opera ad extra.* 1. *Opera Perſonarum ad intra ſunt*, quæ habent, & exercent Perſonæ erga ſe inuicem. Vt *Pater eſt Perſona prima* à nullo habens ſuam eſſentiam, à nullo procedens. Pater.n. non eſt ab alio, ſed ipſe ab æterno genuit filium. *Filius eſt ſecunda perſona diuinitatis*, atque eſt ab æterno genitus

à Patre. *Generatio* autem *filij* est communicatio totius essentiæ diuinæ, hoc est, propagatio Essentiæ: nequaquam tamen est vt in creaturis. Nam communicatio essentiæ quæ est in creaturis est ex parte tantùm, ac proinde huc non pertinet, neque cadit in Deum, in quo non fit communicatio partium. Deus enim cuicunque communicat essentiam suam, ei illam totam communicat. *Spiritus S. est tertia persona Deitatis*, ab æterno procedens à Patre & Filio, tanquam Spiritus ab eo cuius est spiritus, essentiamque accipit eandem & integram, quam Pater, & Filius habent & retinent. *Differunt autem Generatio, & Processio.* Nam *gigni* vna persona ex alia dicitur, vt filius à Patre. *Processio* est communicatio essentiæ diuinæ, qua sola tertia persona Deitatis, à Patre & Filio, tanquam Spiritus ab eo cuius est Spiritus, essentiam accipit eandem, vt dictum est. Sicut ergo alia est persona gignentis, alia geniti: sic etiam Spiritus S. alia est persona quàm Pater & Filius, à quibus ineffabiliter ab æterno procedit & emanat. Est tamen vna & eadem essentia diuina harum trium Personarum: licet Pater, vt fons Deitatis, à nullo alio quàm à seipso, à Patre genitus Filius, à Patre & Filio procedens S.S. existat.

2. *Opera Personarum ad extra sunt*, quæ erga creaturas, & in eas, & per eas Patris, Filij, & S.S. voluntate & efficacia fiunt: sed eo tantùm ordine Personarum seruato, vt Pater sit fons operationum Filij, & Spiritus S. agatque omnia non ab alio, sed à seipso. Filius autem & Spiritus Sanctus non agat à se, sed per se, hoc est, Filius præeunte voluntate patris, S.S. Patris & Filij præeunte voluntate.

Obiect. Quorum opera sunt distincta, eorum etiam essentia est distincta. Patris, Filij, & S.S. opera ad extra sunt distincta. Ergo, &c. Resp. ad Maiorem per inuersionem: imò quia personæ sunt infinitæ, necesse est vnam omnium esse essentiam. Quia *operatio ad intra* est communicatio essentiæ.

PRIMA.

PRIMA SYMBOLI PARS, de Deo Patre Creatore.

Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem Cœli & Terræ.

Credere *in Deum*, est credere. 1. *Quòd sit Deus, & quidem talis, qualem se patefecit.* 2. *Quòd quæcunque de sua natura patefecit, in nostram salutem velit conferre.* Deus autem accipitur hîc essentialiter pro Deo Patre, Filio, & Spiritu sancto: quia verbum *Credo*, & Particula *In*, referuntur eodem modo ad omnes tres personas. Nam non minus dicitur, *Credo in Filium & in Spiritum S. quàm in Patrem.* Non autem debemus credere nisi in vnum Deum: & vt credendum in Patrem, quia Deus: sic etiam credendum in Filium & Spiritum Sanctum, quia Deus sunt. *Semel autem positum est nomen Dei*, quia tantùm Deus vnus est, nequaquam verò quasi solus Pater dicatur Deus. Nam *credo in Deum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum dicitur*, veluti per oppositionem, pro, *Credo in vnum verum Deum*, qui est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, ita tamen, vt Pater non sit Filius, neque Spiritus sanctus sit Filius aut Pater. Differentia hîc tenenda est inter has duas locutiones, *Credere Deum*, & *credere in Deum.* Nam *credere Deum* propriè loquendo, est credere aliquem esse Deum, secundùm omnia eius attributa. *Credere in Deum* est statuere, quòd Deus omnia, quæ ipsi attribuantur, conferat ad meam salutem propter Filium.

Credere in Patrem, est credere, 1. *Quòd sit Pater domini nostri Jesu Christi.* 2. *Quòd sit & mihi Pater propter Christum*, id est, quòd sit paterna erga me voluntate affectus, vtpote qui per Christum, & in Christo nos sibi adoptauit in filios.

Pater dicitur. 1. *Respectu Christi Filij vnigeniti.* 2. *Respectu omnium creaturarum*, quatenus est creator, & conserua-

conſeruator omnium. 3. *Reſpectu Electorum*, quos adoptauit ſibi in Filio ſuo dilecto.

Quum Patris nomen opponitur filio, ſignificat primam perſonam Deitatis : *cùm* verò *confertur cum creaturis*, ſignificat totam eſſentiam diuinam : ſeu, *nomen Patris oppoſitum Filio, ſumitur perſonaliter*, vt hîc in Symbolo, *collatum verò cum creaturis accipitur eſſentialiter*, vt *pater noſter qui es in cœlis.*

Credere in omnipotentem, eſt credere in talem. 1. *qui omnia quæ vult poſſit efficere*, imò etiam ea quę nõ vult, ſi non repugnent eius naturæ : vt potuit Chriſtum ſubtrahere morti, ſed non voluit. 2. *Qui omnia ſine difficultate, ſolo nutu perficiat.* 3. *Qui ſolus habeat poteſtatem omnia operandi*, & auctor ſit potentiæ eius quæ eſt in omnibus creaturis. 4. *Qui mihi quoquæ ſit omnipotens, & omnia ad ſalutem meam dirigere poſſit, & velit.* Atque hoc propriè eſt *credere in omnipotentem*. Neceſſariò tamen, quæ præcedunt cum poſteriori coniunguntur. Niſi enim credamus Deum talem eſſe, ſcilicet omnipotentem, non poterimus etiam credere Deum in Chriſto nobis eſſe talem, nec omnipotentiam ipſius nobis applicare poterimus : ſic & in reliquis quæ de Deo fides noſtra apprehendit, hæc duo coniungenda ſunt.

Obiect. Deus non poteſt factum infectum reddere. Ergo non eſt omnipotens. Reſp. Poſſe mentiri non eſt omnipotentiæ, ſed infirmitatis. Defectus autem ſunt in creaturis, non in Deo. Deinde poſſe Deum omnia quæ vult, eſt omnipotentiæ ſuæ. Per inuerſionem igitur ita concludo : Quia Deus non poteſt quod cum ſua natura pugnat, eſt omnipotens.

Credere in creatorem, eſt 1 *Credere in eum qui ſit creator omnium.* 2. *Qui eadem à ſe creata ſuſtineat, & gubernet ſua prouidentia.* 3. *Qui omnia, atque adeò meipſum creauerit, ad ſalutem meam tandem obtinendam: & vt ſim vas miſericordiæ, me etiam ad illam ſalutem ſpeciali prouidentia, qua Electos complectitur, perducit.* 4. *Qui omnia reliqua creauerit*

uerit propter nos vt nimirum ſubſeruiant Eccleſiæ ſaluti. Breuiùs ita: *Credo in Deum creatorem*, hoc eſt, credo quòd Deus, qui omnia creauit & prouidentia ſua gubernat, me & fideles in mundo creauerit, vt celebremus ipſum, atque vt ſimus Domini creaturarum. *Omnia veſtra ſunt: vos autem Chriſti: Chriſtus verò Dei*: quaſi diceret, Omnia ſunt creata propter nos, ſicut nos propter Deum.

Ad hanc primam Symboli partem tres Loci communes pertinent, inprimis cognitu neceſſarij.

1. *De Deo.*
2. *De Creatione.*
3. *De Dei prouidentia.*

Hos ordine deinceps explicabimus.

DE DEO.

Quæſtiones præcipuæ.

1. *An ſit Deus.*
2. *Quid ſit, ſeu qualis ſit Deus quem colimus, & quid differat ab Idolis.*
3. *Vnde conſtet vnum eſſe Deum.*
4. *Quid differat Eſſentia à Perſona.*
5. *An hæc omnia ſint in Eccleſia vſurpanda, & an habeantur in Scriptura.*
6. *Quot ſint perſonæ Diuinitatis.*
7. *Quomodo hæ inter ſe differant.*
8. *Quare hæc doctrina ſit in Eccleſia retinenda.*

1. *An ſit Deus.*

COgitari ſatis non poteſt ingens miſeria naturæ hominum, quòd cùm ad illuſtrem agnitionem atque adeo imaginem Dei ſit condita, eò ſit prolapſa, vt non tantùm quis & qualis ſit deus, ignoret, verum etiam, an ſit vllus in cœlo deus, diſputet. Cauſas huius mali ſola Eccl. intelligit, quarum prima eſt naturę humanæ poſt lapſum cæcitas & deprauatio: altera Diaboli impulſus, qui omnem de Deo opinionem

ex

ex mentib. hominũ eraſam vellet: quib. accedit horribilis confuſio vitæ & rerum humanarũ, quòd nimirũ ſæpe florent mali, & boni aut opprimuntur ab illis, aut alioqui grauia patiuntur, ita vt mentes humanæ, dum cauſas horum malorum, & arcanam dei gubernationem non vident, in dubitationem veniant, an ſit aliquis Deus, qui mundum & res humanas curet.

Deum eſſe variis rationibus probatur. 1. *Ab ordine naturæ pulcherrimo, qui in mundo conſpicitur.*

2. *A natura & præſtantia mentis humanæ.* Fieri.n. non poteſt vt ab eo in alium quicquam conferatur, quod is ipſe qui dare debet, non habet. Rationalẽ autẽ naturã non niſi ab intelligente natura oriri potuiſſe, eſt ſatis manifeſt. Effectus eſt intelligens. Ergo & cauſa.

3. *A notitiis principiorũ in mente: qualia ſunt, diſcrimen honeſtorum & turpium, Numeratio intellectus, conſequentiæ in ratiocinando, atque aliæ notitiæ nobiſcum naſcentes.* Nam & hæ notitiæ principiorum nobis ingenitæ nõ potuerunt exiſtere caſu, aut ex natura bruta.

4. *A naturali notitia principij, quo ſtatuimus eſſe Deum.* Rom. 1. 19. *Id quod de Deo cognoſci poteſt manifeſtum eſt in ipſis, & in hominum animis, Deus enim iis manifeſtum fecit.*

5. *A terroribus conſcientiæ in impiis,* eiuſmodi pauores poſt admiſſum peccatum incutiuntur impiorum animis, non niſi ab intelligente natura, & ſtatuente diſcrimen honeſtorum, & turpium. *Gentes, quæ doctrinam Legis ignorant, oſtendunt opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis: vnà reddente teſtimonium ipſorum conſcientia.* Rom. 7. 14. Iſa. 57. 20. 21 *Impij ſunt quaſi mare impulſum, quod quieſcere non poteſt.* Marc. 9. 41. *Vermis eorum non morietur, & ignis ipſorum non exſtinguetur.*

Religio non eſt figmentũ hominum.

Atque hinc manifeſta eſt Epicureorum & Academicorum impudentia, qui *religionem vniuerſam cenſent eſſe figmenta callidorum hominum, eo conſilio producta, vt reliqua multitudo numinis metu in officio contineretur.* Primùm .n. ſi ex deceptione cæteri homines Deum eſſe credunt, eumque metuunt, cur iſti qui ſuo acumine hanc fraudem videri volunt intelligere, cùm huius

ipſius

ipsius blasphemiæ, tum aliorum suorum scelerum cõscientia vel maximè torquentur? Deinde nec ad persuadendum toti generi humano, nec ad persuasionem semel introductam in omnia secula tuendam sufficere potuisset sola paucorum asseueratio.

Neque illud vim argumentorum, quæ ab hac notitia, quòd sit Deus, & à conscientia ducuntur, eleuat, quòd aiunt, *multos reperiri, qui neq; Deum esse credant, neq; peccatorum conscientia moueantur*. Quantumuis enim sibi persuadere illi cupiant, nullum esse Deum, perpetuò tamen repugnat ipsorum conscientia. Ideoque falsissimum est, quod isti fingunt, quenquam impiorum à conscientiæ morsu immunem esse. Quantò enim magis quisque deum & religionem omnem contemnit & stimulos conscientiæ conatur reprimere, tantò magis cruciatur & ad mentionem omnem ac significationem, numinis trepidat & cohorrescit, quantoque tardiùs, tanto sæueriori cum dolore securitas illi excutitur. Vnde videmus, eos quorũ omnis vita fuit prophana ac secura, plerunque vbi terrore diuini iudicii opprimuntur, in desperatione perire.

Illud autem Psa. 10. *Impius præ superbia iræ suæ non quæret: Non est Deus, sunt omnes cogitationes eius*. Et Psa. 14. & 53 *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*: Nõ hoc velle, quòd impii omnem Dei notitiam & metum effugiant, aut esse Deum aliquem non fateantur: sed quòd alium sibi fingentes, quàm ille reuera est qui se patefecit, videlicet, non curantem res humanas, non defendentem & liberantem bonos, ac malos punientem, idolum in veri Dei locum substituant: Satis declarat ipse Dauid, cùm eandẽ impiorum prophanitatem Psa. 10. his verbis describit. *Dixit enim in corde suo oblitus est eius, abscondit faciem suam, &c.*

6. A pœnis sceleratorum quas præter conscientiæ dolores patiuntur. Omnium. n. temporum euentus cogũt homines fateri atrocia delicta puniri atrocibus

pœnis

pœnis in hac vita: contrà verò bonorum esse placidiorem fortunam & exitum. Est igitur mens aliqua discernens honesta & turpia, iudex hamani generis puniens malos & defendens bonos. Ac ne possit magistratuum aliorum-ve hominum prudentiæ aut seueritati hoc adscribi, primùm obstat quòd naturalem hunc instinctum, quo iudicant homines, iustè puniri delinquentes, necesse est ab aliqua mente, scelerum hoste proficisci. Deinde, quòd sæpe mirificis & insperatis modis ad supplicia magistratuum rapiuntur, quorum peccata occulta fuerant, aut qui sua potentia vel astutia manus illorum facilè videbantur posse effugere: tùm verò præcipuè, quòd plurimi, qui vel negligentia vel imbecillitate magistratuum ab his non puniuntur, tamen in calamitates ruunt ac tristes exitus sortiuntur. Cùmque nimis excrescunt scelera & eorum impunitas, totæ gentes, & Respub. horribilibus & manifestis exemplis iræ & potentiæ diuinæ pereunt, vt mundus in diluuio: Sodoma igne cœlitus deiecto: Pharo in mari rubro: Populus Iudaicus & multa florentissima regna tristissimis excidiis. Hæc non fortuitò nec nisi iudicio & potentia illius qui generis humani & naturæ sit D. euenire posse, & comminationes diuinæ, & singulorum conscientia, & ordo iustitiæ quo impietatem ista sequuntur, & moles ipsa ac magnitudo rerum conuincit. Ideo dictum est Psal. 58. *Lætabitur iustus, cùm viderit vindictam: pedes suos lauabit in sanguine impii. Et dicet homo, vtiq; est fructus iusto, vtiq; est Deus iudicans in terra* & Psal. 9. *Notus est Dominus iudicium faciendo.*

Deus punit per media.

Non casu puniuntur scelerati, sed iudicio Dei.

Etsi autem sæpè florent aliquandiu mali & opprimuntur boni: tamen exempla, quæ pauciora sunt, non labefactant regulam ad quam plerique euentus congruunt. Quinetiam si pauciores impii darent pœnas: tamen ea ipsa, quantumuis pauca exempla, testarentur Deum esse & irasci sceleribus etiam aliorum qui videntur minus plecti. Sed ne de aliquib. quidem

dem verum est,eos in hac vita non puniri.Omnes n. qui ante finem vitæ non conuertuntur ad Deum, si non citiùs in pœnis hærent,saltem desperabundi tandem moriuntur, quæ pœnæ omnibus corporis & fortunę malis grauior ac pœnarum æternarum initium ac testimonium est .Quòd autem pœna hæc non est efficiens,id cum omnib. etiam maximè tragicis impiorum casibus commune habet : Ideoque Ecclesiæ doctrina discimus,Dei lenitate, qua non rarò vtitur in hac vita erga improbos,& seueritate, quam videtur exercere erga pios, nequaquam labefactari diuinam prouidentiam & iustitiam, sed potiùs declarari bonitatem eius, dum pœnas differendo, inuitat malos ad pœnitentiam, castigationib. autem & cruce pios exercendo, salutem illorum perficit,& iudicii post hanc vitam futuri certitudinem confirmari, in quo Dei iustitię perfectè satisfiet.

7. *A societate politica*,quæ legib.sapienter est ordinata.Hoc nō potuit nisi à mente intelligente & approbante hominib.monstrari. Et quoniam hanc societatem,vel hunc ordinem politicū Diabolus odit vnà cū omnibus impiis, deus sit oportet, qui eum conseruet.

8. *A causarum efficientium & effectuum serie,ac natura*. Nam fieri non potest,vt processus causarum efficientium sese extendat in infinitum. Oportet igitur primam esse & principalem causam, quæ reliquas siue mediatè,siue immediatè producat & moueat, à qua omnes reliquæ causæ pendeant.

Causarū verò,quarum aliæ ab aliis moueantur vel oriantur, progressum in infinitum nō esse, hac ratione ostendunt. Si vllius effectus essent causæ infinitæ, quarū aliæ alias mouerent aut producerent, sequeretur alterum ex his absurdis,aut intra spatium finiti temporis fieri motus & mutationes infinitas,aut nullo vnquam tempore infinitas illas causas ad suum terminum,hoc est, ad effectum institutum peruenire.Quorum vtrumque cùm sit manifestè falsum

vt

& impossibile, necesse est initium mutationum ab aliqua causa immutabili, æterna, & omnipotente pendere.

9. *A causis finalib. omnium rerum.* Omnes enim res ad suos ac certos fines ordinatæ sunt. Atqui hi fines & vsus rerum non existunt casu, vel à natura bruta.

Ob. 1. quòd natura propter finem agit, hoc adeo non ab ea remouet artificem, vt potius maximè confirmet, esse mentem aliquam mundi architectatricem, quæ ad fines hos destinauit actiones naturę, quæ ad finem quidem alterius ordinatione tendit, verùm nec intelligit eum, nec eo ad agendum mouetur.

Ob. 2. Quòd sunt multæ res in mundo, quæ hominibus non tantùm inutiles videntur, sed molestæ etiam ac pernitiosæ sunt: id etiam non infringit regulam de hominibus ad bonum vsum conditis. Propter peccatum enim nocent nunc ea, quæ non peccantibus profuissent. Ideoque piis omnia in salutem conuertuntur. Quin ipsa etiam pœna, quam per creaturas Deus infligit hominibus, vsus est sapientiæ ac iustitiæ Dei congruens. Multa etiam, ex quibus incommoda sentiunt homines, simul habent aliquos vsus gratos, & salutares vitæ. Ac deinde nihil est omnium, quod sapientiam, bonitatem, potentiam ac iustitiam autoris agnoscendi & celebrandi materiam non suppeditet.

10. *Ac significationibus certis & claris futurorum euentuũ*, qui neque humana acie, vel perspicacia, neque ex causis vel signis naturalibus cognosci potuissent: sed ex eius tantùm reuelatione, qui & genus humanum, & naturam rerum omniũ sic in sua potestate habet, vt nihil sine eius motu fieri possit. Talia sunt vaticinia de diluuio, posteritate Abrahami, de exhibitione Messiæ. Quòd primùm inde manifestum est, quòd decreta & consilia mentis illius, quæ prima est suorum operum causa, nemo priùs quàm ipsa scire potest: ideoque non nisi ipsa patefaciente hæc ab aliis præsciri possunt. Deinde sic edita sunt multa oracula

vt

vt non tantùm res euenturas, sed etiam à se perficiendas esse, Deus prędixerit, vt Ezech. 12. de omnibus à se prædictis ait, *Loquar verbum, & faciam illud.* Deniq; hunc omnia scire necesse est, qui pollicetur se responsurum de omnibus consiliis & euentibus cognitu necessariis, de quibus interrogatus fuerit, atque hoc reipsa præstat, quemadmodum deus fecit in populo Israelitico. ideoq; Deus ipse hoc tanquam suum solius opus ad probandam diuinitatem suam aduersus omnia commentitia numina allegat. Is. 41. *Annunciate quæ uentura sunt in posterũ, vt cognoscamus quòd dij sitis.*

11. *A motu heroico*, hoc est, à sapiente & virtute excellente, in suscipiendis & efficiendis operibus, quæ communem naturæ humanæ captum superant. Talis est felicitas insignium artificum aut gubernatorum in perueſtigandis aut excolendis artibus & inueniendis consiliis: Item animi in præstandis actionibus virtutum, & in rebus agendis: vt in Achille, Alexandro, Archimede, Platone, &c.

2. *Quid vel qualis sit Deus.*

CVm quæritur, quis sit verus Deus, firmissimè tenendum est, hunc solum esse verum Deum qui se inde ab initio generis humani, nõ tantùm in rerũ natura lucẽtibus suæ Diuinitatis vestigijs: sed pręcipuè in Ecclesia patefecit, tradito verbo suo & aliis illustribus testimoniis miraculorũ, liberationum & consolationum, quibus disertè docet, qui & qualis à nobis agnosci & prædicari velit, nec se ab aliis agnosci aut coli quã ab illis qui de ipso & eius volũtate iuxta hoc verbũ sentiũt, nec alibi quàm in hoc verbo veram sui notitiam inueniri Certitudo huius sentẽtiæ inde manifestissima est quòd omnes, qui Deum alium esse fingunt essentia, aut natura, aut voluntate quam ipse in suis patefactionibus esse se testatus est, nequaquam verũ Deum, sed rem aliam à se ipsis cõfictam, pro vero Deo amplectuntur & colunt: secun-

dum hęc dicta Ioan.4. *Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudæis est.* Et cap.5. *Qui non honorat Filium, non honorat Patrem qui misit eũ.* Gal. 4. *Sed tum quidem cùm ignoraretis Deum, seruiebatis iis qui naturâ non sunt dij.* Eph.2. *Eratis in tempore illo absq; Christo, alieni à republica Israelis, extranei à pactis promissionis, spem non habentes, ac dei expertes in mundo,* &c. Act. 17. *Quem ergo ignorantes colitis, hunc annuntio vobis.* 1. Ioan.2. *Omnis qui negat Filium, neque patrem habet.*

His autem aduersari videtur, quod Paulus ait ad Rom.1. *Id quod de deo cognosci potest manifestum esse etiam in hominibus à Christiana religione alienis : Deum enim illis patefeciſſe: siquidem quæ sunt inuisibilia illius, ex creatione mundi, per opera intellecta peruidẽtur, æterna ipsius potentia & diuinitas : vt sint inexcusabiles. Et Act.14. Deum in præteritis ætatibus non expertem testimonij seipsi reliquisse. Et quod ex tota rerum natura, præsertim autẽ ex mente humana, & discrimine honestorum & turpium, & pœnis sceleratorum, non modò quòd sit Deus, sed etiã quæ sit aliquatenus potest colligi : idcoque multa ab Ethnicis & aliis verè de vnitate & natura Dei dicta reperiuntur.* Verùm ad hæc respondemus : esse quidem vera aliqua de Deo patefacta etiam extra verbum Ecclesiæ traditum : sed ex iis tamen, quis sit verus Deus, ostẽdi non posse, duplici de causa. *Primùm enim, ipsa illa per se non sufficiunt.* siquidem, vt verus Deus agnoscatur, nõ aliqua tantũ, sed omnia quę de se ille patefecit, sciri vult, agnoscere ac profiteri nos oportet. Deinde *hæc ipsa etiam Vera, quæ restant in mentibus & in naturæ de Deo testimonia, omnes qui lucem & interpretationem eorum ex verbo Dei Ecclesiæ tradito petitam, in his cõsideratis non sequũtur, pro innata sibi cæcitate ac prauitate multipliciter corrũpunt,* dum nimirum ex his etiã quæ natura duce poterant intelligi, multa non agnoscunt, multa de suo affingunt, quæ cum natura & voluntate Dei commune nihil habent: quæ autem retinent ac verbis quidem profitẽtur, longè aliter ipsi accipiunt

quam

quàm á deo propoſita & in verbo declarata ſunt,& in Eccleſia intelliguntur : atque ita veras quidem de deo ſententias aſpicientes & ſonantes,falſas nihilominus in animo opiniones de ipſo concipiunt ac fouent. Hanc reſponſionem ipſe Paulus exprimit ad Rom.1.cùm addit:*Eos inexcuſabiles eſſe: propterea quòd cùm cognouerint Deum,non vt Deum glorificarunt,&c.*

Etſi autem Philoſophica ſapientia, qui ſit verus Deus,ideo mõſtrare non poteſt,quia de eſſentia,natura,voluntate & operibus eius, quantũ ſciri neceſſe eſt,& ex verbo dei ſolo diſcitur,nõ tradit, & variè ab hominibus deprauatur, adeo vt nulla extra Eccleſiã vera dei reſtet agnitio: nequaquam tamẽ has ob cauſas illa rerum naturæ vox de Deo, tanquam falſa repudiari,vel tanquã inutilis contemni debet. *Neq; enim illico per ſe falſum eſt, quod prauè ab hominibus intelligitur:neque ad omnia, neq; omnibus inutile,quod ad ſalutem æternam,reprobis nihil prodeſt.* Vult enim Deus etiam extra eccleſiam conſcientiæ ac pœnarum de ſua voluntate,ira,& iuſtitia teſtimoniis coercere petulantes,& ſecundùm illa regi vitam & mores hominum.Vult prauitatem humanam & ſuam iuſtitiam fieri magis cõſpicuam in puniendis illis,qui veritati patefactę contumaciter repugnãt : Vult naturalibus teſtimoniis imperfectionem horum arguẽte conſcientia,homines ad quęrendum in eccleſia verum deum excitari.ſicut dicitur Act.17.*Ideo in mundi theatro collocatos eſſe homines,vt quærant Deum,ſi forte palpent eum,& inueniant.* Vult etiam conuerſos ad ſe,conſenſu naturæ & verbi magis confirmari,vt oſtendit crebra teſtimoniorũ naturalium in ſcripturis allegatio. Deniq;vult conſiderata imperfectione naturalis notitiæ agnoſci hominum de Deo Ignorantiam, ac ſuã in verbo ſe patefacientis miſericordiã celebrari.

Vſus Philoſophiæ.

Deus definiri non poteſt, 1. *Quia immenſus eſt.* 2. *Quia eius eſſẽtia nobis ignota eſt.* Deſcribi tamẽ aliquo modo poteſt: quæ deſcriptio complectitur attributa

eius, Personas, & præcipua opera.

Sic igitur Deus describitur Theologicè. *Deus est essentia spiritualis, intelligens, æterna, infinita, alia à creaturis omnibus, incomprehensibilis, in seipsa perfectissima, immutabilis, immensæ potentiæ, sapientiæ, bonitatis, verax, iusta, casta, misericors, benefica, liberrima, irascens peccatis: quæ est pater æternus, qui Filium imaginem suam ab æterno genuit. & filius, qui est imago Patris coæterna: & spiritus sanctus procedens à patre & filio: sicut patefacta est diuinitus certo verbo tradito per prophetas, Christum, & Apostolos, ac diuinis testimoniis: quòd Pater æternus cum filio, & spiritu sancto cœlum & terram, & omnes creaturas creauerit, & adsit omnibus, vt eas regat & conseruet sua prouidentia, & bona omnia in nobis operetur: & quòd in genere humano sibi collegerit & colligat ecclesiã, per, & propter filium, vt agnoscatur, celebretur, & colatur ab hac vna in hac & futura vita: & sit iudex iustorum & iniustorum.*

Philosophicè, *Deus est mens æterna, sibi ad fœlicitatem sufficiens, optima, & causa boni in natura.*

Differt descriptio Dei theologica, quam tradit Ecclesia, ab illa descriptione philosophica, 1. *perfectione.* Nam Ecclesia in sua descriptione addit partes naturæ ignotas, vt de tribus personis: deinde notas naturæ, dilucidiùs explicat. 2. *Fructu,* quia naturali lucè ad veram Dei cognitionem homines duci nequeunt, cùm inde non sit vera notitia, nec mentes ad pietatem ex ea promoueantur.

Explicatio defin. Dei.

Deus est essentia) hoc est res, quæ á nullo alio sit orta, vel sustentetur: sed à se, & per se ipsam existat, & omnibus rebus sit existendi modus.

Ioan. 1. 18.

Spiritualis) 1. *Quia incorporeus.* 2. *Inuisibilis:* Id quod docet 1. *Experientia,* 2. *Qualitates,* obiecta nempe sensuũ, quæ nõ sunt in deo. 3. *Immensitas dei.* oculus enim finitum duntaxat percipit, *Deum nemo nouit vnquam.*

Ob. 1. Contra hanc sententiam olim à quibusdam producta sunt multa scripturę loca, in quibus *Deus & angelos apparuisse scribitur, vt probarent, eorũ natura*

esse corpoream visibilem. At sciendum est nequaquam ipsas Dei & angelorum substantias, sed imagines & corpora creata, esse ab hominibus conspecta, voluntate & vi dei vel angelorum facta, gestata & mota, vt iis præsentiam suam testarentur, eorumque ministerio, de quibus volebant homines edocerent, Erãtq; hęc aliquando vera corpora, aliquando imaginatione sensibus hominũ interioribus obiecta: id quod alias potest, alias non potest, ex narrationum circũstantiis deprehendi: vt Abrahamo & Loto apparentes Angeli, erant veris corporibus vestiti, cùm ea tangi & tractari possent: Micha coram Achabo Dominum & angelos corporis an mẽtis oculis viderit, ambiguum est. Non autẽ fuisse species illas visibiles ipsam Dei substantiam, inde constat, quòd magno consensu Scriptura docet, *Deum à nullo hominum esse visum, neque videri posse, & incomprehensibilem esse atque immutabilem.* 1.Tim.6.

*Ob.*2. Adhæc afferebant quod dicitur, *à Iacobo visum esse Deum facie ad faciem*, Gen.32. *& à Mose*, Exod. 33. & Deut.34. *& à toto populo*, Deut.5. *Et nos omnes visuros Deum facie ad faciem in cœlesti vita*, 1.Cor.13. Qua metaphora significatur clara & illustris Dei patefactio & agnitio, quæ non corporis, sed mentis oculis percipitur, earum rerũ ministerio, quæ sensibus corporeis offeruntur. Etsi autem in vita æterna erit agnitio Dei longè quàm nunc illustrior: tamen perfectissimè Deum agnoscere, solius Dei est, vt dicitur Ioan.6. *Non quòd Patrem quisquam viderit, nisi is qui est à Deo, hic vidit Patrem*: tantùm abest, vt intuisibilis & infinita perpetuò manens diuinitas, oculis corporeis vnquam possit capi, quorum natura est, non nisi finita & circumscripta obiecta percipere.

Ob.3. Allegarunt etiam dicta, *quibus tribuuntur deo membra humani corporis*, Verùm & ista per metaphoram de Deo dicuntur, qua significatur in deo vis nobis incomprehensibili modo efficiens opera, quorũ

ſunt vmbra quædã actiones iſtę, quas homines mẽbrorũ ſuorũ miniſterio perficiunt: vt oculi & aures, ſapientiam dei, qua omnia intelligit: os, patefactionẽ verbi: facies, declarationẽ, ſigna, & ſenſum bonitatis & gratiæ, vel ſeueritatis & iræ diuinę; manus & brachia, potentiam: pedes, præſentiam Dei ſignificant.

Ob. Dixerunt item, *Quia homo ad imaginem Dei ſit conditus, Deum humana figura eſſe præditum*: non animaduertentes, imaginem Dei non in figura corporis conſiſtere, ſed in ſapientia, iuſtitia & ſanctitate vera, Eph. 4. Cùm autem Tertull. *Deum Corpus eſſe contendit*, eum impropriè loqui & abuti vocabulo corporis, pro ſubſtantia, non ſolùm Auguſtinus teſtatur, in Epiſtola ad Quodvultdeum, ſed illud etiam eſt argumentum, quòd animos quoque & angelos corpora ſæpè nominat.

Spiritualem itaque Dei naturam eſſe, ideo nos doceri ſciamus, *ne quid craſſum, terrenum, carnale, & maieſtate diuina indignum de deo cogitemus: ne ſenſibus corporis eum percipi, aut cogitatione formari poſſe putemus, ſed ex verbo & operibus naturam eius æſtimemus: ne vlla effigie corporea eum repræſentare audeamus: ac denique, vt non geſtibus aut rebus corporeis, ſed mẽte & ſpirituali motu cordis eum colendum eſſe meminerimus.* Poſtremò *cùm ipſe ſolus temporalem atque æternam vitam nobis inſpiret, vtramq; ipſi acceptam feramus*: ex hoc ſolo fonte eam petamus & ad gloriam ipſius referre totam ſtudeamus:

Rom. 14.

Intelligens) Neque enim cauſa efficiens & conſeruans naturas intelligentes, ipſumque intellectum & ordinem in natura, poteſt nõ eſſe intelligens. Ideoq; & ſcriptura ſic ratiocinatur, Pſal. 94. *An qui plantauit aurem, non audiet? an qui finxit oculum non videbit?* Tenere autem hoc oportet primùm, aduerſos eos, *qui naturam in locum Dei ſubſtituentes, mundum & rerũ in eo varietatem & ordinem, à materia & eius ad hanc formam inclinatione ortum eſſe fingunt*: cùm tamen à cauſa bruta hæc non potuerint exiſtere. Deinde *vt non ipſam*

modo veram cognitionem, sed omnem etiam intelligendi facultatem & sensuum ac mentis sagacitatem & perspicaciam solius Dei donum *esse agnoscamus.*

Æternitatem soli Deo talem competere, qua nec principium nec finem existendi habere vllum possit, & *natura ostendit*, quandoquidem ipse prima rerum omnium causa & infinitę perfectionis ac potentiæ est: & *Scriptura tradit*: vt Psal. 90. *Priusquam montes nascerentur & formares terram & orbem, & ab æterno & vsque in æternum tu es Deus.* Sed nobis obseruandum est, non ideo tantùm ita frequenter Dei æternitatem in scripturis inculcari, vt hoc nomine à rebus creatis ipse discernatur: sed *etiam quia nobis æternitatem communicare vult*, hoc est, æterna sua bonitate & prouidentia, æterna bona daturum, & continuam in omnem æternitatem vsque nostri curam habiturum se decreuit & pollicitus est, & regnum habere vult in angelis & hominibus, cuius non erit finis. Idcirco Deum, nobis æternum esse admonemur, *vt beatitudinis æternæ certam spem in ipsius æternitatę fundatam, vitæ mortalis breuitati & rerum humanarum fragilitati opponamus.* Cùm enim ipse sit æternus; potest, & cùm promittat, vult nos tutela sua perpetuò fouere. Psal. 48. *Quoniam hic Deus, Deus noster in seculum & vltra.* Et Ps. 3. *Mandauit in æternam fœdus suum.* Hac igitur consolatione suffulti, *nec breuem huius vitæ miseriam recusemus ferre, nec breuem eius fœlicitatem æternis bonis præferamus: cúmque non tantùm beneficus erga pios, sed iudex etiam impiorum Deus in æternum esse velit, cogitatio æternæ iræ Dei nos in timore Dei contineat, ne caducam cuiuscunque boni speciem æterna miseria velimus emere.*

Alium esse Deum à creaturis omnibus tenendum est: primò aduersus philosophos, *qui mundum seu naturam ipsam Deum esse volunt*, hoc est, vel materiam, vel vim seu mętem aliquam corporibus mundi infusam, permixtam & alligatam, eaque sustentantem ac cientem, vt omnia sustentat ac mouet corpus hominis.

Secundò aduersus eos, *qui creaturas siue omnes, siue aliquas ex ipsa Dei essentia seu tradvce, vt loquuntur, propagatas esse fingunt.* Tertiò, *vt excludatur omnis prophana, indigna et idololatrica de Deo cogitatio, qua similis vlli creaturæ Deus effingatur.* Nam longissimè aliã esse Dei, quàm creaturarum omnium essentiam, & natura & verbum Dei ostendit, *cùm Deum sapientem & mundi creatorem esse docet: mundus autem partes multas habeat brutas: & ipse sibi creator esse nequeat*: ostendit etiam non ex Dei substantia res deriuatas esse, *cùm illa sit immutabilis & incorruptibilis:* ac denique dissimilimam esse diuinitatem omnibus rebus creatis, *cùm naturæ finitæ & infinitæ similitudo neque esse neque cogitari possit.*

Cùm igitur scriptura dicit, *Omnia ex Deo esse*: nequaquam intelligit omnia Deum, vel Dei essentiam, vel ex ea propagata esse. Non enim ex Deo tanquam genitæ aut procedentes, *Sicut Sermo & spiritus Dei æternus*, sed tanquam creatæ, hoc est, ex nihilo factæ sunt omnes aliæ res.

Cùm *animus hominis, cœlestis ac diuinus nominatur*, non ex Dei essentia propagatus esse dicitur, neque ex cœlo demissus: similis cœlestium spirituum, hoc est: cœlestibus ac diuinis facultatibus ac donis ornatus, quæ etsi sunt vmbra quædam diuinæ naturæ: tamen qualitates sunt ad diuinæ mentis archetypum à Deo in angelis & hominibus creatæ. Cùm autem *electi & sancti ex Deo esse, ex Deo eiusq; Spiritu nati, & filij Dei & spirituales dicuntur*: neque hoc de essentiæ propagatione, sed de proprietatum similitudine, siue imagine Dei accipitur, ad quam Spiritu Dei reformantur. Cùm etiam Paulus, *eum qui adhæret Domino, vnum fieri cum ipso spiritum*, & Petrus *diuinæ naturæ consortes nos aut fieri*: primùm in nobis per gratiam habitare, nobisque copulari Dei Spiritum docemur: Secundò *conformitatem cum Deo* in nobis iam quidem inchoari, in vita verò æterna perficiendam esse.

Atque adeò *cùm ipse Christus Deus esse & corpus diui-*

mem habere dicitur: non mutatio diuinæ naturæ in humanam, vel humanæ in diuinam docetur, ſed duarũ naturarum ſuas proprietates diſtinctas retinentium in vnam perſonam inſeparabilis cõiunctio,& naturæ humanæ glorificatio, quæ rerum quidem omnium dominatrici, ſed tamen creatæ naturæ competit.

Incomprehenſibilis) Primùm ſciri vult, ſe cogitatione *vllius creaturæ comprehendi adeò non poſſe*, vt quæ ſibi tribuit in verbo ſuo, quantacunque à nobis cogitentur,ſemper tamen longiſſimè ſint maiora. Vis enim intelligendi finita naturæ infinitæ ideam nequit cõplecti.Secundò *etiam loco ſeu ſpacio ſeu terminis comprehendi aut circumſcribi diuinitas non poteſt*. Neque enim *infinitam potentiam in eſſentia ſeu natura finita* & circumſcripta contineri, neque vim ſeu virtutem Diuinitatis in infinitum & ante & poſt mundum conditum perpetuò diffuſam, alicubi ſiue in nulla, ſiue in alia quàm in ipſa Dei ſubſtantia exiſtere poſſe,etiam philoſophi intelligentes Deum eſſe infinitum,ſunt confeſſi. Neque tamen cogitandum eſt, *ita extenſam eſſe diuinitatis ſubſtantiam, vt alibi alia eius pars exiſtat vel in multiplicatã, vt alibi ſit alia: ſed cùm infinita ſit, eam vbique eſſe, & cùm in partes diuidi, tanquam immenſa et perfectiſſima non poſſit, vbique totam, cúmque non niſi vna ſit, vbique eandem eſſe, ita vt à nullo penetretur neque comprehendatur, ipſa verò penetret & comprehendat vniuerſa. Ierem.23. An non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus?* Præterea *non ſolùm potentiam, ſed eſſentiam quoque Diuinitatis infinitam eſſe*, vel hinc certiſſimè conſtat, quòd Pater æternus,quemadmodum eſt perpetuò,ſic eo tempore quo Chriſtus in terra degebat,in cœlo erat. Sermo autem ſeu Filius Patris coæternus in corpore ſuo exiſtebat in terra: & tamen quia vna eſt atque eadem Patris & Filij eſſentia, & Pater cum Filio in terra, & filius cum patre in cœlis erat,ſicut inquit ipſe Ioan.16. *Pater mecum eſt*: & Ioan.3. *Filius hominis qui eſt in cœlo*: & Ioan.14.*Ego in patre ſum, & Pater in me.*

Diuinitas vbiq; eſt, tota & eadem.

Sic

Sic ſpiritus ſanctus revera erat præſens in ſpecie columbæ & flammæ, in baptiſmo Chriſti & in Pentecoſte: & nunc in nobis tanquam in templo habitat: Et
Ioan. 14. tamen perpetuò cum Patre & filio in cœlis eſt, ſicut pater & Filius cum ipſo in omnib. ſanctis, qui per cœlum & terram ſparſi ſunt: Atque hinc *tertium diſcrimen apparet naturæ infinitæ & finitæ*, ſeu tertia ratio, tantùm in verbo Dei patefacta, qua *Eſſentia diuina eſt incomprehenſibilis*, videlicet, *communicatione*, dum tribus perſonis Diuinitatis tota ſic eſt communis, vt non tantùm in illis exiſtat, ſicut in creaturis, ſed etiam ipſa ſit earum ſubſtantia, & nihilominus tamen vna eademque maneat.

Eſſe vbique eſt Deo proprium.

Quòd autem *infinitum ſeu immenſum eſſe*, ſeu eodem tempore vbique, ſiue in diuerſis locis eundem exiſtere, ſit ſolius Diuinitatis propriuin, nec vlli creaturæ communicetur, his rationibus conſtat. Prima eſt, *quòd creaturam vllam creatori æqualem eſſe aut fieri, ſit impoſſibile*, ſicut ſæpe dictũ eſt: *Domine quis ſimilis tibi?* Secunda: *quòd Deus ipſe hac nota ſe diſcernit à creaturis*, cùm ſe illum eſſe dicens, *qui cœlum & terram implet*, nullum alium talem eſſe ſignificat. Tertia: *Quia Chriſtus ſuam diuinitatẽ hoc argumento oſtẽdit, quòd cùm in terra eſſet corpore, ſe tamen in cœlo eſſe affirmat.* Quarta: *Quia Sp. S. diuinitatem eodem argumento defenderunt pij doctores veteris Eccleſiæ:* vt Dydimus de S.S. lib. 1. ca. 1. *Ipſe S.S. vnus de creaturis eſſet, ſaltem circumſcriptam haberet ſubſtantiam, ſicut vniuerſa quæ facta ſunt. Nam etſi non circumſcribuntur loco inuiſibiles creaturæ: Tamen proprietas ſubſtãtiæ finiuntur. Spiritus autem ſanctus cùm in pluribus ſit non habet ſubſtantiam circumſcriptam.*

1. Habet omnia.

Eſt etiam Deus in ſeipſo perfectiſſimus. Primùm, *quia ſolus habet omnia quæ ad ſummam fœlicitatem & gloriam deſiderari poſſunt*, ita vt nulla ex parte quicquam ei poſſit accedere, quo maior aut melior aut fœlicior exiſtat: Omnes verò creaturæ tantùm partes & gradus bonorum diſtributos habent, naturæ ac loco ſuo congru-

congruentes, quem Creator singulis attribuit. Secundò, *quia felicitatis huius absolutissimæ nullam partem aliunde accipit, sed omnia in se & à seipso habet, sibique solus ad omnia sufficit:* ideoque nullius opera, vel auxilio, vel præsentia indiget, sed æque beatus fuit ab æterno, antequam vlla creatura existeret, quàm nunc est, mundo condito: Contrà verò creaturæ omnes adeo Dei bonitati ac præsentia indigent, vt sine illa non tantùm nulla ex parte bene rectèque habere, sed ne subsistere quidem ad momentum possint. Tertiò, *quia non sibi tantùm, sed omnibus etiam & singulis creaturis condendis, seruandis, regendis atque ornandis ita sufficit, vt solus vniuersis bona omnia ipsis necessaria & congruentia, tam æterna ac cœlestia, quàm temporaria ac terrena suppeditet, nec tamen vel minimum ipsius potentiæ aut felicitati propterea decedat.* Omnes autem creaturæ non tantùm aliis aliæ prodesse non plus possunt quàm Deus per illas tanquam suæ bonitatis organa operatur, sed ne ipsæ quidem boni in se habere possunt vel minimum, nisi quod à solo Deo, tanquam vnico bonitatis & fœlicitatis fonte hauserint. *Solus autem omnib. omnia largitur*, quia omnium bonorũ in natura necesse est vnam aliquã primã esse causam: *omnia habet in potestate*, quia nisi haberet, aliis dare non posset. *A se verò nisi haberet*, primus omnium bonorum fons non esset.

2. A seipso.

3. Sufficit omnibus aliis.

Ob. 1. Quòd *propter se ipsum dicitur omnia fecisse*, non propter se iuuandum vel augendum re vlla, sed propter se communicandum potius & patefaciendum creaturis fecit, cùm hæc natura bona sit, vt non tantùm se conseruet, sed aliis etiam se communicet.

Ob. 2. Quòd *creaturis in operibus suis perficiendis vtitur*, non coactus aliqua necessitate vel impotentia, sed pro liberrima voluntate & bonitate sua facit, vt ostendat se vtroq; modo, & sine illis, & per illas posse quæcunq; vult efficere: se omnium rerum & iure & potestate esse Dominum, posseque omnibus vti pro arbitrio; seque hoc etiam summo & gratuito honore

creaturas

creaturas ſuas dignari, vt eas beneficentiæ ſuæ organa & operum diuinorum ſocias, atque (vt Paulus loquitur 1. Cor. 4.) adminiſtras faciat

Porrò *quòd obedientiam, cultum, honorem, ſacrificia Deo præſtare, exhibere & offerre, ac dare quod ipſius eſt, iubemur*, eo non quid accedat Deo, ſed quid in nobis boni eſſe debeat, docetur. Sicut enim inobedientia & contumelia Dei, non Deum, ſed creaturam facit miſeriorem, ſic obedientia erga Deum, quæ eſt cum lege & mente diuina conformitas, non Dei, ſed creaturæ rationalis bonum & beatitudo eſt. Hæc verò tribui vel adimi Deo dicitur, non quòd Deus indigeat vel iuuetur, ſed quia homines eam debent erga Deum præſtare ordine iuſtitiæ, vt Pſa. 50. *Non accipiam è domo tua iuuencum, nec de ſeptis tuis hircos.* Et Luc. 17. *Cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, Serui inutiles ſumus.*

Quòd ſi quis dicat, *gloriam ſpectare tamen ad illius felicitatem & perfectionem, cui tribuitur*: tenendum eſt, *gloriam Dei aliâs ſignificare virtutes in ipſo Deo exiſtentes* & opera diuina, eorumque intuitum & approbationem in Deo. Atque ſic illi à nemine dari gloria, neq; minui, augeri-ve poteſt, ſed eadem in ipſo fuit & manet ſemper: iuxta dictum: *Glorifica me Pater gloria, quã habui apud te, antequam mundus fieret.* Aliâs verò ſignificat *agnitionem & celebrationem bonitatis & operum Dei*, quę non in Deo, ſed in creaturis rationalib. eſt: ideoq; minor & maior poteſt fieri, & amplificata vel imminuta, non Dei, ſed creaturæ bonitatem, fœlicitatem & perfectionem auget vel imminuit.

Ioan. 17.

Sin autem & *hanc ipſam celebrationem & obedientiam dixerit quiſpiam prodeſſe illi cui præſtatur*: hoc de creaturis vt concedamus, nimirum quæ mutuis officiis iuuari & ornari poſſunt: in Deum tamen minimè quadrabit, cùm huic neq; commodare neq; incommodare quiſquam poſſit, & vera Dei agnitio & celebratio, quemadmodum tota cum ipſo conformitas, non illius, ſed creaturæ ſit fœlicitas, & perfectio.

Quia

Quòd verò debetur Deo obedientia, id non fit, quia ipse hac indigeat, vel ei quicquam per eam accedat, sed ratione iustitiæ. Debemus enim Deo obedientiam, non quòd ipse à sua, sed quòd nos à perfectione nostra excidamus, hoc est quales esse nos oportebat, non simus, si illam non præstemus.

Postremò si quis vrgeat, *eum qui afficitur lætitia, bonî aliquid percipere ex rebus iis quibus lætatur: ideoque ad Deum ex nostra obedientia & salute, cùm ea se lætari pronuntiet, fructum omnino aliquem redire:* concedimus sanè in hominibus lętitiã & similes motus obiectis excitari: at lætitiæ, quæ in deo est, causam esse nostras virtutes, non oportet existimare. Nam ideo rectum aliquid ac bonum censetur, quia voluntati & naturæ diuinæ congruit: & quia Deus ab æterno delectatur sua bonitate & rectitudine, & rebus cum ea congruentibus, ideo tales creat, & in hominibus operatur: eademq; approbatio æterna, quæ fuit causa cur Deus res bonas crearet, causa est etiam cur iam creatas foueat & conseruet.

Immutabilem porrò cũ se Deus esse pronuntiat, se talem perpetuò fore docet, qualis ab omni æternitate fuit, ita vt nec essentia ipsius, & quicquid illi est proprium, augeri minuive, nec natura & voluntas mutari possit, nec ipse de loco in locum se transferre necesse habeat. Id rationibus adducti fatentur etiã Philosophi. Primò enim, *quicquid mutatur, id vel externam aliquam causam, vel inter se subsistens motus & mutationis principium, vel vtrumque habeat necesse est. A nulla autem re extra ipsum existente moueri Deus, mutarive potest:* sic enim ipse primus motor & effector omnium bonorũ in natura non esset. *Ab interno etiam principio mutationem aut motum suscipere non potest.* Quodcunque enim sic mouetur aut mutatur, in eo partes vt sint necesse est, quarum aliæ moueant, aliæ moueantur. Deum verò in partes distribui, neque immensitas ipsius patitur, neque summa perfectio. Quippe cùm pars omnis

nis toto sit imperfectior, in Deo autem nihil sit non perfectissimum: partes in eo cogitare nefas est. Secundò, *Quicquid mutatur, id necesse est aut in deterius, aut in melius, aut in æqualem priori statum commutari. Deteriorem autem fieri Deum* est impossibile: quia sic imperfectus ex perfecto fieret. *Meliorem etiam fieri est impossibile.* Sic enim prius imperfectior fuisset. *Sed ne in parem quidem conditionem ac statum transire potest*, ita vt aliquid boni quod antea habuerit, deponat, & aliquid quod antea non habuerit assumat: sic enim neq; ante neque post mutationem esset perfectissimus, aliqua nimirũ parte bonorum, quæ ipsi conueniebant, destitutus. Tertiò, *id quod infinitum est, neque maius potest fieri*: sic enim infinitum priùs non fuisset: *neque minus*, sic enim finitum efficeretur. Cùm igitur & essentia, & potentia & sapientia, & omnes virtutes diuinæ sint incomprehensibiles, nec minui, nec augeri quicquam istorum potest. Quartò, eadem de causa *Deus de loco in locum, vt creaturę, se nõ transfert*, cùm propter immensitatem suam, qua cælum & terram replet, neque discedere ab aliquo loco neque abesse possit. Quintò *cum sit sapientissimus, ideoque ab æterno vniuersa deliberata, decreta & præuisa habeat quàm optimè, consilii aut voluntatis mutatio in eum non potest cadere.* Ideoq; naturam & voluntatem suam nullis mutationibus obnoxiam esse, tanquam quod gloriæ suæ plurimum interfit, multis in locis sacræ Scripturæ Deus inculcatũ nobis voluit, vt Num. 23. *Non est Deus quasi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur. Dixit ergo, & non faciet? locutus est, & non implebit?* Ps. 33. *Consilii Domini in æternum stat, cogitationes cordis eius in generationẽ & generationem.* Iacob. 1. *Apud quẽ non est transmutatio aut conuersionis obũbratio.*

Obiect. 1. *Atqui Deus pœnitere dicitur. Resp.* Dicitur pœnitere, non quòd voluntatem mutet: sed 1. *quia peccata detestatur, & perditione hominum non delectatur.* 2. *Quia propter hoc odium & hanc misericordiam facit mutationem rerum & euentuum, seu factorum suorum, quæ ab*

æterno

æterno fieri decreuit. Dicitur autem propterea pœnitere per anthropopatheian: ſicut & peccatis iraſci. Inter homines enim quæuis mutatio eſt eius correctio quod diſplicet. Correctio oritur ex pœnitentia. Significatur ergo per *Pœnitentiæ* nomen, quod Deus in ſuis operibus mutat. Interim nulla eſt in Deo conſilii aut voluntatis mutatio. *Decretum enim Dei firmum & immutabile ſemper permanet. Ob. 2. Atqui promiſſiones & cõminationes ſæpe non implentur. Reſp.* Promiſſiones ſemper intelligendæ ſunt cum exceptione crucis, ſiue cum conditione perſeuerantiæ in peccatis. *Obiect. 3. Atqui iſtæ conditiones ſunt incertæ & mutabiles. Reſp.* Reſpectu naturæ, vel iudicii humani, ſunt mutabiles: ſed reſpectu conſilii diuini, ac diuinæ prouidentiæ, ſunt immutabiles, & certiſſimæ. Nam ab æterno Deus decreuit, cui vellet dare conuerſionem. *Obiect. 4. Atqui multæ mutationes à Deo fieri iubentur, vt mutatio politiæ Moſaicæ. Reſp* Ea Deus iubet mutare, quæ ipſe ab æterno decreuit ad tempus tantummodò duratura.

Deum itaque immutabilem eſſe, ſit apud nos extra omnem controuerſiam. Primò enim *eſt hoc inter præcipua diſcrimina, quibus creator ab omnib. creaturis diſcerni vult, quòd ſolus ipſe mutari nulla ratione poſſit, cùm aliæ res omnes & mutentur variè & ſolo Dei nutu mutari in infinitum queant,* vtcunque tantiſper, dum ipſe vult, firmæ & immutabiles ſint ac videantur, iuxta dictum, Matth. 24. *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* Secundò: *Hinc intelligimus ac certi ſumus, omnia in mundo gubernari æterna Dei prouidentia.* Cùm enim nulla in Deum cadat mutatio, neceſſe eſt omnia ipſius conſilia ab omni æternitate fuiſſe inita: Cùmq; & immutabiliter Deus vniuerſa præuideat, & conſilia diuina de rerum euentu & exitu certa & immutabilia ſint: neceſſe eſt etiam cauſas ſecundas & media ſiue antecedentia, ſine quibus euentus illi non erant ſequuturi, certa & immutabilia eſſe. Quia verò in rebus creatis & præſertim humanis, ſumma

ſumma eſt incertitudo & mutabilitas, neque alia eſt cauſa immutabilitatis quàm diuina voluntas: certum atq; immutabile de exitu & fine Deus nihil potuiſſet ſtatuere, niſi media etiam vniuerſa, quibus ad finem illum peruenitur; & quæ ad naturam ipſorum quod attinet, maximè ſunt incerta & mutabilia, ſuo conſilio, & decreto æterno certa & immutabilia reddidiſſet. Ideo dictum eſt Ieſ. 14. *Dominus exercituum decreuit, & quis poterit infirmare?* Tertiò, *vſus & vis omnis & patefactionum promiſſionum, minarum, & exemplorum bonitatis, potentiæ, iuſtitiæ, miſericordiæ & iræ diuinæ, veterum & recentium, ad nos docendos & conſolatione erigendos vel metu in officio ac timore dei continendos, ex immutabili natura Dei pendet.* Omnia enim illa tum demum nos afficiunt, cùm eandem Dei naturam & voluntatem quæ olim fuit, nunc etiam eſſe ac talem erga nos reſipiſcentes, aut in peccatis perſeuerantes eſſe ac fore cogitamus, qualem fuiſſe quondam & nunc eſſe erga alios videmus: Ac tum demum verè in diuinis promiſſionibus acquieſcimus, quando conſilium ipſius nunquam eſſe mutandum agnoſcimus. Quarto, *flectit hæc doctrina animos ad obedientiã & ſubiectionem in rebus petendis à Deo neceſſariam*, ne, videlicet, ea præſtari nobis vel aliis à Deo poſtulemus, quæ non facturum ſe iam antea nobis certò declarauit: Ea verò, de quibus, quid decretum habeat nobis nondum conſtare voluit, reuerenter ipſius arbitrio ſubiiciamus. Quintò, *immutabilitas diuinæ voluntatis eſt fundamentum ſpei & conſolationis piorum in hac vita.* Quia eſt abſurdiſſimum de Deo cogitare, quod nunc amet, nunc oderit eos, nunc vitam æternam nobis dare certò velit, aliquantò autem pòſt rurſus nolit: ideoque poſtquam ſemel vera fides & cõuerſio ad Deum in cordibus noſtris incoata eſt, ac Spiritus Dei teſtimonium perhibere cœpit ſpiritui noſtro, quòd Filii Dei & hæredes vitæ æternæ ſimus, vult Deus nos certò ſtatuere, quòd hanc ſuam voluntatem erga nos, vt ab æterno habuit, ita in æternum

ternum non sit mutaturus, sed in vitam æternam certò ex hac vita per omnes tentationes & pericula nos sit educturus, iuxta artic. *Credo vitam æternam.*

Omnipotentia Deo cùm tribuitur, primùm intelligitur, *ipsum omnia quæ vult, aut quæ, natura & maiestate sua permittente, posset velle, posse etiam efficere.* Secundò, *quòd omnia illa sine difficultate & labore, solo nutu & voluntate sua perficiat, aut perficere queat.* Tertiò, *quòd omnis operandi atque efficiendi vis & potentia adeo penes solum Deum sit, vt ne minima quidem sit vllius creaturæ facultas aut efficacia, nisi quam ille continuè largitur & conseruat suo arbitratu:* ideoque non otiosa, sed vniuersa creans, sustentans, mouens & gubernans Dei potentia nobis cogitanda est.

Etsi autem omnes Deum omnipotentem prædicant, duplex tamen discrimen est doctrinæ sacræ & Philosophicę de omnipotentia Dei. Primùm enim *sine doctrina Ecclesiæ tantùm agnoscunt homines potentiam Dei vniuersalem, qua mundum vniuersum creat, seruat & gubernat: sed ignorant eam, qua saluat homines & instaurat mundum per Filium, colligens & seruans æternam ecclesiã, & liberans eam à peccato & morte, & ornans vita & gloria æterna,* quibus operibus præcipuè suam potentiam Deus patefacit, sicut dicitur Hag. 2. *Adhuc modicum, & commouebo cælum & terram, & mare, & aridam.* Secundò, *nec de vniuersali quidem potentia dei quod satis est, profitentur.* Etsi. n. Deum auctorem & conseruatorem mundi esse, coguntur fateri: tamen omnia ex nihilo esse creata solo Dei verbo, non possunt affirmare: & quia causam peccati & confusionis ignorant, non possunt statuere vniuersa sic administrari & regi omnipotentia Dei, vt bona omnia fiant diuinæ voluntatis efficacia sed multa casui, fortunæ, & humanæ sapientiæ, aut virtuti tribuunt, atque ita otiosam in his Dei potentiam fingunt.

Discrimen philosophiæ & Ecclesiæ.

Porrò quod neque peccare aut peccatum velle & approbare, neque mutari aut minui, neque pati aliquid, negs; facta

Deus non potest, quæ sunt impotentiæ aut potentiæ imperfectæ.

infectare reddere, neq; contradictoria velle, neque alium Deum sive naturam aliquam ipsi parem creare, neq; sensib. corporeis percipi, aut alia creata aut finitæ naturæ propria facere, aut, in se recipere Deus potest: id potentiam eius non minuit aut labefactat, sed amplificat potius & confirmat. Nam illa demum potentia est summa & perfectissima, quæ nec destrui, nec debilitari, nec minui potest; idq; non sustentante alio, sed sua ipsius natura. Contrà verò corrumpi & infirmari posse, imbecillitatis & imperfectionis est.

Immensæ sapientiæ) Vt autem rectè & cùm fructu agnoscamus dei potentiam, necesse est eam nõ nisi cum Sapientia & bonitate immensa coniunctam cogitare quæ illam moderetur. Porrò de sapientia diuina primùm discimus, *quòd Deus seipsum ac totum suæ mentis ordinem in rerum natura & in verbo suo patefactum, quæq; cum eo congruunt & non congruunt, & omnia sua, & creaturarum omnium opera, præterita, præsentia & futura, & omnes omnium causas ac circumstantias perpetuò perfectissimè intelligit atq; intuetur modo admirabili, & nobis incognito.* Deinde verò, *quòd omnes angeli & homines diuinarum & humanarum rerũ non plus cognitionis habent, quam Deus in ipsorũm mentib. efficit & seruat.* Nam inter alia ordo pulcherrimus in rerum natura: fines & vsus omnium rerum: futurorum euentuum significationes artes & doctrinæ: euersio consiliorum quæ à diabolo & malis hominib. astutissimè aduersus Deum & omnes bonos cogitata sunt, omnes homines fatentur cogunt, hæc non nisi a sapientissimo artifice & auctore proficisci potuisse. Ideoque & ipsa scriptura lucenter Dei sapientiam in his ipsius operib. considerare iubet. vt Eccles. 3. *Omnia fecit bona in tempore suo.* Isa. *Quis sicut ego, qui narret quòd præteriit, annuntietque ordinet illud mihi.* Dan. 2. *Sapientia & fortitudo eius est. ipse dat sapientiam sapientibus, & scientiam, scientibus intelligentiam.* Iob. 5. & 1. Cor. 3. *Qui capit sapientes per astutiam ipsorum.* Atque ex his immensam esse Dei sapientiam

entiam concludit. vt Psalm. 147. *Sapientiæ eius non est numerus.* Rom. 11. *O profunditas diuitiarum & sapientiæ & cognitionis Dei!* Sed hîc rursus tenendum est philosophiæ & verbi Dei discrimen. Primùm *quòd etiam in creatione patefacta, siue legalis sapientia in hominibus obscurata & mutilata est per peccatum*, ideoque renouatione, per verbum Ecclesiæ traditum, indiget. Deinde *quod præcipuam illam Dei sapientiam in Euangelio patefactam, qua saluat Ecclesiam ex genere humano per Filium collectam prorsus ignorant homines absque doctrina cœlesti.* Sicut dicitur. Mat. 11. *Gratias ago tibi Pater. quòd abscondisti hæc à sapientibus huius seculi & patefeciſti ea parvulis.*

Discrimen philosophiæ & Ecclesiæ.

Bonitas Dei *aliâs beneficentiam*, vt Psal. 106. *Confitemini Domino, quoniam bonus*. aliâs *omnes virtutes, & omnia quæ de natura Dei dicuntur*, significat: vt Psalm. 14. *Spiritus tuus bonus deducat me per iter rectum.* Id quod & *sanctitatis* nomine intelligitur, *& lucis* 1. Ioan. 1. Ita hoc loco primùm *bonitatis nomine intelliguntur omnia quæ deo in verbo ipsius attribuuntur, & quæ in Angelis & hominibus nominantur bona*, vt vita, potentia, sapientia, lætitia, iustitia, &c. Talis enim est natura Dei, qualem in Lege & Euangelio se patefecit, & bonitas creaturæ rationalis diuinæ bonitatis imago est. Ideoque hîc etiam differunt philosophia & Scriptura, quòd illa tantùm legalem bonitatem, & nec eam quidem integram, Deo tribuit: Euang. verò prorsus ignorat. 2. *Propter immensum discrimen Creatoris & Creaturæ, intelligimus ea demum bona in Deo esse, quæ diuinæ naturæ & maiestati congruunt.* Nam quæ naturæ creatæ propria sunt, in Deo non essent bona, sed potius bonitatis immutatio. 3. *Propter immensitatem naturæ diuinæ quæ finita sunt in creaturis, in Deo sunt immensa.* Ideoque aduersus varias Philosoph. de summo bono disputationes discimus in Eccle. *Deum esse summum bonum.* 4. *Quia nihil est in Deo imperfectum, aut non per se subsistens, omnia quæ ipsi attribuuntur nequaquam in eo sunt sicut formæ*

vel accidentia in creaturis: sed talis est ipsius essentia & natura, modo cognitionibus nostris incomprehensibili. 5. *Ipsius natura & voluntas est regula bonitatis & rectitudinis in creaturis.* Eatenus enim res sunt & dicuntur bonæ, quatenus cum Dei voluntate congruunt. 6. *Deus est vnicus fons bonitatis, & prima causa omnium bonorum*: ita vt res omnes tantum habeant bonitatis, quantum Deus in illis creat & seruat. Atque hoc sensu dicitur Luc. 18. *Nemo bonus nisi solus Deus*, ita nimirum vt sit perfectissimè bonus, & fons bonitatis.

Iustitia Dei aliquando in scriptura *significat eam quæ coram ipso censetur iustitia, & qua nos iustos facit: eamque aliâs legalem:* quæ est vitæ sanctitas, seu cum lege diuina conformitas, quam Deus in nobis efficit suo Spiritu, inchoata in hac vita, & perficienda in altera, vt Iacob. 1. *Ira viri Iustitiam Dei non operatur*. Aliâs *Euangelicam*, quæ est iustitia Christi, credentibus ex gratuita misericordia à Deo imputata, vt Rom. 3. *Nunc verò absque Lege iustitia dei manifestata est, comprobata testimonio Legis & Prophetarum, iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes credentes.* Aliâs verò *iustitia intelligitur qua ipse iustus est:* ac tum etiam multis in locis *significat fidem seu clementiam & benignitatem dei*, qui iuxta promissiones suas seruat, tuetur & liberat fideles, vt Ps. 31. *In iustitia tua libera me.* Cùm autem propriè dicitur *de iustitia Dei, qua ipse Iustus est*, vt hoc loco; Primùm iustus nominatur vniuersali iustitia, quæ est ordo seu natura mentis & voluntatis diuinæ, qua deus immutabiliter & ineffabiliter talia vult & approbat, facit ipse & efficit in aliis, qualia in lege sua præcepit, & omnia quę cum hoc ordine pugnant, nec vult, nec probat, nec operatur, nec efficit, nec adiuuat, sed horribiliter odit atque detestatur, vt dicitur Ps. 10. *Iustus Dominus iustitias dilexit.* Secundò: *Iustitia particulari, quæ est immutabilis Dei voluntas*, qua sibi ipsi tribuit Deus, & ab aliis tribui vult eam gloriam, quæ summo bono debetur; quemadmodum inquit,

inquit, *Gloriam meam alteri non dabo* : & punit omne peccatum tali pœna quæ delicto sit æqualis, hoc est, æterna, vt in iis qui pereunt: aut æquiualente, vt in Filio suo Christo pœnam sustinente pro nobis, qui per eum seruamur iuxta doctrinam, *Non exibis inde, donec soluas extremum quadrantem*: & nulli creaturæ potest iniuriam facere, quicquid de ipsa statuat aut faciat, sicut dicitur Psal. 45. *Iustus Dominus in omnibus viis suis*. Et Act. 10. *Deus non est acceptor personarum*. Tertiò, *voluntas diuina est summa & perfectissima regula*, & vnica rectitudinis norma: Ideoque solus Deus sua natura nihil potest iniustum velle aut facere: creaturarum verò omnium voluntates & actiones eatenus iustæ sunt, quatenus diuinæ voluntati ab ipso Deo conformantur.

Etsi autem confitentur omnes, *Deum esse iustum*, quia *notitiam hanc de se, inter cetera Deus naturæ rationali impressit*: quia *summè bonus, ideoq; & summæ iustitiæ norma est*: quia *exemplis pœnarum & præmiorum testatur se odisse & punire iniusta & probare iusta*: quia *iudex mundi est, cuius est vniuersa iusto ordine componere & administrare*: Quia denique *nulli naturæ quicquam debet, sed creationis iure licet ei de omnibus quicquid libet facere, ac proinde nulli potest esse iniurius*, sicut dicitur Luc. 17. *cùm omnia feceritis, dicite serui inutiles sumus*. Ro. 11. *Quis prior dedit ei, vt retribuatur illi?* Mat. 20. *An non licet mihi facere quod volo in meis?* Tamen multũ abest, vt de iustitia Dei, sine doctrina Eccl. homines rectè sentiant: quia ne legis quidem, in qua Deus iustitiam suam patefecit, integram notitiam habent: & de pœnis peccatorum æternis nihil certi affirmare possunt: supplicium verò quod pro peccatis sustinuit Filius Dei, prorsus ignorant.

Discrimen philosophiæ & Ecclesiæ.

Præterea turbantur mentes hominum, vt dubitent, *an omnia iusto ordine à Deo gubernentur*. Primò, *cùm vident sæpe malis benè esse, bonis autem malè*. Atque huic obiectioni sola doctrina Eccl. respondere po-

test, quę ostendit Deum differre pœnas sceleratorum, & præmia bonorum in alteram vitam: inuitare malos lenitate sua ad pœnitentiam: probare & confirmare pios exercitijs calamitatum: punire & castigare propter peccata multos, qui humanis iudicijs insontes videntur. Secundò, cùm considerant, *Deum non efficere, ne vllum peccatum admittatur, cùm tamen facilimè possit: quin etiam peccata præcedentia peccatis sequentib. punire: res pro arbitrio ab alijs ad alios transferre, vt res Ægyptiorum ad Israelitas*, Exod. 12. *Hæc autem lege diuina nobis prohiberi: Deum aliqua contra legem suam velle & facere ipsis videtur.* Sed illa sunt legi & iustitiæ contraria si ab hominib. fiant: deo autem faciente sunt iustissima & optimè cum lege congruunt. Creaturæ n. sibi inuicē obligatæ sunt, vt altera alterius saluti vbicunq; potest, consulat: Deus verò nulli obligatus est. Tertiò, quidam *cum audiant Deum hominibus qui omnes natura æquales h. e. filij iræ sunt, dare inæqualia, dum alios conuertit & saluat, alios indurat & damnat, hac ratione dari acceptionem personarum tribui existimant* Verùm non animaduertunt isti, tunc iniustum esse æqualib. inæqualia dare, cùm merces debita persoluitur: Deum verò sua bona non ex debito, sed ex gratuita beneficentia dare hominib. Quartò videtur his responsionibus obstare, *quòd quæ secundùm iustitiam fiunt, ex debito fiant: bonis autem ordine iustitiæ, ideoque ex debito benefaciendum sit*. Sed hoc totum de creaturis verum est, de Deo non item, quia creator nulli obligatus est, vt creaturæ sunt: nec mereri de Deo creaturæ, vt dese inuicem quiquam possiunt. Itaque deus punit quidem ex iustitia: sed benefacit ex gratia & misericordia, iuxta dictum, *Cùm omnia feceritis, dicite, Serui inutiles sumus, quæ debuimus fecimus.* Quintò: quòd si vrgeat aliquis, *non tantùm homines, sed Deum etiam ordine iustitiæ obligari ad parcendum, & benefaciendum bonis, ex verbis Abrahami*, Genes. 18. *Nunquid disperdes iustum cum impio?* tenendum est, hanc obligationem non esse ex

merito

merito, vel iure aliquo, quod creatorem faciat creaturæ obnoxium, sed ex promissione & veritate diuina. Liberrimè enim & ex immensa bonitate, cùm nihil deberet cuiquam, editis promissionibus obligauit se Deus ad benefaciendum piis. Atq; hæc bonitas Dei & fides in seruandis promissionibus sæpe nominatur iustitia. Ideoque rectè dicitur non conuenire Deo, vt quenquam immerentem affligat: non quia iniuriam faceret cuiquam, etiam non peccantem destruens, sed quia misericordia & beneficentia ipsius, & veritas hoc non admittunt.

Veritatem suam Deus in Scriptura sic docet agnoscere: primùm, *quòd omnium rerum non nisi verissimam & certissimam notitiam in eo esse patitur infinita ipsius sapientia.* Heb. 4. *Nulla creatura est, quæ non manifesta sit in conspectu ipsius &c.* Secundò, *quòd nec statuit, nec vult, nec dicit contradictoria.* 2. Cor. 1. *Dei Filius Iesus Christus, qui inter vos per nos prædicatus est non fuit Etiam & Non, sed Etiam in ipso fuit.* Tertiò, *quòd nihil simulat, nec fallit quenquam, sed verè & seriò hæc est ipsius voluntas, quam nobis patefacit.* Rom. 3. *Sit Deus verax, omnis autem homo mendax.* Quartò, *quòd nunquam mutat sententiam.* Ps. 89. *Non profanabo fœdus meum, & quod egressum est de labiis meis, non mutabo.* Quintò, *quòd certissimè euenit, quicquid Deus euenturum asseuerat*, vt experientia testatur, & multa dicta, vt Matt. 24. *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Sextò, *quòd amator, & author, & cõseruator veritatis in creaturis rationalib. & hostis omnis mendacij, simulationis & hypocrisis.* Ideo Ioan. 14. 15. & 16. Spiritus sanctus nominatur *Spiritus veritatis, qui nos doceat omnem veritatem.* Prouerb. 12. *Abominatio sunt Domino labia mendacia, & in facientibus veritatem est beneplacitum eius.* Matt. 14. *Ponit partem eius cum hypocritis.*

Cùm igitur veritas Dei ex verbo & operibus eius æstimanda sit, etsi veracem esse Deum homines natura fatentur: tamen, in quibus consistat ipsius

veritas, ignorant. Dictum est enim Ioan. 17. *Sermo tuus est veritas.* & Psal. 89. *Veritas tua in Ecclesia sanctorum.* Nec finit peccatorum conscientia quenquam, qui Mediatorem Christum non agnoscit, fidem habere diuinis promissionibus. Nam, vt 2. Cor. 1. dicitur, *Quotquot sunt promissiones Dei, in ipso sunt Etiam & in ipso sunt Amen, ad Dei gloriam.*

Cæterùm *nihil simulauit Deus, siquando prædixit se facturum, quæ nunquam facere decreuerat.* Quæ enim minabatur, ea conditione euentura intelligebat, nisi conuersio hominum & preces interuenirent, & quæ promittebat, si resipiscerent, aut perseuerarent in pietate, aut cruce & castigatione non indigerent. Quòd verò Ezech. 14. dicit Deus, *Cùm propheta seductus fuerit & loquutus fuerit verbum, à se prophetam illum seductum esse*: eo non significat, se prophetiam illius animo inspirasse: sed pseudoprophetas iusto iudicio à se tradi seducendos Diabolo, vt 1. Reg. 22. dicitur Deus *dedisse Spiritum mendacem in ore omnium prophetarum Achab.*

Additur *& Castitatis mentio in descriptione Dei, quia Deus inter præcipua & illustrissima discrimina, quibus discernatur à Diabolis: vult esse veritatem & castitatem.* Sicut enim Deus verax agnosci & veritatem à nobis amari vult, vt quod sit, & qualis sit ipse, certò constet, & vera de ipso homines sentiant & loquantur, & per eius agnitionem vitæ æternæ sint participes: ita Diabolus omnia conatur complere mendaciis, vt & gloriam Dei obscuret, & per mendacia de Deo, genus humanum perdat. Vnde S. S. nominatur *Spiritus veritatis*: Diabolus autem *mendax & homicida ab initio & pater mendacij.* Ioan. 8. *Atque vt Deus & propter summam naturæ suæ puritatem, & quia amorem & coniunctionem coniugalem vult imaginem esse ineffabilis amoris, & spiritualis coniunctionis inter ipsum & Ecclesiam*, vt Eph. 5. Ezec. 16. Oseæ 2. videre est, ideoque sacrosanctam haberi inter homines, castitatis amator & author est, & *severissimè*

rissimè detestatur & pœnis omnem immunditiem internam & externam cum hoc ordine pugnantem, vt Sodomorum, tribus Beniamin, & alia omnium ætatum & gentium exempla testantur. Sic Diabolus & ob suam impuritatem, & quia quicquid maximè sanctum & venerabile Deus vult haberi, id ipsius odio maximè depraua-re ac turpissimè deformare studet, obscœnitate & fœditate totum genus humanum horribiliter polluere & à Deo auellere conatur. Ideo dictum est 1. Thes. 4. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis à fornicatione, & sciat vnusquisque vestrûm vas suum possidere in sanctificatione & honore, &c.*

Misericordiam seu propensam Dei voluntatem, ad creaturas suas & præcipuè genus humanum seruandum, his ferè gradibus patefactam Scriptura nobis proponit. Primò, *quòd omnium salute, nullius perditione delectetur*, Ezech. 33. *Viuo ego, dixit Dominus Deus, nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua & viuat.* Secundò *quòd differat, mitiget ac tollat pœnas, inuitans omnes sua tolerantia ad resipiscendum.* Hinc Exod. 34. & sæpe aliâs *tardus ad iram dicitur.* Tertiò, *quòd demittat se ad subleuandum nostram infirmitatem auxiliis internis & externis, vt spiritu, verbo, iuramentis, sacramentis, miraculis.* Quartò, *quòd singulari amore complectatur electos*, ita vt liberet illos in perpetuum à peccatis & omnibus malis, & consoletur etiam in afflictionibus Apocal. 7. & 21. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis ipsorum.* Iesa. 49. *Etiamsi mulier obliuiscatur infantis sui, ego tamen non obliuiscar tui.* Quintò, *quòd hanc liberationem voluerit etiã filij vnigeniti incarnatione & morte perficere.* Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Sextò, *quòd hæc omnia gratuita sua bonitate promittat & faciat.* Exod. 32. *Misereor cuius misereor, & clemens sum in quem clemens sum.* Iesa. 43. *Ego, Ego sum qui deluo præuaricationes tuas propter me &c.* Septimò, *quòd erga peccatores, non tantùm indignos, sed etiam hostes suos hæc facit.* Roma. 5. *cùm inimici essemus reconciliati sumus*

Gradus misericordiæ.

Deo

Deo per mortem filij eius. Coguntur autem Deo misericordiam tribuere saniores omnes etiam extra Ecclesiam, quia vident eum peccatoribus tam clementer parcere, vnde & Ierem. Thren. 3. dicit: *Misericordiæ Domini sunt, quòd non sumus consumpti, quia non defecerunt misericordiæ eius* Sed quia iustitiæ diuinæ perfectio, & peccatorum suorum conscientia non sinit eos firmam de misericordia Dei erga se persuasionem concipere: nec de saluatione hominum per Filij mortem quicquam sciunt; ideo neque constanter, neque integrè Dei misericordiam queunt agnoscere.

Obiect. 1. *Misericordia est dolor. Ergo dolor est in Deo. Resp.* Nomina affectuum, quando tribuuntur Deo per anthropopatheian, non significant passionem seu mutationem in Deo, sed ineffabilem vel auersationem, vel approbationem obiectorum. Dicitur ergo Deus misereri. 1. *Quia auersatur perditionem creaturæ.* 2. *Quia facit, quæ facere solent homines miserantes. Ob.* 1. *Videtur Deus interdum lætari vindicta. Resp.* Non vindicta lætatur, sed executione iustitiæ suæ. *Ob.* 3. *Videtur in quibusdam dictis non extendi misericordiam Dei ad impios. Resp* Hoc accipiendum de gradu misericordiæ, qua Electos complectitur. *Ob.* 4. *Non liberat omnes, quos potest. Resp.* Misericordia sic exercenda est, vt non impediatur Iustitia. *Ob. Non recipit in gratiam, nisi interposita morte filij. Resp.* Satisfactio & applicatio profecisse tur ex gratia.

Beneficus autem nominatur Deus, quia creat & gubernat vniuersa, fons est vnicus omnium bonorum, quæ omnibus creaturis etiam malis contingunt ex bonitate, amore & misericordia gratuita erga omnes creaturas, præsertim autem erga genus humanum, quod ad suam imaginem condidit, & cuius gratia res omnes alias creauit: & maximè erga Ecclesiam, cui se & voluntatem suam patefacit, & erga electos angelos & homines, quos per Filium suum donat vita

&

& gloria æterna. Quin etiam quibus iraſcitur & pœnas infligit, eorum non ſubſtantiæ ſiue naturæ ab ipſo conditæ, ſed prauitati, quę operi diuino aliunde acceſſit, iratus eſt.

Liberrimus etiam Deus ſolus eſt, quia ſolus naturâ talis eſt, vt neque culpa, neq; miſeria vlla in eum poſſit cadere: neque cogi ab vllo poſſit: neque obligatus cuiquam, neque gubernationi vel ductui alterius ſit obnoxius aut alligatus. Hîc autem præcipuè voluntatis, ſeu à coactione libertas conſideratur, quæ eſt facultas, qua Deus abſque vlla neceſſitate ab æterno decreuit vniuerſum ordinem creationis, conſeruationis & gubernationis rerum omnium, eumq; ſine vlla coactione aut alligatione ad alias cauſas exequitur, ſic tamen vt à rectitudine ſua non diſcedat. Teſtantur hoc miracula, & multa liberationum ac pœnarum exempla, & multa Script. loca, vt Pſal. 114. *Deus noſter in cælo, omnia quæcunque voluit fecit.* 2. Sam. 14. *Non eſt Domino difficile ſeruare per multos, aut per paucos.*

Ob. Sine quo non poſſunt agere cauſæ neceſſariò agentes, illud etiam agit neceſſariò. Sine prima cauſa, quæ eſt deus, non poſſunt agere cauſæ ſecundæ, quę neceſſariò agunt. Ergo etiam deus agit cum illis neceſſariò. Vera eſt maior de cauſis abſoluta neceſſitate agentibus: ſed falſa eſt de agentibus tantùm neceſſitate conſequentiæ. Porrò nulla cauſa ſecunda agit neceſſitate abſoluta, ſed tantum neceſſitate ex hypotheſi, nimirum, quia ſic libet Deo qui tamen poſſet eas aliter mouere, aut etiam omnino non mouere, ac ne quidem condere. Itaque omnes cauſæ ſecundæ ex prima, non autem primâ ex ſecundis vllo modo pendet. *Ob. 2. Quòd autem Deus immutabiliter bonus eſt*, id libertatem diuinæ voluntatis non minuit, ſed confirmat. Coactio enim, non autem naturæ immutabilitas cum libertate pugnat: ac tantò liberiùs voluntas eligit, quantò maiori ac firmiori impetu & motu ad obiectum fertur.

Ob. 3. obiicitur etiam *de euentib. ſingulis quòd deus tantũ optima*

optima potest velle: tantùm autem quæ ipse decreuit, sicut optima. Ergo non potest alia velle. Sed respondetur ad Minorem: Quæ decreuit Deus sunt optima, non ante, sed post decretum. cùm enim voluntas Dei sit norma rectitudinis, ideo res bonæ sunt, quia Deus illas vult. Ideoque si aliud voluisset, aliud fuisset optimum.

Præterea *quædam dicta videntur innuere, aliquando impediri posse à creaturis voluntatem Dei*, vt Ezech. 33. *Nolo mortem impij, &c.* Mat. 23. *Quoties volui congregare, & noluisti? &c.* Sed ea tantùm docent, quo Deus delectetur, & ad quid vocet, atque inuitet omnes homines: non autem quid in singulis sua misericordia & Spiritu suo constituerit perficere.

Denique iram Dei horribilem, qua detestatur & punit omnia peccata, etsi omnes impij tandem serò nimis experiuntur, cùm ruunt in æternam desperationem: tamen qualem Deus agnosci vult, ne cogitare quidem possunt qui sunt extra Ecclesiam, cùm neque omnia illa mala iudicent peccata esse, quæ Deus in Lege sua æternis cruciatibus se puniturum minatur: neque Filij Dei mortem & supplicium agnoscant, quo Deus nullum potuit maius iræ suæ aduersus peccata argumentum edere. Soli autem electi recta & salutari eius ex pœnis & comminationibus agnitione ad conuersionem & timorem Dei permouentur, iuxta dicta Psal. 90. *Quis cognoscit fortitudinem iræ tuæ?*

Ex hac descriptione sumendum est *discrimen inter verum & falsum Deum, & inter nostram Dei cognitionem, & Ethnicorum.* Discrimen hoc consistit, 1. *in attributis diuinis, quæ declarant naturam Dei.* 2. *In personis.* 3. *In operibus.*

1. *In attributis Deus differt à fictitiis diis*, quia extra Eccl. nullum attributum Dei rectè, & perfectè intelligitur: sed in sola Ecclesia doctrina de attributis Dei traditur integrè. In Ecclesia enim plena tribuitur Deo iustitia, veritas, bonitas, misericordia, philanthropia. Hæc attributa Dei aut corrumpunt aliæ sectæ,

sectæ, aut prorsus ignorant. Nullæ enim sciunt tantam esse iram Dei aduersus peccatum, vt propterea Deus debuerit mittere Filium suum vnigenitum ad nos redimendos. Sic neque veritatem Dei perfectè norunt: quia non agnoscunt promissiones. Neque sapientiam Dei, quæ est verbo Ecclesiæ tradito patefacta, quòd nimirum Deus potuit inuenire modum liberandi homines à morte sine violatione iustitiæ & veritatis diuinæ. Hanc sapientiam ignorant aliæ sectæ: quia carent verbo, quo solo vni Ecclesiæ hæc diuinitus reuelata est. Sic etiam, sola Ecclesia excepta, nullæ gentes aut sectę agnoscunt misericordiam & iustitiam quæ in opere Redemptionis potissimùm conspicitur. Ignorant enim Filium, doctrinam de Deo corrumpunt, neque credunt Deum ita accuratè omnia puniturum, vt in verbo minatur. Idem sentiendum est de reliquis attributis.

2. *Personis manifestè differt Deus à fictitiis diis.* Ethnici enim, & complures aliæ sectæ, non agnoscunt tres personas, sed vnam essentiam diuinam, & vnam personam constituunt. In Ecclesia creditur quidem vna essentia dei: sed etiam docetur huius vnius essentiæ diuinæ tres esse personas.

3. *Operibus differt Dominus à fictitiis diis*, quia extra Ecclesiam opera creationis ignorantur, ac multò magis opera redemptionis, ac sanctificationis. Ex his operibus Dei Attributa, & Personæ vnius essentiæ diuinæ patefiunt. Deus enim operibus declarauit se talem esse natura; qualis attributis describitur: & simul operibus ostendit esse in vna essentia tres personas: quin & secundùm opera (quæ sunt vel redemptionis, vel sanctificationis) Personæ cognominantur, & varia sibi Deus attributa tribuit. Hoc animaduertit Ecclesia in missione Spiritus Sancti, in humani generis redemptione, regeneratione, Sanctificatione & glorificatione. De his Ethnici, & plures aliæ sectæ, nihil prorsus intelligunt.

3. *Vnde*

3. *Vnde constet vnum esse Deum.*

Vnde multitudo Deorum.

ET si deus non minùs certò quòd vnus tantùm sit, quàm quid sit, initio generi humano patefecerat: fraude tamen Diaboli, Deum honore suo spoliare, seque pro Deo venditare, & genus humanum odio Dei perdere cupientis, & sua cæcitate ac malitia mundus à patefactionibus diuinis, & à doctrina primorum patrum deficiens, horribili furore multitudinem Deorum commentus est, partim creaturis, partim fictitiis numinib. diuinos honores deferens, ac verum Deum obliuioni tradens, aut alia numina volens cũ ipso coniungere. Cùm autem nulla sit maior obligatio, quàm creaturę ad Creatorẽ honore afficiendum, ideoq; nec scelus sit grauius, quàm gloriam Deo debitam obscurare, aut aliò transferre: Deus vt obuiam iret huic sacrilegio, vnam tantùm esse diuinam essentiam, æternam, infinitæ potentiæ, sapientiæ & bonitatis, rerum creatricem & gubernatricem, sæpè in verbo suo testatus est, atque inculcauit: vt Deut. 6. *Audi Israel, Dominus Deus noster Dominus vnus est.* Et cap. 32. *Videte nunc, quòd Ego, ego ille sum, & non est Deus mecum.* Iesa. 44. *Ego primus, & ego nouissimus, & præter me non est Deus.* Et cap. 45. *Ego Dominus, & non est vllus præterea: præter me non est Deus.* 1. Cor. 8. *Scimus quòd nihil sit Idolum in mundo, & quòd nullus sit Deus alius præter vnum.* Ephes. 4. *Vnus Dominus, vna fides, vnus baptismus, vnus Deus & pater omnium, qui super omnia & in omnibus nobis.*

Vnus est Deus.

Argumenta etiam non desunt, quibus rationis iudicium conuincitur, non plures quàm vnum esse verum Deum.

1. *Quia verus Deus vnum tantummodo se in Ecclesia patefecit miraculis, vaticiniis, & aliis rationibus, quæ à natura omnipotente proficiscuntur.* Psal. 86. 8. 10.

2. *Ab imperio. quia oportet illius maiorem esse authoritatem & maiestatem qui solus imperat vniuersis, & omnia solus gubernat, quàm qui socium gubernationis habet.* Di-

uina

nina verò maiestas tanta est, vt maior neq; existere, neque excogitari vlla queat. Igitur vnus tantùm est Deus. Non Adorabis Deum alium. Ego Dominus, hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo. Soli sapienti Deo honor sit, & gloria in sæcula sæculorum. Dignus es Domine qui accipias gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu creasti omnia.

Exo. 33. 14. Isa. 42. 8. Apoc. 4. 11.

3. *Cuius est summa perfectio, id non potest nisi vnum existere. Qui enim solus habet totum, perfectus demum est: imperfecti autem qui habent aliquid inter se distributum. Porrò in Deo esse summam bonitatis, sapientiæ & potentiæ perfectionem, cùm sit causa bonorum omnium in natura, adeò fateri nos cogit ipsa rei euidẽtia, vt nihil sit absurdius, quàm fingere aliquid esse Deum, quod non sit summum & perfectissimum. Vnica est igitur diuina essentia, siquidem sparsa in plures deos diuinitas in nullo esset vniuersa: idcoque nullus eorum perfectus, ac proinde nullus esset verus Deus.* Atque hinc apparet vanitas commenti illius, quo vnus quidem supremus esse Deus fingitur: huic autem alia minora quasi subdita numina adduntur. Nam quia Diuinitatem nisi summam, perfectissimam ac talem cui nihil possit accedere, & quæ nulli subiecta sit, cogitare, nefas est: ideo nec in plures deos distributa: nec aliquid à summa & cogitationem omnem humanam superante perfectione, vel minimum deficiens, verus esse Deus potest, sicut sæpe dicitur: *Domine, quis similis tibi?*

4. *Ab immensa bonitate Deus infinitæ bonitatis est: atque adeo summum bonum. Summum autem bonum tantùm vnum esse debet. Nam si esset aliud etiam summum bonum, illud esset aut maius, aut minus, aut æquale. Si maius, esset etiam Deus: quod Deo esset contumeliosum: si minus, non esset Deus: si æquale, neutrum esset Deus.*

5. *Ab omnipotentia. Non possunt esse plures Omnipotentes quàm vnus: qui enim ab altero impediri potest, ne quod vult ipse efficiat, is verè omnipotens esse non potest. At si plures pariter omnipotentes constituantur, tunc alius alium impediendi, & actionem eius inhibendi & præter*

eius

eius voluntatem aliquid efficiendi potestatem necessariò habebit: alioqui enim non posset omnia, sed limite aliquo terminatam potentiam haberet. Nullus itaq; eorum verè omnipotens futurus esset: ac proinde plures dii non possunt fingi, nisi ab illis omnipotentia simul auferatur.

6. *Ab omni sufficientia administrandi mundum. Non enim talem, qui administrandis vniuersis non sufficiat, ne superfluum aut otiosum Deum licet fingere cùm nihil sit in Deo superfluum aut otiosum. Si verò plures Dii ponantur, aut vnus eorum non sufficiet gubernando toti mundo, & sic omnes isti regendis vniuersi erunt impares, eoque imperfecti, & nomine dignitatis minimè digni: aut vnus gubernationi totius mundi sufficiet, atq; hoc pacto reliqui erunt otiosi, & superflui. Ergo vnus tantùm sit Deus necesse est, vt solus omnibus sufficiat.*

7. *Non possunt esse plura infinita, quàm vnum: proinde non plures, sed vnus tantùm potest esse Deus, qui solus est infinitus.*

8. *Non nisi vna est rerum omnium causa prima: Deus est illa causa prima. Ergo vnus.*

Obiect. Multi tamen dicuntur dii. 1. *Resp* Sic vocantur, 1 *propter similitudinem, dignitatem, & officium* vt Angeli, Magistratus & Iudices. *Per me regnant. Ego dixi, dii estis.* *Sunt & dicuntur multi dii & domini multi non in cœlo tantùm, sed & in terra.* Nam quia Deus officium suum per Magistratus, ac Iudices, tanquam per organa, vel seruos suos hîc in terris exercet, eos honore sui nominis dignatur ipsos appellando Deos: non tamen communicata illis sua essentia, aut natura, sed dignitate, atque officio: idque vt sciant subditi sibi negotium esse cum Deo, cuius vice magistratus fungitur, siue obtemperent, siue repugnent magistratui. *Qui se opponit potestati, Dei ordinationi resistit.* 2. *Multi dicuntur Dij ex opinione hominum*, eorum scilicet qui res aut creaturas aliquas habent pro diis. Ita Dii dicuntur per mimesin omnia Idola. *Non habebis deos alienos coram me. Quorum deus venter.* 3. *Dignitate & excellentia naturæ*

Prou. 8. 15. Psal. 82. 6. 1. Cor. 8. 5. Exod. 20. 3. Phil. 3. 19.

naturæ, vt Angeli longè excellunt nos donis, & propter officium dicuntur Dij.4. *Diabolus dicitur Deus mundi propter maximam potentiam quam habet in homines & alias creaturas iusto Dei iudicio.* 2 Cor.4.Ephe.6. Sed hic intelligitur natura Deus, ex se & per se, neque habens potentiam aliunde.

6. *Quid differat essentia à persona.*

Essentia est res per se subsistens, aut habens propriũ esse, quę non habet suum esse nec est sustentata in alio, etsi sit communicabilis. *Communicabile* vel communicatum est quod plurib. commune est vel communicari potest. *Incommunicabile* est quod nulli rei communicatur. Essentia hominis est communicabilis, vel communis multis hominibus, specie, non individuo. Dei autem essentia est incommunicabilis individuo, quia est ipsa deitas Dei natura in tribus personis eadem & tota existens.

Persona est res vnica subsistens, individua, viua, intelligens, incommunicabilis, non sustentata in alio, nec pars alterius, Intelligens additur, ad discrimen brutorum, quia etsi bruta sunt viua animalia, non tamen sunt personæ. *Incommunicabilis* additur, ad discrimen essentiæ. nã essentia in pluribus esse potest, & pluribus esse communis: persona verò non potest. *Non sustentata in alio.* Sic humana Christi natura non est persona, quia sustentatur á λογω. *Nec pars alterius.* Ita hominis anima non est persona, quia est pars totius hominis.

Hinc iam apparet discrimen inter essentiam Dei, & personas essentiæ diuinæ. *Essentia Dei* est ipsa Deitas, & id quod existit in Deo, id quod est Deus, vel denique ipsum Dei existere. *Personæ* sunt diuersi modi existendi, quibus videlicet modis existit id quod existit in Deo. Vnum, & idem est in Deo, quod alio atque alio modo existit in ipso: vt cùm dicimus, *Pater est à nullo, Filius est à Patre, Spiritus sanctus à Patre & filio.* Cùm dicimus *essentia Dei est bonitas, sapientia, iustitia,* &c, loquimur de vna eademq; essentia diuina, vel de

vno atque eodem esse dei. At cùm dicimus, *hoc vnum & idem esse dei est à seipso, vel ab alio:* item *ab vno, vel à duobus, loquimur de modo existendi.*

Tres autem in Deo sunt modi existendi, eòq; tres Personæ, quę Trinitatis nomine significantur. *Trinitas* enim significat tres Personas, seu tres modos existendi in deo, seu in illo quod Deus est restrictiuè. Ac differentia est inter *Trinitatis, ac Tripliciatis* vocabulum. Siquidem *triplex* est quod compositum est ex tribus: *Trinum* quod est vnum & idem ratione essentiæ, & quod habet tres existendi modos.

Discrimen hoc *Essentiæ, & Personæ* ideo tenendum est, *ne aut vnitas veri Dei distrahatur, aut personarum distinctio tollatur: aut denique aliud intelligatur nomine Personæ, quàm verbi diuini veritas ostendit.* Etenim Persona hoc loco *nequaquam relationem duntaxat significat, sed officium,* quemadmodum Latini dicunt principis Personam tueri, sicut olim Sabellius falsò docuit: multò minùs vultum, seu speciem visibilem significat (ut hisce temporibus in vocabulo *Personæ* Seruetus lusit) alterius formam, seu gestum repręsentatem, qualis Persona facta esset: sed significat subsistens in alio ad quod refertur, proprietate incommunicabili reuera distinctum. Deinde *personæ non sunt aliquid separatum ab Essentia, sed singulæ sunt ipsa, & integra, & eadem Essentia diuinitatis.* Discrimen autem in eo est, quòd personæ singulæ ab aliis distinctæ sint, & Essentia sit tribus communis.

5. *An hæc nomina in Ecclesia sint vsurpanda.*

VSurpanda sunt ista nomina, & retinenda in Ecclesia. Ob. *Atqui nomina ista, scilicet Essentiæ & Personæ, non sunt in scriptura. Ergo non debent in Eccl. vsurpari.* Resp. Quæ non sunt in Scriptura, siue quod ad verba, siue quod ad sensum, non sunt vsurpanda: sed & ipsa *Essentiæ ac personę nomina* inueniuntur in Sacris literis, & ipsa de iisdem doctrina. Nomen *Essentiæ* exprimitur nomine Iehouæ, quod frequens est in scrip-

item

ἐκ nomine τῶ ὄντος quod etiam in scrip. sępius occurrit. *Ego sum, qui sum. Qui est misit me ad vos. Et qui est, & qui erat, & qui venturus est. Personæ nomẽ in Epis. ad Heb.* χαρακτὴρ ὑποστάσεως *exprimitur. Trinitatis* nomẽ est apud Ioa. *Tres sunt qui testificantur in cælo: Pater, Sermo, & S.S. & hi tres vnum sunt.* Atque hæc quòd ad nomina. Nunc quòd ad rem ipsam. Quoties dicitur vnus Iehouah, toties dicitur vna Essentia: Quoties Pater, Filius & Sp.S. nominatur Iehouah, toties tres diuinitatis Personæ exprimuntur. Testimonia autem, quæ ostendunt tres esse personas, sumuntur partim ex vetere Testamento, partim ex nouo. Vetus Testamentum testimonia multa nobis suppeditat. *Spiritus Domini ferebatur super aquas, dixitque Deus, fiat Lux.* In Exodo dicitur *Dominus apparuisse Mosi in flamma ignis de medio rubi. Spiritus Dei super me, eò quòd vnxerit me, &c.* Plura tamen & clariora testimonia sunt in Nouo Testamento. *Docete omnes Gentes, baptizantes in nomine patris, Filij, & Spiritus sancti. Consolator ille Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. Gratia Domini Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Spiritus sancti sit cum omnibus vobis. Tres sunt in cælo, qui testificantur.* Tres proponit Scriptura quibus tribuit totam Essentiam diuinam & omnia attributa, Tres nobis in Scriptura proponuntur diuinorum operum effectores, creationis, redemptionis & sanctificationis. Tres sunt quibus Scrip. tribuit honorem Diuinum, & inuocatio eorum hoc declarat.

Exod. 3. 14. Apoc. 1. 8. Heb. 1. 3. 1. Ioan. 5. 7. Gen. 1. 2. Exod. 3. 2. Act. 7. 30. Isai. 61. 1. Mat. 18. 19. Ioan. 14. 26 2. Cor. 13. 13 1. Ioan. 5. 7.

Ex his apparet nos non tantùm posse, sed etiam debere nominibus iis *Essentiæ, Personæ, Trinitatis* vti: & quidem 1. *quia sensum Scripturæ rectè explicant.* 2. *Quia propter breuitatem & perspicuitatem harum vocum fit, vt hæretici non possint occultare suas fraudes & Sophismata.* Ideo autem abhorrent ab istis vocabulis hæretici, quia ab ipsis reb. abhorrẽt. Si enim consensus esset quòd ad res ipsas, facilè conueniremus de verbis: abhorremus enim à λογομαχία. Deinde, *etsi non extarent hæc nomina*

in S. scripturis, tamen liceret excogitare verba & loquendi modos, quibus Ecclesia mentem suam declaret.

Notandum est hoc loco rectè dici, *Pater est alius quã Filius, item Filius est alius à Patre*, quia *Alius* tantum significat diuersum existendi modum in vtroque, vel distinctam Personam Patris à Filij persona, & vice versa. Non autem rectè dicitur, *Pater est aliud à Filio, vel Filius est aliud à Patre*, quia *Aliud* significat aliam essentiam.

6. *Quot sint Personæ Diuinitatis.*

IN vnica diuina essentia, tres personæ subsistunt & quidem suis proprietatibus reipsa distinctæ, nempe Pater, Filius, & S.S. quæ tamen singulæ tres Personæ sunt vnus idemq; Deus, æternus, infinitus, & in seipso perfectissimus. Suntq; hæ Personæ consubstantiales & coæternæ, absque vlla proprietatum & relationum confusione, itemq; absq; vlla inter se imparitate, aut inæqualitate.

7. *Quomodo hæ personæ inter se differant.*

Distinguntur hæ Personæ dupliciter. 1. *Operibus ad intra.* 2. *Operibus ad extra.* 1. *Ad intra: Pater à seipso est non ab alio. Filius à Patre genitus*, hoc est habet eandem essentiam cum Patre: sed sibi à Patre communicatam, etsi nos modum ignoremus. *S.S. ab æterno procedit à patre & Filio*, id est, habet eandem essentiam, sed à patre & filio sibi communicatam. Ob. *Quod non intelligitur non discernitur. Modus generationis Filij & processionis S.S non intelligitur. Ergo. &c. Resp.* ad maiorem. Quę non intelliguntur, scilicet omnino. Sed hæc intelliguntur aliquatenus, scilicet quòd habere essentiam sit existere à Patre. 2. *Ad extra: Pater agit à se per filium & S.S. Filius per Sp. S. non per Patrem: S.S. agit ab vtroq;.* Agere verò ab alio est alterius præeunte voluntate, comitante sua, non tempore sed ordine agendi agere. *Pater dicitur prima persona*, quia deitas ei à nullo est cõmunicata. *Filius secunda*, quia dietas illi à patre communicatur. *Sp. S. tertia*, quia ei essentia Patris & Filij com-

communicatur à Patre & Filio. *Primus autem & postremus dicuntur hîc, non gradu, aut dignitate, aut tempore: sed ordine naturæ.* Sic, Deus ab æterno extitit in se.

Hæc septima quæstio unâ cum præcedente fusiùs explicabitur infrà in Articulis de Filio & S.S.

8 *Quare hæc doctrina sit in Ecclesia retinenda.*

SCienda est, & retinenda hæc doctrina in Eccle. 1. *Propter gloriam Dei, ut discernatur Deus ab Idolis.* Non enim vult Deus commisceri cum Idolis: sed coli, ac celebrari, eoque talis agnosci, qualem se patefecit. 2. *Propter nostram salutem.* Nemo seruatur sine cognitione Patris. Pater autè non cognoscitur sine filio. *Quisquis negat filium, is ne Patrem quidem habet.* Deinde nemo seruatur sine fiducia seruatoris Christi. *Quomodo credent ei de quo noc audierint?* Ergo nos oportet primũ filium, ac propter filium deinde Patrem nosse, vt possimus in illum credere. Similiter nemo seruatur sine cognitione Spiritus sancti. *Qui enim non accipit Spiritum sanctum non seruatur. Ac nemo accipit eum, quem non nouit: ergo qui eum non nouit, non seruatur.* Minorem probat illud Christi, *Spiritum illum veritatis Mundus non potest recipere, quia non videt eum, nec nouit eum.*

1. Ioh. 2. 23
Rom. 10. 14.
Ioh. 14. 17.

Hinc apparet manifestè, *Saluandos oportere Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum cognoscere.* Nisi enim talis á nobis agnoscatur Deus, qualem se patefecit: non communicat se nobis, neque vitam æternam ab ipso sperare possumus. Qualem autem se nobis patefecit audiuimus, nempe *quod sit æternus Pater: coæternus Filius, & coæternus Spiritus Sanctus.*

Cæterùm ex omnibus capitibus nullum est acriùs oppugnatum ab aduersariis veritatis, quàm doctrina de tribus in vna diuinitate personis, præsertim post Filium Dei in carne manifestatum. Causas huius certaminis non difficile est videre, *quòd nimirum, nulla pars Doctrinæ magis est rationi humanæ incognita & imperuestigabilis: & quòd diabolus odio Dei & hominum, gloriam Filij dei incarnati horribili furore obscurare & delere tentat.*

Ob.1. Vna essentia non sunt tres personæ: Iehoua est vna essentia. Ergo &c. Resp. Vna essentia, videlicet finita: Deus autem est infinitus.

Ob 2. Habens principium non est æternum: Sed Filius, & spiritus sanctus habent principium. Ergo &c. Resp. Habens principium, scilicet essentiæ & temporis. Filius autem & Spiritus Sanctus habent solummodo principium Personæ, vel ordinis, aut modi existendi, & sic Scriptura docet Christum & esse Iehouam, & habere principium, scilicet modi existendi. *Dedit filio habere vitam in seipso.* Ioan. 5. 26.

Ob.3. Vnitas nostra cum Deo est consensus. Vnitas autem Filij cum patre talis est qualis nostra. Ergo non essentiæ, sed consensus est vnitas Filij cum patre. Resp. Est plus in conclusione quàm in præmissis. Nam conclusio est vniuersalis, cum Minor sit particularis. Est enim & alia vnitas Filij cum Patre, Essentiæ videlicet.

Ob.4. In quo est tota Deitas, præter eum non est alius, in quo sit tota Deitas. At in patre est tota Deitas. Ergo non in alio. Resp. Nego Maiorem: quia eadem deitas quæ est in Patre, tota etiam est in filio & in Spiritu Sancto.

Ob.5. Essentia diuina non est genita. Sed filius est genitus. Ergo &c. Resp Ex puris particularibus nihil sequitur. Maior non potest exponi vniuersaliter. Falsum enim est, Quicquid est essentia diuina non esse genitum.

Ob. 6. Vbi sunt distinctæ operationes saltem internæ, ibi & essentiæ sunt distinctæ. Sed Patris, & Filij, & spiritus Sancti operationes internæ sunt distinctæ. Ergo & essentiæ. Resp. Maior est vera de personis infinitis.

Ob. 7. Essentia diuina est incarnata. Tres Personæ sunt essentia diuina. Ergo tres Personæ sunt incarnatæ. Resp. Ex puris particularibus nihil sequitur. Maior de solo filio loquitur.

Ob.8. Filius est apud Iehouam Mediator: Sed Filius est Iehoua. Ergo apud se est Mediator. Resp. Ex puris particularibus nihil sequitur. Non enim omne quod est Iehoua,

Iehoua, est Mediator.

Ob. 9, Christus habet caput. Ergo est minor Deo, & per consequens non est vnius eiusdemq; cum Deo essentiæ. Resp. Habet quidem caput, sed 1. Respectu officij Mediatoris. 2. Respectu humanitatis. *Ob. 10. Est hæc* (inquit Christus) *vita æterna, vt te solum cognoscant esse verum Deum: Ergo Filius, & Spiritus sanctus non sunt verus Deus. Resp.* Ibi fit oppositio non Patris, Filij, & Spiritus Sancti, sed Dei, & Idolorum, atque creaturarum. Præterea, *Solum* non ad subiectum *te*, sed ad prædicatum *Deum* pertinet, quod articulus ostendit. *Ob. 11. Iehoua est Trinitas. Pater est Iehoua. Ergo Trinitas. Resp.* Sunt quatuor termini. Iehoua in Maiore intelligitur de tribus personis. In minore tantùm de vna. *Instantia. Pater est Iehoua vnus numero: Ergo Pater est Trinitas. Hic non valent isti diuersi modi. Resp.* Vnus numero, scilicet essentiæ, non personarum. *Ob. 12. Vbi tria sunt & vnum, ibi sunt quatuor. Sed in Deo sunt tria & vnum, Tres scilicet Personæ, & vna essentia. Ergo in Deo sunt quatuor. Resp.* Vbi tria sunt & vnum, scilicet realiter distincta, ibi sunt quatuor. At in Deo Personæ ab essentia nequaquam sunt realiter distinctæ: nam tres Personæ diuinitatis sunt vna atque eadem Essentia. *Ob. 13.* Neque obstat *personarum distinctioni, quòd opera eadem Patri & Filio, & Spiritui sancto in Scriptura tribuuntur.* Possunt enim seruato agendi ordine ad vnam actionem plures personæ concurrere.

1. Cor. 11. 3.

Ioan. 17. 3.

Ob. 14. Neque illud Christi Ioh. 14. *Qui videt me, videt Patrem:* non enim vult Christus, se esse Patrem, sed se doctrina & factis personam, sapientiam, omnipotentiam, bonitatem & voluntatem Patris manifestare & referre: sicut dicitur: *Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. Item: Qui est imago Dei inuisibilis.* Et, sicut ipse hîc addit, *Pater in me, & ego in Patre.*

Ioan. 1. 18. 2. Cor. 4. 4. Col. 1. 15. Heb. 1. 3.

Ob. 15. Neq; illud etiã quod dici potest, *Sapientia & virtus Patris nõ sunt personæ distinctæ à Patre, sed sunt ipse Pater, sicut misericordia, bonitas, castitas, veritas, & alia*

Dei attributa: Filius autem & Spiritus sanctus sunt sapientia & virtus Dei: Ergo non sunt personæ à Patre dissimiles, sed ipse Pater sapiens ac potens. Est enim ambiguitas in appellationibus sapientiæ & virtutis, quæ in Maiore significant sapientiam & virtutem, qua non solùm Pater, sed etiam Filius & Spiritus sanctus est sapiens & efficax, hoc est, communem Patris, & Filij, & Spiritus sancti naturam siue essentiam. In Minore autem personas Filij & Spiritus sancti, quorum ille sapientia, hic virtus Dei ideò nominatur, quia per eos suam sapientiam & virtutem Diuinitas exercet, & patefacit.

DE CREATIONE.

DOctrinæ *de Deo* percommodè subiicitur doctrina *de operibus Dei*, quemadmodum & in Symbolo factum videmus. Genera autem *operationum Dei* sunt. 1. *Creationis*, cuius opera sunt, quæ in Genesi *sex diebus perfecta* leguntur, adhibito incremento prouehuntur, & multiplicantur in mundo. 2. *Conseruationis*, qua adhuc cœlum, & terram, & quæ in ipsis sunt sustentat, ne corruant. 3. *Reparationis*, qua omnia, quæ propter peccatũ hominis corruptioni obnoxia sunt, reparat. 4. *Gubernationis*, qua omnia, pro immensa sua sapientia gubernat. 5. *Perfectionis*, qua omnia, ad certum finem destinata perducit. Nunc agendum *de operibus creationis*.

Quæstiones præcipuæ de Creatione sunt hæ.

1. *An Mundus à Deo sit conditus.*
2. *Quomodo sit conditus.*
3. *Quare sit conditus.*

1. *An Mundus à Deo sit conditus.*

COelum & terram, & res omnes visibiles atque inuisibiles, quæ in illis præter æternam Diuinitatem existunt,

existunt, quam rerum naturam, siue vniuersitatem, siue mundum appellamus, non ab æterno extitisse, sed quando Creatori visum fuit, iuxta æternum ipsius cõsilium & vuluntatem cœpisse, & conditas esse ab illo solo vero Deo, qui se in Ecclesia sic patefecit, quòd sit Pater æternus, & Filius, & Spiritus S. cognoscimus: Primùm, ex testimoniis sacræ Script. vt ex historia Creationis à Mose conscripta. Item, ex aliis scripturæ testimoniis quamplurimis. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Ipse dixit, & facta sunt. Ipse mandauit, & creata sunt.* Quin & alij loci sunt in Psalmis, vbi fusiùs & prolixiùs admiranda Dei opera, & præcipuæ mundi partes à Deo creatæ, nobis considerandæ proponuntur, vt ex earum consideratione Deo fidere discamus. Ita etiam Dominus ipse Iobo, ad demonstrandam iustitiam, potentiam, ac prouidentiam suam, mirabilia, atque incomprehensibilia opera sua in cœlo, terra, & rebus aliis à se conditis conspicua proponit.

Gen. 1. & 2. Psa. 33. 6. 9. Psal. 104. & 136. Iob. 38. 39.

Deinde, præter testimonia Scripturæ penè innumera, firmis, ac veris etiam rationib. mundum à Deo creatum esse confirmatur. 1. *Origines gentium id ostendunt*, quæ à Mose confingi non potuerunt, cùm aliqua eorum memoria tunc extaret adhuc apud multos: quæ tamen progressu temporis est extincta. 2. *Nouitas omnium aliarum historiarum collata cum vetustate hist. sacræ.* 3. *Ætas hominum decrescens*, quæ ostendit maius robur olim fuisse in natura recenti, nec sine principio huc vsque decreuisse. 4. *Certa series temporum ab initio mundi, vsque ad exhibitionem Messiæ.* 5. *Ordo in natura rerum*, quia à mente intelligente aliqua, & rebus omnibus longè superiore productus sit necesse est. 6. *Mentis humanæ & Angelicæ præstantia.* Hæ mentes intelligentes habent originem: ergo oriuntur ab aliqua causa intelligente. 7. *Principia & notitiæ naturales mentibus nostris insitæ.* 8 *Pastores conscientiæ in impiis.* 9. *Ordo politicus.* 10. *Impossibilitas processus causarum in infinitum.*

11. *Certa*

11. *Certa causarum series & mirabilis ordo.* 12. *Fines omnium rerum sapienter ordinati.* Deniq; & reliqua arg. quæ probant *esse deum*, probant etiam *à deo creatum esse mundū.*

Argumenta Philosophorum contra creationem mundi, non ex vera Philosophia, sed ex hominum figmentis extructa esse, facile est perspicere, si ordo generationis, & mutationis rerum institutus à Deo in natura condita, à creatione discernatur.

Obiect. 1. *Absurdum est*, aiunt Philosophi, *Deum otiosum fingere. Resp.* Absurdum est otiosum dicere eum qui gubernat mundum. *Instantia. Concedo hoc: sed quando nondum fuit mundus, horum nihil egit. Ergo fuit otiosus. Resp.* Nego, quia nos elegit ante mundum: deinde impium est irrumpere in arcana consilia dei, qui inferos curiosis fabricauit.

Obiect. 2. *Omne quod ortum est, interit: Sed hæc non interunt. Ergo non orta sunt, aut condita.* 1. *Resp.* Ad Maiorem. Corruptio non creationem, sed generationem vnius rei ex alia, naturali ordine sequitur. Immo creatoris omnipotentia, tam quæ ex aliis formar, quàm quæ ex aliis producit, liberrimè in eodem statu vel seruare, vel mutare, vel in nihilum redigere potest.

Obiect. 3. *Qui actu Dominus est, fælicior est eo, qui tantùm potentia Dominus est. Sed Deus ante creationem tantùm potentia fuit Deus. Ergo iam fælicior factus est ex creatione. Resp.* Ad Maiorem. Fœlicior est qui est actu Dominus scilicet si ex actuali gubernatione ei aliquid accedat boni, quod antè non habuit. Quòd autem Deus dicitur Dominus, id fit creaturarum respectu. Nam relationes in Deo non efficiunt mutationem, sed tribuuntur Deo respectu creaturarum.

Ob. 4. Colligunt item argumenta, quibus probent, *motum seu mutationem istam rerum, quæ nunc est, ab æterno fuisse. Quicquid moueri aut mutari quoquo modo potest, inquiunt, id vel ab æterno tale existens nullam mutationem aut motum admisit, quod absurdum esset, atque à nobis etiam negatur; vel generatione & motu aliquo tale est factum.*

Motus

Motus autem & mutatio omnis non fit, nisi res aliqua priùs existat, quæ moueri atque mutari possit. Motus igitur vllius rei dari nullus potest, quem non alius motus præcesserit: atque ita initium mutationum nullum erit. Sed inde est falsitas & enumeratio non sufficiens in Maiore, quòd res non nisi generatione ex aliis produci vnquam potuisse statuentes, Deo quicquid vult etiam ex nulla prius existente materia creandi potentiã detrahunt.

Ob. 5. Item, *omnem motum, ante quem est quies, seu cessatio mutationis, præcedit alius motus, quo remouetur causa quietis, seu mutationis impedimentum. At secundùm assertionem nostram, dicunt, ante primum motum qui in natura rerum fuerit, statui quietem. Ergo & motum seu mutationem aliquam, qua causa quietis sit sublata: atque ita nullam mutationem esse primam.* Sed Maior vera est de mutatione & vicissitudine rerum iam inchoata post creationem, non autem de primo harum mutationum, quas nunc in mundo videmus, initio. Illarum enim impedimentum tunc erat sola voluntas diuina, quæ eadem ab æterno in æternum existens, principia & fines, & mutationes, siue motus rerum, & quietem siue cessationem atque in eodem statu perseuerantiam, libertimè & sine vlla sui ipsius mutatione efficit. Hæc igitur vbi sola motum & mutationẽ rerum sine causis secundis incoat, sicut in mundi creatione faciebat, non tantùm non necessarium, sed ne quidem possibile fuit, propter diuinæ voluntatis æternitatem atque immutabilitatem, ante illud motuum & mutationum naturæ exordium aliam mutationem fieri. Ab æterno enim in æternum vsque Deus vult res omnes tunc cœpisse, mutari, existere, & quando hoc principium est factum.

Ob. 6. Item, *Si tempus est æternum, etiam motus æternus est: cùm tempus mensura sit motus. At tempus est æternum, quia omne instans siue punctum temporis, est finis præcedentis & principium sequentis temporis. Ergo & motus naturæ est ab æterno.* Hìc temporis appellatio ambigua, duplicẽ

resonsionem parit. Si enim *tempus tantùm pro motu alicuius mensura* sumitur, vera est Maior: at si *pro cuiuscunque duratione* sumitur, falsa est: vt manifestum est de quietis duratione, quæ & ipsa tempus est. Sic æternitas etiam tempus est sine mutatione rei æternæ. Sic Minor de duratione, vera: de motus autem mensuratione, falsa est. Neque probatur argumento *de instanti*. Nam instans siue momentum quo motus aliquis incipit, esse potest etiam sine præcedenti motu: alioqui enim omnes omnium rerum motus etiam breuissimos, ab æterno fuisse dicendum foret.

Mundus autem quatuor significat. 1. *Vniuersum mundum*, id est compagem, ipsum cœlum, terram, & quæ in eis sunt. 2. *Concupiscentias mundanas*. 3. *Impios in mundo*. *Non oro pro mundo*. Ioan. 17. 4. *Electos*. Ioan. 3. & 17. *Vt mundus credat*. *Ita Deus dilexit mundum*.

Creare autem est de nihilo aliquid producere.

2. *Quomodo Mundus à Deo sit conditus.*

1. *Creatus est à Deo Patre per Filium, & Spiritum Sanctum*, de Filio dicitur: *omnia per hunc sermonem facta sunt*. Ioan. 1. 3. De Spiritu Sancto, *Et Spiritus Dei ferebatur super aquas*. Gen. 1. 2. Item, *Spiritus Dei formauit me*. Iob. 33. 4. 2. *Mundum Deus creauit liberrimè, sine vlla coactione, non necessitate absoluta, sed necessitate consequentiæ*, nempe suæ voluntatis, quamuis æterno & immutabili, tamen liberrimo decreto condidit omnia. Neq; enim creandis & sustentandis rebus alligatus est Deus, neque si mundum nunquam creasset, aut creatum in nihilum redigeret, minus propterea bonus aut minus beatus esset.

3. *Deus mundum creauit solo nutu, sine vlla mutatione, aut fatigatione*. Solo autem nutu, & sine labore quid operari, est supremum operationis genus.

Quintuplex autem est genus operationis. 1. *Eorum, quæ secundùm naturæ suæ vim, absque vlla intelligentiæ, ac voluntatis moderatione, operantur*: qualis est operatio ignis, aquæ, herbarum medicarum, lapidum pretiosorum

pretiosorum, quorum operatio à sola voluntate dirigitur. 2. *Eorum, quæ quidem & ipsa naturæ ductum in operatione sequuntur, verùm non sine propria ipsorum voluntate, licet magisterium rationis desit.* Sic tamen comparata est ipsorum actio, vt illa aliquando contra ipsorum voluntatem extorqueatur: ita operantur bruta animalia. 3. *Hominum qui & ipsi secundùm naturæ suę qualitatem operantur, sed corruptè.* 4. *Spirituum bonorum,* quos Angelos vocamus, *qui etiam operantur ratione & voluntate, sicut homines: sed sine corruptione.* 5. *Supremum operationis genus* quod quidem fit secundùm operantis naturam cum intelligentia, & voluntate, eaque syncera, & incorrupta: verùm nulli est superiori alicuius sapientiæ, vel voluntati subiectum: sed omnium liberrimum, sapientissimum, optimum, prorsus infinitum, ac tale vt ab eo depẽdeant omnia, solo nutu, verbo, voluntate, sine vlla mutatione sui. *Ipse dixit, & facta sunt: Ipse mandauit, & creata sunt. Qui viuificat mortuos & vocat quæ non sunt tanquam sint.* Psa. 33. 6. 9. Ro. 4. 17.

4. *Deus omnia creauit ex nihilo, non ex præiacente seu præexistente materia: non ex Dei essentia, neq; ex materia aliqua Deo coæterna.* Si enim à Deo omnia creata sunt, nihil præter ipsum creatorem excipitur, ac ne materia quidem, ex qua omnia formantur.

Ob. 1. *Nos non sumus creati ex nihilo. Resp.* Respectu proximæ materiæ: sumus autem respectu primæ, quæ ex nihilo creata est immediatè. Nã primò Deus creauit Materiam primam: ex ea deinde varias effecit species. Ob. 2. *Ex nihilo nihil fit. Resp.* In ordine naturę nunc à Deo constituto. Deinde ab hominibus nihil ex nihilo fit, sed quod hominibus est impossibile, Deo est possibile. Ad nostram verò consolationem pertinet quòd ex nihilo Deus omnia creauerit. Si creauit omnia ex nihilo, poterit & nos conseruare, & impiorum conatus retardare, imò in nihilum redigere.

5. *Mundum Deus creauit certo, ac definito tempore, atq; adeò in principio temporum, non ab æterno.* Nam primùm omnia

omnia sunt creata ex nihilo, ac proinde habent initium.

Secundò, sciri potest ex historia sacra *quandiu mundus duraverit.* Nam secundùm veritatem scripturæ, ex supputatione Lutheri, sunt à condito mundo vsque ad natum Christum anni 3967. eoque ad nostrum tempus, videlicet ad annum à nato Christo 1579. Ex supputatione Melanchthonis, à condito mundo anni 5542. Ex supputatione Geneuensium, à condito mundo vsque ad natum Christum sunt anni 3942. & sex menses. Erunt igitur vsque ad annum Christi 1579. anni à condito mundo 5521. & sex menses. Ex supputatione Beroaldi, à condito mundo vsque ad natum Christum sunt anni 3929. atque ita erunt vsque ad annum Christi 1579. anni a condito mundo 5508. Hæ supputationes optimè conueniunt inter se, quòd ad maiorem numerum, quamuis in minore numero aliquot anni desiderentur, vel supersint. His ergo quatuor supputationibus doctissimorum nostri temporis inter se collatis, constabit saltem, non ante annos 5546. mundum à Deo fuisse conditum, ac proinde non ab æterno.

Gen. 2. 2. *Non vno momento mundus à Deo conditus est*, sed sex dierum spatio. *Dic septimo perfecit Dominus omne opus suum.* *Ob. Qui viuit in æternum* (inquit Siracides) Eccl. 18. 1. *creauit omnia simul: ergo vno momento.* *Resp.* Non loquitur de temporis momento, sed de rerum vniuersitate. Ideò autem momento Deus omnia non creauit. 1. *Quia voluit distinctam, & manifestam esse creationem ipsius materiæ à formatione corporum mundi, quæ ex iis constant.* 2. *Quia voluit potentiam, & liberalitatem ostendere in producendis quoscunque voluit effectibus, etiam sine causis naturalibus,* dum lucem præbet mundo, fœcundat terram, stirpes ex ea elicit ante Solem, & Lunam conditam. 3. *Bonitatem, & prouidentiam suam voluit hoc modo ostendere:* quia creaturas suas fouet, iisque nondum natis prospicit, dum animalia in terram stirpibus, & pabulo, homines in mundum rebus omnibus ad vitæ necessi-

tatem

tatem pertinentibus instructissimum introducit. 4. *Voluit nos illa creationis serie, non in perfunctoria, sed diligenti operum suorum consideratione retinere:* quam Sabbathi conseruatione toti generi humano consecrauit.

Condidit mundum Deus valde bonum. Omnia erant valde bona, scilicet sine deformitate, & sine malo culpæ, & pœnæ: sed facta sapientissimè & singula in suo gradu, atque genere perfecta. Iam verò pœnarum est author, peccatorum permissor. Sed pœnæ habent rationem boni. Gen.1.31.

3. *Quare mundus à Deo sit conditus.*

Fines creationis omnium rerum alij sunt generales, alij speciales, alij subordinati.

1. *Primus & summus siue vltimus finis est gloria Dei.* Voluit enim suam bonitatem, sapientiam, omnipotentiam, iustitiam (quæ attributa sua ostendit, in rerum omnium creatione) celebrari. *Vniuersa propter semetipsum fecit Dominus. Benedicite Domino omnia opera eius. Ex eo, & per eum, & in ipsum sunt omnia.* Pro.16.1. Ps.103.22. Ro.11.36.

2. *Patefactio, agnitio, & contemplatio diuinæ sapientiæ & bonitatis in ipsarum rerum creatione elucentis.* Si enim debuit celebrari, debuit primùm creare quę agnoscerent ipsum: ac deinde agnitum & patefactum celebrarent. Atque ideo Rationales creaturas & irrationales creauit, vt scilicet essent celebrantes, & materia celebrandi. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.* Psa.19.1.

3. *Gubernatio Mundi.* Ideo mundum condidit, vt eum prouidentia sua semper gubernaret, regeret, conseruaret, atque ita in perpetuum patefaceret mirabilia opera, quæ fecit ab initio mundi, facit, & faciet: præcipuè verò vt Eccl. Angelorum & hominum Electorum administraret. *Leuate in sublime oculos vestros, & videte quis creauit hęc.* Hic tertius finis inseruit secũdo. Isa.40.26.

4. *Vt colligeret Ecclesiam ex Angelis & hominibus,* quæ hunc creatorem agnosceret, & celebraret.

5. *Vt*

5. *Vt omnes aliæ res seruirent saluti tum animæ, tum corporis hominis: item vitæ, necessitati, ac suauitati hominum,* præcipuè verò vt electis prodessent suo quæque loco, & essent iis veluti ministri, & organa per quæ Deus iis benefaciens celebraretur ab ipsis. *Subiicite vobis terram, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur supra terram. Dominum eum constituisti operum, quæ manus tuæ parauerunt: cuncta subdidisti pedibus eius. Siue vita, siue Mors, siue præsentia, siue futura, omnia inquam vestra sunt.* Tantùm, hominem propter se creauit: reliqua propter hominem vt per hominem Deo seruirent Ergo quum constituimus alios loco Dei, deiicimus nos ex illo gradu in quo constituti fuimus à Deo.

Gen. 1. 28.

Psa. 8. 7.

1. Cor. 3. 22.

Vsus doctrinæ de Creatione. 1. *Vt agnoscatur Deus ex operibus.* 2. *Vt fiduciam nostram abstrahamus à rebus creatis quæ nihil sunt sine Deo: illamq; in eo collocemus qui est autor & dator salutis.*

DE ANGELIS:

IN rebus à Deo creatis præcipuæ sunt naturæ rationales, angeli nimirum & homines. His enim suæ diuinitatis vestigia & imaginem impressit, & omnes quidem alias res materiam suę laudis esse, ab his verò agnosci & celebrari, suamq; ipsis fœlicitatem ac lætitiam communicare voluit. Quæstiones autem de Angelis duæ sunt, quarum prior est, *quæ in Scriptura bonorum, altera, quę malorum angelorum descriptio sit tradita.*

1. *Quid sint boni angeli.*

1. Sunt Spiritus seu substantiæ incorporeę.

ANgeli & boni & mali, sacra Scriptura teste, *sunt spiritus, quo nomine hîc persona spiritualis intelligitur,* hoc est,

est substantia incorporea, inuisibilis, indiuidua, viua, intelligens, incommunicabilis, non sustentata in alio, neque pars alterius: vt Luc 24. sumitur. *Spiritus carnem & ossa non habet.* Colos. 1. *Omnia quę in cælo & quæ in terra sunt, visibilia & inuisibilia.* Heb. 1. *Omnes sunt spiritus ministratores.* 1. Reg. 22. *Egressus est spiritus qui stetit coram Domino.*

Non ipsi angeli, sed species aut corpora ab illis assumpta cernuntur.

Quòd igitur & *olim sæpe apparuerunt boni angeli, dum doctrina cælesti minus perspicuè tradita & oraculis non impletis, miraculosis patefactiones & testimonia magis quàm nunc requirebat collectio & confirmatio Ecclesię: & nunc etiam non rarò apparent mali: Id primò naturam eorum visibilem aut corpoream esse non probat.* Species. n. illæ visibiles siue corpora, quæ videri tangique possunt, substantiæ diuersæ sunt ab incorporea Spirituum essentia, siue ex nihilo, siue ex materia aliqua formatæ, & ad actiones certas efficiendas ad tempus à spiritib. gestatæ ac motæ. Nam & deponuntur ab illis rursus, & aliæ atq; aliæ assumuntur, vt *serpens per quem loquebatur diabolus cum Eua: corpora humana quorum pedes lauabat Abrahamus*, Gen. 17. *Flamma in rubo apparens Mosi.* Exod. 3. *Columna nubis & ignis in deserto: Equi & currus ignei.* 2. Reg. 2. & 6.

Sadducæorum error.

Deinde hoc ipsum refutat sententiam *Sadducæorum qui neq; angelum neque Spiritum esse dicebant.* Act. 33. *sed angelos bonos esse cogitationes & motus à Deo excitatos in hominibus, vel euentus fœlices à Deo profectos: angelos verò malos, effectus aut cupiditates, aut consilia prava & cruenta, quæ ex naturæ vitio proueniunt.* Nisi. n. essent substantiæ viuentes & efficaces, non alterarent, gestarent, & mouerent corpora & species visibiles. Præterea multa quæ non nisi per se subsistentibus viuis & intelligentib. naturis conueniunt, ipsis passim Scriptura tribuit. *Boni quippe angeli fuerunt administri, per quos in monte Sina tradita est lex.* Act. 7. Gal. 3. *Venturi sunt cum Christo iudicaturo vivos & mortuos* Mat. 25. *Ignorant diem iudicij*, Mat. 24. *Vident semper faciem Patris in cælis.*

Mat.18.*Lætantur salute hominum* Luc.2.& 15.1.Pet.1.*Electi erunt ipsorum similes* Mat 22.*Christus superior prædicatur angelis* Heb.1.*Defendunt electos* Psal.34.*Mali autem in veritate non steterunt* Ioh.8. *Comparent inter filios Dei* Iob.1.*Inuadunt hominum & animalium corpora* Mat.8.*Punientur æternis supplicijs*.Mat,15.&c.

2.Sunt finiti & essentia & proprietatibus,

Sunt finiti, hoc est, essentiæ terminatæ, ac roboris & sapientiæ certa mensura præditi. Etsi enim spiritus loco non circumscribantut sicut corpora: tamen ipsorum substantia nec in infinitum extenditur, nec pluribus quàm vno in loco existit eodem tempore,nec sapientia,vel potentia, vel aliis proprietatibus, immensitatem Creatoris æquare potest. De loco.n. ad locum transire, & dum in alio sunt, ab alio abesse dicuntur, vt Luc.1.Act.10.&.12.& Daniel.10.

3.Sunt creati.

Sunt creati à Deo ex nihilo, in ipso mundi exordio. Psal. 148.*Laudate eum omnes angeli eius: Laudate eum omnes exercitus eius,&c. Quia ipse præcipit & creata sunt.* Col. 1.*Per eum condita sunt omnia quæ in cœlis sunt, & quæ in terra,visibilia & inuisibilia,siue Dominia,siue imperia,siue potestates,&c.* Etsi igitur apud Mosen in creationis historia non seorsum angelorum fit mentio, vt ea ad captum popularem sese accommodans, visibilia Dei opera potissimùm recensetTamen cùm cœlum, terram, & omnem exercitum eorum à Deo creatum dicat,etiam angelos complectitur, qui & ipsi exercitus cœlestes & ministri Dei sunt, ab ipso Mose passim inter hos commemorantur. Quod item Iob.1. & 38. *filij Dei nominantur*, nequaquam de coæternitate & substantiæ ex Deo propagatione, sed de creatione & conformitate ipsorum cum Deo, & de mutua inter Deum & ipsos dilectione, quemadmodum de hominibus accipiendum est.

4. Creati sunt in sanctitate.

*Conditi autem sunt omnes boni & sancti,*hoc est,in creatione ornati robore, sapientia, libertate voluntatis, sanctitate & iustitia, qua Deo essent conformes,iuxta dictum *Vidit omnia quæ fecerat, & erant valde bona*

ra. Et de bonis angelis dicitur Ps. 103. *Angeli eius fortes robore, facientes verbum eius ad obtemperandum voci verbi eius.* Mat. 18. *Angeli ipsorum semper vident faciem Patris mei in cœlis.* Et 22. *Electi in vita æterna erunt sicut angeli Dei.* Et Luc. 9. appellantur *sancti*. Item Ies. 9. *Seraphim*, id est, flagrantes siue lucentes, nimirum puritate & sapientia Diuina & dilectione Dei. *De malis autẽ* Ioh. 8, *In veritate non perstitit.* Et in Epistola Iudæ. *Angelos qui non seruata sua origine, reliquerunt suum domicilium &c.*

Atq; hæc quidem bonis & malis angelis communia in Scriptura traduntur. Quę autem restant, in iis discrimen ingens apparet. *Boni enim singulari Creatoris gratia, in ea sanctitate & beatitudine, in qua creabantur, ita sunt confirmati, vt quanquam summa & liberrima voluntate Creatori suo seruiant, nunquam tamen possint ab ea deficere, ab eo in quo sunt, iustitiæ & fœlicitatis statu excidere.* Ideo, 1. Timot. 5. *Angeli electi vocantur.* Mat. 18. *dicuntur semper videre faciem Patris. Electi ad vitam æternam.* Mat. 22. dicuntur *similes angelorum futuri* Habent autem hanc in statu suo perseuerantiam non ex propria naturæ excellentia aut virtute, vt Iob. 4. dicitur: *Etiam in seruis suis non posuit stabilitatem, & in angelis suis non posuit lumen:* sed ex mera Dei erga ipsos & gratuita beneficentia, per Filium dei ipsos seruante & regentem, vt ipsi tanquã capiti suo copulati sint, & maneant vnà cum electis hominibus æterna Eccl. & templum Dei, Deum celebrantes. Col. 1. *Omnia per eum consistunt.* Item, *Placuit patri reconciliare omnia sibi per eum, tùm quæ in terra tùm quæ in cœlis sunt.* Eph. 1. 5. Et in ea confirmati.

Sunt autem & creati & confirmati, *vt Deum in omni æternitate agnoscant, ac celebrent propter ipsius bonitatem, & in se atq; in genus humanum beneficentiam:* Psal. 103. *Benedicite Domino omnis exercitus eius. &c.* Ies. 6. clamant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum: plena est omnis terra gloria eius.* Et Luc. 2. *Laudant Deum ob Messiam exhibitum.* 6. Vt Deum celebrent.

7. Ministri Dei ad salutem electorum.

Finis siue officium bonorum angelorum alterum est *vt sint ministri Dei ad salutem electorum perficiendam ac tuendam,* dum videlicet Deus per ipsos patefacit suam voluntatem, liberat pios ex periculis, defendit eos contra diabolos & impios : *aut etiam ad puniendos malos qui Ecclesiam oppugnant,* &c, Psalmo. 34. *Castrametatur Angelus Domini circum timentes ipsum & eripit eos,* Ps. 91. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis &c.*

Etiam malis inseruiunt.

Etsi autem per angelos defenduntur, & aliis beneficiis etiam impij ac reprobi non rarò à Deo afficiuntur: vt Ioh. 5. *cùm turbatis ab angelo aquis Bethesdæ, qui etiamq; primus in eas descendisset, morbo leuaretur:* Tamen ea non vltra huius vitæ commoditates extenduntur, & quemadmodum alia quę impiis in hac vita siue bona siue mala contingunt, in ipsorum perniciem vertuntur, electorum autem defensioni & liberationi seruiunt, quorum gratia sæpenumero Deus vt punit, ita etiam beneficiis afficit impios. Ad electos igitur & sanctos propriè ministerium & præsidium angelorum pertinet, quibus illud peccati culpa amissum Christi merito ac beneficio restituitur. Is enim ex Ecclesiæ ex angelis & hominibus constantis caput, eam, quæ inter membra eiusdem corporis est, inter angelos & homines beneuolentiam & coniunctionem instaurans, & suo arbitratu ministerio angelorum ad suos defendendos vtens. Eph. 1. *Vt recolligeret omnia in Christo, quæ in cœlis & quæ super terram sunt.* Ps. 97. & Hebr. 1. *Adorent eum omnes angeli eius.* Matt. 13. *Mittit angelos suos.* Hebr. 12. *Accessistis ad montem Sion & ciuitatem Dei viui, Ierosolymam cælestem, myriadas angelorum, &c.* Et Gen. 28. *Iacob vidit scalam à cælo ad terram vsq; pertingentem, cui insistebat Dominus, super quam angeli ascendebant & descendebant* : quæ Christum significabat Deum & hominem Mediatorem. Iohan. 1. *Videbitis cœlum apertum, & angelos Dei ascendentes ac descendentes super Filium hominis.*

Ang.

Agit autem Deus multa per angelos, & aliquando per multos, quæ vel sine illis, vel per singulos æquè poterat efficere: *cùm vt nostræ imbecillitati consulat*, quæ nisi multis præsidiis & organis diuinæ potentiæ ac beneficentiæ cinctam sese videat, subinde in dubitationes de prouidentia, defensione & præsentia Dei labitur: sicut exemplo ministri Elisæ 2. Reg. 19. & ex consolationibus, quæ angelorum præsidia Ecclesiæ pollicentur, manifestum est: *tum vt suam etiam in angelos potestatem ostendat, qui ipsorum opera & ministerio pro suo arbitrio vtitur.* Hinc 2. Thes. 1 *nominantur angeli potentiæ domini Iesu venturi de cælo*, id est, per quos potétiam suam exerit. Item Ephes. 1. & Colos. 1. *apellantur imperia, potestates, virtutes, dominia per filium Dei condita, ipsi ad dextram Dei exaltato subiecta*: quia per ipsos imperium, potestatem, virtutem & dominium suum exercet Deus. Item Psal. 103. & 148. 1. Reg 22. Apoc. 19. *exercitus Domini & exercitus cæli*: quia & multitudo eorum ingens est, & omnibus Deus tanquam imperator militibus imperat, & per eos quæcunque vult exequitur. Hinc etiam *Cherubim appellantur*, hoc est volucres siue alati, quia summa promptitudine ac celeritate iussa diuina & suas singuli partes exequuntur. Vnde oramus *Fiat voluntas tua in terra sicut in cælo. Vocantur item dij* Psal. 8. & Hebr. 2. quia Dei natura & Maiestas in ipsorum robore, virtutibus, officiis & mirandis operibus relucet. Idem & *nomen Gabriel*, id est, fortitudo Dei, & *Raphael*, id est, medicina Dei, significat. Eadem de causa & nomen *Michael*, id est, qui sicut Deus. Dan. 10. & 12. In Epist. Iud. Et Apoc. 12. *Filio Dei & angelo tribuitur, qui archangelus nominatur*, siue quòd Filius Dei angelorum caput est, siue quòd Deus, qua ipsi visum est mẽsura, & dona sua distribuit angelis, & suam per ipsos efficaciam exerit.

Cur vtatur illis Deus.

De spiritibus seu angelis malis.

Porrò qui nunc *spiritus siue angeli mali sunt*, etsi & ipsi fuerunt boni & eadem qua ceteri sanctitate & iu-

1. Defecerunt sua culpa.

stitia & fœlicitate in creatione à Deo ornati: sua tamen ac libera voluntate, ac proinde culpa propria, sese à Deo auerterunt atque à dilectione ipsius & obedientia ipsi debita defecerunt, ita vt domicilium Dei ac Deo conformes esse desierint, ardeant horribili odio Dei & hominum, vtq; Deum afficiant contumelia, impellunt homines ad peccata, & vi atque fraudib. conantur omnes in exitium præcipitare. 2. Pet. 2 *Deus Angelis qui peccauerant non pepercit, sed in tartarum detrusos caligini tradidit damnationi seruatos.* Ioan. 8. *Vos ex patre diabolo estis, & cupiditates patris vestri vultis explere. Ille fuit homicida à principio & in veritate non perstitit: non est enim veritas in eo.* Ioan. 13. *Ingressus est Satanas in Iudam.* Act. 5. *Impleuit Satanas cor Ananiæ, vt mentiretur in Sp. S.* Ephes. 2. *Vt est vita mundi huius secundum principem, cui potestas est aeris & spiritus nunc agentis in hominib. contumacib.* 2 Thes 2. de Antichristo dicitur. *Cuius aduentus est ex efficacia Satanæ cum omni potentia & signis ac prodigiis mendacibus.* Idcirco & malus appellatur Ioan. 3. *Cain qui erat ex malo illo.* Et passim in Scriptura vocatur *Satanas*, hoc est, aduersarius Dei & hominum. 1. Paral. 21. *Consurrexit Satan aduersus Israelem, & incitauit Dauidem vt numeraret populum.* Et *diabolus:* quia verbum Dei deprauat & calumniatur homines, vt in paradiso. & Iob cap. 1. & 2. *draco siue serpens antiquus*, Apoc. 12. quia per serpentem locutus in paradiso genus humanum calliditate sua seduxit, atque etiamnum seducit. Gen 3. 2. Cor. 11. Apoc. 12. *Proiectus est Draco ille magnus, serpens ille antiquus, qui vocatur diabolus & Satanas, qui seducit vniuersum terrarum orbem &c.* Item, *Accusator fratrum nostrorum, qui accusabat eos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.* Et cap. 9. appellatur *Abaddon & Apollion*, id est, perdens. Nominatur item *Deus huius seculi, excecans mentes infidelium.* 2. Cor. 4. *& princeps mundi*, Ioan. 12 14 16 cùm propter potentiam & efficaciam, quam in impios, & tyrannidem, quam etiam in pios Deo permit-

tente

tente exercet, tum propter obsequium, quod ipsi præstatur ab impiis, etiam veri Dei cultum profitentibus.

Refutatio Manich.

Ex his manifesta est impietas Manichæorum, *qui duo principia siue duos Deos coæternos comminiscebantur, alterum bonum, quem lucem & mentem, alterum malum, quem tenebras & materiam vocabant, quorum ille bonas, hic verò malas naturas creasset*: abutentes testimoniis scripturæ quib. *Diabolus, deus & princeps mundi, pater impiorum, author peccati & mortis, potestas tenebrarum dicitur*: & hoc argumento potissimùm nitentes, quòd *bonum deum nequaquam oporteret mali causam facere*. Neque enim plus potestatis siue in pios, siue in impios, siue in creaturas alias habet diabolus, propter quam *princeps & deus mundi* vocatur, quàm ipsi à Deo conceditur: vt ex primo & secundo capite historiæ Iobi, & Mat. 8. *ex inuasione porcorum* apparet: neque impiorum creatio, sed corruptio & impulsio ad mala, diabolo tribuitur: neq; necesse est, ne Deus author peccati fiat, alterum ex diabolo Deum facere, cùm diabolos & homines, bonos & sanctos à Deo conditos esse scriptura doceat, diabolum verò deficientem a Deo & seducentem homines, & se & homines corrupisse.

2. Sunt immutabiliter mali & damnati.

Etsi autem propria & libera voluntate ruunt contra Deum: tamen iusto Dei iudicio sic sunt ab ipso deserti & abiecti, vt immutabiliter sint mali, & suppliciis æternis obnoxij. Itaque Iudas inquit, *eos vinculis æternis sub caligine à Deo reseruari*: & Christus Mat. 25. *Maledicti abite à me in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius*. Nam sunt quidem iam inde à lapsu suo, spiritus mali domicilio & beatitudine cœlesti spoliati: sed tamen & ipsi & homines reprobi in iudicio extremo, suppliciis grauioribus constringentur: quemadmodum contrà fœlicitas & gloria piorum tum demũ vbi resuscitata fuerint corpora, omnibus numeris absoluetur. Ideo 2. Pet. 2. & apud Iudam dicuntur *damnationi & iudicio magni illius diei reseruari*.

Porrò in hanc prauitatem ipsos prolabi Deus permisit, *non solùm vt iram suam aduersus peccatum in ipsorum pœnis æternis ostendat: sed etiam vt per ipsos in hac vita puniat impios atq; etiam castiget vel exploret ac exerceat tentationibus electos.* Ab æterno enim *ipsis ignis paratus esse dicitur.* Mat. 25. Et. 1. Sam. 16. & 18. *Spiritus Dei malus irruit in Saulem ac turbauit eum.* Psal. 78. *Misit in Ægyptios furorem indignationis suæ, iram & indignationem & angustiam, immissionem angelorum malorum.* Iob autem 1. & 2. traditur Iob Satanæ affligendus, constantiam ipsius explorandi causa. Luc. 22. *Satanas appetiuit vos quos ventilaret sicut triticum.* 1. Thes. 2. *Voluimus venire ad vos, sed impediuit nos Satanas.* 2. Corinth. 12. *Ne excellentia reuelationum supra modum efferrer, datus est mihi furculus infixus carni & angelus Satan, vt me colaphis cædat, ne supra modum efferar.* 1. Thes. 2. *Ne quo modo tentasset vos tentator ille, & inanis redditus esset labor noster.* Et Mat. 4. *tentatur à Satana ipse Christus:* & quidem *tentans* ideo nominatur, quòd homines ad peccatum & defectionem à Deo solicitat & instigat, cùm externis peccatorum occasionibus obiectis, tum cogitationibus & motibus internis voluntatis & cordis excitatis.

DE PROVIDENTIA DEI

LOco *de Creatione* alius subiicitur, nempe *de Dei Prouidentia*, quæ est quasi continuatio & absolutio creationis. Nam sicut impossibile est aliquid esse nisi creatum: ita fieri nequit sine prouidentia vt illud ex nihilo creatum conseruetur. Sicut res sine Deo non extitissent: sic non possent subsistere sine Dei prouidentia. Non enim talis creatio fingéda est, quę sit sine creatione & conseruatione & gubernatione.

tione. Sola autem sua prouidentia deus omnia gubernat, administrat, regit & conseruat, ne corruant.

Etsi autem plura & euidentiora sunt in natura, prouidentiæ Dei, quàm creationis rerum ex nihilo argumenta: atque idcirco magis aliquanto illam, quàm hanc agnoscunt philosophi: tamen *propter cordis humani superbiam*, quæ ægrè patitur bona omnia Deo ascribi: *propter sensus nostri iudicium*, cui videntur pleraque fortuitò ferri, præsertim voluntates humanæ: *propter obscuratam ex lapsu hominum diuinæ prouidentiæ cognitionem, propter studium quoquo modo declinandi conspectum & iudicium diuinum: propter humanæ mentis angustias*, ex quibus dum homines metiuntur Deum, non facilè in eo cogitare possunt, omnium rerum in mundo gubernationem, partim vt difficilem aut impossibilem, partim vt indignam Deo: ac denique *propter confusiones & peccata*, quæ mala Deum authorem habitura videntur, si concedatur omnium rerum diuina gubernatio: experimur singuli in nobis ipsis & in aliis, quàm difficulter animo insideat vera de Dei prouidentia doctrina, ac lucem naturalem ad rectum eius intellectum non sufficere, tanta opinionum & errorum de eo doctrinæ capite varietas satis ostendit. Sunt autem horum tria potissimùm genera.

De hac erat ratio.

1. 2. 3. 4. 5. 6.

1. *Epicurei nullam eorum prouidentiam esse dicunt, quæ sunt & fiunt in inferioribus mundi partibus.*

2. *Stoici prouidentiæ loco necessitatem absolutam omnium rerum, & modum commenti sunt, in ipsa rerum natura existentem, cui non modò res aliæ omnes, sed etiam ipse Deus sit obnoxius.*

3. *Peripatetici finxerunt Deum quidem omnia intueri, & intelligere: non tamen omnia moderari ac regere: verùm cælestes motus ciere, & per eos inferioribus naturæ partibus vim indere.*

Contrà verò Ecclesia, ex verbo Dei docet, *nihil in vniuerso mundo nisi certo & definito quidem, sed tamen liberrimo & optimo Dei consilio euenire.*

Conside-

Considerandæ sunt igitur Quæstiones de Dei prouidentia præcipuæ.

1. *An sit aliqua Dei Prouidentia.*
2. *Quid sit Prouidentia Dei.*
3. *Cur necessaria sit eius cognitio.*

1. *An sit aliqua Prouidentia Dei.*

Prouidentia est certa.

MAnifestum est à negantibus prouidentiam, religionem & cultum Dei vniuersum tolli. Si enim non curat & regit Deus res humanas, nec ab illo petenda erunt bona, nec pro acceptis celebrandus erit, qui ea non largiatur: nec metuenda illius ira, qui non puniat: nec viuendum iuxta illius voluntatem, qui obedientiam non requirat, neque inter bonos & malos discrimen faciat aut seruet. Sunt igitur hæc prima & notissima, certissimaque omnis religionis fundamenta & principia: esse Deum, & esse prouidentiam, hoc est, à Deo sciri & gubernari quæ sunt & fiunt in mundo, ac præsertim genus humanum tanquam præcipuam mundi partem. Neque verò ideò Scriptura vniuersa tot modis inculcat gubernationem diuinam, quòd non omnes de illa conuincat sua ipsorum conscientia: verùm vt rei certissimæ & cognitu maximè necessariæ, fidem in nobis magis confirmet, quodque de ea ignorant, aut non rectè accipiunt homines, edoceat nos, atque emendet.

Sunt autem duo genera Argum. quibus probatur *esse Dei Prouidentiam*. Primò probatur hoc Scripturæ testimoniis. *Ipse dat omnibus vitam, & halitum, & omnia.* Act. 17. 25. 28. Et paulò pòst. *Per ipsum viuimus, mouemur, & sumus,* Et varia passim testimonia reperiuntur in Scripturis de prouidentia Dei, quæ quidem testimonia partim sunt vniuersalia, partim verò particularia, de quibus paulò pòst commodius dicetur. Deinde prouidentiam esse confirmatur & rationibus, quarum item duo sunt genera. *Vnum continet rationes à posteriori*: nempe sumptas ex operibus, vel effectis Dei: *alterum rationes*

à priori

à priori complectitur, petitas nimirum ab attributis dei. Sed magis obuiæ sunt illæ à diuinis operibus desumptæ: his enim penetramus ad illas, quæ sunt à priori, quia ex illis à posteriori cognoscimus naturam Dei & Creatoris, & rursus à priori regredimur ad posterius. Vtræque autem rationes istæ sunt demonstratiuæ, & communes Philosophiæ ac Theologiæ. Interim attributa, & opera Dei melius agnoscuntur in Ecclesia, quàm extra Ecclesiam.

Rationes à posteriori sunt.

1. *Ordo in rerum natura*, id est, aptissima dispositio omnium rerum, & successio in motibus cœli, in temporibus, in rebus nascentibus, in conseruatione specierum. Hic autem ordo non proficiscitur à natura bruta, neque casu existit aut fortuitò: sed ex aduerso sapientissimus sit necesse est, qui hunc otdinem constituit in natura rerum, ac proinde qui rerum naturam prouidentia sua gubernat.

2. *Mens atque intellectus in Angelis & hominibus.* Homo regitur mente, qui est quasi paruus mundus: multò magis ergo magnus ille mundus, in cuius administratione plus requiritur sapientiæ.

3. *Notitiæ principiorum naturales mentibus nostris insitæ, siue Lex naturæ, vel discrimen honestorum & turpium.* Qui præscribit regulam siue normam viuendi, is curat res humanas: talem regulam seu legem Deus indidit mentibus humanis: vult igitur Deus homines secundùm ordinem viuere, ac proinde vitam, actiones, euentus eorum gubernare.

4. *Terrores ac cruciatus conscientiæ in sceleratis, qui peccatum ab ipsis admissum sequuntur.* Hi pauores non possunt esse sine aliqua natura intelligente: præsertim cùm eos impij effugere non possint. Est igitur aliquis vindex scelerum, qui infligit huiusmodi pauores, & qui curat res humanas omnes.

5. *Pœnæ, & præmia.* Placidiores sunt eorum exitus qui moderatè viuunt, etiam extra Ecclesiam. Ergo

est

est aliquis executor Legum & iudex vniuersitatis, neque frustrà est lata Lex.

6. *Ordo sapientissimus in Politiis* conspicitur, & conseruatio huius ordinis politici, atque adeo ipsarum politiarum & regnorum, contra tyrannorum furores. Malorum semper est maior multitudo quàm bonorum, & plures vellent omnes Leges sublatas, quàm conseruatas: atqui semper tamen manet ordo politiarum, & regnorum. Ergo est maior aliquis omnibus Diabolis, tyrannis, & impiis, qui contra istorum omnium furores eum ordinem semper conseruat.

7. *Virtutes, & dona singularia, vel motus heroici, & excellentia artificum, quæ Deus confert ad vniuersale bonum & conseruationem societatis humanæ.* Atque hæ res sunt longè maiores, quàm vt existere queant à re bruta, & præstantiores, quàm vt de nihilo dentur, aut hominibus acquirantur; Imò cùm vult Deus gerere res humanæ societati salutares, dat viros heroicis virtutibus præditos, inuentores artium, principes fortes, bonos, prudentes, atque alia organa huiusmodi idonea: & contrà, cùm vult nos punire pro meritis nostris, organa tam salutaria rursum tollit. Est ergo quidam dispensator horum bonorum, ac proinde rerum humanarum gubernator.

8. *Prædictio & significatio euentuum, seu futurorum, eorumq; executio*, quæ non potest nisi à solo Deo fieri. Deus ergo si prædicit, & præmonet futura, eaq; facit vt eueniant, vel effectione, vel promissione, etiam curat res humanas ac mundum sua prouidentia regit.

9. *Omnia non ordinata tantùm sunt, sed & efficiuntur & tendunt ad certos ac sibi destinatos fines.* Ergo est aliqua natura sapiens, sic prouidentia sua omnia vniuersaliter ordinans & conseruans.

Quib. argum. probatur, *esse deum* & res omnes à deo creatas: iisdem ferè probamus *esse prouidentiam.*

Rationes à priori sunt. 1. *deus est: igitur est prouidentia.* Hoc tam verè dicitur, quàm, si non est Deus, non est prouidentia

uidentia. Nam Deũ non regere mundum prouidentia ſua, pugnat ex diametro cum natura Dei & non magis ſine deo cõſiſtere poteſt mundus quam creari.

2. *Ab omnipotentia Dei.* Nihil poteſt ſine Dei voluntate contingere. Voluntas autem Dei non eſt otioſa: quicquid enim vult, id fiat neceſſe eſt. Quæcunque igitur fiunt quotidie, Dei omnipotentis voluntate fiunt; atq; ideo Dei prouidentia.

3. *A ſumma Dei ſapientia.* Sapientis gubernatoris eſt, nihil finere fieri in ſuo regno ſine ſua voluntate & conſilio. Deus eſt ſapientiſſimus, & poteſt omnibus rebus intereſſe. Nihil ergo fit in mundo ſine Dei prouidentia.

4. *Iuſtitia Dei.* Deus eſt ſummè iuſtus. Igitur in regẽdo mundo dat præmia bonis, & malis infligit pœnas.

5. *A bonitate Dei.* Deus eſt ſummè bonus. Summum autem bonum eſt maximè communicatiuum ſui. Ergo vt Deus ex immenſa bonitate creauit mundum, ita eadem bonitate ſua mundum creatum conſeruat, adminiſtrat, & regit.

6. *Finis omnium rerum eſt bonus. Ergo etiam media eorũ decreuit ab æterno*, vel ſimpliciter, vel ſecundùm quid.

7. *Deus eſt cauſa omnium prima, à qua omnes aliæ pendent.*

8. *Omnia præſcit ab æterno immutabiliter.* Ergo illa præſcientia pendet ab aliqua cauſa immutabili, quæ eſt conſilium & decretum æternum.

9. *Bona omnia ſunt à Deo tanquam prima cauſa.* Sed motus & actiones, in quantum tales ſunt per ſe, bonæ ſunt: Mala fiunt ſecundùm prouidentiam, non ex prouidentia: id eſt, mala fiunt permittente Deo, id eſt, non impediente: Bona, Deo volente.

2. *Quid ſit prouidentia Dei.*

Prouidentia Dei eſt conſilium Dei æternum, liberrimum, immutabile, iuſtiſſimum, ſapientiſſimum, & optimum, quo Deus omnia in omnibus efficit bona, mala etiam fieri permittit.

tit, omniaq; & mala & bona ad suam gloriam & electorum salutem dirigit.

Explicatio Definitionis.

Consilij nomine comprehenditur *Intellectus vel præscientia futurorum seu faciendorum, & causarum* ob quas facienda sunt, aut non sunt facienda. Item *voluntas certis de causis aliquid statuens*, eodem *consilij* nomine continetur. *Consilium Dei in æternum manet. Consilium meum stabit. Præscientia* est cognitio, qua Deus cognouit ab æterno non tam ea, quæ ipse erat vel est facturus, quàm quæ non ipse, sed alij erant, vel sunt facturi, vt peccata. Atque hæc præscientia ad intellectum pertinet. *Prouidentia, & Prædestinatio* licet sint earum tantùm, quæ Deus ipse facturus erat, tamen differunt: quia *prouidentia ad omnes res & opera Dei: prædestinatio verò ad Creaturas rationales extenditur propriè.* Est autem *Prædestinatio, sapientissimum, æternum, & immutabile Dei decretum, quo vnumquemque hominem, antequam crearetur, ad suum certum vsum & finem deputauit ac destinauit.* Neminem Deus prædestinauit ad peccata facienda, licet ea præsciuerit antè. Porrò *Dei prouidentiam esse consilium Dei Æternum, non potest negari:* quia cùm nec vllius rei ignorantia, neque cognitionis incrementum, nec voluntatis mutatio in Deum cadat, certum est ipsum omnia ab æterno scisse, ac decreuisse. *Dominus possedit me ab initio viarum suarum. Annuntians ab exordio nouissimum, & ab initio quæ nondum facta sunt. Elegit nos in Christo, antequam iacerentur fundamenta mundi. Loquimur sapientiam, quam præfiniuerat Deus ante secula.*

Pro.8.29.
Iesa.46.10.
Eph.1.4.
1.Cor.2.6.

Liberrimum. hoc est, consilium quod ita decreuit ab æterno, sicut ipsi pro immensa sapientia ac bonitate sua placuit: cùm haberet integram potestatem aliter instituendi consilium suum, aut illud etiam omittendi: aut aliter perficiendi res, quàm consilio suo decreuit eas perficere. *Omnia quæcunq; voluit fecit. Sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea.*

Psa.115.3.
Ierc.18.6.

Immutabile. Quia nec error nec mutatio in Deum cadit

cadit. *Triumphator in Israel non mentitur, neq; pœnitudine ducitur. Ego Iehoua, & non mutor.* 1. Sam. 15. 29. Mal. 3. 6.

Sapientissimum.) Ostendit hoc rerum & euentuum in hoc mundo series admirabilis. *Apud ipsum est sapientia & fortitudo. Ipse habet consilium & intelligentiam.* Iob. 12. 16.

Iustissimum.) Quia voluntas Dei est norma omnis iustitiæ. *Non est apud Dominum Deum nostrum iniquitas nec personarum acceptio.* 2. Cor. 19. 7.

Quo Deus efficit.) Hoc additur vt sciamus Consilium dei non esse otiosum, sed efficax. *Operatio* autem dei est duplex: *Generalis*, qua omnia, præsertim genus humanum sustentat, ac gubernat: *Specialis*, qua Electorum salutem in hac vita inchoat, & in altera perficit. *Deus est conseruator omnium hominum, maximè verò fidelium. Quotquot spiritu Dei ducuntur, ij sunt filij Dei.* 1. Tim. 4. 10. Rom. 8. 14. Præter hanc *operationis* diuinæ diuisionem est & altera, qua diuiditur *in immediatã, & mediatam. Immediata est cùm præter, & contra hunc ordinem naturæ operatur*: vt in omnib. miraculis, quæ in hunc finem descripta sunt, vt liberrimè deum per media vel sine illis agere disceremus. Ea. n. omnia non nisi diuina virtute fieri, tum experientia docet, quandoquidem vllius creaturæ potentia non possunt effici, tum Scriptura testatur, vt Psal. 72. & 130. *Qui facit mirabilia solus.* Exod. 8. *Digitus Dei hic. Mediata cùm Deus per creaturas, siue per secundas causas effectus illos producit, ad quos illæ creaturæ, seu causæ ordine naturæ sunt idoneæ, & à Deo factæ.* Sic medici sunt causæ. *Honora medicum propter necessitatem.* Eccl. 38. 1. Ita mediatè per Scripturam nobis & se, & voluntatem suam patefecit Deus. *Habent Mosen & Prophetas: audiant eos. Hæc* autem *operatio vel actio Dei mediata peragitur aliquando per bona instrumenta, eaque tã naturalia, quàm voluntaria: aliquando per instrumenta mala, & peccantia*: ita tamen vt dei opus in illis & per illa semper optimum, iustissimum, & sanctissimum sit. Non autem à bonitate instrumenti, sed ab ipsius Dei bonitate, sapientia, & rectitudine, bonitas diuinorum Luc. 16. 29.

operum

operum pendet. *De bonis instrumentis, quòd per illa deus operetur optimè*, non est inter pios controuersia: *de malis autem instrumentis* non omnes idem sentiunt. Nisi autem velimus negare, probationes, & castigationes piorum aut pœnas piorum, quę per malos fiunt iustas esse, & à voluntate, atque efficacia diuina proficisci: tum etiam virtutes impiorum, & facta impiorum generi humano salutaria, Dei esse dona, & beneficia: nisi (inquam) hæc negare velimus, oportet sanè fateamur etiam per mala & peccantia organa Deum iustá & sancta sua opera exequi. Sic *per Madianitas Ioseph̃um Dominus mittit in Ægyptum. Israeli benedicit per Balaam. Per pseudoprophetas tentat populum. Per Satanam exagitat Saulem. Per Absolonem punit Dauidem.*

Gen. 37. 28. Num. 23. 8. Deu. 13. 3. 1. Sam. 16. 14. 2. Sam. 15. 12.

Et *dirigit omnia* (Præterita ab initio mundi, præsentia, & futura, vsque ad omnem æternitatem. *Recordamini prioris seculi, quoniam Ego sum Deus. Dirigit omnia bona*) *Boni* nomine intelligimus & substantias rerum, & qualitates, & quantitates & motus, quatenus sunt motus: quæ omnia sunt res à Deo conditæ, ac proinde ipsius prouidentiæ necessariò subiectæ.

Isa. 46. 9.

Gradus prouidentię.

Deinde *gradus diuinæ prouidentiæ consideramus. Nam curat quidem & gubernat Deus vniuersas creaturas, sed præcipuè genus humanum*, tanquam inter opera sua præcipuum, & quod ad imaginem suam conditum, plurimis præ creaturis aliis ornauit beneficiis: *& in genere humano præcipuè electos ad vitam æternam*, quos cum angelis beatis vnam æternam Ecclesiam facit, vt in ipsis tanquam in templo ac domicilio suo habitet, ac propterea sic ipsos per vniuersam vitam eorum ducit ac regit, vt omnia ipsorum saluti seruire oporteat. Deniq; *in bonis etiam numeramus pœnas malorum & iudicia diuina*, quæ Deus non tantùm decreto immutabili vult fieri, sed etiam efficaci sua potentia & voluntate exequitur. *Etsi enim destructio mala est respectu creaturæ quæ eam patitur*: tamen bona est respectu legis

&

& ordinis diuinæ iustitiæ eam exigentis, ac Dei, eam iustissimè infligentis,& velut opus iudicis mundi proprium exequentis. Quoniam autem summè bonus est conseruator suorum operum,non ipsa destructione seu cruciatu seu perditione creaturæ lętatur, neque eam vellet aut efficeret,si nihil aliud ea quàm destructio & perditio esset: sed vult & approbat & efficit eam siue mediatè,siue immediatè, quia iustitię suæ executio est & declaratio.

Ad suam gloriam.)Hoc est,ad agnitionem, & celebrationem diuinæ iustitiæ,omnipotentiæ,sapientiæ, misericordiæ,& bonitatis. *Et ad salutem Electorum*) id est ad vitam,lætitiam, iustitiam, gloriam, & fœlicitatem æternam Ecclesiæ.Huc autem, nempe *ad gloriam Dei,& salutem Electorum* , omnia Dei consilia, & opera à Deo referri,extra controuersiam esse debet: nam in omnibus illis gloria Dei, & cura Ecclesiæ paterna conspicitur.*Cœli enarrant gloriam Dei.Propter nomen meum longum faciam furorem meum Omnia propter semetipsum operatus est Dominus. Nouimus quòd iis qui diligunt deum omnia simul conferantur ad bonum. Neque hic peccauit neque parentes eius,sed oportet opera Dei manifesta fieri in eo.* Psal. 19.1. Isai.48.9. Pro.16.4. Rom.8.27. Ioan.9.2.

Obiect.Omnia fiunt diuina prouidentia Videtur ergo deus author,vel causa malorum culpæ. Resp.. Nego propositionis consequentiam: quia quatenus mala culpæ, seu peccata sunt,non habent rationem boni, quam habent alioqui mala pœnæ. Itaque Deus non vult peccata, nec ea probat, vel efficit, sed tantùm ea fieri permittit,id est,non impedit quominus fiant: partim vt in illis puniendis iustitiam suam exerceat.partim vt in remittendis iis misericordiam suam ostendat. *Conclusit Scriptura omnia sub peccatum, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Ad hoc ipsum excitaui te,vt ostendam in te potestatem meam.* Ideò dicitur in definitione,quòd mala deus fieri permittit:vbi *permittere* non significat prouidentiæ & operationis di- Gal.3.22. Rom.9.17.

uinæ in operibus maiorem neceſſitatem, qua fiat vt actiones iſtæ non ab alio principio, quàm à creaturis agentibus prodeant Sed 1. *Non patefacere hominib. ſuam voluntatem.* 2. *Non flectere voluntates hominum vt obediant: Cùm ſictor ſomniorum ſurrexerit inter vos, non obedias illi, quia* Deut. 13. 13 *tentat Dominus Deus veſter. Deus incitat Dauidem in Iſraelitas vt dicat, vade, numera populum &* 2. Sam. 24. 1. *Iehudam. Poſtea cor ipſum Dauidis percuſſit, vt ageret pœnitentiam.* 3. *Creaturam ſic deſertam nihilominus rectè mouere, & quæ decreuit optima per eam exequi.* Deus enim nõ minus bona agit per mala inſtrumenta, quàm per bona. Et ſicut Dei opus non fit melius à bonitate inſtrumenti: ſic non fit peius per malitiam inſtrumenti. Vult Deus actiones malas, ſed quatenus ſunt actiones, ſiue motus, ſiue inclinationes ad obiecta, ſiue quatenus pœnæ ſunt malorum. Omnia. n. bona ſunt à Deo. omnes autem pœnæ ſunt iuſtę & bonæ. ergo à deo. Iuxta illud, *Non eſt malum in ciuitate, quod non fecit Dominus:* Amo. 3. 6. De malo enim culpæ contrà Iacobus, *Nemo quum tentatur* (id eſt quum ad malum ſollicitatur) *dicat ſe à Deo* Iacob. 1. 13. *tentari.* Malum igitur pœnæ eſt à Deo tantum, veluti caſtigationes & martyria, quæ ipſe vult, & efficit. Gen. 45. 5. *Non ſit vobis moleſtum, quòd huc me vendideritis: pro ſalute enim veſtra miſit me Deus ante vos in Ægyptum.*

Ob. Atqui Deus non vult mortem. Reſp. Non vult mortem quatenus illa eſt deſtructio: ſed quatenus eſt pœna vult mortem, & quatenus executio Iudicij ſui.

Explicata nunc eſt diuinæ prouidentiæ definitio ex qua oritur *Quæſtio* maximè conſiderãda, videlicet, *An diuina prouidentia ſe extendat ad omnia Reſ.* Etiam ad minima quæque ſe extendit prouidentia Dei.

Obiect. Non ad omnia ſe extendit: nam non ad Diabolu. Id probatur hoc argumento. *Qui repugnant Deo, non regumtur à Deo: Diaboli repugnant Deo: ideò à deo non regumtur. Reſp.* Ad Maiorem: non reguntur à Deo, ſcilicet à ſpiritu & gratia Dei, ſed reguntur prouidentia tantùm generali.

Omnia

Omnia autem *siue maxima, siue minima, Dei prouidentia regi* probatur primùm testimoniis sacræ scripturæ, ac deinde rationibus.

Testimonia, quibus demonstratur *Dei prouidentiam ad omnia sese extendere, sunt vniuersalia, & particularia: Vniuersalia rem diuina prouidentia gubernari generaliter* confirmant: *Particularia specialiter*. Atque hæc *particularia testimonia sunt vel de creaturis, vel de iis, quæ quotidie fiunt, de creaturis aut irrationalibus*, quæ sunt animatæ, vel inanimatæ, de quib. passim loca extãt: *aut rationalibus*, quę voluntariæ agunt, siue benè, siue malè: benè, à Deo per se: malè verò quatenus illa, quæ malè fiunt sunt bona, id est quatenus habent bonum finem. *testimonia, quæ sunt de iis, quæ fiunt aut eueniunt, sunt vel de causalibus, vel de necessariis*. Quę enim fiũt, aut sunt *causalia*, & quidem nobis tantum: aut *necessaria*, & quidem Deo semper, licet respectu bonarum aut malarum actionum diuerso modo. Iam restat vt singulis hisce veluti capitibus addantur sua testimonia.

1. *Vniuersalia. Omnia efficit ex consilio voluntatis suæ. Ipse dat omnibus vitam & halitum & omnia. Non est Deus quasi homo vt mentiatur, nec vt filius hominum vt mutetur, Dixit ergo & non faciet, loquutus est, & non implebit? Formans lucem, & creans tenebras: faciens pacem, & creans malum: Ego Iehoua faciens omnia hæc.* Eph. 1.5. Act. 17.25. Num. 13.16 Isai. 45.7.

2. *De rationalibus creaturis* præclara testimonia suppeditat historia Iosephi. *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum. Vos cogitastis de me malum, sed deus vertit illud in bonum. Ne timeas eos: cras enim hac eadem hora ego tradam omnes istos vulnerandos in conspectu Israel. Iehouah præcepit illi vt malediceret Dauidi. Cor Regis in manu Domini: quòcunque voluerit, inclinabit illud.* Apud Isaiam *Dominus vocat Assyriorũ regem virgam furoris sui.* Et ibidem, *cum impleuerit dominus cuncta opera sua in mõte Sion, & in Ierusalẽ, visitabo super fructum magnifici cordis Assur, &c. Quis est iste qui dixit, vt fieret Domino non iubente? Iuxta voluntatem suam facit tam in virtutib. cæ-* Gen. 45.8 Gen. 50, 20 Ios. 11.6 2. Sam. 16.10 Pro. 21.1 Isai. 10.5

Dan.4.32. *li, quàm in habitatoribus terræ: nec est qui resistat manui eius,*
Thren.3.37. *& dicat ei, Quare fecisti? Herodes & Pilatus cum gentibus,*
Act.4.27. *& populis Israel coacti sunt aduersus filium tuum Iesum, vt facerent quæcunque manus tua & consilium tuum prius definierant facienda.*

3. *De irrationalib. siue viuentib. siue non viuentib.* passim habemus testimonia in sacris scripturis. *Quia das iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Pater vester cœlestis alit volucres cœli: & paulò pòst, Quod si herbam agri Deus ita circumuestit, nonne vos multò magis?*

Psal.147.9. Mat.6.26. 30.

4. *De causalibus. Qui non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus eius: Securis in manu Domini. Nonne duo passerculi assario veneunt? at vnus ex iis non cadit humi sine Patre vestro.* Ibidem, *Vestri vero etiam capilli capitis numerati sunt omnes. Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Sortes mittuntur in sinum sed à Iehoua temperantur.*

Exod.21.13. Mat.10.29. 30. Iob.1.21. Pro.15.33.

5. *De necessariis* etiam reperiuntur testimonia. *Qui plantauit aurem non audiet, aut qui finxit oculum non considerabit? Emittes Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ* Sed hęc testimonia referuntur commodius ad vniuersalia: quæ autem inueniuntur *de necessariis, sunt primùm de iis, quorum necessitas pendet à consilio Dei per verbum nobis patefacto.* Cùm enim & nobis necessaria sunt, nimirum necessitate consequentis: *deinde in iis etiam, quæ pendent ab ordine naturæ, vt quæ fiunt necessitate Physica. Sic nullum os Christi fractum fuit,* quod narrat Euangelista, quia id per Mosem erat nobis prædictum. *Non confringetur vllum os ipsius.* Sic Electi non pereunt: non quidem per se, aut sua natura, sed quia Dominus hoc promisit. *Ego vitam æternam do iis: nec peribunt in æternum, neque rapiet eos quisquam è manu mea.* Similiter de iis, *quæ fiunt ordine naturæ diuinitus instituto multa extant testimonia. Pluuia prouentum herbæ producit. Qui rigat montes è suis cœnaculis, vt proferat panem de terra, & vinũ quod exhilaret cor hominis, & oleum quo nitidam reddat faciẽ, & panẽ, qui cordi vires submin-*

Psal.94.9. Psa.104.30. Ioan.19.36. Exod.12.46. Ioan.10.26. Iob.38.27. Ps.104.13.

istrat

miniſtrat. His & ſimilib. Scrip. teſtimoniis, illa etiam accedunt, quæ corporum eorundem, quæ in hac vita gerimus, reſurrectionem confirmant, vt Philipp. 3. *Qui transformabit corpus noſtrum humile, vt conforme ſiat corpori ſuo glorioſo pro efficacitate, qua poteſt etiam ſubiicere ſibi omnia.* 1. Cor. 15. *Oportet hoc corruptioni obnoxium inducere incorruptam naturam, & mortale hoc induere immortalitatem.* Dùm enim corporum noſtrorum ſubſtantiam tot modis mutari poſt mortem & diſſipari videamus, poſtquam in puluerem redacta ſunt Gen. 3. Iob. 10. accuratiſſimam & minutiſſimorum quoq; puluerum curam gerentem Dei prouidentiam eſſe, neceſſariò conſequitur, qua corporum ſubſtantia in formas & partes infinitas toties tranſmutata & defecta, ſic eſt colligenda, & ad maſſam ac formam priſtinam reducenda, vt non alia, ſed eadem iſta corpora reſurgant, quæ in hac vita habemus. Reſurrectio corporum.

His autem Scripturæ locis prolatis, excipiunt nonnulli, *exempla de quibus hæc dicta loquuntur, eſſe particularia, & euentus prophetico, ſingulari Dei conſilio adminiſtratos: ac proinde regulam ex illis vniuerſalem ad omnes caſus pertinentem, extrui non oportere.* Sed his triplex reſponſio opponitur. Primò. n. *ſimiles cauſæ in omnibus euentib. inueniuntur, propter quas diuino conſilio & decreto illos, qui recitati ſunt, euentus eſſe factos aut fieri Scriptura affirmat,* videlicet, *gloria dei, & ſalus electorum.* Similiter itaque de omnibus eſt iudicandum. Nam rectè ex enumeratione multorum ſingulariũ aut particularium colligi vniuerſalia, tum quando exemplũ diſſimile mullũ afferri poteſt, ſani omnes fatentur. Neq; piorum ac de immenſa Dei ſapientia rectè ſentientium quiſquam negat Deum habere omnium quæ fiunt, rationes optimas, etſi nobis non ſemper ſint cognitæ, quibus ad illos fines vltimos omnia referantur. Non igitur ea quæ non prædixit Deus, aut non peculiari ſuæ vocis teſtimonio: ſua voluntate fieri docuit, minùs ab ipſius arcana gubernatione pendere ſtatuendum eſt, quàm Ob. Particularia non faciunt regulam vniuerſalem. Reſ. 1. Niſi ſint ſimiles cauſæ.

2. Scriptura ab indiuiduis transit ad species.

quæ facturum se feciſſe diſerto verbo expreſſit. Secundò, *videmus ipſam Scripturam non tantùm ſingulares euentus omnium ſpecierum & generum diuinæ prouidentiæ tribuere: ſed quod de ſingularibus exemplis dicit, idem ad vniuerſas etiam ſpecies & genera transferre.* Vult igitur idem de omnibus indiuiduis intelligi. Sicut enim *Deus adduxit ventum ſuper terram, recordatus Noe in arca:* Gen. 8. *ſic educit ventum de theſauris ſuis.* Pſal. 135. Sicut eum de quo Ioh 9. *cæcum voluit naſci: ſic ipſe facit ſurdum & mutum, videntem & cæcum.* Exod. 4. Sicut *deſtruit conſilium Achitophel,* 2. Sam. 17. *ſic irrita facit conſilia gentium.* Pſal 33. Sicut *coruis præcepit vt paſcant Eliam,* 1. Re. 17. *ſic paſſer vnus non cadit in terram ſine ipſo.* Math. 10.

3. Vniuerſalis eſt expreſſa.

Tertiò, *ſunt etiam Scripturæ loca, in quibus vniuerſalis omnium rerum ad prouidentiam diuinam relatio diſertè exprimitur, vel per ſynecdochen, vel per minorum ad maiora, aut maiorum ad minora collationem, ſignificatur.* Eze. 12. *Quod loquar verbum, fiet.* Loquitur autem Deus, non tantùm quæ nobis patefacit, ſed etiam quæ ab æterno apud ſeſe decreuit.

Infinita pene *teſtimonia diuinam prouidentiam ad omnia ſeſe extendere* demonſtrant: ſed hęc nunc facilè ſufficient. Ex his enim certè conſtat *etiam minima quæq; Dei prouidentia regi: ita tamen vt bona non tantùm ſecundùm prouidentiam, ſed etiam ex prouidentia Dei, tanquam ex cauſa fiant: mala verò ſecundùm prouidentiam Dei non ex prouidentia dei.* Siquidem omnia bona fiunt Deo volente: mala Deo permittente. *Vult* autem *Deus hæc* ſua voluntate, quæ approbat, efficit, & mandat. *Permittit illa* quæ neq; probat, neq; mandat, neq; efficit, neque adiuuat: ſed quæ damnat, prohibet, & punit. Id imprimis apparet ex teſtimoniis, quę de creaturis rationalib. allata ſunt: Etenim docent illa omnes creaturas rationales, nempe & Anglos, & homines, eoſque vel bonos vel malos, à Dei prouidentia regi: ſed ita, vt quicquid in iis eſt boni, ſit à deo ipſo, qui hoc in rationalib. agit, quicquid verò in iis eſt mali, ſit ab ipſis

sis naturâ malis, nõ à Deo sũmè bono. Bona Deus ipse in rationalib. efficit: mala permittit propter alia bona.

Rationes, quibus demonstratur, *Prouidentiam Dei ad omnia sese extendere*, sunt ferè eædem cum iis, quæ probant esse prouidentiam Dei.

1. *Ab omnipotentia Dei.* Quandóquidem Deus est omnipotens nihil fit ipso nolente. Neq; enim vult sine sua voluntate quicquam fieri, neq; quicquam sine ea fieri potest. Vult autem Deus aliqua simpliciter: aliqua secundùm quid. Bona simpliciter vult: mala verò vult secundùm quid, eaq; permittit. Sicut autẽ nihil fit nolente Deo: sic neq; quicquã eorum quæ vult ipse non fit. Nam si vellet, & non posset, non esset omnipotens.

2. *A sapientia Dei.* Summè sapientis est, vt nihil eorum quæ sunt in sua potestate sinat fieri sine sua voluntate & consilio. Et quanto quis sapientior est: tantò latiùs se extendit ipsius gubernatio. At Dei sapientia est infinita, & omnia sunt in eius potestate. Ergo in omnib. reb. nihil fit nisi quod vult Deus ac decreuit. Imò sufficeret Deus administrandis reb. infinitis: quum ipse sit summæ atq; infinitæ sapientiæ. Ac proinde omnes in vniuersum res creatas facilè curat: quæ quantumuis multæ sint, sunt tamen finitæ,

3. *A finib. rerum.* Omnium rerum sunt certi fines, & quidem omnes boni. Omnia autem bona sunt à Deo, & ea ipse vult ac moderatur, eaque vult, & ipsos fines rerum: neq; fines tantùm: sed & ipsa vult media, per quæ res quælibet ad suos fines perueniunt, eaque vult vel simpliciter, quatenus bona sunt, vel aliquo modo, quatenus mala sunt. Omnium autem finium sunt sua media. Atqui omnia per quæ res quælibet ad suos fines primos & principales tendunt, sunt vel fines, vel media. Quoniam ergo Deus hos etiam fines, & hæc media vult, consequitur ipsum omnia velle & administrare.

4. *Est aliqua causa prima, quæ non pendet ab vllis aliis*, sed à qua omnes aliæ res, atque adeo omnes secundæ

cauſæ pendent. Deus autem eſt illa cauſa prima. Ergo ab ipſo omnia pendeant neceſſe eſt.

5. *A præſcientia Dei, qua Deus omnia præſciuit immutabiliter.* Hæc præſcientia Dei eſt certa & immutabilis, & quidem omnium rerum, atque eam Deus non petiuit à rebus creatis, ſed à ſeipſo. Nam ſic euenient res omnes, vt eas euenturas Deus præſciuit. Ea eſt igitur dei prouidentia, qua res omnes à Deo ſecundùm hanc ſuam præſcientiam fluunt.

6. *Omnia bona ſunt à Deo tanquam à ſua cauſa. Omnes ſubſtantiæ, motus, & actiones,* in quantùm ſunt hoc, bonæ ſunt. Ergo à Deo, Deique prouidentia fiunt.

Obiectiones contra Dei Prouidentiam, quaſi ex illa ſequatur Deum eſſe autorem peccati.

1. *Quod Deo nolente non poteſt fieri, id fit Deo volente: Peccatum non poteſt fieri Deo nolente. Ergo fit ipſo volente, & per cõſequens non tantùm mala pœnæ: ſed etiam mala culpæ fiunt prouidentia Dei* Minor probatur: *quia Deus eſt Omnipotens, ideo ipſo nolente peccatum non poteſt fieri, atque volente neceſſe eſt vt fiat. Reſp.* 1. In maiore non eſt ſufficiens enumeratio: oportet enim addi permittente, quòd nimirum, quæ Deo nolente fieri nequeunt, fiant Deo vel volente vel permittente: quædam enim Deo permittente fiunt. 2. Eſt ambiguitas in verbo *velle*, quod ſignificat aliquando placere: ſic & ambiguitas eſt in verbo *Nolle*, quod ſignificat aliquando diſplicere, & tamen permittere, nec impedire. Sic *dicitur Deus aliquid nolle, & tamen permittere.* 1. *Quum non pacifacit hominibus voluntatem ſuam, vt ſecundùm eam agant.* 2. *Quando non flectit hominem, vt ſecundùm Dei voluntatem reuelatam agat.* 3. *Quando Deus per creaturam deſeruam nihilominus exequitur iuſtiſſima ſua iudicia.* Sicut autem bonitas inſtrumenti non facit opus Dei melius, ita nec inſtrumenti malitia deterius illud efficit. Hæc quidem ſuperius dicta ſunt: ſed illud nihil impedit quominus eadem hoc loco magis illuſtrentur.

Ob. 1. *Quæ fiunt diuina Prouidentia, eorum eſt Deus cauſa.*

Omnia

Omnia mala fiunt diuina prouidentia: Ergo Deus est malorum causa. Res. Nego maiorē esse vniuersaliter veram. Nam non idem est, aliquid fieri effectiuè, aliquid verò fieri permissiuè. Quæ fiunt ex diuina Prouidentia, tāquam ex causa, hoc est effectiuè, eorum Deus author est. Sed mala tantùm fiunt secundùm diuinā Prouidentiam. non ex Dei Prouidentia, ex qua tantùm sunt bona. *Instantia. An igitur nulla mala sunt ex diuina Prouidentia tanquam ex causa. Res.* Imò mala pœnæ, non culpæ. *Rationes* hæ sunt. 1. *Omnium bonorum author est Deus: omnes pœnæ sunt bonæ, quia sunt executio iustissimi iudicij diuini: Ergo Deus est author pœnarum. 2. Iudex est deus. Ergo author pœnarum & præmiorum.* 3. Huc testimonia Scripturæ pertinent. *Ego dominus, & non est alius, formans lucem & creans tenebras: faciens pacem, & creans malum: Ego dominus faciens hæc omnia: Timete potius eum, qui potest animam & corpus perdere in Gehennam.* Isa. 45. 7.

Ob. 3. *Priuatio est à Deo: Priuatio est peccatum. Ergo peccatum est à Deo. Res.* Sunt quatuor termini. In maiore significat priuatio pœnam à Deo inflictam: In minore significat peccatum. Priuatio est à Deo quatenus est pœna: sed quatenus est repugnātia cum lege in Creatura, est peccatū, & per conseq. non est à Deo.

Ob. 4. *Peccantes reguntur à Deo: Regi illos à deo est. 1. Actiones illorum esse à deo. 2. Actiones illorum dirigi ad gloriam dei, & Electorum salutem. At actiones peccantium sunt peccata: Ergo ipsorum peccata sunt à deo. Res.* Reguntur peccantes à Deo, quòd ad actiones, quæ à Deo sunt: non quod ad peccatum. *Instantia. At omnes actiones, & motus sunt à deo. Multæ autem actiones sunt peccata: Ergo peccata sunt à deo. Resp* Fallacia est accidentis in minore. Sunt peccata quatenus fiunt ab hominib. peccantibus; sed quatenus fiunt à Deo, minimè sunt peccata, sed sanctissima & iustissima Dei iudicia. Per accidens ergo actiones eiusmodi malæ sunt, nempe propter instrumenti prauitatem. Potest & hæc afferri solutio. *Deus est causa actionum*, in quantùm sunt actiones,

ones, hoc est, quatenus non sunt peccata, sed motus à Deo facti. Vult eius actionem, sed deformitatem actionis, quæ est ab hominibus non vult. *Instantia. Qui voluit venditionem Iosephi per fratres, voluit peccatum. Deus hanc venditionem voluit: ergo, &c. Resp.* Ad Maiorem, qui voluit, scilicet eodem modo quo volebant fratres: Deus autem non voluit eodem modo, sed tantùm permisit.

Mala permittit.

Porrò autem *suæ prouidentia Deus mala etiam fieri permittit. Malum autem duplex est: aliud culpæ*, quod est peccatum: *aliud pœnæ*, quod est omnis destructio aut afflictio, aut desertio creaturæ rationalis, qua Deus punit peccata. exemplum vtriusq; significationis est. Ier. 18. *Si conuersa fuerit gens à malo suo, de quo loquutus sum aduersus illam, & me pœnitebit mali, quod cogitauerat, vt facerem ei.*

Malum pœnæ, est bonũ morale. Est à Deo.

Iam verò quia *malum pœnæ cùm sit executio Legis & declaratio iustitiæ diuinæ, malum quidem est naturale, quatenus creaturæ destructio: sed boni moralis rationem habet, quatenus ordini diuinæ iustitiæ congruit:* hæc etiam species malorum, non tãtùm quatenus est actio siue motus aliquis: sed etiam quatenus peccantium destructio vel afflictio est, Deo tanquam authori & effectori adscribenda est: cùm quia bonorum omnium prima causa, tum quia iudex mundi & vindex iustitiæ & gloriæ suæ Deus vult agnosci: deniq; quia & pœnas impiorum, & castigationes atq; exercitia & *martyria* piorum, quemadmodum & ipsius Filij Dei passionem & mortem, quæ est sacrificium pro peccatis hominum maximo consensu Scrip. vniuersa ad efficacem Dei voluntatem refert, vt Amos. 3. *Non est malum in ciuitate quod Iehoua non fecerit.*

Mala culpæ non sunt à Deo.

Malorum verò *culpæ* alia est ratio. *Hæc* enim *quatenus peccata vel mala culpæ sunt, non habent rationem boni.* Ideò Deus ea nec vult, nec probat, nec efficit, nec adiuuat: sed fieri à Diabolis & hominibus finit, siue permittit, non impedit quo minùs fiant, cùm tamen impedire possit.

posset. Sed interea tamen desertionem creaturæ siue priuationem diuinæ lucis & rectitudinis,& actionem ipsam,quæ à Diabolis vel hominib. peccantib. contra Legem & voluntatem diuinam fit, nihilominus generali sua prouidentia & efficacia vult ac ciet,verùm tali fine,qui cum ipsius natura, Lege,iustitia & bonitate optimè consentiat,siue is notus sit nobis, siue incognitus. Actiones ipsæ etiam in his sunt à Deo.

Rectè igitur peccata non voluntate, aut effectione, sed permissione diuina fieri dicuntur: nec abiiciendum *est permissionis* vocabulum,cum & in scriptura quandoq; vsurpetur, ut Gen. 10. *Prohibui te ne peccares mihi, nec permisi vt tangeres eam.* Item Gen. 30. *Non permisit ei Deus, vt noceret mihi.* Iud. 3. *Istæ sunt gentes quas reliquit Deus, vt per eas tentaret Israelem, &c.* Psalm. 10. 5. *Non siuit hominem opprimere eos.* Sed rectè intelligendum est, ne magna pars gubernationis mundi, & rerum humanarum Deo detrahatur. Est enim *permissio*,non prouidentiæ & operationis diuinæ in actionibus malorum cessatio,qua fiat, vt actiones illæ non ab alio principio, quàm à creaturis agentibus pendeant : sed *gratiæ diuinæ subtractio, qua Deus (dum voluntatis suæ decreta per creaturas rationales exequitur) aut voluntatem suam, qua opus illud fieri velit, creaturæ non patefacit, aut voluntatem eius ad obtemperandum in ea actione diuinæ voluntati, non flectit :* quod si fiat, necessariò quidem , sed tamen voluntariè ac liberè,& iustissimo Dei iudicio peccat creatura, dum iustum & bonum opus suæ voluntatis & prouidentiæ Deus per eam efficit. Nam si actiones illas quæ sunt peccata, nullo in vniuersum modo fieri vellet Deus: vllam earum fieri esset impossibile. Neque diuinæ naturæ immensa bonitas fieri eas vnquam pateretur, nisi aliqua boni ratio in illis cum malo cõiuncta esset. Vt autem peccata deus execratur,sic bona omnia vult & efficit in omnibus. Neque igitur illas actiones quæ peccata sunt, vult Deus, neque non vult simpliciter: sed quatenus actiones siue motus, siue inclinationes

Permissio retinenda.

Quid sit permissio.

vel

Quatenus velit actiones malorũ: quatenus non velit.

vel pœnæ malorum, vel castigationes, vel exercitia, vel martyria piorum, vel sacrificatio Filij sui pro peccatis hominum sunt, hactenus eas vult & efficit: hactenus enim boni rationem habent, & naturæ ac bonitati diuinæ adeò conueniunt, vt ne quidem fieri sine ipso possint, ac proinde nec ad aliam primam causam eas referri Deus velit: quatenus autem peccata sunt, hoc est, cum ordine ac natura, & lege ipsius pugnant, eò quòd sine agnitione & obedientia diuinæ voluntatis fiant: eatenus nec vult, nec instituit, nec efficit eas ipse: sed sinit eas, quanquam sibi maximè displicentes, à creaturis perpetrari, vt suæ gratiæ & singularis misericordiæ ad effugiendum peccatum, necessitatem, & suam aduersus peccatum iram, suamque iustitiam & potentiam in eo puniendo patefaciat.

Probatio. 1. Peccata non vult.

Hæc *permissionis peccatorum* descriptio multis Scripturæ testimonijs confirmatur. Nam primò quidem Deum peccata quoad peccata sunt, nec velle nec efficere, apud pios & sanos omnes in confesso est, cùm & bonitas Dei infinita non possit mali causa existere, quòd boni rationem nullam habet, & sæpe hoc de se Deus asseueret: vt, Psal. 5. *Non deus volens iniquitatem tu es, &c.*

Sed non sunt pauciora scripturæ loca, quæ actiones malorum, quas ipsi peccando efficiunt, quanquam arcana, tamen bona & iusta Dei voluntate fieri ac regi clarissimè docent, vt Gen. 45. *Nunc tamen itaq; non vos misistis me huc, sed deus, qui & posuit me in patrem Pharaoni, &c.* Exo. 7. *Ego indurabo cor Pharaonis, & multiplicabo signa mea & portenta mea in terra Ægypti, neque audiet vos Pharao*: Deut. 2. *Noluit Sihon rex Hesbon, vt transiremus per fines ipsius: indurauerat enim Iehoua deus tuus spiritum eius, & obfirmauerat cor eius, vt daret eum in manus tuas.*

2. Actiones vult efficaciter.

Hæc dicta & similia duobus argumentis ostendunt, *Deum non sine sua aliqua actione permisisse, sed efficaciter voluisse illam actionem voluntatis Pharaonis & aliorum*, qua aduersabantur Israeli: *Primò quia causam indurationis sui ipsorum ab ipsis factæ referunt ad indurationem à*

Deo

Deo factam, id est, nolebant dimissionem populi & pacem cum eo, quia Deus huc ipsorum voluntates flectebat, vt nollent. Secundò, *quia causas finales huius consilij diuini addunt, vt hostes illi punirentur, & gloria Dei celebraretur.* Cum. n. fines deus voluerit, etiam media, quibus ad hos peruenirent, iustissimè voluit: ipsis tamen regibus & populis id neque spectantibus, neq; scientibus, neq; etiam coactis, atq; idcirco peccantibus, & sua culpa pereuntibus.

Quod autem sic permittat deus peccata, vt non illuminet mentes agnitione suę voluntatis, aut corda & voluntates, quas arcana sua efficacia, quo ipsi libitum est, inclinat, non ad hoc etiam flectit, vt deo obtemperandi causa prosequantur, aut fugiant obiecta, hoc est, peccantium creaturarum voluntates conformes suæ voluntati non faciat, hæc dicta testantur: Rom. 14. *Beatus qui non condemnat seipsum in eo quod approbat. Qui verò ambigit, si ederit, condemnatus est, quoniã non edit ex fide: quicquid verò ex fide non est, peccatum est.* Deuter. 13. *Cùm surrexit in medio tui propheta vel fictor sõniorum dicens: Sequamur Deos alienos, &c. non obedies voci illius, quia tentat Iehoua deus vester vos.* Deut. 29. *Vos ipsi vidistis omnia qisæ fecit Iehoua in oculis vestris in terra Ægypti &c. neq; tamẽ dedit Iehoua vobis cor ad intelligendum, & oculos ad videndũ, & aures ad audiendũ.* 1. Sa. 24. *Ab impiis egredietur impietas: & manus mea non erit in te, &c.*

Obiect. 5. *Quæ immutabiliter fiunt, ad illa impedienda, vel promouenda frustra adhibentur media: Sed, secundùm hanc doctrinam de prouidentia Dei, omnia fiunt immutabiliter. Ergo frustrà ad illa impedienda vel promouenda homines adhibent media.* *Resp.* ad Maiorem, Frustra adhibentur media, scilicet si Deus nolit nos iis vti, & si patefecerit se exequuturum suum decretum sine mediis. Quando autem hoc non patefecit, media non frustra adhibentur, etsi cuncta fiunt immutabiliter: quia cùm vtimur mediis, Deus non tentatur, sed illi obtemperatur. Tentaremus autem Deũ, eiq; resisteremus

remus si mediis non vteremur. *Instantia. Sed inutile est vti mediis vbi res sunt certæ.* Resp. ad antecedens. Res sunt certò euenturæ, at non sine mediis: quia Deus & finem & media ad finem destinauit. Debemus igitur vti mediis. 1. *vt obtemperemus Deo, neque eum tentemus.* 2. *vt retineamus bonam conscientiam, vtentes mediis etiamsi euentus expectatus non consequatur. Prima causa non tollit secundam, neque principalis instrumentalem.*

Obiect. 2. *Omnia eueniunt Dei prouidentia immutabiliter: ergo tollitur libertas, & contingentia: quod est Stoicorum dogma de fato.* Hic antequam respondeatur, vocabulorum significatio & Christianæ ac Stoicæ sententiæ discrimen tenendum est.

Necessarium. Contingens.

Necessarium est, quod aliter habere non potest. Contingens, quod est quidem aut fit, sed aliter tamen esse aut fieri potuit. Necessitas igitur & contingentia ordo est inter causam & effectum immutabilis aut mutabilis. Quia verò immutabiliter sequuntur effectus ex suis causis vel propter ipsam causarum naturam, vel propter causam aliquam externam, quæ causam aliam ad certum effectum determinat, & effectus ipsi non possunt magis esse immutabiles, quàm sunt ipsorum causæ: ideo *necessitas duplex esse dicitur: Alia absoluta siue simplex, quæ eorum est, quorum opposita simpliciter sunt impossibilia, propter naturam causæ vel subiecti, de quo dicitur:* vt sunt proprietates Dei essentiales & hypostaticę videlicet, Deus est, Deus viuit, Deus est bonus, iustus, sapiens, &c. Deus est æternus Pater, Filius, & Sp. S.

Necessitas absoluta. Consequentiæ.

Alia verò est necessitas consequētiæ siue ex hypothesi, quę est immutabilitas eorum effectuum, qui sequuntur ex causis, quibus positis necesse est quidem effectum sequi, sed ipsæ tamen causæ vel non existere, vel mutari poterant. Sic necessaria sunt, quæ deus decreuit vt fiant, propter immutabilitatem decreti diuini, quod tamen Deus liberrimè fecit, ab æterno vel non decernere poterat, iuxta dictū Matth. 26. *An putas me non posse nunc precari Patrem meum, qui huc sistat mihi plures quàm* 12. *legiones angelorum?*

Quomodo

Quomodo ergo implerentur Scripturæ? Item, *quæ per causas quidem secundas fiunt, quæ sic sunt à Deo conditæ, vt sua natura non possint aliter agere quàm agunt, sed tamen ab ipso tolli aut impediri, aut mutari possunt:* vt sol & vmbra cum sole progrediens in consequentia, & tamen cõsistens in pugna Iosuæ, & regrediens tempore Ezechiæ: Ignis vrens admota corpora quæ vri possunt, & tamen non vrens tres iuuenes in fornace babylonica: vel quę sua quidem natura sunt idoneæ ad contrarium vel diuersum producendum, vel ad suspendendum effectum, nec aliter possunt agere, quia sic à Deo cientur, vel ab aliis causis, quæ licet non mutantur, tamen mutari poterant, vel quando sic agunt, non possunt simul non agere aut aliter agere, eò quòd contradictoria non possunt simul esse vera.

Fortuna & casus aliquando pro ipsis cuentibus siue effectibus sumuntur, qui causas per accidens comitantur propter causas per se nobis occultas: vt cùm fortunam bonam aut malam, casum fœlicem dicimus. Aliâs verò *causas talium cuentuum significant, siue manifestas, quæ sunt per accidens,* vt cùm dicitur, fortuitò aut casu aliquid esse factum: *siue occultas quæ sunt per se.* vt, *Fortuna omnipotens & ineuitabile fatum. Et fortunam quidem nominare solent causam per accidens in agentib. voluntarijs, quorum actiones fortiuntur aliquem cuentum raro contingentem,* præter institutum, vt qui fodiens ædificandi causa, thesaurum inuenit. *Casum verò causam per accidens in agentibus naturalibus, quorum motus habent effectus nec proprios nec semper contingentes, sine manifesta causa eos gubernante,* vt si tegula de tecto ruens occidat prætereuntem. Fortuna Casus.

Fati nomine alicubi decretum & prouidentia diuina intelligitur, vt, *Desine fata Deûm flecti sperare precando.* Stoici verò hoc vocabulo intelligebant *connexionem omnium causarum & effectuum immutabilem, ex ipsarum causarum natura pendentem, ita vt neque secundæ causæ aliter agere possint, quam agunt, neq; prima aliter agere possit, quam agunt secundæ, atq; ideo omnes omnium causarũ effectus sint* Fatum philosophicum Stoicum.

absolutè

absolutè necessarij. Hoc dogma Stoicorum, quia Deum sua libertate & omnipotentia spoliat, & ordinem ac modum agendi in causis secundis diuina sapientia institutum abolet, non modò philosophia sanior, sed etiam Ecclesia repudiat ac damnat: ac manifestè se à Stoicis dissentire profitetur. Primò, *quia Stoici Deum alligant causis secundis, vt sicut fert harum natura, sic necesse sit illum per eas agere:* Ecclesia verò non Deum ex causarum secundarum, sed causas secundas ex Dei tanquam summi & liberrimi gubernatoris ac Domini præscripto agere & ipsius arbitrio subiectas atque alligatas esse docet. Secundò, *Stoici sentiebant, neque Deum neq; causas secundas quicquam aliter sua natura agere posse, quàm agunt:* Ecclesia verò affirmat, non tantùm causas secundas, aliâs ad certos ac definitos, aliâs ad varios & oppositos effectus producendos à Deo conditas atque ordinatas esse: sed ipsum quoque Deum, siue per causas secundas, siue sine illis, siue per mutabiles sua natura, siue per immutabiles, omnia quorum opposita cum ipsius natura non pugnant, vel non decernere, vel aliter decernere atque efficere ab æterno potuisse: sic autem decreuisse & efficere, non quia aliter non potuerit, sed quia sic ipsi libuit, sicut dicitur, Psal. 115. *Deus noster in cœlo omnia quæcunq; voluit fecit.* Et Luc. 1. *Non erit impossibile apud Deum vllum verbum:* quo videlicet natura ipsius non negatur, siue tollitur, vt dicitur 2. Tim. 2.

Ex his ad argumentũ respondemus. Primùm est plus in conclusione quàm in præmissis, cùm dogma Stoicum obiicitur Ecclesiæ. *Etsi enim Ecclesia fateatur omnes euentus respectu diuinæ prouidentiæ necessarios esse;* tamen hęc necessitas nequaquam est fatum Stoicum: quia & libertatem in Deo res pro arbitratu suo moderante, & mutabilitatem in causis secundis Ecclesia contra Stoicos defendit, atque ex verbo Dei docet, multa & nunc facere & ab æterno decernere potuisse Deum, quæ nec facit nec decreuit. Atque ideò à *fati* quoque appel-

appellatione abstinuit, ne absolutam omnium rerum necessitatem cum Stoicis eum asserere quispiam suspicaretur.

Secundò: Si remoto Stoicismo, *tamen omnium rerum necessitas, & contingentiæ, fortunę & casus abolitio abijciatur*: ad Maiorem respondemus per vocabulorum distinctionem. Quæ enim prouidentia diuina fiunt, necessariò quidem fiunt, sed ea tantùm quæ ex hypothesi est siue consequentiæ necessitate, non autem simplici siue absoluta. Non igitur hac, sed illa tantùm necessitate omnia euenire sequitur. *Necessitas autem consequentiæ nequaquam tollit contingentiam.* Ratio hæc est: *Quia idem effectus causas habere potest quarum alię mutabili, aliæ immutabili ordine illum producant: ideoque aliarum respectu contingens, aliarum verò necessarius est.* Vt enim fontes siue causæ contingentiæ in rebus sunt libertas in voluntate Dei, & angelorum, ac hominum, & materiæ elementaris natura mutabilis, & ad varios motus & formas aptitudo siue inclinatio: Sic *necessitatis absolutæ in Deo* causa est ipsa Dei natura immutabilis: *necessitatis autem consequentiæ*, prouidentia siue decretum diuinum intercedens iis, quæ natura sua sunt mutabilia, & natura rerum creatarum ad certos effectus à Deo formata & ordinata, & tamen liberrimæ Dei voluntati & gubernationi vel secundùm, vel præter, vel contra hunc ordinem ab ipso conditum subiecta. *Respectu itaq; causarum secundarum, alia necessaria sunt*, quæ nimirum ex causis vno modo perpetuò agentibus fiunt, vt motus Solis, vstio materiæ igni admotæ, quæ vri potest, &c. *alia contingentia*, quæ causas habent contingenter agentes, hoc est, ad varios contrarios effectus producendos aut suspendendos natura sua idoneas, vt flatus ventorum, motus locales animantium, actiones voluntatum humanarum. *Respectu verò primę causæ*, hoc est, *voluntatis diuinæ, omnia quæ sunt aut fiunt extra Deum, partim necessaria, partim contingentia sunt: necessaria* quidem

Necessitas consequentiæ non tollit contingentiam.

Idem respectu diuerso & cõtingens est & necessarium.

dem etiam quæ causas secundas habent maximè mutabiles, vt quòd nõ frangebantur ossa Christi in cruce à militib. propter immutabilitatem decreti & prouidentiæ diuinæ: *contingentiam* verò propter illius æterni atque immutabilis decreti & eiusdem executionis libertatem, etiam ea quæ, quod ad ipsarum naturam attinet, causas secundas habent maximè immutabiles, vt motus solis & vmbrarum.

Quæ contingentia negetur.

Si igitur contingentiam intelligunt mutabilitatem effectuum quam habent ex natura causarum secundarum, seu ex potentia & libertate diuina, nequaquam sequitur res non esse contingentes, propter necessitatem quam habent ex diuina prouidentia. Hæc enim non tollit, sed conseruat potius naturam, ordinem & modum agendi in causis secundis à deo institutã: *Si verò contingentiam intelligant mutabilitatem causarum secundarũ & effectuum ita fluctuantem, vt prouidentia dei non regatur*, talem contingentiam scriptura non admittit.

Motus creaturarum necessarijne sint, an contingentes.

Hinc etiam intelligitur, quòd, cùm *de motibus & effectibus creaturarum quæritur necessarijne an contingentes nominandi sint*, rectiùs & magis propriè alij contingentes, alij autem necessarij dicantur, etiamsi tam contingentes quàm necessarij diuina prouidentia fiant. Potiùs enim tales nominandi sunt, quales ex suis & proximarum causarum natura existunt, quàm quales sunt respectu prouidentię, quę causa est remotior. Ac nihil est, neq; certiùs neque manifestiùs, quàm ex natura causarum secundarum, alia mutabilia alia verò immutabilia esse: potentia autem diuina licet omnia in rebus creatis mutari possint, immutabilia tamen fieri propter decreti ac prouidentiæ diuinæ certitudinem.

Quæ fortuna negetur.

Sic etiam *de fortuna & casu* resp. *Si, n. his nominibus causæ vel euentus per accidens, nullam per se causam habentes, intelligantur*, procul ab Ecclesia Christiana relegari debent: *Si verò causam per se nostris sensibus atque adeo rationi occultam, aut causas per accidens, quæ causam per*

per se occultam habeant adiunctam, intelligamus: nihil prohibet, respectu causarum secundarum, quæ per accidens causæ sunt, & respectu nostri iudicij, quo causam per se illorum euentuum non assequimur, esse & dici fortuitum aut casu factum id quod respectu diuinæ prouidentiæ accuratissimo ac immutabili consilio & decreto euenit, iuxta dicta: *Passer vnus non cadit in terram sine patre vestro:* Item, *In sinum conijcitur sors, & à Domino est omne iudicium eius.* Mat. 10. Pro. 16.

Obiect. 7. *Qui non possunt aliter agere quàm agunt, apud illos frustraneæ sunt leges, pœnæ, præmia, &c. Sed qui agunt prouidentia Dei non possunt aliter agere, quàm agunt. Ergo, &c. Resp.* Apud illos frustranea suut huiusmodi media, scilicet 1. *Si Deus per ea nolit agere.* 2. *Etiam vbi nihil proficitur huiusmodi medijs, tamen ad illa prosunt vt impios faciant inexcusabiles.* Vt igitur non frustra oritur quotidie & occidit Sol, neque frustra agri conseruntur, aut pluuia rigantur, aut corpora victu reficiuntur, etiamsi Deus lucem & tenebras creat, fruges è terra educit, vita & longitudo dierum nostrorum est: Ita nec frustra docentur, aut ad doctrinam conformare vitam suam student homines, etiamsi & actiones & euentus salutares non nisi à Deo proficiscuntur. Vt enim fines, ita & media, quibus ad illos adducere nos ipsi visum est, ab æterno Deus decreuit ac nobis præscripsit. Illis igitur vtentes rectè facimus, & euentus salutares consequimur: negligentes autem ea, vel nostra culpa nos aut alios bonis à Deo ablatis priuamus, vel si Deus nostri aut aliorum etiam in hoc verbi sui contemptu miseretur, manifesti tamen & grauis peccati nostra nos conscientia accusat.

Obiect. 8. Si omnia fiunt prouidentia Dei, fiet vt bona non mereantur præmia, nec mala pœnas. Resp. Concedo de bonis quòd ea non promereantur præmia: sed nego de malis, quòd ea non promereantur pœnas. Nam licet impij tantùm possint agere malè, ad id tamen vt pœnam mereantur, sufficit ipsorum voluntas.

Obiect. 9. Deus non est author confusionis: 1. Cor. 14. *In mundo autem est multiplex confusio, & ordinis turbatio. Ergo aut nihil, aut saltem non omnia in mundo reguntur diuina prouidentia.* Resp Si ex confusionibus mundi colligitur, nullam esse prouidentiam, plus est in conclusione quàm in præmissis, siue à dicto secundùm quid proceditur ad dictum simpliciter. Cùm.n. multa in mundo sint ordinata, vt motus cœlestes, conseruatio specierum, politiæ, pœnæ sceleratorum &c. non de omnibus sed de his tantùm, quæ contra ordinem diuinitus institutum fiunt, licebit hoc argumento concludere, quòd prouidentia non regantur: ea verò in quib. ordo manifestissimus est, euidens diuinæ sapientiæ & efficaciæ testimonium erunt. *Sin autem inordinata illa non regi à Deo concludatur*, etiam sic erit plus in conclusione, quàm in præmissis. Non. n. confusa, sed confusionem seu turbationem ordinis quæ in illis est, non esse à deo sequitur: Sicut mali à Deo sunt creati: etsi malitia ipsorū à deo non sit orta. Nam de concreto dici necesse est quicquid dicitur de abstracto. Quare si rursus instetur, *posita hac maiore inordinata aut non esse aut non regi à Deo: ac proinde multa in mundo non fieri prouidētia*: etiam sic non vno modo peccatur in maiore. Primùm n. vt concedi possit, inordinata, si simpliciter talia sint, non esse aut regi à Deo non tamen de iis concedi potest, si confusio & ordo simul in ipsis diuerso respectu inueniatur. Iam verò nihil adeò repugnans ordini à Deo sancito committunt, vel diaboli vel homines, in quo, etsi praua ipsorum voluntatis respectu maximè sit inordinatum, tamen ordo diuinæ iustitiæ, potentiæ & bonitatis sapientissimus non sub confusione ab illis attracta lateat, & plerunque etiam vel euentu vel deo ipso sua voce monstrante, manifestò eluceat. Magna confusio erat in Iudæorum parricidio, crucifigentium Dei Filium: & nihil tamen magis admirabili ordine & sapientia manus & consilium Dei definiuit, quàm mortem Filij pro nostris peccatis.

Præterea *quæ iusti patiuntur mala, & quibus iniusti fruuntur bona, inordinata iudiciis humanis videntur:* Dei tamen iudicio, optimus & iustissimus in illis ordo existit, propter causas in verbo dei expositas. Non autem quæ nostro, sed quæ dei iudicio inordinata sunt, ab ipsius voluntate & effectione remouenda sunt.

Denique *licet actiones peccantium Deus propter fines bonos & iustos velit fieri,* peccata verò eorum nec velit, nec efficiat, ac proinde hæc non à deo sint, neque ex prouidentia diuina fiant: & ipsa tamen fieri diuina prouidentia fatendum est, non quidem efficiente, sed tamen permittente, iisq; metas præfigente, & in obiecta & fines, in quos deo visum est, dirigente.

Denique etiam dicta quędam Scripturæ falsis interpretationibus contra vniuersalem dei prouidentiam torquent, vt Ioh. 8. *Cùm diabolus mendacium loquitur, ex propriis loquitur.* Iac. 1. *Deus neminem tentat.* Sirac. 15. *Impiè agere nemini præcepit, &c. & alia horum similia, quibus peccata Deo autore fieri negatur.* Sed ea loca malis quidem tribuunt & à deo remouent peccata, vt mendacia, solicitationes ad peccandum, sed ipsas actiones malorum, quatenus non peccata, sed actus sunt diuinæ bonitati vel iustitiæ exercendæ & manifestandæ seruientes, tota Scriptura, dei voluntate, & quatenus etiam peccata sunt, iusta ipsius permissione docet fieri: vt *de Satana decipiente prophetas Achabi: de pseudoprophetis, per quos explorat & patefacit deus hypocrisin aut constantiam hominum in vera religione.*

Peccata fiunt prouidentia Dei, non ex illa.

Act. 5. *Satanas impleuit cor Ananiæ.* 2. Cor. 4. *Deus huius seculi excęcauit mentes infidelium. &c.* In his & similibus dictis etiam discernitur opus diaboli excæcantis iniustè, vt perdat: & dei excæcantis iustè per diabolum, vt puniat.

Act. 5. *Si ex hominibus est consilium hoc, dissoluetur.* Et Ies. 30, *Væ filiis defectoribus, vt faciant consilium quod non est ex me.* Consilia hominum non ex Deo, sed ex ipsis esse dicuntur quoad fines, quos homines omissa dei

voluntate ipsis reuelata spectant & non assequuntur: non autem quo ad fines quos spectat deus, & per malos, ipsius voluntatem ignorantes aut contemnétes, non minus quàm per bonos assequitur: vel, quod eôdem redit, quatenus peccata sunt, hoc est, à voluntate Dei patefacta aberrant, non autem quatenus executio voluntatis diuinæ sunt siue arcanæ siue patefactæ.

1. Cor. 9. *Deo non est cura de bobus*, scilicet principaliter, siue ita vt de hominib. Nam & inuentis escam suam dat. Illud igitur, *Boui trituranti non obligabis os*, ideo præcipuè dictum est, vt ostendat Deus quid homines hominibus præstare velit.

Sic *impij sæpè dicuntur abiecti è conspectu Dei*, non quòd prouidentia Dei ad ipsos non extendatur: sed quòd eos misericordia & beneficentia sua, sicut pios non prosequitur. Nam & pij queruntur *se à Deo negligi* cùm affliguntur, non quòd Deus non sit cum ipsis in afflictione, sed quòd sensus & iudicium humanum hoc nobis dictant. Et *contra impios dicitur Deus ponere faciem suam, vt perdat eos*, Leuit. 20. &c. 2. Reg. 7.

3. *Cur necessaria sit cognitio doctrinæ de Dei Prouidentia.*

Hanc doctrinam scire necesse est. 1. *Propter gloriam Dei*: negata enim prouidentia, negantur & attributa: his autem negatis, Deus non celebratur. Agnoscenda est igitur Prouidentia dei, vt ipsi tribuatur omnipotentiæ, sapientię, bonitatis, & iustitiæ suæ laus.

2. *Propter nostram salutem*: & quidem primò, *vt simus patientes in rebus aduersis*. Omnia patienter ferre debemus: quęcunq; n. deus nobis immittit siue bona siue mala, in iis consideramus paternam Dei erga nos voluntatem. Quicquid consilio, & voluntate Dei nobis accidit, & nobis est salutare, illud patienter debemus ferre: Sed omnia mala consilio & voluntate Dei nobis eueniunt, nobisque sunt salutaria: Ergo omnia mala debemus patienter ferre. Secundo *vt simus*

mus grati pro beneficiis acceptis à deo. Grati esse debemus, quia à quo omnia bona corporalia & spiritualia magna & parua accipimus, ei debemus esse grati, & ipsum celebrare: A Deo autem bonorum omnium authore omnia habemus: Ergo grati esse Deo debemus, ipsumq; celebrare. *Gratitudo duas habet partes.* 1. *veritatem,* vt agnoscamus beneficium, & gratias agere atq; habere possimus. 2. *Iustitiam* vt gratiam referre possimus. Vel, *Gratitudo consistit.* 1. *In agnitione beneficij.* 2. *In celebratione.* 3. *In remuneratione.* Tertiò, *vt spem bonam de futuris cõcipiamus, dum Prouidentia sua dominus nos ex malis eripit*: qui decreuit immutabiliter, & qui potest & vult seruare credentes, ipse nunquam finit eos perire. *Spes* hîc significat talem spem, quæ statuit omnia nobis etiam in posterum profutura ad salutem, nec vnquam Deum ita deserturum nos, vt pereamus.

Ex his patet, omnia pietatis seu religionis fundamenta conuelli, vbi non statuitur Prouidentia Dei: quia. 1. *in aduersis nunquam erimus patientes, nisi sciamus ea à Deo Patre nostro nobis immitti.* 2. *Nunquam grati pro beneficiis erimus, nisi agnoscamus ea diuinitus nobis dari.* 3. *Nunquam spem de futuris habebimus, nisi faciamus voluntatem Dei præsentem, eamq; immutabilem esse de omnibus Electis seruandis certò persuasi simus.*

SECVNDA PARS SYMBOLI de Filio Redemptore.

IN hac secunda Symboli parte, *de Mediatore agitur. Doctrina autem de Mediatore* duabus constat partibus Prior est *de Persona Mediatoris: altera de eius officio. De Persona* agunt articuli duo priores. *Et in Iesum Christum Filium eius vnicum dominum nostrum: qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria*

virgine. De officio agunt articuli sequentes vsque ad tertiam partem Symboli, in qua agitur de S.S.

Duæ autem officij partes sunt: humiliatio, seu meritum & glorificatio, seu efficacia. De humiliatione agunt Articuli, *Passus sub Pontio Pilato, Crucifixus, Mortuus, Sepultus, descendit ad inferos. De glorificatione* agunt Articuli, *Tertia die resurrexit à mortuis Ascendit ad cœlos, Sedet ad dexteram Patris omnipotentis, Inde venturus est ad iudicandum viuos, & mortuos. Humiliatione* Christus est meritus: efficax est *glorificatione.* Hinc apparet, summa sapientia Articulos illos esse conscriptos. Sunt enim eleganter ad Quæstionem de Mediatore accommodati.

Prior pars officij, videlicet Humiliatio, hos habet gradus, *Passus, Crucifixus, Mortuus, Sepultus, Descendit ad inferos*: atque ita paulatim à minoribus ad maiora descendimus, ad extremam scilicet humiliationem. *Altera pars officij, nempe Glorificatio,* à Resurrectione Christi vsque ad postremam partem Symboli de S. S. extenditur, atque ita à minore gloria ascenditur vsque ad summam. Idem ordo, atq; eadem sapientia conspicitur & in Symboli parte prima, conspicitur etiam non multò pòst in tertia parte, in qua nimirum pulcherrimo ordine recensentur beneficia Christi quæ nobis per Spiritum sanctum applicantur. Atque illa Symboli postrema pars est tantùm fructus præcedentium articulorum. *Sunt duo nomina Filij dei, Iesus, Christus,* quæ significant officium eius. Quorum explicatio continet totam doctrinam de *Mediatore.*

Differunt porrò beneficia Christi ab ipsius officio. Nam *beneficia* sunt ipsæ res, quas officio suo nobis impetrat, & largitur. *Officium* est ipsa impetratio earum rerum, quas nobis *efficacia* sua confert. *Huius officij sui respectu Christus etiam dicitur Seruator*, & quidem duobus modis, *merito* scilicet, *& efficacia. Seruator* vocatur, quia *nos liberat.* 1. *ab omni peccato & morte.* 2. *Quia solus nos liberat.* 3. Quia *perfectè.* 4. Hoc vtî dictum est duobus modis, *merito, & efficacia.* De his paulò pòst commodi-

commodiùs dicetur.

Et in Iesum Christum Filium eius vnicum dominum nostrum.

Cùm de nomine *Iesu & Christi* quæritur non tantùm quęritur de etymologia quid significet, sed etiam *de officio Mediatoris.*

1. *Iesus significat Seruatorem & autorem Salutis.* Matt. 1.21. Luc. 1.31. *Mediatorem* ergo significat. Vera Etymologia est ab angelo tradita. 2. *Quia liberat & seruat nos à malis culpæ & pœnæ*, & quidem perfectissimè. Salus autem quam affert, est iustitia & vita æterna. Ro. 5. 17.18. 1. Cor. 1.30. Filius Dei appellatur *Iesus Χ̄ς̄ ἐξοχὴν*

Sanguis Iesu Christi purgat nos ab omni peccato. 1. Ioan. 1.7.
In ipso estis consummati. Col. 2.20.
Ego do eis vitam æternam. Ioan. 10. 28.
Factus est nobis sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio. 1. Cor. 1 30.
Deus dedit nobis vitam, & hæc vita est in Filio, vnus Deus, vnus Mediator. 1. Ioan. 5. 11. 1. Tim. 2. 5.

Ob. At etiam Pater & Spiritus Sanctus liberant nos. ergo non potest esse proprium Christi nomen, nec solus nos liberat. Resp. Ita modo est discrimen. *Filius* suo merito & in sua persona præstat: *Pater* per Filium, tanquam fons: S.S. tanquam immediatè, effector regenerationis. *Efficacia* est communis tribus personis: *modus* autem est Filio proprius. 1. Cor. 2.1.

1. *Ille autem est Mediator*, executor soluens λυτρον dans. S. S. regenerans & suscitans nos ad vitam æternam. Sp. sanctus non regenerat, nisi dante Filio.

2. *Excludit creaturas*, & solus opponitur creaturis omnibus. *Nemo novit quæ sunt dei nisi spiritus dei.* Nam & hinc sequeretur Patrem & Filium seipsos non nosse. Col. 2.20.

3. *Quia perfectissimè liberat & planè. In ipso estis consummati*, id est, habetis omnia quæ ad beatitudinem æternam pertinent. Per & propter hunc Iesum estis filij Dei perfecti & beati. Col. 2. 11. 1. Ioan. 1.7.

In ipso habitat omnis plenitudo deitatis corporaliter. 1. Ioan. 2.1.
Sanguis Iesu Christi purgat nos ab omni peccato. Rom. 5.
Item, ipse solus potuit pro nobis satisfacere. Isai. 53.
Habemus aduocatum erga Patrem, Iesum Christum. Vnius obedi-

entia

entia omnes sumus iusti. Coniecit in eum omnes nostras iniquitates. Hæc de liberatione. 4. *Seruator est merito, id est, passione & intercessione, & efficacia. Efficacia,* qua regenerat in hac vita, & seruat renatos ne rursus deficiant, & tandem suscitat ad vitam æternam. *Ego mittam vobis à Patre. S.S. Alius est, qui baptizat S.S. & igni. Ascendens in altum dedit dona hominibus, alios Pastores, alios Doctores, &c. Ascendit supra omnes cœlos, vt impleret omnia. Deum nemo vidit vnquam: Filius qui est in sinu Patris, ille nobis exposuit.*

Ioan. 15.16. Mat. 3.11. Ephe. 4.8. 10. 11. Ioan. 1.18.

De conseruatione, *sequuntur testimonia. Creditis in deum & in me credite. vobiscum sum vsq; ad consummationẽ seculi. Non relinquam vos orphanos.* De suscitatione. *Ego suscitabo eum in nouissimo die. Oues meas nemo rapiet: ego vitam æternam do eis. Cùm subiecerit omnia sibi, sistet Eccle. gloriosam in conspectu Dei, quam elegit ab initio mundi ad finem vsq;.* Liberat electos vel credentes omnes & solos: quia in iis consequitur suum finem. Constituit n. colligere Eccl. in hac vita, sed ea conditione vt accipiat beneficium illud & sit ei gratum. Ex his tanquam πόρισμα, sequitur, Quòd qui non credunt in vnicum hunc Seruatorem, non tribuunt ei hunc honorem, quòd sit vnicus Seruator.

Ioan. 14.1. Mat. 28.20. Ioan. 6.5.4. & 10.28. 1. Cor. 15.38 Ioan. 11.52. & 17.6.

Obiect. At Deus vult vt sancti pro sanctis orent. Ergo non hoc non faciendum est, aut non violatur gloria intercessionis Christi, si partem eius intercessionis alteri tribuamus. Resp. Est magnum discrimen intercessionis Christi & aliorum. *Christus intercedit pro nobis apud Patrem,* vigore propriæ dignitatis & meriti. Propter suam dignitatem exauditur, & sic, quę petit, impetrat. *Sancti propter Mediatorem petunt & impetrant.* Summa totius responsionis hæc est. *Qui perfectus & vnicus Seruator est, is neq; partem salutis tantùm habet, neque cum aliis confert. Christus est solus & perfectus Mediator. Ergo, &c.*

Ob. Fuerunt & alij quidam hoc nomine insigniti. Resp. Sed hoc ideo factum. 1. Quia illi typi fuerunt huius. Hic verò significatus, & verus. Parentes Iosue, quando infanti

hoc

hoc nomen indebant, ne ſuſpicari quidem potuerunt liberationē futuram per ipſum: Deus autem ſciuit,& ideo direxit eorum voluntatem. 2. *Quia Deus beneficia tantùm corporaliter præſtabat per eos ſuo populo:* hic verò non tantùm à corporis, ſed & ab animæ, pœnæ, & culpæ malis nos liberat. 3. *Alij tantùm erant inſtrumenta & miniſtri, per quos dabat Deus illas res corporales:* non rerum autem earum autores erant. Hic autem Ieſus etiam eſt autor non modò corporalium,ſed etiam ſpiritualium donorum.

Credo in Ieſum Chriſtum.

1. Credo eſſe aliquem humani generis ſeruatorē: id quod & ipſæ voces Heb. *Ieſchea & maſchiah* denotant, quæ idem ſignificant quod Seruator & Vnctus.

2. Credo hanc perſonam eſſe iſtum hominem Ieſum natum ex Maria virgine. Quæ hunc ſuum primogenitum peperit. Hunc Deus vult audiri: *Hic eſt filius ille meus dilectus, in quo acquieſco, ipſum audite.* Hunc deus vult celebrari: *Qui non honorat Filium, non honorat Patrem qui miſit eum.* Mat. 1. 24. Mar. 17. 5. Ioan. 5. 23.

3. Credo hunc Ieſum nos liberare à malis culpæ & pœnæ: in hac vita inchoatione, in futura autem conſummatione. Nam inchoat hîc iuſtitiam, & reliqua beneficia, eaque perficit in altera vita.

4. Credo non ſolùm aliorum Electorum, ſed etiam meum eſſe ſeruatorem hunc Ieſum.

5. Credo eum ſaluare me non ſolùm *merito*, quia meretur nobis remiſſionē peccatorum ſua interceſſione, & obedientia: ſed etiam *efficacia*, quia per Spiritum ſuum nobis datum nos regenerat. Vnde patet donationem S. S. eſſe partem liberationis: quia nimirum S. S. regenerat nos, & à peccatis corda noſtra renouat. Peccato verò abolito mors diſinit, *ad quam* (cum ſuis omnib. mediis Diabolo ſcilicet & peccato) *deſtruendam Chriſtus venit.* Sublata igitur cauſa tollitur effectus. Obſeruādæ ſunt hoc loco circumſtantiæ, quę conſpiciuntur in Liberatione noſtri per Seruatorem.

1. *Quis*

1. *Quis liberat.*
2. *Quos.*
3. *Cui.*
4. *A quibus.*
5. *Quomodo.*

1. Filius Dei, Mediator noster nos liberat, ac seruat. *Mediator autem noster est* & dicitur. 1. *Quia Medius est inter deum, & homines, & nos deo reconciliat, ac pro nobis intercedit.* 2. *Quia per hunc Pater nobis confert omnia beneficia Sp. S. virtute. Ego vitam æternam do eis: nec peribunt in æternum. Ad hoc patefactus est Filius dei, vt dissoluat opera diaboli.* Seruat autem nos Filius. 1. *Solus:* nam quia solus Filius est noster Mediator, ideo & ipse solus est noster seruator: id quod Script. test. declarant. *Non est aliud nomen sub cælo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos seruari. Qui non credit in Filium iam condemnatus est: quia non credit in nomine vnigeniti Filij dei. Vitam æternam dedit nobis deus: & hæc vita æterna in Filio eius est. Vnus deus, vnus etiam Mediator dei & hominum, homo Christus Iesus.* 2. *Perfectè nos seruat Filius,* atque adeo salutem nobis perfectissimè confert: quia meritum eius est perfectissimum, idque duas ob causas. 1. *Quia deus est. Deus enim sanguine suo redemit Ecclesiam*: vnde & satisfactio ipsius anteponitur omnium Angelorum pœnis, & satisfactioni. 2. *Propter grauitatem supplicij quod sustinuit*: tantos enim passus est cruciatus, vt etiam condemnati in æternum tantos ac tam sufficientes afflictiones & tormenta sustinere, atque ideo iræ & iustitiæ dei satisfacere nequeant.

Ioan. 10. 28. 1. Ioan. 3. 8. Act. 4. 12. Isa. 43. 11. & 25. Ioan. 3. 18. 1. Ioan. 5. 11. 1. Tim. 2. 5. Act. 20. 28.

Hinc patet *Resp.* ad illam *Ob. Pœna sufficiens debet esse æterna pro peccato: sed Christi pœna, quam sustinuit pro peccatis nostris non fuit æterna. Ergo pœna Christi pro peccatis nostris non fuit sufficiens, & per consequens non satisfecit iræ Dei. Resp.* Ad Maiorem, Pœna sufficiens pro peccato, vel esse debet æterna, vel æternæ debet æquipollere: sed pœna quam Christus sustinuit æternæ

æqui-

æquipollet, propter causas iam dictas.

2. *Quorum Seruator sit Filius*, aut quos intercessione sua liberauerit, manifestum est, omnes videlicet Electos.

3. *Cui nos Filius liberauerit*, etiam constat, nempe Patri suo.

4. *A quibus nos liberauerit iam dicendum*, videlicet, *ab vtroq; malo, culpæ & pœnæ*. A malo culpæ. *Ipse seruabit populum suũ ex peccatis ipsius*. A malo pœnæ, *quia sublato peccato tollitur & peccati pœna, quæ est effectus peccati.* Mat. 1. 21.

5. *Quomodo Filius nos redemerit*, iam postremò considerandum. Non tantùm seruat nos *merito*, sed & *efficacia*, vt paulò antè dictum est. *Merito, seu satisfactione seruat nos*, id est, sua obedientia, morte & passione meritus est nobis remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo Spiritu S. salutem & vitam æternam. *Quòd merito nos seruet*, his testimoniis confirmatur. *Sanguis Iesu Christi purgat nos ab omni peccato. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: nec pro nostris solùm: sed etiam pro totius mundi peccatis; Per vnius obedientiam iusti constituentur multi. Iehoua coniecit in eum iniquitates omnium nostrûm. Efficacia*, qua nos seruat Filius, *complectitur totum beneficium redemptionis*, ab ipso per fidem Spiritus sui virtute nobis collatum. Nam quæ beneficia meritus est morte sua nequaquam sibi soli retinet, sed ea nobis confert. Salutem enim & vitam æternam (quam habebat) non sibi sed nobis peperit vtpote noster Mediator. 1. Ioan. 1. 7. 1. Ioan. 2. 2. Ro. 5. 19. Isa. 53. 6.

Efficacia igitur nos seruat. 1. *Quia patefecit nobis voluntatem Patris, reuelauit Euangelium, illud nobis restituit, & conseruat.* 2. *Quia per ministerium nobis dat Spiritum S.* & per eum accendit in nobis fidem, & pœnitentiam: & sic verbo & spiritu colligit Ecclesiam, condonat peccata, recipit in gratiam, & intercedit pro nobis suo ipsius merito, & propter suum λύτρον. 3. *Collectam Ecclesiam defendit & seruat* contra mundum, Diabolos, & contra nos ipsos: denique contra omnes omnium hostium

hostium insultus corporales & spirituales. 4. *Dat Ecclesiæ hospitia in hac vita*, sustentat eam, suscitat etiam corpora nostra, glorificat Ecclesiam, ornat eam gloria, & eandem donat vita æterna. *Quòd porro seruet nos efficacia*, probant hæc testimonia. *Nemo nouit, quis sit filius, nisi Pater, & quis sit Pater nisi filius, & cuicunque voluerit filius detegere. Vnigenitus ille filius qui est in sinu Patris ipse nobis exposuit. Ego quidem baptizo vos aqua ad resipiscentiam: is verò qui post me venit, vos baptizabit S.S. & igni. Spiritus ille veritatis quem ego mittam vobis à Patre. Quum ascendisset in sublime captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus.*

Ioan. 1. 18.

Mat. 3. 11.

Ioan. 15. 26.

Eph. 4. 8.

Credo in Iesum Christum.

IN nouo testamento non tantùm credere nos oportet esse Seruatorem, eumq; esse exhibitum: sed & *hunc natum ex Maria virgine*, qui iam exhibitus est, & patefactus, & declaratus Filius Dei vnigenitus, esse illum Seruatorem, promissum Christum. Est autem *Christus*, quasi nomen appellatiuum: *Iesus* quasi nomen proprium: ac duobus his nominibus officium Christi designatur. Itaq; cùm quæritur de nominibus filij, quæritur etiam *de officio Mediatoris*. Verùm nomine *Iesu*, continetur magis summatim, quàm expressè officium Christi. Clariùs enim Christi personam illud nomẽ designat: addito autem appellatiuo, *Christus*, magis declaratur eius officium proprium & certum. Notat enim tres certas officij partes: nempe *Propheticam, Sacerdotalem, & regiam functionem*. Ideo autem triplex hoc munus nomine Christi. h. e. Vncti, designatur, quia tantùm Prophetæ, Reges, ac Sacerdotes vngi solebant.

Obiect. Sed fortassis ad vnum horum officiorum vnctus fuit Christus. Resp. Dicitur in Scriptura Propheta, Rex, & Sacerdos: deinde per personas vnctas, quarum tres ille species erant in veteri Test. Christus significabatur. Ergo fuit vnctus ad hæc tria. Cæterùm vnctio erat ceremonia, qua Prophetæ, Sacerdotes, aut Reges

ges confirmabantur in officio suo, ad quod vngebantur oleo siue singulari, siue vulgari adhibito. Et significabat vnctio. 1. *Ordinationem, seu vocationem ad officium.* 2. *Promissionem Donorum ipsis ad officium suum necessariorum; & eorundem collationem.* Analogia vnctionis, & rei per eam significatæ hæc erat. Quemadmodum oleum membra arida eo inuncta pinguefacit, & agilia reddit, eaque vegetat, reficit, fœcundat, confirmat, & homines ad exequendum officium suum promptos efficit & alacres: ita. S. S. animum eorum recreat, qui ad munus aliquod ordinãtur, suppeditat iis vires, quibus illi per se inepti ad boni quid agendum ad efficiendas res Deo gratas, easq; peragendas reddantur idonei: denique confirmant facultatem administrandi officia ipsis à Deo iniuncta.

Potrò *qui vngebantur in veteri Test. typi erant huius Christi*, & erant vnctione sua tantùm vmbræ: nam vnctio eorũ erat valde languida & imperfecta. Sed vnctio Christi perfecta est. *In ipso. n habitat plenitudo Deitatis:* & ipse solus omnia S. S. dona habet numero & gradu summa. In veteri Test. alij dona accipiebant plura, alij pauciora: deinde nec omnia, nec eodem gradu dona accipiebant. Hic autem Christus vnus habet omnia. Licet igitur vnctio competat vtrisque, Christo scilicet & illis in veteri testamento, tamen Christo verè & perfectè competit.

Obiect. Atqui nusquam legimus Christum esse vnctum. *Resp.* Christus quidem nõ est vnctus ceremonialiter, sacramentaliter, typicè: sed spiritualiter quòd ad rem significatã attinet. De hac vnctione legitur in Nouo & vetere test. *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis vltra consortes tuos. Spiritus dei super me: ideo vnxit me, &c.* Et quia non debebat Christus esse typicus rex, sacerdos, & Propheta, sed significatus & verus: ideo etiam non typicè sed realiter debebat vngi. Nam oportuit esse analogiam inter officium & vnctionem, & per consequens, oportuit esse non sacramentalem

Heb. 1. 9. & Psa. 45. 97. Isa. 61. 1.

vnctio-

vnctionem, sed spiritualem: non typicam, sed realem. Vnctus est ergo Christus 1. *Quia ordinatus est ad officium Mediatoris diuinitus*, voluntate Patris. *A me ipso non veni, pater me misit.* Ioan. 7. 28. *Pater loquutus est per Filium quem constituit Mediatorem.* Heb. 1. v. 3. 2. *Quia natura ipsius humana donis à S. S. est ornata.* Hæ autem duæ partes vnctionis Christi inter se differunt hoc modo: quòd illa donorum collatio, ad humanam tantùm naturam: ordinatio ad officium Mediatoris, ad vtramque naturam pertineat.

Inde patet responsio ad hanc *Ob. Qui Deus est non potest vngi: Christus est Deus: Ergo non potest vngi.* Resp. Concedo totum: nempe secundùm id Christum vngi non posse, secundùm quod est Deus. Deus enim non potest vngi. 1. *Quia nihil diuinitati potest accedere.* 2. *Quia S. S. cuius est vngere, proprius est ipsius Christi spiritus, non minus quàm Patris.* Itaque nemo potest ei dare Sp. S. qui est in ipso: sicut etiam nemo tuum Spiritum qui est in te, tibi dare potest: quia quod habes, id tibi non datur. *Inst. secundùm quam naturam solùm potest vngi, secundùm eam est Mediator, vel Propheta, Rex, Sacerdos: Sed tantùm natura humana vngi potest: Ergò secundùm illam est tantùm Mediator. Minorem confirmat vnctionis definitio: Vngi est accipere dona: sed secundùm naturam humanã tantùm Christus accepit dona. Ergo, &c.* Resp. Non est sufficiens definitio vnctionis. *Vnctio* enim non tantùm est donorum acceptio seu collatio, quæ competit soli humanitati: sed etiam designatio vel ordinatio ad officium, quæ conuenit etiam diuinitati. 2. Sunt quatuor termini: in Maiore *vnctio* sumitur pro vtraque parte vnctionis vel pro tota vnctione: in minore tantum pro altera vnctionis parte.

Iam supereſt, vt *de triplici munere*, ad quod Christus vnctus est, breuiter agamus. Primo autem loco notandum, quòd *Christus sit propheta, Sacerdos, & Rex, respectu vtriusq; naturæ*, id quod hæ duæ *regulæ* in verbo Dei fundatæ confirmant.

1. Pro-

1. *Proprietates alterutrius naturæ mediatoris tribuuntur toti personæ tantùm in concreto, seu secundùm communicationem Idiomatum.* 2. *Nomina autem officij mediatoris tribuuntur toti personæ, respectu utriusque naturæ: seruatis tamen Naturarum proprietatibus, & actionum discriminibus:* quia ad officium Mediatoris peragendum requiritur & diuina & humana natura. Irenæus dicit *in nomine vnctionis comprehendi tres personas, vngentem, vnctum, & vnctionem.*

1. De Prophetico munere Christi.

Propheta à προφημι, quasi foras denuntio res futuras. Est *autem Propheta in genere persona a deo vocata, quæ annunciat, & explicat hominibus voluntatem Dei de rebus siue præsentibus, siue futuris: quæ alioqui manent nobis ignotæ:* vtpote quas homines per se non possent cognoscere. *Propheta vel est minister, vel Prophetarum caput, quod est vnus Christus. Ministeriales*, alij veteris, alij noui testamenti sunt. Noui Testamenti alij in specie sic dicti sunt, alij in genere.

Propheta in vetere testamento, est persona immediatè vocata à Deo, ad populum Dei missa in eum finem, vt cultum Dei repurget, errores taxet, pœnas denuntiet, ad pœnitentiam hortetur, futura prædicet, promissionem de Messia exhibendo, & regno eius æterno declaret, ac remissionem peccatorum propter Messiam exhibendum annuntiet: habens partem aliquam politiæ, potestatem aliqua concilia gubernandi, & donum miraculorum aliaque testimonia diuina, & certa, quòd non erret in doctrina, quam proponit Ecclesiæ. In specie, *noui Testamenti Propheta est persona immediatè vocata à Deo, & ornata donis Prophetiæ ad præuidenda, prædicendaque futura, & ad interpretandam Scripturam.* In genere noui Testamenti Propheta est, quisquis habet donum intelligendi, & ad vsum Ecclesiæ applicandi, atque explicandi Scripturas.

Propheta summus, qui est Christus, *est persona immediatè ordinata à Deo inde ab exordio Ecclesiæ in Paradiso in*

æternùm vsquè à Patre missa ad patefaciendam voluntatem Dei erga genus humanum, & instituendum ministerium, & docendum per verbum, & Sacramenta, cooperante Spiritu sancto, & tandem in carne ad Euangelium concionandum, & patefaciendum quòd ipse sit consubstantialis Patris Filius & author Euangelicæ doctrinæ, accendens eam in cordibus hominum, non tantùm eam concionans, vt Minister: ideoque Christus vocatur Logos, non tantùm respectu patris, à quo genitus est cogitatione intuente se & cogitante imaginem sui non euanescentem, sed subsistentem: ipsi patri consubstantialem, coæqualem, coæternam: veram etiam respectu nostri, quia est persona, quæ loquuta est Patribus, & protulit vinificum verbum, seu Euangelium ex sinu Patris.

Munus ergo *Propheticum Christi* est. 1. *Patefacere Angelis & hominibus Deum & eius voluntatem*, quę non potest nisi per Filium, & spiritualem patefactionem nosci. 2. *repurgare legem à corruptelis*. 3. *Patefacere promissionem Euangelij de se nascituro, passuro, morituro de remissione peccatorum, reconciliatione nostri cum Deo, ac de salute, & vita æterna* 4. Tandem etiam *in humana natura voluntatem Dei de nobis, & erga nos voce sua docere, & miraculis hanc doctrinam confirmare*. 5. Non tantùm dare oracula, patefacere voluntatem Dei per prophetas, & eam docere atque explicare in humana natura: sed etiam instituere ministerium, atque illud conseruare, *mittere & instituere alios prophetas, atque Apostolos*. 6. *Dare nobis Spiritum Sanctum*. 7. *Efficacem esse per suam, & aliorum ministerium in cordibus auditorum* 8. *Effucere etiam id quod efficacia Spiritus sui loquitur in cordibus nostris*.

Hinc apparet *discrimen inter Christum, & alios Prophetas, & simul cur Christus sit summus Doctor & Propheta*, atque adeo Prophetarum omnium princeps. 1. *Quia immediatè profert verbum patris*, id est Legatus atq; internuntius à Patre missus. 2. *Quia cum sapientia eius Prophetica sit infinita, & perfecta, omnibus donis antecellit alios*. 3. *Quia alijs reuelatur Prophetia ab hoc Propheta*: ideò dicitur *Spiritus Christi in Prophetis loquutus*. Neque

tantum

tantùm Prophetis doctrinam quam docent patefecit sed & omnibus piis. *Ex plenitudine eius accipimus* Ioan.1.16
omnes, id est, omnes electi, inde ab initio mundi vsque ad finem. *Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus ille filius* Ibid.18.
qui est in sinu Patris, ille nobis exposuit. 4. *Quia hic Propheta Christus instituit ministerium, mittit & ordinat Prophetas, & Apostolos, dat Spiritum Sanctum* & dona ad officium suum Prophetis, Apostolis, & omnibus verbi ministris necessaria. *De meo accipiet, quod renunciabit vobis. Deducet vos in omnem veritatem.* 5. *Quia Christus non* Ioan.16.14.
tantùm est autor doctrinæ, ac ministerij externi institutor & conservator: sed etiam per externum ministerium efficaciter hominibus internè spiritus sancti virtute concionatur.

2. *De Sacerdotali munere.*

Sacerdos in genere est Persona à Deo ordinata ad offerendum pro aliis victimas ac sacrificia, ad orandum pro alijs, & ad alios docendum. Sacerdos alius *est significans*, alius *est significatus* Significans autem, siue typicus Sacerdos *est Persona ordinata à Deo ad offerenda sacrificia typica, & ad intercedendum pro se, & alijs, atque ad docendum alios voluntatem Dei*, præsertim de promisso ac futuro Messia. Tales fuerunt omnes sacerdotes veteris testamenti.

Ob. Videntur igitur nihil differre veteris Testamenti prophetæ, ac Sacerdotes: quia vtrique docent. Resp. Propheta veteris Testamenti doctrinam immediatè accepit à Deo: Sacerdos veteris Testamenti aliunde eam accipere potuit. Porrò, Sacerdos significans vel typicus, aut Sacerdos veteris Testamenti alius *est summus, alius inferior.*

Summus sacerdos vel Pontifex, erat vnus tantùm, qui 1. Solus intrabat *in sanctum sanctorum vel in sanctuarium idque quotanis tantùm semel, & quidem cum sanguine, faciens ibi suffitum* 2. Maiorem habebat ornatum quàm reliqui 3. Reliquis præerat. 4. *Ordinatus erat ad petenda oracula, & per eum responsa ad arcam dabantur. Inferiores erant omnes reliqui veteris Testamenti sacerdotes, quorum officium erat sacrificare, orare, docere doctrinam Legis, &*

promissionem de Messia, intercedere pro se & pro aliis.

Differunt autem Sacerdotes veteris Testamenti à Novi Test. Sacerdotibus. In nouo enim Test. fiunt tantùm Sacerdotes εὐχαριστικοὶ omnes, nempe fideles in sua vocatione, offerentes Deo preces, celebrationem, gratitudinem. Sacerdotium itaque nostrum obedientia est.

Sacerdos significatus, nempe Christus, qui reipsa dicitur summus Pontifex, *est Persona immediatè ordinata à Patre, & vncta à Spiritu sancto ad hoc officium, vt patefaciat nobis arcanam voluntatem Dei, & eius consilium erga nos, atque vt offerat sese pro nobis sacrificium propitiatorium assumpta humana natura, interceden⁹ pro nobis, intercessione sua nobis applicans sacrificium suum, habens promissionem, quòd omnium nomine, pro quibus intercedit, certò semper exaudiatur, iisque impetret intercessione sua remissionem peccatorum: deniq; per Ministerium sanctos illuminans, & Ecclesiam colligens.*

Munus ergo Sacerdotale Christi est. 1. *Docere* non tantùm externa voce, sed etiam efficacia Sp. S. interne. 2. *Offerre seipsum victimam pro peccatis mundi.* 3. *Perpetuò pro nobis intercedere,* hoc est, perpetua sacrificij sui memoria efficere, vt Pater nos recipiat in gratiam. *Orare pro populo,* est omnium Sacerdotum: sed *intercedere in cœlis, & in terris apud Patrem pro nobis, vt remittantur nobis peccata,* est huius summi, & vnici Sacerdotis tantùm. 4. *Applicare suum sacrificium illis, pro quibus orat,* hoc est efficere orando, vt Pater nos recipiat in gratiam, id quod fieri non potest nisi & ipse Christus nos in gratiam recipiat. *Pater pro iis sanctifico meipsum.* 5. Deinde efficere dando nobis veram fidem, *vt amplectamur ipsius beneficia,* satisfactionem scilicet ipsius pro nostra iustitia. Inde constat, *applicationem hæc tria complecti.* 1. *Perpetuam Christi voluntatem nos seruandi.* 2. *Patris immensam charitatem erga nos propter Filium.* 3. *Donorum Christi acceptionem per veram fidem.*

Ex his omnibus etiam liquet *quid à Christo differant reliqui Sacerdotes.* 1. *Illi tantùm docent externa voce,*

non

non interna Sancti Spiritus efficacia. 2. *Non intercedit perpetuò, nec semper impetrant.* 3. *Nemini sua beneficia applicant.* 4. *Non se offerunt victimam pro peccatis aliorum.* Hæc autem omnia sunt solius Christi.

3. *De Regio munere Christi.*

Rex est persona ordinata à Deo, vt ipsa imperet sola secundum honestatis Leges, & habeat potestatem, ac potentiam bonos ornandi præmiis, & malos puniendi, ac defendendi subditos aduersus hostes, non habens dominum superiorem.

Rex Regum Christus est persona immediatè ordinata à Deo, quæ Ecclesiam sanguine suo redemptam regit verbo, & Spiritu, subditos suos afficiens præmiis æternis, defendens eos contra hostes, hostes autem pœnis æternis puniens. Munus ergo Regium Christi est, 1. *Regere nos, & externa Euangelij ac verbi diuini voce, & interna Spiritus sui virtute.* Nam non tantùm docet nos: sed etiam efficit vt obtemperemus illis quæ docet. 2. *Defendere & conseruare Ecclesiam in hac vita contra hostes internos & externos:* atque hoc dupliciter fit. 1. *Dum ipse nos defendit sua omnipotentia.* 2. *Dum ipse nos armis, hoc est, Spiritu sancto instruit, ad resistendum hostibus,* 3. *Ornare Ecclesiam beneficiis, dignitatibus, præmiis, resuscitare illam, atque illi dare ius ciuium,* nempe glorificationem Regni sui, id est vitæ æternæ participationem. 4. *Vincere & gubernare hostes potentia sua,* ac tandem planè debellatos eos in æternas pœnas detrudere.

Notandum est hoc loco *discrimen officij Prophetici, Sacerdotalis, & Regij: tum eorum qui erant in veteri Testamento, tum Christi, tum nostri. In vetere Testamento erant typi, seu typici Prophetæ, sacerdotes, & reges: Christus est reipsa Propheta, Rex, & sacerdos: Nos autem sumus Prophetæ, Reges, & sacerdotes communicatione.* Quale sit autem illud munus nostrum Propheticum, Sacerdotale & Regium videamus,

LOCVS DE COMMVNIONE
Fidelium, seu Christianorum cum Christo.

IN hoc agitur de officiis Christianorum, seu de *coinonia* eorum cum capite suo Christo.

Christiani, hoc est, vncti dicimur communicatione officii & dignitatis Christi. *vnxit te Deus vltra consortes tuos.* Christianorum verò nomen Apostolorum tempore vsurpari cœpit Antiochiæ.

Heb. 1. 9. Psal. 45. 7.

Christiani sunt duplices, Apparentes & veri: apparentes dicuntur *& externi*, vel *non veri apparentes, vel hypocritæ & sunt plus quàm simulati.* Omnes veri, sunt & apparentes: at contrà, omnes apparentes non sunt veri. *Apparentes autem, seu simulati sunt*, qui sunt baptizati, quique profitentur doctrinam Christi, & fidem in eum, & qui sunt in cœtu vocatorum. De his apparentib. dicitur. *Multi sunt vocati &c. Veri sunt*, qui non tantũ sunt baptizati, & profitentur doctrinam Christi: sed etiam qui vera fide præditi sunt, & vera pœnitentia, participes Christi & omnium eius beneficiorum, vel Christi, & vnctionis Christi participes. *Breuius* ita: *veri sunt qui per fidem sunt membra Christi.* Membrum Christi esse, est eundem spiritum, qui in Christo est, habere in nobis habitantem, similiaque in nobis, & in Christo operantem: ita vt vniamur Christo, ei inseramur, cum eo copulemur, & cohæreamus.

Mat. 20. 26.

De veris hisce Christianis duntaxat est hic locus: non de apperentib. *Soli enim veri Christiani sunt participes vnctionis Christi.* 1. *Quod ad collationẽ donorum*, quia sunt participes eorundem donorum S. S. Eadem. n. S. S. efficit in nobis quæ in Christo. *Explenitudine ipsius omnes accipimus*: ita tamen vt quæ accipimus, illa Christus habeat nobis perfectiora. 2. *Quod ad ordinationẽ ad officium*: sicut enim Christus est Propheta, Rex & Sacerdos: ita quoque nobis eadem ipse communicat bene-

Ioan. 1. 16.

beneficia, id est, *facit nos Prophetas, Reges, & Sacerdotes.* *Ratio* similitudinis hæc est: Sicut membra habent vnum caput, & ex illo capite in membra vita, & motus propagantur, eaque inter se sunt copulata: deinde sicut in capite formantur spiritus vitales, proximum scilicet instrumentum sensus & motus: deniq; sicut in capite sunt sensus exteriores & interiores, quib. totum corpus, & singula membra viuificat, videlicet si maneant copulati capiti, & sibi inuicem. Sic Christus est viuum caput, cuius spiritu reguntur, & viuificantur membra: sed ei copulata per spiritum in nobis & in Christo habitantem, idque per fidem, per quam & simus membra Christi capitis nostri: per fidem .n. accipimus Spiritum per quem fit ista vnio. Copulata autem sunt membra inter se per dilectionẽ, quę non potest abesse si simus capiti coniuncti, Cõnexio.n .capitis cũ corpore, est causa connexionis membrorum inter se.

Hæc optimè declarantur à natura corporis humani. 1. *Sicut vita ex solo capite in omnia membra propagatur: sic ex vno Christo in omnia membra Spiritus ipsius spargitur: non autem ex vno membro in aliud. Ego mittam Consolatorem illum vobis à Patre, Spiritum inquam illum veritatis, qui à Patre emanat.* 2. Sicut in corpore humano varia sunt dona, & officia membrorum vna tantùm vita mouens ea omnia: sic in hoc Ecclesiæ corpore varia sunt dona, & officia, & tantùm vnus Spiritus cuius beneficio singula membra possunt obire suam functionem. 3. Sicut caput est in summo loco, ideoque dignius, & in eo fons omnis vitæ: sic in Ecclesia Christus habet superiorem gradum, & in eo Spiritus est sine mensura, & fons omnium bonorum est in eodem: in membris autem, hoc est, Christianis, certæ sunt mensuræ donorum, quæ in illos deriuantur ex vnico capite Christo.

Tripliciter autem Christus est caput. 1. *Perfectione:* quia Deus & homo, donis antecellens omnibus creaturis, etiam quod ad naturam humanam. *In ipso*

habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, & estis in eo completi, &c. Ipse solus dat. S.S. *Hic est qui baptizat spiritu sancto.* 2. *Dignitate vel ordine, gloria vel maiestate:* sicut enim *Deus per ipsum creauit omnia,* sic fecit eum hæredem omnium, & administratorem domus. 3. *Officio:* regit. n. gubernat, viuificat, alit, & confirmat membra in ipso manentia, & cum reliquis membris coniuncta.

Tripliciter autem nos membra sumus. 1. *Quia per fidem, & S.S. ipsi copulati sumus, atque etiam inter nos cohæremus, sicuti membra corporis inter se.* Atq; hæc membrorum corporis huius inter se coniunctio non minùs requiritur, quàm coniunctio totius corporis cum capite Christo. Nam si separes brachium à manu, illud & à capite separabis ac proinde non ampliùs habebit vitã. 2. *Quia ab eo viuificamur, & regimur, & ex eo, tanquam ex fonte, omnia hausrimus,* & nisi maneamus in ipso, non habemus vitam æternam in nobis: sicuti nec membra diuulsa à capite. 3. *Quia sicut in corpore variæ sunt membrorum facultates, & ministeria: sic & varia dona, atque officia sunt in Ecclesia:* & sicut omnes actiones partium corporis ad conseruationem totius fiunt: ita in Eccl. conseruationem omnia mẽbra debent aliquid conferre.

Quoniam nunc intelligimus *quid sit esse membra Christi, & quo modo eius membra simus,* etiam clarius apparebit, *quid sit esse participem vnctionis Christi:* id quod & paulò antè fuit indicatum. *Participem esse vnctionis Christi est.* 1. *esse participem Spiritus Sancti & donorum eius.* Spiritus Sanctus Christi Spiritus in nobis non est otiosus: sed eadem in nobis operatur, quæ & in Christo: nisi quòd Christus vnus habet plura bona, quàm nos omnes, eaque gradu etiam perfectiora. 2. *Christum nobis communicare suum munus propheticum, sacerdotale, & regium.*

Itaq; *Propheticum nostrum officium est,* 1. *verè agnoscere Deum, & eius voluntatem.* 2. *Verè agnitum profiteri,* fidelitate, audacia, & constantia confessionis. *Quisquis confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum*

coram

eorum Patre meo qui est in cœlis.

Sacerdotale nostrum officium est. 1. *Docere. Tu conuersus confirma fratres tuos.* 2. *Deum rectè agnitum inuocare.* 3. *Præstare Deo gratitudinis officia*, id est, cultum, vel obedientiam internam, & externam, in corde, & affectu erga Deum, & professionem in omnibus vitæ actionibus: vel *offerre Deo officia eucharistica*: & quidem 1. *nos ipsos*, cùm nempe veterem hominem in nobis mortificamus. 2. *preces nostras.* 3. *eleemosynas. Preces tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt memoriæ causa in Dei conspectum.* 4. *Verbum Dei. Operans Euangelio Dei, vt oblatio gentium fiat accepta.* 5. *Crucem, & calamitates*, dum persequutionem patimur. *Si pro libamento offerar super hostia & sacrificio fidei vestræ, gaudeo, & gratulor omnibus vobis, Ego iam libor & tempus resolutionis meæ instat.* Porrò *hoc officium Sacerdotale nobis communicat Christus.* 1. *efficiendo vt ea Deo offeramus.* 2. *efficiendo vt Deo placeant ea.* Differt tamen Sacrificium Christi, sicut à veterum Sacerdotum sacrificio, sic & à nostro. 1. *Christus obtulit* ἱλαστικον *& eucharisticum simul*: nos offerimus Eucharistica tantùm. Sacerdotes etiam veteres obtulerunt Eucharistica: quia hæc sunt totius Ecclesiæ inde ab initio vsque ad finem. Quæ autem illi præterea obtulerunt, tantùm fuerunt typica: at neque nos offerimus typica, quia tantùm Eucharistica: neque etiam Christus. Ipse enim non typicum, sed reale, seu significatiuum sacrificium obtulit: quippe cùm non typicus, sed significatiuus sit sacerdos. 2. *Christi sacrificium valet per se, propter suam ipsius dignitatem*: nostra sacrificia non propter nos sed propter ipsius Christi dignitatem valent. 3. *Sacrificium Christi est perfectum*: nostra verò sunt peccatis inquinata & imperfecta.

Luc. 22. 32.

Act. 10. 4. Rom. 15. 19. Phil. 2. 17. 2. Tim. 4. 6.

Regium nostrum officium est. 1. *Pugnare & vincere per fidem in Christum*, qui nobis restituit amissam dignitatem regiam, & cœlestem, & ius in omnes hostes. *Id autem fit dupliciter.* 1. *Dum vera fide statuimus nos habere remissionem peccatorum nostrorum.* 2. *Dum accipiamus per eandem*

eandem fidē Spiritum ſanctum ad reprimendum peccatum inchoatione in hac, & conſummatione in altera vita. Tandem *omnibus hoſtibus, Chriſti gratia domitis, æterna beatitudine, & gloria frui,* hoc eſt, regnum cœleſte (quod virtute ſpiritus Chriſti in nobis inchoatur in hac vita, quodque iam poſſidemus per fidem) occupare tandem plena poſſeſſione. *Poſſidete regnum paratum vobis à iactis fundamentis mundi.* Regnum autem noſtrum differt à regno Chriſti. 1. *Chriſti Regnum eſt hæreditarium*: Ipſe enim eſt naturalis filius: ac proinde regnum pertinet ad nos iure adoptionis. Nam nos per & propter Chriſtum naturalem filiū dei ſumus ipſius adoptiui filij: At *Chriſtus vt filius domui ſuæ præeſt.* 2. *Ipſe eſt Rex omnium creaturarum, ac totius Eccl. & quidem ſolus eſt Rex in Eccl.* nulli Angeli, nulli homines ſunt vel erunt Domini Eccleſiæ: ſed tantùm reliquarum creaturarum. Vnde & apparet mentiri Pontificem Romanum, quòd dicat ſe eſſe caput Eccleſiæ, Cœlum, & terra, atq; adeò omnia ſeruient nobis: gloria, maieſtas, excellentia donorum non vulgaris nobis erit, ſed maxima: condemnabimus hoſtes, hoc eſt, in condemnandis hoſtib. nos vnà cum tota Eccleſia iudicio dei ſubſcribemus: denique regnum habebimus non in Eccleſiam quidem, ſed in omnes reliquas creaturas. Solus autem Chriſtus & in Eccleſiam vniuerſam, & in omnes res creatas pleno iure regnum obtinebit. 3. *Ipſe vincit & gubernat hoſtes ſua potentia* nos autem ſuperamus hoſtes in ipſo, per ipſum, ipſius gratia & auxilio. *Confidite, ego vici mundum.* 4. *Ipſe regit Eccleſiam, ſceptro Spiritus & verbi ſui, mouens corda, & reſtituens imaginē amiſſam:* atque hoc eſt ſolius Chriſti. Nos tantùm ſumus miniſtri, & adminiſtratores externæ vocis, & rituum: non poſſumus dare S. S. ſicut & Baptiſta dixit. *Ego quidem baptizo vos aqua. Is verò qui ponè me venit, ipſe vos Baptizabit Spiritu ſancto & igni.*

Mat. 25. 24.

Heb. 3. 6.

Ioan. 16. 23.

Mat. 3. 11.

Credo in Filium eius (Dei Patris) *vnicum.*

Credere in Vnicum, vel vnigenitum *Dei Filium eſt*

credere

credere. 1. *Hunc Iesum esse naturalem Filium Patris*, id est verum Deum de vero Deo, lumen de lumine, nec habere secundùm diuinitatem suam fratres. 2. *Illum esse natura Filium, vt omnes credentes faciat adoptione filios*, quales non sunt natura. *Quotquot eum acceperunt, dedit eis hanc potestatem, vt filij Dei fierent, nempe iis qui credunt in nomen eius.* Quia Christus est naturalis Dei Filius, ideò potest nos adoptiuos Dei filios facere: sed intercedente assumptione naturæ nostræ. 3. *Etiam me ipsum à Patre propter Filium esse adoptatum:* sicut dicitur, *Deus nos gloriosa gratia sua gratis effecit sibi gratos in illo dilecto.* Ioan.1.12. Ephe.1.6.

Cæterùm vt magis hæc fiant conspicua, paucis erit explicandum: *Quinam, & quot modis dicantur filij*, atque ita deinde, *Quinam sint, siue dicantur filij Dei. Filij sunt*, ac dicuntur, *vel nati filij, vel adoptiui. Nati filij* sunt qui simul cœperunt & esse filij. *Qui sunt nati filij, aut nati sunt ex parentibus, aut nati per gratiam filij. Nati ex parentibus filij* propriè dicuntur naturales, quibus nimirum essentia suorum parentum communicatur: eaq; vel ex parte, vel tota. Ex parte nobis communicatur essentia & natura nostrorum parentum, ex quib. nascimur. Tota Christo secundùm diuinitatem suam à Patre communicatur essentia diuina. Nos sumus naturales filij parentum nostrorum: Christus autem secundùm naturam suam diuinam naturalis est & vnicus Dei Filius, eiusdem substantiæ, naturæ, vel essentiæ cum Patre, ex cuius substantia modo prorsus inenarrabili genitus est ab æterno. *Sicut Pater vitam habet in seipso, sic dedit & Filio, &c.* Communicauit igitur ei Pater vitã, qua & per se viuit, & creaturas alias omnes viuificat, quæ & est vna tantùm & æterna deitas. Ioan.5.26.

Nati per gratiam filij sunt, qui simul quidẽ cœperũt esse & esse filij: sed qui illud quod sunt filij, habent tantum per gratiam creationis, vt Angeli, & Adam ante lapsum. Hi sunt filij Dei per gratiam Creationis: quia Deus eos creauit, vt haberet eos pro filiis, & ij rursus Deum agnoscerent & celebrarent vt patrem benignũ.

Dicuntur

Dicuntur autem nati per gratiam filij, impropriè quidem: ſed catenus tantùm, quatenus eſſe cœperunt filij Dei ſimul atque creati & exiſtere cœperunt: nimirum natura. 2. *Per gratiam conceptionis è S.S. & vnctionis cum λόγῳ*, vt Chriſtus ſecundùm humanam naturam: quia ſecundùm hanc fuit Filius Dei per gratiam ſtatim ab eo ipſo momento quo cœpit homo naſci: idq; ideo quia virtute S.S. ab omni labe purus ex virginis ſubſtantia natus eſt, ita perſonaliter cum λόγῳ vnitus.

Adoptati Filij, vel adoptiui ſunt, qui non ſimul cœperunt & eſſe, & eſſe filij, qui iam erant antequam eſſent adoptati, qui aliquando fuerunt non filij, qui extiterunt antequam eſſent filij: facti ſunt autem filij lege tantùm & voluntate adoptantis eos, & donantis iure Filiorum: ita vt ſint eo loco, ac ſi eſſent ex eo nati. Sic Adam poſt lapſum, item omnes Electi vel renati ſunt filij Dei adoptiui: antequam autem adoptarentur in Filios Dei, ſunt filij iræ. *Obiect. Chriſtus dicitur in Nouo Teſtamento homo Deus. Ergo non aliqua eſt natura inuiſibilis in hoc homine: & ſic corrumpitur Scriptura, quia cùm dico te eſſe Scholaſticum, non dico Scholaſticum eſſe in te.* Reſp. Chriſtus vocatur ab Apoſtolo Deus ſecundùm ſpiritum. Scriptura aſſerit *hunc hominem eſſe Deum, in ipſo habitare omnem plenitudinem Deitatis corporaliter.* Chriſtus de ſeipſo, *Deſtruite* (inquit) *Templum hoc*: & autor epiſt. ad Heb. meminit *tabernaculi naturæ humanæ. Paſſus eſt ſecundùm carnem. λόγος factus eſt caro & venit in propria.* Item diſertè tribuit Scriptura Chriſto pugnantes proprietates, quæ vni vno tempore non poſſunt tribui, vt *quòd paſſus ſit, quòd reſurrexit.* Tribuit etiam ei naturam finitam & infinitam. Ergo neceſſe eſt hoc accipi *per communicationem Idiomatum*. Non deſcribitur Deus talis qui ſit factus, & quidem propter dona excellentia: ſed æternus, qui dat Spiritum Dei, & per eum eſt efficax in cordibus. Hæc filiorum, coque & filiorum Dei diſtributio, in tabula depicta clarior erit.

Rom. 1. 4.
Col. 2. 9.
Ioan. 2. 19.
Heb. 9. 11.
Ioan. 1. 14.

Adoptionis: vt { Adam poſt lapſum. Omnes renati, vel electi.

Filij

- Filij sunt
  - Nati: Ex parentibus : qui propriè sunt naturales, iisque communicatur essentia parentum suorum.
    - Tota, vt Christo, cui secundùm diuinitatem suam communicatur essentia diuina Patris tota.
    - Ex parte, vt nobis quibus essentia parentum nostrorum cõmunicatur tantùm ex parte.
  - Per gratiam
    - Creationis.
      - Angeli.
      - Adam ante lapsum.
    - Conceptionis è Spiritu Sancto, & vnionis cum *Logo* vt Christus secundùm humanam naturam.
  - Adoptati.
    - A Deo
      - Adam post lapsum.
      - vt Omnes Electi.
    - Ab hominibus.

Est & alia diuisio filiorum Dei.

- Filiorum Dei
  - Vnus est naturalis nempe *Logos*.
    - Angeli.
  - Alij omnes sunt per gratiam
    - Creationis: vt
      - Angeli.
      - Adam ante lapsum
    - Conceptionis è Spiritu S. & vnionis cum *Logo*, vt Christus secundùm humanam naturam.
    - Adoptionis: vt
      - Adam post lapsum.
      - Omnes renati, vel electi.

Ex his patet manifestè, tum *quomodo nos filij Dei sumus*, videlicet *Adoptione*: tum *quomodo Christus Filius Dei sit vnigenitus*, nempe *secundùm diuinitatem*, secundùm quam genitus est ab æterno ex Patris substantia.

Ob. 1. *Qui habet fratres non est vnigenitus: Christus habet fratres: Ergo &c. Resp.* Qui habet fratres, scilicet eiusdem generationis, nimirum nec naturales, nec secundùm id genitos, secundùm quod ipse genitus est, id est, non genitus ex Patris sui substantia. *Instantia. Cur ergo sumus fratres Christi. Resp.* Fraternitas nostra cum Christo consistit, 1. *In similitudine naturæ humanæ, & quia nati sumus ex eodem Patre Adamo*: 2. *In amore fraterno erga nos.* 3. *In conformitate cum ipso*, quæ consistit in perfecta iustitia, & beatitudine. 4. *In consummatione beneficiorum omnium.*

Obiect. 2. *Qui habet generationem dissimilem aliorum filiorum generationi, eius respectu dicitur vnigenitus: Christus secundùm humanam naturam habet generationem dissimilem aliorum dei filiorum generationi. Ergo Christus secundùm humanam naturam eius dissimilis generationis respectu dicitur vnigenitus. Resp.* Qui habet generationem dissimilem, scilicet tota specie, hoc est, natura, & modo generationis. Proinde Christus non dicitur secundùm humanitatem Filius Dei vnigenitus. Sed secundùm diuinam naturam, quia est solus de Patris essentia ab æterno genitus. De nullo alio dicitur quòd *Pater ei det vitam in seipso habere*: item quòd *in ipso omnis plenitudo Deitatis habitet corporaliter*. Quia secundùm humanam suam naturam habet generationem modo tantùm dissimilem reliquorum hominum generationi. Vnigenitus autem respicit naturam & essentiam, non conceptionem miraculosam. 2. Scriptura non vtitur tali loquendi forma. *Primogenitus vocatur.* 1. *Secundùm dignitatem suam, tempore, & dignitate.* 2. *Secundùm humanitatem, dignitate tantùm & merito*: quia donis antecellit omnes. *Ius primogenituræ* erat habere duas partes ex hæreditate, cùm reliqui tantùm haberent

singuli

singuli vnam. Causa autem Iuris illius, erat officium: reliquis enim præerat & gubernabat eos.

Ob. 3. *Omnis filius est vel naturalis vel adoptiuus. Sed Christus secundùm humanam naturam non est naturalis filius. Ergo secundùm eam est adoptiuus. Resp.* Non est sufficiens enumeratio in Maiore, quia potest quis gratia filius esse.

Ob. 4. *Sed gratia est adoptio. Resp.* Gratia latiùs patet quàm adoptio. Christus est Filius gratia vnionis cum *Logo*, non adoptionis. Filius simul ac conceptus est in vtero virginis vnitus est *Logo*, & cum eo cœpit esse filius. Nos sumus adoptione filij, quia, vt antea dictum est, non nascimur filii gratiæ, sed iræ, & adoptione sumus filii gratiæ. Quoniam verò credere non possumus, Christum esse filium Dei vnigenitum, & multò minus credere possumus in hunc vnigenitum Dei Filium: nisi simul credamus Christum esse verum Deum, *Logon* scilicet illum æternum, eiusdem cum Patre substantiæ, dignitatis, potentiæ, ac naturæ: restat iam vt contra hæreticos paucis agamus.

DE DEITATE CHRISTI.

HÆC notanda est contra hæreticos propositio, *Logon esse Filium Dei æternum*. 4. autem sunt propositionis huius partes, quæ tanquam præcipuæ quæstiones ad locum *de Deitate Christi* explicandum requirantur.

1. *Quod Christus natus ex Maria virgine, etiam præter corpus, & animam sit ὑφεστάμενον. Contra Samosatenum.*

2. *Quod sit persona distincta à Patre contra Sabellium: qui concedit quidem Filium semper fuisse, sed eandem personam quę est Pater & Spiritum sanctum & iam dici Patrem, iam Filium propter diuersitatem officij.*

3. *Quod sit ἴσος seu æqualis Patri.*

4. *Quod*

4. *Quòd sit Patri ὁμοούσιος seu consubstantialis.*

1. *Christus ex Maria virgine natus etiam præter corpus & animam est ὑφεστὼς.*

Duplici via vtimur ad hanc quæstionem probandam Scripturæ testimoniis. Vel enim colligimus testimonia secundùm ordinem Bibliorum: vel constituimus certas classes argumentorum. Vtraque est bona Methodus: sed posterior magis iuuat memoriam, eaque facilior est, & commodior. Quando enim ordine recensentur testimonia, sæpe recurrunt eadé, & iidem medii termini. Nos ergo sequemur ordinem commodiorem: & vt scripturæ testimonia habeamus in conspectu, ad certas classes ea referamus.

Classis 1. *Quòd Christus non tantùm verus homo, sed etiam verus Deus sit, & ante carnem assumptam fuerit,* probatur contra Ebionem & Cerinthum iis locis sacræ scripturæ, quæ ponunt, & opponunt in Christo duas naturas, & quib. describitur *logos* qui factus sit homo.

1. Tim. 3. *Deus manifestatus est in carne.* Ergo alia natura est, *quæ*
Heb. 2. 16. *apparuit in carne, quæ assumpsit carnem, quæ de cœlo descen-*
Ioan. 3. 13. *dit, & in hunc mundum veniens, particeps factus est carnis*
Ioan. 18. 37. *& sanguinis*: alia item natura, quæ assumpta est, in
Heb. 2. 14. quam venit, & quę apparuit: assumens enim, & assumptum non sunt idem. Quia igitur λογος assumpsit naturam humanam, alius ab ea sit oportet, qui ante eam assumptam extiterit, nec in eam sit conuersus, sed habeat hypostasin ab assumpta carne diuersã ac distinctam. Quòd autem *logos* assumpserit carnem, præter multa alia Scripturæ testimonia, satis confirmat illud
Ioan. 1. 14. Euangelistæ, *Et sermo ille caro factus est.*

Ob. λόγος, *hoc est, iste prædicator Iesus factus est Caro.* Re. *Logos* dicitur antè fuisse quàm assumpserit humanam
Ioan. 1. 11. naturam. *Ad suos venit. Ego sum panis viuificus, qui è cæ-*
Ioan. 6. 51. *lo descendi. Christus per Spiritum temporibus Noe spiritibus*
1. Pet. 3. 19. *qui sunt in carcere, olim immorigeris, profectus prædicauit.* Illud autem diligenter est obseruandum, quòd dicatur *logon* assumpsisse carnem, non conuersum esse

in

in carnem: id est, distinctam esse naturam diuinam à carne assumpta.

Prima itaque ratio ex Scripturis desumpta, qua asserentur *Christum præter humanam naturam esse Subsistentẽ* hæc est, *quia Logos, qui assumpsit humanam naturam, distinguitur in sacra scriptura à carne, quam assumpsit:* atq; eò pertinent & hęc. *Ex quibus patribus Christus est quod ad carnem attinet. Mortificatus quidem carne, viuificatus autẽ Spiritu* Est igitur aliquid in Christo quod nõ ex Patribus, & quod non est passum. *Destruite templum hoc, & tribus diebus erigam illud.* Est igitur alia natura, quæ destruitur: alia quæ destructam suscitat, nempe *Logos*, qui vocatur apud Ioan. *vnigenitus Filius. Nullus ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo, nempe filius hominis, qui est in cœlo. Quoniam pueri participes sunt carnis & sanguinis, ipse quoq; consimiliter participet factus est eorundem.* Oportet igitur aliud fuisse quod fieret particeps: ac proinde *Logos* est *subsistens* prẽter carnem & sanguinẽ. Rom. 9. 5. 1. Pet. 3. 18. Ioan. 2. 19. Ioan. 1. 18. Ioan. 1. 13. Hebr. 2. 14.

Classis 2. *Christum præter humanam naturam esse subsistentem* confirmatur iis locis Scrip. quib. *ipse vocatur Filius Dei proprius. Qui proprio Filio non pepercit.* Iudæi clamant aduersus Christum coram Pilato: *Filium Dei se finxit:* alioquin ipsi Iudęi blasphemię rei fuissent cuius accusabant Christum, cùm & ipsi se agnoscerent Dei filios: & alio loco clariùs id explicatur, vbi dicuntur Iudæi *studuisse Christum trucidare, quòd se Deo parẽ faceret, & deũ dixisset Patrem suum,* id est, Patrem sibi proprium ac peculiarem: quod ex eo colligunt, quia *Operandi* verbum, quod Deo proprium est, sibi vendicat. Colligitur ergo: vel ex ipsorum Iudæorum verbis, Christum esse Filium Dei proprium, & naturalem, hoc est, Filij habentem ius, quod alij ex gratia per illum accipiunt. Quòd si Christus appellasset sese Filium Dei, vel adoptiuum, vel gratiâ tantùm: non iudicassent ipsum Iudæi (quod & paulò antè dictum est) blasphemum. Sic. n. ipsos blasphemos iudicassent: quoniam se etiam esse Dei filios gloriabantur: quòd si Rom. 8. 32. Ioan. 19. 7. Ioan. 5. 18.

verò calumnia fuisset Iudæorum, certe Christus eam refutasset: non autem declinauit à se quod dicebant Iudæi: Imo hoc ipsum quod dicebant, verum esse firmis rationibus ostendit. Iam quia Christus est proprius Dei Filius, alia præter humanam in ipso sit natura necesse est, secundùm quam proprius Dei sit Filius. Etenim secundùm humanam naturam suam, hoc est, corpore & anima, est ex nostro genere.

Ob. Dicitur filius Dei proprius, quia à Deo factus est. Sicut & Ecclesia dei populus proprius appellatur. Resp. Coruptela est. Apostolus enim loco antè citato, Filium Dei proprium opponit & nobis, & Angelis ipsis: quippe quum nec Angeli nec nos proprij simus Dei Filij. *Proprius* enim *Filius dicitur, qui est è substantia Patris seu propagatus.* Itaque *quum solus Christus dicitur Dei Filius*, ipse etiam solus è substantia Dei Patris propagatus est, ac proinde solus ipse est naturalis Dei Filius, non autē adoptione, & gratia. Qui enim gratia aut adoptione (quemadmodum nos) Dei Filius est, non est filius Dei naturalis. Ex his euincitur manifestè, *Christum non tantùm præter humanam naturam, sed etiam ante eam assumptam, imò ab æterno esse subsistentem.* Sicut enim diuina natura Patris est ab æterno, eòque ante carnem Christi: sic etiam Christus est ab æterno, ideoque ante assumptam à se naturam nostram. Nam *quia Filius dei naturalis est*, habet eandem integram (impartibilem nimirum) Essentiam Dei communicatum: ita tamen vt Pater eandem & integram nihilominus retineat.

Ob. 2. At non habetur in scriptura quòd solus Christus sit æternus naturalis Dei Filius. Ergo figmentum est hominum. Resp. Habentur æquipollentia. vt Rom. 8. 32. *Filius proprius.* Ioan. 3. 16. *Filius vnigenitus.*

Ob. 3. At potuit semper esse Logos, sed non Filius. Verùm dictus est Filius respectu futuræ filiationis in carne assumpta. Resp. 1. Imò sic nō esset filius proprius. 2. Est talis *cui dedit Pater habere vitam in seipso*, Ioan. 5. 26. 3. Non esset discrimen personale inter Patrem & Filium, vt est.

Ob.

Ob4. Qui ante carnem assumptam non nominatur in script. Filius Dei is ante carnem natam non fuit Filius. Ac Christus non dicitur in Scriptura Filius Dei ante nativitatem ex Virgine. Non igitur antè fuit Filius. Resp. gemina est. Primùm neganda est Maior. Scimus. n. patefactionem Dei in nouo Testamento clariorem esse quàm in veteri. Itaque etiamsi verum esset, quod isti volunt, Filium Dei non appellari Filium, nisi assumpta carne: tamen cùm Filium illum qui carnem assumpsit, multis in locis clarissimè doceatur ante carnem assumptam fuisse, vt *Sermo, qui est vnigenitus Patris, erat in principio, Per Filium omnia sunt condita: Pater meus vsque huc operatur, & ego operor*: nequaquam dici posset, ideo nõ ante carnem assumptam fuisse Filium, quia non priùs appellatus esset hoc nomine. Deinde nec Minor vera est. Nam vtcunque vetus testamentum sit obscurius nouo: tamen apud Salomonem dicitur sapientia dei coæterna à Deo genita. Prędictum est item Messiam fore Deum & dei Filium, singulari & alio modo quàm cæteri filij. Ies 7. *Vocabitur nomen eius Immanuel.* Ies. 9. *Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, deus fortis, pater æternitatis, Princeps pacis.* Ier. 23 *Hoc est nomen quo vocabunt eum, Iehoua iustitia nostra.* Psa. 2. *Iehoua dixit ad me, Filius meus es tu.* Item. *Osculamini Filium.* 2. Samuel. 7. *Ego ero illi Pater, & ipse erit mihi Filius.* Iam tum igitur & existere, & Filium Dei esse significabatur eum qui postea homo futurus erat.

Ob. 5. Si diuina Christi natura etiam sine humana natura fuit Filius Dei, tres filij constituentur: nempe Diuinitas, natura humana, & totus Christus vtraque natura constans. Non igitur fuit aliquis Filius ante Iesum natum. Ad hoc respõdetur, antecedens esse falsissimum. Quia n. Λόγος, non personam seu Filium Dei alium, sed naturam aliam sibi copulauit & vnitit personaliter, assumptio hæc non plures personas, siue Filios facit: sed vna atque eadem persona, siue vnus Filius est, geminam in se naturam habens,

Ob.6.Si diuinitas olim sine carne fuit Filius,& nunc duæ naturæ sunt vnus Filius,erunt nihilominus duo Filij, vnus incorporeus,alter autem corporeus. Non igitur ante carnem fuit aliquis Filius. Resp.neque hoc antecedens verum est.Vnus enim atque idem Filius est,olim incorporeus vnius naturæ, ac tantùm Deus: nunc autem corporeus,duarum naturarum, ac deus & homo existēs.

Ob.7.Natura humana per se non est Filius: Ergo nec diuina per se Filius est. Resp. Neganda est cōsequētia:quia magna est dissimilitudo naturarum quæ comparantur. *Logos* extitit & fuit persona & Filius, etiam ante assumptam carnem. Humana autem natura nec fuit ante assumptionem, nec assumpta per se constituit personam.Ideoque ipsa seorsum non est Filius,sed in Filio est,seu altera Filij natura est:*Logos* autem & seorsum & vnitus carni idem Filius est,secundùm se filius dei natura est, secundùm naturam verò assumptam, naturalis Filius hominis,& Filius Dei,personalis vnionis gratia.

Classis 3.Idem probatur iis locis,quibus *Christus vocatur Vnigenitus.Ita deus dilexit mundum,vt Filium suum vnigenitum dederit.Spectauimus gloriam eius, gloriam inquam,vt vnigeniti egressi à Patre.* Vnigenitus autem est, qui non habet fratres plures: at Christus secundùm naturam humanam habet fratres. *Quoniam pueri participes sunt carnis,& sanguinis,ipse quoq; consimiliter particeps factus est eorundem.* Et paulò pòst.*Nō angelos assumpsit,sed semen Abrahæ. Vnde debuit per omnia fratribus similis fieri.* Et paulò antè: *Qui sanctificat & qui sanctificantur,ex vno,& eiusdem naturæ,scilicet humanæ,sunt omnes,quam ob causam non erubescit fratres ipsos vocare.* Est igitur in Christo alia natura secundùm quam est vnigenitus Patris Filius.

Ioan.3.16. Ioan.1.14. Heb.2.14.

Ob.Dicitur vnigenitus, quia solus genitus est homo Iesus ex virgine per spiritum sanctum.Resp. Est corruptela.1.Vnigenitus est qui solus est ex Patris substantia genitus,& qui solus est naturalis filius.

2. *Logos* vocatur vnigenitus, qui antè naturã humanam existebat. Id patet ex illo Ioannis, *Spectauimus gloriam eius*, scilicet τὸ λόγου, non autem eius hominis Iesu: sicuti volunt hæretici. Nam non est aliud antecedens, quàm *Logos*. Præcedit enim, *Sermo ille Caro factus est: & commoratus est inter nos:* deinde sequitur, *& spectauimus gloriam eius*. Si igitur *Logos* ipse vocatur, & est vnigenitus: certè non significat vnigenitus hoc loco generationem ex Maria, sed generationem ex Patre ab æterno. 3. In scriptura sæpe discernitur generatio *Logou* à generatione Christi ex virgine. Euangelista (vti videmus) *Logon vocat vnigenitum à Patre egressum*. sic à sapientia dicitur, *Ante colles*, id est, ab initio, *formata*, seu (vt interpretatur Chaldæus paraphrastes) genita. Apud Matthæum verò legimus, *Iesum*, qui dicitur Christus, *ex Maria esse genitum*. 4. Vnigenitus opponitur Angelis & hominibus: quippe qui neque per adoptionem, vt hi, neque per gratiam creationis, vt illi: sed natuta Filius est. Est igitur Christus, præter humanam naturam quam assumpsit, *subsistens*: quoniã videlicet ipse vnigenitus Dei Filius. Pro. 8. 25. Mat. 1. 18. 25

Classis 4. Ad hanc classem pertinent Scripturæ testimonia, *quæ manifestè nomen Filii ad diuinam Christi naturam referunt. Non misit Deus Filium suum in mundum vt condemnet*. Pater in mundum misit filium: humana autem filij natura in mundo est nata: erat ergo Filius antequam in mundum mitteretur. Huc referuntur & illa, quæ confirmant Christum etiam ante carnem assumptam vocari Filium Dei. *Per quem Filium etiam mundum condidit. Quod est illi nomen? quod nomen Filij eius? Per eum* (Filium dilectum sibi) *condita sunt omnia quę in cælis sunt, & quę in terra. Pater meus vsq; adhuc operatur, & ego operor*: & paulò pòst: *Quæcunque pater facit, hæc etiam Filius pariter facit. Nemo nouit Filium nisi Pater, neq; Patrem quisquam nouit, nisi filius, & cuicunq; voluerit Filius retegere*. Si omnia per Filium condita sunt: si filius eadem operatur quæ Pater: si Ioan. 7. 17. Heb. 1. 2. Prou. 30. 4. Col. 1. 16. Ioan. 5. 19. Mat. 11. 27.

denique non nisi per Filium pij inde ab initio cognouerunt Patrem: certissimum est Filium non tantùm ante assumptam carnem, sed ab æterno esse in sinu Patris. Proinde aduersarij dicere nequeunt, Christum tum demum appellatum fuisse Filium, quando miraculosè conceptus est.

Heb. 1. 2. Classis. 5. Hic testimonia continentur, *quæ tribuunt Filio opera diuina ante carnem assumptam. Per quem & mundum condidit*: per humanam autem naturam non condidit mundum: nam illa ipsa fuit facta. *Hic sermo erat in principio apud Deum, omnia per hunc* (sermonem) *facta sunt. Pater meus vsque adhuc operatur, & ego operor.* Sed Caro, vel humana Christi natura nec omnia operabatur, quæ Pater, neque quicquam eodem modo quo Pater, etiam tunc cùm erat facta, ne dicam ab initio. Ergo secundùm quod operabatur, id fuit aliud quam homo. *Nemo nouit quis sit Filius nisi pater, & quis sit Pater nisi Filius, & cuicunq; voluerit Filius detegere. Vnigenitus ille Filius, qui est in sinu Patris, ille nobis exposuit.*

Ioan. 1. 1. 2. 3. Ioan. 5. 17. Luc. 10. 22. Ioan. 1. 18.

Classis. 6. Huc pertinent loci Scripturæ, *qui asserunt Christum esse Logon. Sermo ille caro factus est.* Quoniam caro factus est *logos*, manifestum est eum extitisse ante assumptam carnem, & quoniam Christus *Logos* dicitur, constat etiam ipsum esse verum Deum. *Logos* enim *Deus* appellatur: *Logos* in principio erat apud deum: per *Logon* omnia facta sunt: item *Logos* erat, & author, vita, & lux omnis vitæ & lucis in omnibus: denique; *Logos* nominatur vnigenitus ille Dei Filius, atque omnib. Electis Patrem reuelat. *Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus ille filius qui est in sinu Patris, ille nobis exposuit.* Exponit autem vel reuelat Patrem, eumque reuelauit non tantùm pijs, qui vixerunt post assumptam ipsius humanam naturam: sed & iis qui vixerunt ante illam assumptam. Proinde fuit ipse antequam homo fieret.

Ioan. 1. 14. Ioan. 1. 1 Ioan. 1. 18.

Classis 7. Ad hanc illa referuntur testimonia, quæ Chri-

Christum testantur esse sapientiam Dei. Sapientia Dei per quam ipse omnia condidit, est æterna, semperq; fuit subsistens. Filius est illa sapientia Dei. Ergo Filius est *æternus, & per consequens extitit ante naturam humanam.* Minor probatur 1. In Prouerbiis, vbi *sapientia Dei dicit se genitam.* Porrò genitum esse, cùm de natura intelligente dicitur, nihil aliud quàm Filium esse significat. 2. Christus ipse vocat sese Dei sapientiam. *Propterea etiam Sapientia Dei dixit, Mittam ad eos Prophetas.* 3. Apostolus etiam vocat Christum Dei sapientiam. *Ipsis autem vocatis prædicamus Christum Dei potentiam ac Dei sapientiam.* 4. Eadem adscribuntur huic sapientiæ Dei, quæ alibi Sermoni, & Filio tribuuntur officia propria. Atque illa fusiùs explicantur in libro sapientiæ. 7.8.9.10. cap. Maior probatur à Sal. in Prouerbiis. *Dominus possedit me initio viæ suæ.* Etsi enim verùm est, adhortationem ibi ad studium doctrinæ cœlestis institui: tamen sapientiæ nomen dupliciter vsurpari, & à doctrina, quæ est sapientia seu lux creata in mentibus hominum, ad conciliandam huic authoritatem, ad sapientiam increatam, hoc est, ad ipsum Deum, authorem illius & fontem, fieri transitum; attributa illa manifestè euincunt.

Prou. 8.24. Luc. 11.49. 1. Cor. 1. Prou. 8.24.

Classis. 8. *Quæ de officio Mediatoris* extant testimonia pertinent ad hanc classem. *Vt Eccl. plenè liberetur, indiget Mediatore, non tantùm propter quem, sed & per quē colligatur, ac seruetur.* Hic Mediator neq; est Pater, neq; S.S. Est igitur Christus totius Eccl. Mediator, iam ab initio existens. Propter Christum futurum poterat in gratiam recipi vetus Eccle. Sed per ipsum non potuit, nisi existentem: nam non existentis nulla potest esse efficacia. Vnde euincitur necessariò Christum extitisse ante assumptam carnem: non enim potest esse inter Deum & homines amicitia sine Mediatore iam existente: At in vetere testamento fuit amicitia inter Deum & homines, nempe credentes. Ergo aut ille aut alius fuit Mediator illius Ecclesiæ: non alius fuit,

sed ille solus: quia tantùm *vnus est Mediator Dei &*
1.Tim.2.5. *hominum, homo Christus Iesus.* Quòd non possit esse amicitia inter Deum & homines sine Mediatore iam existente, ex iis etiam patebit, quæ consequuntur: Nempe, *Mediatoris officium est* non tantùm deprecatione & sacrificio nobis placere Patrem, sed omnia etiam bona impetrata sua potentia & efficacia conferre credentibus, patefacere hominib. voluntatem Dei, instituere ministerium, colligere, & seruare Eccl. & quidem totam. *Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cuicunque*
Mat.11.27. *voluerit Filius retegere.* Ergo nec Adam Deum cognouit nisi per Filium, & per consequens eo tempore Filius extitit. Huc referuntur testimonia non tantùm de futuro Christi merito loquentia, sed etiam de ipsius efficacia. *Omnia subiecit* (Pater) *eius* (Christi) *pedi-*
Ephe.1.22. *bus eumq; constituit caput super omnia ipsi Ecclesiæ. Superstructi super fundamentum Apostolorum ac Prophetarum cu-*
Ephe.2.20. *ius vnus angularis lapis est ipse Iesus Christus.* Est ergo Christus fundamentum, caput, sustentator, ac guber-
Ioan.14.6. nator Ecclesiæ: ac proinde extitit antè quàm esset Ecclesia. *Ego sum via, veritas, & vita: Ego vitam aeter-*
Ioan. 10.28. *nam do eis. In ipso vita erat, & vita erat lux illa hominum.*
Ioan.1.4. Et paulò pòst, *Hic erat lux illa vera, quæ illuminat omnem*
Ephe.2.18. *hominem venientem in mundum. Vtriq; per ipsum habemus aditum per vnum Spiritum ad Patrem. Ipse dedit alios*
Ephe.4.11. *quidem Apostolos, alios verò Prophetas, alios autem Pa-*
1.Pet.1.11. *stores & Doctores.* Petrus ait, *Spiritum Christi fuisse in Prophetis, ac prænuntiasse euenturas Christo perpessiones. Moses quidem fidelis fuit in tota domo ipsius, vt famulus, ad*
Heb. 3.5.6. *testificanda quæ pòst dicenda erant: at Christus vt Filius domui suæ præest.* Ergo patefacit voluntatem Dei Christus, instituit ministerium, est architectus domus suæ, eamq; gubernat: quod quia feciſſe ipsum constat inde ab initio nascentis Eccle. non dubitandum est quin semper fuerit *subsistens. Hæc est voluntas Patris, vt quic-*
Ioan. 6.39. *quid mihi dederit, non perdam ex eo.* Seruat igitur Eccle. coque semper fuit, quia semper Ecclesia seruata est.

Insigne

Insigne est testimonium apud Malac. *Ecce mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam: & statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis, Angelus testamenti, quem vos vultis.* Mal. 3. 1. Hæc loquitur ipse Christus per Prophetam, id quod confirmatur hoc argumento: Cui paratur via, is est Christus: qui promittit, est cui paratur via: Ergo qui promittit est Christus. Maior est manifesta: non enim Pater, sed Christus expectabatur, & is Ioannem sequutus est. Minor probatur ex textu. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam.* Fuit ergo Christus ante assumptam carnem: quia misit Angelum suum: & quidem ante assumptam carnem fuit verus Deus. *Templum enim suum vocat ad quod se dicit venturum.* At nemini in cultum sui extruitur templum nisi Deo. Blasphemum est igitur, dicere Christum ante carnem assumptam non extitisse. Nec obstat quòd dicat in tertia Persona, *veniet Dominator ad templum suum.* Quis enim sit ille dominator satis ostendit, nempe non Pater, sed ipse Filius. *Ego Dominator, qui præmitto Ioannem, quique sum Angelus fœderis.* Deinde fieri potest vt Propheta non amplius introducat Christum, sed ipsum Patrem de Filio mittendo loquentem repręsentet.

Classis 9. Huc non incommodè referuntur quæ de Angelo isto dicuntur, qui in veteri testamento patribus apparuit. *Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Gen. 48. 16. Hunc *Angelum* Ecclesia semper confessa est Filium Dei fuisse: qui & multis locis *Iehouah* appellatur; atque illud eo confirmatur, quòd Personam illam quæ simul Deus est, & Angelus siue legatus à Deo missus ad nos, tota Scriptura docet esse Filium Dei Christum. Ad Filium autem, *Thronus tuus Deus in seculum seculi.* Heb. 1. 8. *Statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, & angelus fœderis, quo vos delectamini.* Psalm. 45. 7. Mal. 3. 1. *Iesus Christus heri, & hodie idem est, & in seculo.* Heb. 13. 8. Ex his & similibus ita licebit argumentari: Angelus

lus à Patre missus, nec est Pater, nec est S.S. sed filius: quia officium Angeli quod est officium vnius Mediatoris, tribuitur soli Filio. Angelus autem ille est Deo coæqualis, & coæternus: quia Iehoua vocatur, & apparuit primis Patribus. Ergo Filius est coæternus & coæqualis Deo Patri.

Classis. 10. Hac postrema classe comprehenduntur loci scripturæ, vbi Christus appellatur Deus. *Ex quibus est Christus quòd ad carnem attinet, qui est supra omnes Deus laudandus in sæcula.* Hic apertè homo ille Iesus Christus appellatur Deus, & quidem verus nomine & proprietatib. Itaq; si verus Deus est Christus, vtique semper extitit. Vnus.n. verus Deus est ab æterno. *Deus manifestatus est in carne*: & hîc manifestè Christus appellatur Deus. Ad hanc classem referre licet & illa testimonia, quæ tribuunt Christo opera creationis, miraculorum, redemptionis, item gubernationis totius mundi, ad quam pertinent infinita sapientia, omnipotentia, omniscientia, & vbiquitas. Atq; ex testimoniis iis omnib. apparebit luculenter homini Christo tribui non tantùm nomen, sed & proprietates Dei veri. Attributio autem proprietatum veri Dei nobis arg. suppeditat magis firmum, quàm attributio nominis veri Dei, seu Iehouæ. Nomina .n. Dei possunt aliquo modo exponi metaphoricè: sed proprietates diuinæ Christo attributæ aliò detorqueri nequeunt. Nos ergo si testimoniis huiusmodi muniamus, aduersarij consistere non poterunt, sed velint nolint fateri cogentur Christum fuisse ante assumptam carnem. Si verò fuit antequam carnem assumeret: fuit aut creator, aut creatura. At non creatura: tum quia omnia creauit: tum quia vocatur etiam creator.

Rom. 9. 5.

1. Tim. 1. 16.

2. *Logos, qui est Christus, est Persona à Patre distincta.*

PErsonam Filij à Patris distinctam esse, tenendum est propter *Sabellium*, eiusq; assecias. Is *dixit Patris, Filij, & Spiritus sancti essentiam esse eiusdem personæ, seu hos*

tres

mus esse vnam Personam, & diuersa nomina esse propter diuersitatem officij.

Quòd autem *Logos sit alius, neq; solùm officio distinctus à Patre, sed & ipsa persona, probatur 4. potissimùm rationib.*

1. *A nomine Filij:* nemo sui ipsius est filius: hoc subsistens vocatur filius: Ergo distinctum est hoc subsistens à Patre & Spiritu Sancto.

2. Christus ipse disertè se vocat alium à Patre & S.S. *Alius est, qui testatur de me.* Quis autem ille sit, declaratur apud Matthæum, *Nempe Pater, qui voce è cœlis emissa dicit, hic est Filius ille meus dilectus in quo acquiesco. Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Ego rogabo Patrem, & alium consolatorem dabit vobis.* Ioan. 5.32. Mat. 3 17. Ioan. 7.16. Ioan. 14.16.

3. *A patefactione in tribus personis:* disertè dicuntur tres. *Tres sunt qui testificantur in cœlo, Pater, Sermo & Spiritus S. & hi tres vnum sunt. Et dixit Deus, Faciamus hominem in imagine nostra:* non dicit faciam. Ego & Pater vnum sumus non dicitur, sum. *Consolator autem ille,* id est S.S. *quem pater mittit in nomine meo, ille vos docebit omnia. Cùm autem venerit consolator ille, quem ego mittam vobis à Patre, (Spiritus inquam ille veritatis, qui à Patre emanat) ille testabitur de me. Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti.* 1. Ioan. 5.7. Gen. 1.26. Ioan. 10.30. Ioan. 14.26.

4. *Ab attributis diuersis,* quæ ostendunt manifestè distinctionem personarum. *Pater genuit Filium; Filius à Patre genitus:* Pater non est missus, *Filius est missus.* Ergo alius est filius à Patre qui illum misit. Nusquam Pater dicitur *factus caro,* sed Filius. *Filius assumpsit semen Abrahæ,* non Pater: *Filius factus est supplex, intercessor, sacerdos, Mediator,* non Pater: Alius igitur est Filius à Patre. Pater agit per Filium: non autem Filius per Patrem. Item Pater agit in se non per se, sed per Filium. At Filius non agit à se, sed per se. Denique *Christus baptizatus est,* non Pater, neque Spiritus S. Est igitur Christus alius à Patre, & Spiritu sancto. Ioan. 15.26. Mat. 28.19. Ioan. 1.14. Heb. 2.16. Mat. 3.26.

3. *Logos Patri est æqualis.*

Æqualis est Filius Patri, vtpote verus Deus: non autem

autem Deus minor: nec Deus propter diuitias, qualitates, aut operationes: vt Arrius, Samosatenus, Seruetus, & alij voluerunt.

1. Contra istos omnes, *Christum esse æqualem Patri, nempe verum Deum natura, & propter essentiam diuinam,* probatur disertis Scripturæ testimonijs: *Vt Omnes honorent Filium: prout honorant Patrem.* Pater autem debet honorari sicut deus: Ergo Christus est deus. *Quæcunque facit Pater, hæc etiam pariter Filius facit.* Hic (Filius Dei Iesus Christus) *est verus Deus, & vita æterna: qui Christus est supra omnes Deus laudandus in sæcula. Secundus homo ipse Dominus è cælo. Omnia quæ Pater habet mea sunt. In eo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. Sicut Pater habet vitam in seipso, sic dedit & Filio habere vitam in seipso. Data est mihi omnis authoritas in cælo, & in terra. Qui cùm esset in forma Dei, non duxit rapinam parem esse cum Deo.*

Ioan. 5. 23.
Ioan. 5. 19.
1. Ioan. 5. 20.
Rom. 9. 5.
1. Cor. 15. 47.
Ioan 16. 15.
Coloss. 2. 9.
Ioan 5. 26.
Mat. 28. 18.
Phil. 2. 6.

2. *Quia est verus, proprius, & naturalis Dei Filius, vnigenitus, natus ex essentia Patris.* Si ex essentia dei natus: Ergo illi tota, & eadem communicata est. Vnica enim Dei essentia, quoniam infinita est, non communicatur ex parte: alioqui non esset infinita. quia verò tota ei communicatur Patris essentia, & eadem, ergo Patri æqualis est, & per consequens est verus Deus.

3. *Quia ei Scriptura tribuit easdem proprietates diuinas, quæ patri tribuuntur:* vt quòd sit omnipotens, immensus, omniscius, καρδιογνώστης.

4. *Quia operatur diuina, quæ Patri eadem & Filio scriptura tribuit:* nempe quòd sit creator, conseruator, gubernator omnium: *quòd omnia verbo illo potenti suo sustineat:* denique quòd sit dator Sp. S. author ministerij, & per illud efficax. Hæc opera diuina Filio attributa, sic à Proprietatibus diuinis eidem attributis differunt vt effecta à causis.

Heb. 1. 3.

5. *Quia Patri & Filio est honor æqualis, idem, & communis æqualitas ex æqualitate essentiæ, & operum sequitur. Adorent eum omnes Angeli Dei. Vt omnes honorent Filium*

Heb. 1. 6.
Psal. 97. 7.
Ioan. 5. 23.

prout

gnus honorant Patrem. Creditis in Deum, & in me credite, Sedet ad dextram Patris, hoc est, æquali potentia & gloria regnat cum Patre. Sic & in Apoc. æqualis honor Patri & Filio tribuitur. *Sessori throni, & agno benedictio, & honor, & gloria, & robur in secula seculorum.* Dicitur item Christus, *Ecclesiæ sponsus ac maritus: Ecclesia ipsius domus, ipse architectus.* Ioan.14. Act.2.33. & Ps. 110.1. Apo.5.13.

Obiect. Deus est immutabilis: Christus est mutabilis: Ergo Christus non est Deus, & per consequens non est æqualis Deo. Minor probatur hoc argumento: *Qui mouetur ad alterius voluntatem, ille mutatur: Filius mouetur ad Patris voluntatem: Ergo mutatur Filius. Resp.* ad minorem: qui mouetur ad alterius voluntatem, præeunte scilicet illa alterius voluntate tempore. Filius autem ita mouetur ad voluntatem Patris, vt voluntas Patris non praeat, aut sit prior tempore, vel natura: sed tantùm ordine.

6. *Λόγος est Patri consubstantialis.*

Dicimus contra Arrium, Christum non tantùm esse ὁμοιούσιον, sed & ὁμοούσιον Patri, id est, habere eandem cum Patre essentiam.

1. *Quia vocatur Iehoua*, neque tantùm nomen Iehouæ, sed & proprietates, quæ soli Iehouæ conueniunt, ipsi tribuuntur. Iehoua autem vnus tantùm est essentia. Ergo vnus est Christus cum Patre Deus, nempe vnus ille Iehoua. *Iehoua iustitia nostra*, Iehoua autem vnus tantùm est essentia. Dicitur etiam Iehoua mitti à Iehoua. *Sic dixit Dominus exercituum: Propter gloriam misit me ad gentes.* Et paulò pòst: *scietis, quòd Dominus exercituum misit me. Ad templum suum Iehoua veniet. Priusquam veniat dies ille Iehouæ magnus, & tremendus.* Huc pertinent omnia loca, quibus *Angelus Iehouæ* nominatur ipse Iehoua. Item omnia loca, quæ in veteri Testamento dicuntur de Iehoua: in Nouo autem Testamento applicantur Filio: *Tu in initio, Domine, terram fundasti &c. Ego sum primus, & vltimus, qui viuo, sed fui mortuus.* Ier.23.6. Zach.2.8. Mala.3.1. Ioel.2.31. Heb.1.10. Apo.1.17.

2. *Quia*

2. *Quia dicitur verus Deus.* Verus autem Deus non niſi vnus eſt.

3. *Vnus eſt & idem Patris & Filij Spiritus,* atq; is vtriq; proprius eſt, & per eum vterq; agit efficaciter: itaque non eſt eſſentia Patris ab eſſentia Filii diſtincta. Nam alioqui quæque eſſentia haberet Spiritum proprium, ac diuerſum. Galat 4.6.

4. *Quia eſt Dei Patris vnigenitus, & proprius Filius, & per conſequens ex eſſentia Patris genitus.* Si ex eſſentia Patris genitus eſt, habet eandem & integram eſſentiam. Nam eſſentia diuina nec diuidi, nec multiplicari, nec alia creari poteſt. Si verò integram at totam Patris eſſentiam habet, æqualis Patri: Si eandem, eſt Patri conſubſtantialis, vel ὁμοούσιος: verùm non ὁμοιούσιος *tantùm, quod concedunt hæretici: dicentes eſſe Chriſtum ſimilis eſſentiæ cum Patre.* Similis eſſentiæ ſunt etiam duo homines: at non eiuſdem eſſentiç: Verùm Pater & Filius non tantùm ſunt ſimilis eſſentiæ, ſed eiuſdem eſſentiæ vnus Deus. Alius quidem eſt Pater: alius Filius: ſed non alius Deus Pater, nec alius Deus Filius. *Tres ſunt qui teſtificantur in cælo:* non autem tres Dei. Hi enim *tres vnum ſunt.* 1 Joan. 5. 7.

Fontes ex quibus hæretici ſuam ſententiam contra Deitatem Filij, & ſpiritus ſancti, probare conantur: & ſimul Regulæ quibus ad ipſorum argumenta reſpondetur.

1. Nituntur hæretici principiis falſiſſimis: vt, *Si Pater genuit vnum Filium ex ſubſtantia ſua, potuit plures gignere: & Filius alium ſimiliter poteſt gignere.* Reſp. Reſponſionis loco iis opponenda eſt hæc Regula. 1. *De Deo eſt iudicandum ſicut ſe in ſuo verbo patefecit,* non autem ex cerebro hæreticorum. Patefecit autem ſe deus, quòd Filium genuit, & quidem huuc vnum tantùm. Ergo in eo debemus acquieſcere & non effingere falſa.

2. Argumentãtur *ex principijs veris de creaturis: falſis autem de Deo: vt tria non poſſunt eſſe vnum & idem: ſcilicet in Creaturis finitis. Nam in iis eſſet tantùm implicatio contradictionis. Vnum & idem eſſe plura, vel Tria. Gignens & ge-*

nitum

nitum non sunt idem seu eadem essentia: gignens finitum, & genitum finitum: sed non infinitum. Item persona infinita non potest infinitum gignere. Regula. 2. *Principia quæ vera sunt de natura finita, ea non sunt transferenda ad infinitam.* Cùm igitur argumentantur ex principiis, quæ vera quidem sunt de rebus creatis & finitis, non autem de Creatore, qui infinitus est: resp. est non per simplicem negationem, sed distinctionem: hæc principia quidem vera esse de creaturis & rebus finitis, sed non de Deo natura infinita. Sic ergo soluendæ sunt hæ obiectiones.

Ob. 1. Essentia vna non est Trium: Deo vna est Essentia. Ergo Dei Essentia non est Trium. Resp Maior est vera de finita essentia non de infinita. Infinita autem Essentia est plurium Personarum Essentia, sicut & est vbique: At finita essentia nec est simul in pluribus locis, nec est plurium personarum.

Ob. 2. Quorum operationes distinctæ sunt, eorum essentia est etiam distincta: sed operationes Personarum ad intra sunt distinctæ: Ergo etiam Essentia Personarum. Resp. ad Maior. Id fit in personis quarum essentia finita est. Imò contrarium verum est. & maior est inuertenda, quia hæ operationes ad intra, requirunt vnitatem Essentiæ. Quoniam autem Essentia est infinita, necesse est, totam ipsam atque eandem Pater communicet Filio & Spiritui sancto.

3. *Argumentantur à proprietatibus naturæ humanæ ad diuinam: vt Christus est mortuus, passus &c. Ergo non est Deus.* Regula. 3. *Quæ sunt propria humanæ naturæ, non sunt transferenda ad Diuinam naturam.* Ita mortuus est Christus, non quatenus Deus, sed quatenus homo.

4. Argumentantur *ex proprietatibus officij Mediatoris ad probandam Essentiæ diuinæ vel Personarum inæqualitatem: vt Christus mittitur à Patre. Ergo Christus est minor Patre.* Regula. 4. *Inæqualitas officii non facit inæqualitatem Naturæ, vel Personarum: aut, vt ait Cyrillus,*

Missio

Missio & obedientia non tollunt æqualitatem potentiæ, vel essentiæ.

Ioan.14.28. Sic soluitur ista. *Obiect.* ex dicto Christi desumpta, *Pater maior me est. Christus* (inquiunt) *discernit se à Patre, se Patre minorem dicendo: Ergo non est consubstantialis Patri. Resp.* Discernit se à Patre 1. *Respectu humanæ naturæ:* 2. *Respectu officij Mediatoris*. Pater maior est, non quòd ad essentiam, qua Patri est æqualis: sed quòd ad officium & naturam humanam.

5. Argumentantur *ex iis quæ Patri omnium diuinarum operationum fonti tribuuntur, ad excludendum Filiũ & Spiritum Sanctũ: vt Filius ipse tribuit opera sua & gloriam suam Patri: Ergo ipse non est eorum author nec illa opera facit propria sua potentia, sed est instrumentum per quod Pater ipse efficit hæc opera*. Regula 5. *Quæ Patri tanquam fonti tribuuntur: ea non remouentur à filio, cui communicata sunt,*

Ioan.5.26. *vt habeat ea propria.* Agit enim similiter. *Dedit ei vitam habere in seipso. Sic neque remouentur à Spiritu Sancto, cui etiam communicata sunt à Patre & Filio, vt habeat ea propria.*

6. Argnmentantur *à locis discernentib. Personam Patris ab omnib. creaturis, & idolis, ad negandam diuinitatem Filij & Sp. S.* Regula 6. *Cum remouentur à Deo quæ sunt extra eum, non remouentur filius & Sp. S. vel, cùm vnà persona diuina opponitur creaturis, aut Idolis, non sequitur Filium & Spiritũ S. non esse eiusdem essentiæ cum persona, quæ opponitur creaturis & Idolis.* Vel, *cùm sol. Patri opposito creaturis & Idolis, tribuitur gloria & honor, non excludantur reliquæ personę diuinitatis: sed tantùm illæ excluduntur, secundùm quæ fit antithesis*, alias multa absurda sequerentur.

Ita soluenda est *Ob.* ex dicto Christi arrepta, *Hæc*

Ioan.17.3. *est vita æterna, vt te solum cognoscant esse verum Deum. Pater solus est verus deus: Ergo Filius non est ille verus Deus. Resp.* Hoc loco Pater verus Deus opponitur creaturis & Idolis, quorũ respectu dicitur *solus verus deus*, vt illa scilicet excludantur. Deinde (*solus*) ad prædicatum refertur, non ad subiectum, *vt cognoscant te esse*

solum

solum verum Deum, qui nimirum est solus verus Deus. *Inst. Atqui valet Argumentum : Maximilianus est Cæsar: ergo Radulphus non est Cæsar. Cur & hoc non valet, pater est Deus, igitur Filius non est Deus? Resp.* Istæ personæ sunt finitæ, & earum essentia non potest esse plurium: at hę personæ sunt infinitæ, earumque essentia potest esse, & est plurium, nempe trium personarum.

7. Argumentantur *à Phrasi Scrip.* vt, *Filius regnum tradit Patri: Ergo non est Deus.* Regula 7. *De Scrip. phrasi* 1.Cor.15.24. *iudicandum est ex circumstantiis locorum Scrip, & ex aliorũ dictorum collatione:* vel, *Phrases & locutiones Script. sunt explicandæ ex collatione i. ex scriptura. Sic : Filius non facit* Ioan.5.19. *quicquam*, scilicet à se, vel non præeunte voluntate Patris: at per se, à Patre, hoc est, voluntate Patris præeunte, facit omnia. Quomodo alibi & ipse similiter *omnia facere dicitur, quæ Pater*, per se scilicet à Patre. *Tradit regnum Deo & patri*, scilicet vt illud ipse quoq; retineat. Sic & *Pater filio regnum tradidit*, nec tamen illud amisit.

Obiectiones quæ sequuntur, aut habent 4. terminos, ita vt diuersumatur nomen Iehouæ, vel Essentiæ, in antecedente, quàm in consequente: aut in iis purę sunt particulares, exceptis tamen quarundam instantiis, in quibus alij sunt Elenchi,

1. *Vna essentia non est tres personæ. Iehoua est vna essentia. Ergo, &c. Resp.* Valet maior de finitis.

Qui habet principium, non est æternus. 1. *Filius &* S.S. *ha-* Ioan. 5.26. *bent principium, Ergo &c. Resp.* Qui habet principiũ scilicet essentiæ & temporis: Filius autem & S.S. habent vnam & eandem essentiam cum Patre ab æterno: sed dicuntur habere principium personæ, id est ordinis, aut modi existendi. *Sicut Pater habet vitam in seipso sic dedit & Filio habere vitam in seipso. Glorifica me pater a-* Ioan.17.5. *pud temetipsum ea gloria quam habui apud te priusquã hic mundus existeret. Egressus eius ab initio à diebus æternis.* Mich.5.2.

3. *Qui Originis principium habet, non est Iehoua. Filius habet principium originis. Ergo non est Iehoua. Resp.* Minor est falsa. Nam dicitur, *Sicut Pater habet vitam* (ab

æterno) *in seipso, sic dedit Filio habere vitam in seipso.*

4. *Vnitas nostra cum Deo est consensus: Vnitas autem Filij cum Patre est qualis natura. Ergo non est essentia.* Resp. Plus in conclusione sumitur, quæ est vniuersalis. Minor autem particularis: est enim & alia quædam vnitas filij cum patre, nempe essentię. i vt sit vnus deus.

5 *In quo est tota Deitas, præter eum non est alius in quo sit tota Deitas. Pater est tota Deitas. Ergo, &c.* Resp. Maior falsa est: quia eadem essentia quæ est in Patre, tota est in Filio: & tota in S.S. Axioma hoc sumitur de principiis quę vera sunt quando de reb. finitis agitur.

6. *Quorum operationes internæ sunt distinctæ, ibi etiam essentiæ distinctæ sunt. Sed patris, & Filij, & S.S. operationes internæ sunt distinctæ. Ergo, &c.* Resp. Maior vera est de finitis personis. De infinitam essentiam habentibus inuerti potest: nam *vbi sunt operationes ad intra quæ sunt communicatio essentiæ*, necesse est vnam & eandem eamq; totam essentiam esse, quia communicatur tota cuicunque communicatur.

7. *Christus secundùm naturam est Filius Dei secundùm quam dicitur Filius. Sed dicitur tantùm secundùm humanam naturam.* Resp. Minor est falsissima: quia dicitur *Filius de cælo descendisse. Per Filium dicitur Pater omnia creasse.* sed non secundùm humanam naturam.

8 *Filius habet caput & minor est Patre. Ergo non vna essentia cum Deo.* Resp. Christus habet caput. 1. *Respectu humanæ naturæ. 2, propter officium Mediatoris.* Hæc nihil adimunt eius Deitati.

9 *Vbi sunt tria & vnum, ibi sunt quatuor. In Deo sunt tria & vnum, videlicet tres Personæ & vna essentia. Ergo &c.* Resp. Ad Maiorem, Scilicet si illud vnum sit realiter distinctum ab illis tribus, ita vt non sit in illis totum. Sed hic tres personæ non sunt realiter distinctæ ab essentia communi. Differunt sicut quod subsistit, & modus quo subsistit. Pater non est Filius: Filius non est Pater: sed essentia Patris est in Filio, & contrà.

10. *Essentia diuina est incarnata. Pater, Filius & S.S.*

sunt

sunt essentia diuina. Ergo incarnati sunt Pater, Filius & S. S Resp. Negatur consequens. Ex puris. n. particularib. nihil sequitur. Maior non potest resolui vniuersaliter. Nam non quicquid est essentia diuina, est incarnatum, h.e. non omnis Persona in essentia diuina subsistens est incarnata, vel non incarnata est essentia diuina, in trib. personis existens, sed existens in vna dūtaxat persona, nempe in persona Filii.

11. *Qui est Iehoua, apud illum Filius est Mediator: Sed Filius est Iehoua: Ergo Filius est Mediator apud seipsum. Resp.* Ex puris particularib. nihil sequitur. Maior non est vniuersalis: non enim quicquid est Iehoua apud idipsū Filius est Mediator. *Inst. Ergo Filius, & Sp. sanctus nō vere reconciliati, aut sine Mediatore reconciliati. Resp.* Eadem est Personarum voluntas: pacato Patre, pacantur & aliæ Personæ. *Inst. Quem placat Filius apud eum est Mediator. Sed Filius non tantùm Patrem, sed & seipsum placat, Ergo apud se est Mediator. Resp* Ad Maiorem, Apud illum Filius est Mediator: quem ita placat, vt ab eo qui placatur consilium & voluntas placandi tanquam à fonte oriatur. Is autē solus est Pater. Itaq; hoc modo Filius non est apud se Mediator, sed apud solum patrem.

12 *Iehoua est Trinitas Patris, Filij, & S. S. Pater Christi est Iehoua: Ergo Pater Christi est Trinitas, id est, tres personæ. Resp.* Sunt puræ particulares. Maior vniuersaliter sumpta non est vera Nam quicquid est Iehoua, id non est Trinitas: ratio est, quia essentia est plurium *subsistentium* essentia: vel sunt quatuor termini. Quia Iehoua est Trinitas existens. *Inst. Qui est vnus numero, semper eodem numero sumitur. Resp.* Vnum esse numero est aut essentiæ, aut personæ, Iehoua est vnus numero, quod ad Essentiam, sed non vnus numero, quod ad Personas.

Has obiect. conferre licebit cum iis, quæ sunt allata supra, pag. 294. 295, &c. Namq; his illæ sunt affines. Quibus. n. Essentia diuina, atq; ipsa Trinitas oppugnatur, iisdem oppugnantur etiam Personę singulę:

quib. item vna oppugnatur Persona, iisdem quoq; oppugnatur ipsa essentia dei. præterea propositę sunt illic obiectiones aliquot, quę hic paulò fusiùs refutantur.

Regulæ.

1. *Nihil obstat quo minus qui pares sunt, officio (non gradu) sint impares.*

2. *Quod Pater dedit Filio vt perpetuò illud habeat, nunquam ab illo repetet. Quod verò ad certum tempus ei datum & commissum est, ab eo deponi est necesse.*

3. *Non sequitur, cuiuscunque persona est ab alio, eius etiam essentiam esse.*

4. *De persona in concreto dicitur, quod vnius tantùm naturę est in abstracto? sed non nisi respectu eius naturæ cuius propriam est.*

5. *Sapientia duplex est. Altera in creaturis, & accipitur pro rerum ordine sapienter instituto. Altera in Deo, quæ cum opponitur creaturis, est ipsa mens diuina seu decretum æternum de hoc rerum ordine, in Patre, Filio & spiritu sancto. Cùm verò sapientia subsistens in Deo destinguitur à Deo, pro Filio Dei rectè accipitur.*

6. *Quoties in scripturis vna Deitatis persona creaturis aut fictitiis numinibus opponitur & ab his discernitur: aliæ personæ nõ excluduntur à deitate: sed tantùm creaturæ cum quibus fit veri Dei collatio. Idem sentiendum de creationibus exclusiuis & superlatiuis.*

7. *Deus absolutè nominatus in scriptura, non nisi verus Deus intelligitur.*

8. *Quia ex Patre est Filius & S.S. & Pater agit per filium & per S.S. neq; humilitatus est vt filius: frequenter scriptura, præsertim Christo loquente, patris nomine & filium & S.S. etiam intelligit.*

9. *Quando Deus absolutè aut per se consideratur, vel creaturis opponitur, tres personæ comprehenduntur. Cũ verò filio opponitur, persona Deitatis prima, quæ est pater intelligitur.*

10. *Distinguit Scriptura personas, quando eas inter se opponit aut cõfert, aut earum proprietates personales ex primis*

quibus

quibus nomen Dei non ad certam personam restringit. Simul autem omnes intelligit, cùm verum Deum creaturis aut fictitiis Diis opponit, vel absolutè secundùm suam naturam considerat.

11. Quod manifestari certo tempore incœpit, non propterea nunquam fuit antea.

12. Solet Filius ad Patrem referre quod cum ipso habet commune, non facta sui mentione, quando in personæ Mediatoris loquitur.

13. In dictis, videre, discere, audire & agere dicitur filius à Patre, naturæ quidem utriusque respectu: sed saluo tamen discrimine. Menti enim ipsius humanæ voluntas Dei per revelationem innotescit: Deitas autem ipsius per se & natura sua perfectissimè voluntatem Patris nouit.

14. Si operationes externæ distinctæ essent, facerent distinctas essentias, quia dictum est: quæ pater facit, eadem & Filius: & quia vno agente, altero autem cessante, essent diuersæ essentiæ.

15. Quando Deus Christus & Fidelium Pater dicitur, non sequitur eadem ratione horum & illius Patrem esse.

16. Nunquam Pater sine Filio, nec Pater & Filius sine suo spiritu fuerunt, quandoquidem nec augeri, nec minui, nec mutari Deitas potest.

Credo in Christum Dominum nostrum.

TRes locutiones diuersæ sunt hîc obseruandæ. 1. *Credere Christum esse Dominum.* Illud credere non sufficit: nam & credimus Diabolum esse Dominum, sed nec omnium, nec nostrorum, sicut Christum credimus omnium nostrorum Dominum. 2. *Credere Christum esse Dominum, & omnium, & nostrorum.* Nec id satis est credere. Nam & Diaboli credunt Christum esse Dominum suum, quatenus videlicet ius habet in eos. 3. *Credere in Christum Dominum nostrum*, hoc est, ita credere Christum esse Dominum nostrum, vt in eo fiduciam collocemus: atque illud est, quod præcipuè nos oportet credere. Cùm igitur dicimus nos *Credere in*

Dominum nostrum, credimus, 1. *Filium Dei esse creatorem*
Ioan. 16. 15 *omnium rerum, idèoque habere ius in omnes creaturas: Omnia quæ habet Pater mea sunt.* 2. *Singulariter tamen ipsum esse Ecclesiæ defensorem & conseruatorem.* 3. *Me quoque esse vnum ex ipsius subditis: illum me conseruare ac defendere:* hactenus me per & propter ipsum esse conseruatum, ab ipso me deinceps esse conseruandum in omnem æternitatem: denique ipsum vti Dominio suo in meam salutem. Vt hæc melius intelligantur, 2. nobis obseruanda sunt. 1. *Quo sensu Christus dicatur dominus, & quidem noster.* 2. *Quas ob causas.*

1. *Dominus est, qui habet ius vel in rem, vel in personam.* Atque hoc loco *Dominus*, nomen est officij. Nam *Christus est Dominus noster, hoc est,* 1. *nos custodit, & seruat.* 2. *Nos ipsi sumus obligati.* Vt igitur hoc officium, sic & ipsum nomen *dominus* pertinet non ad vnam Christi naturam, sed ad vtramque, quemadmodum & sacerdotis, Regis & Prophetæ nomina. Nam officia sunt nomina vtrique naturæ propria. *Christus ergo Dominus est noster secundùm vtramque naturam:* nempe non tantùm respectu diuinę naturę, quæ nos creauit, sed etiam respectu humanæ naturæ. Humana. n. Christi natura est pretium redemptionis, quod Patri natura ipsius diuina dat & offert: imò etiam quatenus homo, non modò in homines habet potestatem, sed & in omnes creaturas, eòque in ipsos Angelos. Nam nomina officij, beneficiorum, ac dignitatis Christi dicuntur de tota ipsius Persona simpliciter & propriè loquendo per communicationem idiomatum, seruatis tamen vtriusque naturæ proprietatibus.

2. *Christus est Dominus noster,* 1. *Ratione seu iure creationis, sustentationis, ac gubernationis.* De hoc dominio di-
Ioan. 16. 15. cit, *Omnia Patris mea sunt*: qui nos, totum mundum creauit, atque omnia adhuc potentia sustentat & gubernat. *Estque hoc Dominium generalissimum, quod extendit se ad omnes homines, etsi non omnino eadem ratione ad nos, & ad impios omnes ac diabolos.* Nam primò hos ad mor-

tem

tem creauit, nos ad vitam. Deinde dominium quod Christus habet in impios & diabolos, consistit in iure postulandi, & imperandi, exercendi ius, & coercendi suos hostes: hoc est, habet in diabolos ac impios ius, & potestatem faciendi de illis quod lubet, ita vt præter nutum ipsius ne mouere quidem se possint. Habet quidem & in nobis ius & potestatem faciendi de nobis quicquid illi lubet: sed præterea nos etiam custodit *tanquam peculium suum & populum proprium, quem acquisiuit sanguine suo*: nos item regit ac gubernat Spiritu suo: operatur denique in cordibus nostris fidem & obedientiam. Itaque noster dominus est longè alio modo, quàm diabolorum & impiorum. 2. *Ratione redemptionis, ac regenerationis*, quia nos à peccato & morte liberauerit, ac deinde efficit in nobis virtute Spiritus Sancti vt ipsi viuere incipiamus. Quoniam verò liberauit nos, constat nos fuisse seruos & quidem serui sumus ac mancipia Diaboli, à cuius tyrannide Christus nos liberauit, atque hinc iam sumus Christi serui: quia nos, nimirum natura, hostes suos, ac dignos, quos perderet, tamen seruauit. Serui enim dicti sunt à seruando, quòd cùm in bellis ab inimicis poterant interfici, seruabantur. Hoc verò dominium Christi in nos est speciale, id est, sese tantùm extendit ad Ecclesiam. *Obiect. Si sumus redempti à potestate Diaboli: Ergo illi est datum precium pro redemptione: nam à cuius potestate redempti sumus, ei debetur pretium: at non datum est illi pretium à Deo: Ergo non sumus redempti à potestate Diaboli. Resp.* A cuius potestate, scilicet tanquam supremi Domini, & iure imperium in nos tenentis, redempti sumus, ei debetur pretium: Diabolus verò nequaquam, sed solus Deus est supremus noster Dominus, & ille solus iure imperium in nos tenet. Atq; illud Christi in nos dominiū satis magno constitit ipsi, qui propterea illud etiam curat & conseruat. De illo potissimùm *Dominio* differitur hoc loco. Non enim Christum Diabolus agnoscet talem esse Dominum

ſuum, qualem nos ipſum fatemur eſſe Dominum noſtrum, quia nos redemerit, & quia nos regat Spiritu ſuo. 3. *Ratione conſeruationis Chriſtus eſt noſter Dominus*, quia nimirum nos defendit vſque ad finem, & nos cuſtodit ad vitam æternam: non ſolùm corpora noſtra ab iniuriis tuendo, ſed & animas à peccatis. de hoc dominio dicit ipſe, *Nemo periit ex iſtis, quos dediſti mihi.* Ioan. 17.12. *Oues meas nemo rapiet.* Impios conſeruat ad interitum, 10.28.6.37. & corporali defenſione tantùm. 4. *Ratione ordinationis*, quia Pater *Logon* & hanc Perſonam Chriſtum ad hoc ordinauit, vt *per eum omnia in cœlo & in terra efficiat*: Pater nos illi dedit: præfecit eum nobis principem, Regem, & caput: *conſtituit eum hæredem omnium.* Noſter autem Dominus cùm ſit longè excellentiori modo quàm aliorum, etiam longè magis ad obedientiam ſumus illi obligati. Nam ſic noſter eſt Dominus vt faciat quidem de nobis quod vult, & habeat perfectum ius in nos: at eo tamen vtatur ad noſtram duntaxat ſalutem. Plura enim, & infinitis partibus maiora beneficia ab hoc Domino accipimus, quàm vlli alij. Proinde dominium quod in nos Chriſtus habet, nũquam non debemus agnoſcere.

Agnitio dominij illius eſt, 1. *Profeſſio tanti beneficij Chriſti, quòd ipſe dignetur eſſe Dominus noſter.* 2. *Confeſſio noſtræ obligationis & officij*: quoniam Chriſtus eſt dominus noſter tam clemens; debemus ipſi ſeruire, ipſum colere, & ſolum amare.

Qui conceptus eſt è Spiritu ſancto: natus ex Maria virgine.

COnceptio Chriſti è Sp. S. ſignificat. 1. *Miraculoſam formationem Maſſæ*, hoc eſt naturæ Chriſti humanæ, ex ſubſtantia virginis: vel miraculoſam Chriſti natiuitatem: quòd nempe Chriſtus ſecundùm humanam naturam operatione Spiritus ſancti ſit immediatè procreatus ex ſola matre virgine, præter ordinem rerum à Deo in natura conſtitutum.

Ob

Ob. Atqui nos etiam formamur à Deo. *Resp.* Nos mediatè: Christus immediatè.

2. *Sanctificationem Christi ab articulo conceptionis*: nempe *quòd spiritus sanctus impedierit propagationem peccati in hanc massam*: idque ideo. 1. *Vt esset victima pura.* 2. *Vt etiam alios sanctificaret sua sanctitate.* 3. *Vt sciamus quicquid filius loquitur id esse veritatem Dei. Quicquid enim ex carne natum est*, peccatrice scilicet & non sanctificata, *caro est*, mendacium, & vanitas. Ioan. 3. 6.

Ob. *Atqui natus est ex virgine itidem peccatis obnoxia, annon igitur & Christus habuit peccatum? Re.* Spiritus sanctus optimè nouit discernere peccatum à natura hominis: peccatum enim non est de natura hominis, sed à Diabolo aliunde accessit.

3. *Vnionem λόγε cum humana natura ab ipso assumpta.* De hac vnione paulò pòst commodiùs dicetur. Ob. *Conceptus est Christus è spiritu sancto. Ergo* (inquiunt Eutychiani) *caro Christi propagata est ex diuinitate spiritus sancti, vel ex spiritus sancti essentia, seu substantia, eóque natura diuina mutata est in humanam. Resp.* Est fallacia figuræ dictionis. *Ex* hîc non significat materiam, sed efficientem causam, scilicet vim, efficaciam, virtutem, operationem: nam Christus dicitur *semen Abrahami*: item *filius Dauidis*. Ergo carnem suam sumpsit Christus ex his patrib. non ex spiritu sancto. Et sicut nos ex Deo sumus geniti, quia fecit nos: sic *Christus conceptus est è S.S.* quia virtute, & operatione S.S. conceptus est, non autem quia natus est ex S. S. substantia. *Instantia. Ergo vbi dicitur Christus natus ex Maria virgine, ibi, Ex, non significat materialem causam. Resp.* Imò ibi significat materialem causam. Christum enim nasci oportuit ex semine Dauidis: at cùm dicitur *Christus è Sp.* S. conceptus, non potest particula *Ex*, accipi pro causa materiali. 1. *quia si hoc verum esset, non esset verum quòd natus esset Christus è virgine.* 2. *Quia Deus non est mutabilis.* Ideoque non mutatur in carnem. 3. *Quia λόγος assumpsit carnem, non in eam mutatus est.*

Additur

Additur, *Christum esse natum ex* Maria virgine, 1. *vt significetur Christum conceptum virtute S.S. esse ex substantia Mariæ Matris verum hominem natum.* 2, *vt sciamus eum esse ex iis patribus, ex quibus etiam Maria:* ipsum esse promissum illum Abrahamo, verum scilicet Abrahæ semen ex Abrahami semine propagatum, & Filium Dauidis ex Dauidis filia natum. 3. *vt impletam esse Scripturam sciamus. Ecce virgo concipiet. Semen mulieris conteret caput serpentis.* Ex hac impletione vaticiniorum quibus prædictum erat Christum nasciturum ex virgine, & quidem nata è posteris Dauidis: item & hoc miraculo similiter à Prophetis prædicto, quòd Christus è sola matre virgine sit natus: Ex hac inquam impletione vaticiniorum, & ex hoc impleto miraculo constat hunc hominem Iesum ex virgine natum, esse promissum illum Christum seu Messiam, ac generis humani Redemptorem. 4. vt significetur sanctificatum *esse Christum in virginis vtero virtute spiritus sancti,* 5. *vt sciamus esse analogiam inter Christi natiuitatem & fidelium regenerationem.* Generatio enim Christi ex virgine est signum spiritualis regenerationis, *quæ non ex sanguine, neque ex libidine carnis, sed ex Deo est.*

Isai.7.14.
Gen.3.15.
Ioan.1.13.

Credere in Christum conceptum ex spiritu S. & natum ex Maria virgine, est credere hunc naturalem Filium Dei. factũ esse verum hominem miraculoso modo, & quidem vnũ Christum duas habentem naturas vnione personali inter se vnitas: diuinam scilicet naturam & humanam, eumque esse sanctum ab vtero Matris, vt me redimat, & sanctificet, atque vt propter hunc Filium sic conceptum & natum habeam ius adoptionis Filiorum Dei. Non enim potest esse Mediator inter Deum & homines, qui non ipse sit homo, qui non sit iustus, qui non sit vnitus cum *Logo*, hoc est, verus, ac natura Deus & homo, & idoneus vt conferat nobis partam salutem. Ad hunc articulum de conceptione, & Natiuitate Christi penitus intelligendum, non ineptè subiicitur.

LOCVS

LOCVS DE DVABVS IN *Christo naturis.*



Væstiones obseruandæ sunt.

1. *An sint duæ naturæ in Mediatore.*
2. *An sit una vel plures personæ noster Mediator.*
3. *Si sit una Persona, qualis sit unio, & quomodo facta sit.*
4. *Quare oportuit fieri unionem hypostaticam.*

1. *An sint duæ naturæ in Mediatore.*

Esse in Christo naturam diuinam, suprà probatum est. Vt igitur constet *Esse duas naturas in Christo*, restat, vt iam de humana eius Natura dicamus, in qua probanda non tam ipsa natura: quàm veritas naturæ contra Marcionem asseritur. *Christum igitur esse verum hominem, anima, & corpore constantem perfectè & verè probatur,*

1. *Scripturæ testimoniis*, quæ ostendunt Christum habere omnes proprietates naturæ humanæ, & nobis per omnia factum esse similem, excepto peccato. *Quoniam pueri participes sunt carnis & sanguinis, ipse* Heb.2.14. *quoque consimiliter, &c.* Apolinaris dixit *fuisse quidem veram Christi humanam carnem: sed pro anima habuisse unitum Logon:* at facilè refutatur: quia Christus non fuisset fratribus suis per omnia similis excepto peccato. Et manifestò dicit ipse Christus. *Vndiquaq; tristis* Mat.26.38. *est anima mea vsque ad mortem.* Hoc non competit corpori, quia corpus est res bruta: neque diuinitati, quæ est expers omnis passionis. Huc pertinent & illa. *Pater in manus tuas depono Spiritum meum: & cùm hæc dixisset, expirauit.* Luc.22.46. Hoc de Christi diuinitate dici non potest, nam illa non discessit à corpore, illa est vbique, nec translatio localis illi competit.

2. *Christum esse verum hominem probatur à promissionibus diuinis.* Messias promissus est talis, qui esset *Se-*

men

Heb.2.16. Mat.1.1. Gen.3.15. Isai.7.14. Mat.1.23. Luc.1.31.33

men Abrahami : Filius Dauidis, & Filius Mariæ. Semen mulieris conteret caput serpentis. Ecce virgo concipiet, &c. Christus ergo natus est & propagatus verus homo: assumpsit enim carnem veram: quippe quam assumpsit ex semine Abrahami, Isaaci, Dauidis, Mariæ.

3. *Christum esse verum hominem, probatur ex causis propter quas assumpsit naturam humanam.* Eandem naturam oportebat pati, ac propterea eandem oportebat Christum assumere, quæ peccauit: at nostra natura peccauit. Ergo nostram debuit Christus assumere, & per consequens, eam non ex nihilo creare, neque de cœlo demittere. Itemque oportebat Christum non tantùm assumere: sed etiam retinere naturam nostram in æternum: quia Deus non vult nos recipere nisi insitos in Filio suo vnigenito. Denique oportebat Christum fieri fratrem nostrum. Itaque nisi Christus verè assumpsisset naturam nostram sine qua frater noster esse nequit, amitteremus consolationem nobis in æternum necessariam, quæ in sola Christi fraternitate nobiscum consistit. Sum ex carne eius, & ex ossibus eius.

4. *Ex his testimoniis, humanæ Christi naturæ veritas*

Luc. 24.28.

probatur, quibus post resurrectionem Dominus ipse discipulis demonstrauit se verè resurrexisse. Contrectate me, & videte: nam spiritus carnem & ossa non habet, prout me conspicitis habere.

Obiect. Caro Adami est peccatrix: Caro Christi est non peccatrix. Ergo Caro Christi non est Adami. Resp. Est fallacia accidentis. Non valet consequentia ab accidente ad substantiam. Cùm enim caro Adami tantùm per accidens peccatrix sit, sequitur carnem Christi tum tantùm secundùm accidens illud non esse carnem Adami: at secundùm substantiam esse eandem Adæ carnem. Igitur istud argumentum sic potius inuertetur: *Caro Adami est vera: Caro Christi est Adami: Ergo vera caro est Christi caro: & per consequens Christus est verus homo*, quemadmodum & Mediatoris officium requirebat,

rebat, vt esset, & maneret in perpetuum verus homo. Cùm enim veri homines peccassent, verus homo debuit satisfacere. Quia vnus, & idem debet esse Mediator, qui semper pro nobis intercedat apud patrem: talis quoque, nimirum verus homo, manere debet.

Obiect. 2. Conceptus est ex spiritu sancto. Ergo caro eius propagata est ex substãtia seu diuinitate Spiritus sancti. Resp Ex, significat efficientem causam, non materialem. *Instantia. ergo vbi dicitur, Natus ex Maria virgine, Ex, non significat materiam. Resp.* Hîc significat causam materialem: quia ante demonstratum est cum oportuisse nasci ex semine Abrahę. Quare autem *Ex* non eodem modo hîc accipiatur de Spiritu sancto, causa est, 1. *Quia si hoc esset verum, non esset homo natus ex virgine.* 2. *Quia Deus non mutatur in carnem.* 3. *Logos assumpsit carnem, non in eam est mutatus.*

Obiect. 3. *In Deo non sunt duæ naturæ. Ergo, &c. Resp.* Ex puris particularibus nihil sequitur. *Instant. Deo nihil potest accedere. Christus est Deus. Ergo, &c. Resp.* Deo nihil accedit perfectione, potuit accedere copulatione. 2. *Instant. Ad eum qui habitat lucem inaccessam non potest natura humana accedere. Resp.* Conceditur argumentum, modò ipse Deus non admoueat sibi eam. 3. *Inst. Deo ignominiosum est esse creaturam. Christus homo est Deus. Ergo, &c. Resp.* Deo ignominiosum est, si eius essentia mutetur in creaturam: non est autem ignominiosum vniri cum natura creata.

2. *An Christus vna sit persona, vel plures.*

Sunt duæ quidem in Christo naturæ: sed vna tantùm ipse est persona, quia vnum duntaxat Christum, atque vnum oportuit esse Mediatorem merito & efficacia. *Si essent duæ personæ,* essent duo Christi, quemadmodum Marcion dixit *fuisse duos Christos: vnum crucifixum, alterum non: atque alterum Christum tantùm descendisse super illum in cruce suspensum.*

Obiect. In quo sunt duæ res constituentes duas integras personas, in illo etiam sunt duæ personæ. At in Christo sunt

duæ

duæ res constituentes duas integras personas: nimirum Logus quæ vnam personam constituit: & corpus atque anima, quæ alteram. Ergo in Christo sunt duæ personæ. Responsio. Nego Minoris alteram partem, nempe *quòd corpus & anima constituant personam.* Hoc falsum esse patet ex definitione *Personæ, quæ non competit humanæ Christi naturæ.* Primùm enim *humanitas Christi sustentatur in alio: & ab alio* nempe *logo.* Nam tum primùm cæpit esse, cùm esset assumpta à *logo*, & tunc assumpta est, cum cepit esse: quin & nunquam extitisset, nisi à *logo* assumpta esset, nec existeret etiamnum, nisi à *logo* sustentaretur. Deinde, *humana Christi natura est pars alterius, nempe vnius Personæ Christi.* At persona est individuum per se subsistens, non sustentatum in alio, neque pars alterius: *logos* quidem persona fuit, & est habet tamen rationem naturæ, quatenus assumpsit carnem: vt rectè dicatur persona naturam, & natura naturam assumpsit: non autem rectè persona personam, vel natura personam assumpsit. Humana enim natura in Christo est condita, vt sit pars alterius: & recte dicere possumus, *humanam Christi naturam esse alterius partem: si modò in partis nomine nulla includatur imperfectio.* Tunc enim non sine periculo loquemur sic: ideoque multi ab hac locutione abstinuerunt. Damascenus tamen & alii hac loquendi formula sæpe vtuntur.

Ob. 2. Sic neque logos est Persona. Nam quod est pars alterius personæ non est persona. Logos est pars alterius personæ nempe Christi: Ergo non est Persona. Resp. Ad maiorem, *Quod est pars personæ*, scilicet tantùm, ita vt etiam non sit persona: sed *logos* est pars Personæ Christi, vt nihilominus ipsa sit tota Persona, nempe Filius vnigenitus etiam ante carnem. Potest & ita responderi. *Quod est pars personæ, non est persona*, scilicet ea ipsa persona cuius est pars. *Logos* enim est pars personæ respectu personæ Med. minimè verò pars est respectu Filii vnigeniti. Nam per se *logos*, & quatenus est Filius vnigenitus, est integra persona secunda diuinitatis, quãuis per se nõ

sit

& tota persona Mediatoris.

Ob.3. *Deus & homo sunt duæ personæ. Christus est Deus & homo. Ergo, &c.* *Resp.* Maior valet extra vnionem, Christus autem est Deus & homo in vnione. *Inst. Vniuit sibi corpus & animam humanam. Ergo Personam sibi vniuit. Resp.* Vniuit vnione hypostatica. 2. *Inst. Vniuit partes essentiales Personæ. Ergo personam. Resp.* Maior valet de partib. per se subsistentibus. In Christo autem anima & corpus non substitissent, nisi in hac vnione. 3. *Inst. Non subsistens per se est imperfectius neq; subsistit. Natura humana Christi non subsistit per se: Nostra autem per se subsistit. Ergo &c. Resp.* Negatur minoris pars prior: quia etiam natura humana in Christo subsistit per se, quatenus non est per accidens, sed substantia, id est, constituit partem integri.

Ob.4. Mortuus & viuens perpetuò, non sunt idem. Christus est mortuus & perpetuò viuens. Ergo, &c. Resp. Maior debet intelligi secundùm idem.

3. *Qualis sit vnio duarum Naturarum in Christo: & quomodo facta sit.*

Facta est hæc vnio per Spiritum Sanctum, id quod & verba Symboli manifestè declarãt, *Conceptus è spiritu sancto.* Significat autem conceptio ex Sp. Sancto,

1. *Miraculosam Christi conceptionem, creationem, ac formationem ipsius massæ in vtero materno*, quia ex solius matris Virginis sanguine immediatè procreatus est immediata Spiritus sancti præparatione. *Obiect. Atqui nos etiam formamur à Deo. Resp.* Sed mediatè.

2. *Sanctificationem illius massæ, vt prohiberetur peccatum originis ab hoc totum*, idque. 1. *vt esset pura victima.* 2. *vt alios sanctificaret sua sanctitate.* 3. *vt sciamus quicquid filius hic loquitur esse voluntatem Dei & veritatem.* 4. *quia talis debuit esse noster Pontifex. Quicquid enim ex peccato natum est, peccatũ* & vanitas *est. Ob. Atqui natus est ex peccatrice. Resp* S.S. optimè nouit discernere naturã hominis factam à deo à peccato quod à Diabolo accessit.

3. *Vnionem hypostaticam hominis cum logo per Spi. Sanctũ*

id

id est duarum naturarum in Christo in vnam personam copulationem. *Logos* caro factus est. *Quod ergo nascetur vocabitur Filius Dei.*

4. *Quare oportuerit Vnionem hypostaticam fieri.*

Suprà sunt expositæ causæ, *cur oportuerit Christum esse verum hominem perfectè iustum, & simul verum Deum:* illas ergo non est necesse rursus hîc repetere. Iam articulos Apostolici Symboli, qui agunt de persona Christi, paucis explicauimus: & simul declarauimus in eorum explicatione, quæ nobis cognitu necessaria sunt, tum de diuinitate Christi: tum de humana Christi natura, eaq; à *logo* ex semine Dauidis assumpta, cum *logo* Spiritus sancti virtute personaliter vnita, atq; ex substantia virginis miraculoso modo genita.

Oportuit autem prohiberi vt nulla peccata in ipsum transfunderentur. 1. *Quia pro peccatis debuit satisfacere.* 2. *Quia non conueniebat logo Filio Dei assumere naturam pollutam peccato. Credere* igitur *in Filium Dei conceptum ex Spiritu* S. est credere. 1. *Illum factum esse hominem miraculoso modo, & quidem vnum Christum ex natura diuina & humana.*

2. *Ita sanctè conceptum & natum, nobis acquirere ius Filiorum Dei:* quia hæc persona sufficiens est & idonea vt nobis reparet & conferat iustitiam. Vnitur enim *logo*, id est, verus & natura Deus & homo est, qualem oportet esse Mediatorem. Vult etiam hoc præstare, quia hoc fine natus est vt nos sanctificet.

Ex iis omnib. vnusquisq; nostrûm certò colligere poterit: quòd *ille Christus noster sit mediator. Et ratio cõsequentiæ est: quia ex eo quòd est Filius Dei vnigenitus, constat Christum esse verum Deum Patri consubstantialem, coæternum, & coæqualem. Ex sancta cõceptione & natiuitate Christi constat ipsum esse verum hominem, eumq; iustum & vnitum Deitati, seu Logo: ac talem oportebat esse Mediatorem.*

DE HVMILIATIONE CHRISTI.

ORdinis ratio postulat, vt nunc deinceps articulos explicemus, qui tractant *de officio Christi*, ac primum

mum quidem *de Humiliatione Christi*, priore videlicet officij Christi parte, ad quam pertinent hi articuli, *Passus sub Pontio Pilato, Crucifixus, Mortuus, Sepultus, descendit ad inferos*. His explicatis ad reliquos articulos accedemus, qui agunt de Glorificatione: de altera nimirum officij Christi parte.

Passus sub Pontio Pilato.

CRedo *in Christum passum*, id est credo. 1. *Quòd Christus inde à conceptionis momento omnis generis calamitates, & miserias pro me sustinuit.* 2. *Quòd postremo suo tempore acerbissimos quosque cruciatus & animæ & corporis fuerit pro me perpessus.* 3. *Quòd horrendam iram Dei senserit ad compensationem & meorum & aliorum peccatorum, atq; ad placationem iræ aduersus genus humanum.*

Differunt *Christum esse passum credere*, & *in Christum passum credere*. Illud enim est tantùm fidem historicam habere de Christi passione: nec in ea fiduciam ponere: hoc verò est credere non tantùm quòd Christus sit passus: sed etiam suam fiduciam in eius passione collocare.

DE PASSIONE CHRISTI.

PASSIO *Christi* tantùm sequitur eius conceptionem, & natiuitatem, 1. *Quia in eius passione consistit nostra salus.* 2. *quia tota eius vita fuit passio, & calamitas.* Interim ex historia transactæ vitæ ipsius multa possunt, ac debent obseruari. Etenim illa 1. *ostendit hanc personam esse Messiam promissum*, cùm in eo concurrant, & impleantur omnia vaticinia. 2. *Est consideratio humilitatis suæ seu obedientiæ, quam Patri præstitit.*

Quæstiones prçcipuæ de Passione Christi hę sunt.

1. *Quid passus sit Christus.*
2. *An passus sit secundùm vtramque naturam.*
3. *Quæ sit impulsiua passionis Christi causa.*
4. *Quæ causa finalis.*

1. *Quid passus sit Christus.*

PAssionis *nomine* intelligitur tota humiliatio, siue obedientia totius humiliationis, omnes miseriæ, cruciatus, ignominiæ, dolores, quibus omnibus Christus ab articulo natiuitatis ad horam vsque mortis, & resurrectionis tam anima quàm corpore fuit obnoxius. *Vndequaq; tristis est anima mea vsque ad mortem. Deus meus, deus meus, cur deseruisti me? vere languores nostros ipse tulit.* Principaliter autē *Passionis nomine significatur postremus actus humiliationis, ac dolorum Christi: & præcipua pars dolorum fuit in anima*, in qua sensit iram Dei aduersus peccatum: atque *hæc est causa cur tantopere Christus horreret mortem, & tam pusillanimis esset in morte, cùm alij martyres Christi summos cruciatus fortiter sustinuerint.* Aliorū enim cruciatus & supplicia non habent proportionem ad cruciatus, & supplicia Christi. Nā alij, vt Stephanus, Laurentius, &c. corporales tantùm sustinebāt dolores & cruciatus: intus sustentabantur à Spiritu Sancto. At Christus sensit & corporis, & animæ dolores. Nam *passus est primò nostram infirmitatem*, hoc est infirmitates humanæ naturæ, *esurijt, sitiuit, defessus est, tristitia, ac dolore fuit affectus &c.* 2. *Paupertatem. Filius hominis non habet vbi caput inclinet.* 3. *Infinitas iniurias, contumelias, calumnias, insidias, obtrectationes, opprobria, blasphemias, abiectionem, & contemptum. Ego vermis & non homo. Vidimus eum, & non erat illi aspectus, vel forma.* 4. *Tentationes Diaboli. Tentatus per omnia, &c.* 5. *Mortem corporis, & quidē contumeliosam, nempe mortem crucis.* 6. *Grauissimos animæ cruciatus, sensum videlicet iræ Dei aduersus peccatum sibi impositū esse sentiebat.* Hinc est quòd alta voce clamauit, *deus meus, deus meus, cur deseruisti me*

Math. 26. 38
Mat. 27. 46.
Isai 53. 4.

Mat. 8. 17.
Ioan. 4. 7. & 19. 28.
Heb. 4. 15.
Luc. 9. 58.
Mat. 12. 24.
Psal. 22. 7.
Isa. 53. 4.
Mat. 4. 1.
Heb. 4. 15.

quasi

quasi diceret, cur non repellis à me tantos cruciatus? significat nimirum verbis iis non diuulsionem naturę diuinæ ab humana: sed dilationem auxilij. Videmus ita, quę & quanta pro nobis Christus fuerit passus: eaq; nobis proponuntur, vt consideremus 1. *Ipsam historiam passionis Christi congruentem cũ oraculis, & vaticiniis.* 2. *Causam, seu fructus passionis Christi.* 3. *Exemplum, quod oporteat ingredi in vitam æternam, & gloriam cœlestem, nimirum per mortem, sicut Christus*: ac tria ista potissimùm in passione Christi consideranda sunt.

Obiect. Temporalis & æternę pœnæ nulla est proportio. Christus est passus tantùm temporales pœnas. Ergo non potuit satisfacere iustitiæ Dei. Resp Ad Maiorem, Nulla est proportio temporalis & æternæ pœnæ, scilicet in eodem gradu & eodem subiecto

Quæst. Sed quomodo vnius personæ λυτρον potest respondere infinitorum hominum peccatis? Resp. potest, duplici de causa. 1. Quia est verus Deus. *Obiect. Atqui Deus non potest mori & pati. Resp.* Deus non potest pati, scilicet secundùm id quod Deus est. Vel. Concedo totum argumentum rectè intellectum: ita nimirum vt non sit Deus secundùm id quod est mortuus. *Ob. Christus non est Deus secundùm id quod passus est. Ergo falsum est quod dicitur, Deum Ecclesiam redemisse suo sanguine. Resp.* Est communicatio idiomatum, id est, Synecdochica locutio, verum tamen in concreto: id est, ea persona quæ Deus & homo est, redemit Ecclesiam. *Communicatio Idiomatum* est tribuere toti personæ id, quod alterius naturæ est proprium, idque in concreto tantùm: quia nomen Concretum significat personam in qua est vtraque natura & eius naturæ proprietas de qua aliquid prædicatur. Atque ideo fit vt nihil impediat quominus prędicetur de tota persona quod alterius naturæ est proprium, modò illa proprietas in persona insit. Contra autem de nomine abstracto tantum eius naturæ proprietates prædicantur, cuius sunt proprię.

2. *Propter grauitatem supplicij, quia passius est id quod nos in æternum debuissimus pati.* Æquipollet igitur ipsius passio pœnę æternæ, imò eam superat, quia Deum pati plus est, quàm omnes creaturas interire.

2. *Secundùm quam naturam Christus sit passus.*

Non secundùm vtramque naturam, neque secundùm diuinitatem suam, sed secundum humanam naturam tantùm passus est anima & corpore. Diuina enim natura est immortalis, Ita autem passus est secundùm humanitatem suam, vt morte, & passione sua satisfecerit pro infinitis hominum peccatis.

QV. Sed cur Deitas pati non potuit? Resp. Quia non est mutabilis: & ipsa vita non potest mori, Hæc sustinuit humanam naturam in doloribus, & post morté restituit eam in vitam.

Obiect. Deus suo sanguine redemit Ecclesiam. Act. 20. 28. Ergo Deitas est passa. Resp Non consequitur: quia à concreto ad abstractum non valet consequentia. Item mutatur genus prædicationis. *Deus est mortuus*, figuratè dicitur per *Communicationem idiomatum, & per Synecdochen. Cum autem dicitur, deitas est mortua*, id sine figura. Concretum significat subiectum habés formam. Abstractum verò nudam formam. Non valet igitur consequentia. Homo est cõpositus ex elementis & est corporeus Ergo & anima est corporea. Quia non omnia competunt formæ quæ subiecto. Non sequitur etiam Christus Deus est mortuus: ergo Christi deitas est mortua: nam à concreto ad abstractum non valet cõsequentia.

Impleuit ergo Christus Legem, 1. *Iustitia sua propria* 2. *Satisfactione pro nostris peccatis sufficiente & perfectissima.* Satisfactio autem eius fit nostra, applicatione, quæ est duplex. 1. *A Deo, qui nos iustificat propter meritum Christi, & facit vt desinamus peccare.* 2. *A nobis fide.*

Cæterùm, probatur quòd fuerit alia natura in Christo quæ non est passa & mortua. *Destruite templum hoc, &*

& tribus diebus erigam illud. Mortuus secundùm carnem & viuificatus Spiritu. Mortuus sum, & ecce viuo. Habeo potestatem ponendi animam. Ioan. 2. 19 1. Pet. 3. 19 Apoc. 1. 18. Ioan. 10. 18.

Addamus & illud. Vt aliquis pro alio satisfaciat debent ista concurrere, 1. *Sufficiens satisfactio.* 2. *Spontanea.* 3. *Vt is cui debetur, sit contentus.*

Causę impulsiuæ passionis Christi.

1. *Amor Dei erga genus humanum. Ita Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum dederit.* 2. *Misericordia Dei erga lapsos in peccatum.* 3. *Dei voluntas vlciscendi iniuriam Diaboli, qui in dei contumeliam nos ab ipso auerterat atque imaginem dei mutilauerat in contumeliam creatoris.* Ioan. 3. 6.

Obiect. Annon Christus impleuit Legem? Resp. Impleuit. 1. *Iustitia sua.* 2. *Satisfactione pro nostris peccatis:* vtraque est perfectissima: *satisfactio* autem *fit nostra applicatione*, quæ duplex est *Prior est à deo*, qua nos Deus iustificat propter Filij sui meritum. & facit, vt desinamus peccare: *Altera est à nobis.* Applicamus enim nobis meritũ Christi, quando statuimus vera fide Deum propter λυτρον Filij sui nobis remittere peccata. *Inst. Si Christus impleuit Legem, cur à deo tam grauiter punitur? Pœnæ enim sunt peccatorum stipendium. Resp.* Ad maiorem, Innocẽs non debet plecti pro nocentibus. 1. *nisi innocens se vltro offerat pro nocentibus* 2. *nisi volens sic patiatur innocens pro nocentibus, vt præstet* λυτρον *sufficiens.* 3. *nisi se offerat ad satisfaciendum: atque ita quidem, vt non pereat in supplicio, sed emergat.* 4. *nisi possit præstare, vt pro quibus se offert ad satisfaciendum, ij desinant in posterum peccare.* 5. *nisi sit eiusdem naturæ cũ iis pro quib. satisfacit.* Talis satisfactor si substituatur, nihil fit contra iustitiam Dei: sic enim patiendo vterque seruatur, nimirum & patiens, & pro quo fit passio. Talis autem vas, & satisfactor est Christus, qui non tantùm est homo, vel eiusdem naturæ nobiscum: sed etiam nos sumus eius membra: cùm verò totum luit pœnam, plectuntur etiam membra. Propter hanc nostri cum Christo capite coniunctionem

ctionem, passim Apostoli aiunt *nos passos esse in Christo.*

4. *Causæ finales passionis Christi.*

Passionis eius vtilitas 1. est, *vt eius passio esset* λυτρον *sufficiens pro peccatis*, seu redemptio nostri. 2. *Patefactio amoris, bonitatis, misericordiæ, iustitiæ Dei, dum punit Filium pro nobis. Sunt ergo finales causæ præcipuæ, Salus nostra & gloria Dei.* Ad priorem pertinet agnitio magnitudinis peccati, vt sciamus quantum malum sit peccatum & quid mereatur. Mortem non esse pernicioſam pijs, & ideo non esse timendam. Ad posteriorem, Iustificatio, in qua omnia beneficia comprehenduntur quæ Christus meritus est moriendo, & quæ conferret nobis emersionem ex morte.

Obiect. Sed si pro omnibus satisfecit, omnes seruari deberent

Resp. Satisfecit pro omnibus, quoad Satisfactionem, non quoad Applicationē. Liberat nos autem, 1. *Quia pater adhoc ordinauit eum*, seu quia pater vult. 2. *Quia filius volens se offert.* 3. *Quia eius est* λυτρον *sufficiens.*

Credere in Christum passum, est credere 1. *quòd inde à conceptionis tempore omnis generis miserias pro me & omnibus fidelib. sustinuerit.* 2. *Quòd extremo suo tempore, acerbissimos quosque cruciatus sustinuerit pro me & omnibus fidelibus.* 3. *Quòd horrendam iram Dei senserit ad compensationem meorum & totius mundi peccatorum, & vt placaret iram Dei aduersus peccatum.* Credere Christum passum, est *ita credere, vt tantùm habeas fidem historicam.* Credere in Christum passum, est *fiduciã in eius passione collocare.*

Quæst. Quare conceptionem Christi mox sequitur eius Passio? *Resp.* 1. *Quia in eius cõceptione & passione tota salus nostra cõsistit.* 2. *Quia tota eius vita fuit passio & calamitas.*

Quæst. 2. *An igitur ex historia vitæ ab ipso transactæ nihil obseruatu dignum est? Resp.* Imò est. Nam 1. *ostendit hanc personam esse Messiam promissum*, cùm in eo omnia vaticinia impleantur. 2. *Obedientiam, quam Patri præstitit.*

Obiect. At etiam in lege Mosis fuerunt sacrificia propitiatoria. Resp. Non propriè expiatoria, sed typica. Christi autem sacrificium est vnicum expiatorium.

Passu

Passus sub Pontio Pilato.

PIlati fit mentio in passione Christi, 1. *Quia testimonium Christus accipere voluit innocentiæ suæ*, nimirum vt sciremus ipsum voce ipsius iudicis innocentem pronunciatum.

2. *Quia debuit solenniter condemnari: vt nempe sciremus ipsum*, quantumnis innocentem, damnatum tamẽ esse, ne nos condemnemur: sicut & mortem sustinuit, vt nos ab ea liberaremur.

3. *Vt admoneremur impletionis Prophetiæ. Non recedet sceptrum de Iuda, & legislator de pedibus eius, donec veniat Silo.* Tunc enim ablatum est sceptrum de Iuda, quum Christus, à quo primùm absolutus erat, paulò pòst condemnatus est à Pilato Præside Romano. Hæc ergo circumstantia *in Passione Christi* diligenter consideranda est, vt sciamus hunc esse Messiam: quia omnes cõditiones implentur in hoc, quę requiruntur in Messia: quarum vna erat & hæc prædictio *de auferendo sceptro de Iuda.* Gen. 49. 10.

4. *Vt sciremus Christum ab ipso quoque Deo condemnatũ fuisse, ac proinde eum Deo pro nobis satisfeciſſe.* Nam iudicij ordinarij præses, est ipse Deus.

Non igitur Christus clam debuit à Iudæis abripi, neq; per tumultum ad mortem pertrahi: sed legitimo ordine, & iudicio, ac facta inquisitione in omnes accusationes Christi, voluit ipsum Deus, 1. *Examinari*, vt patefieret eius innocentia. 2. *Damnari*, vt constaret eum innocentem ante pronunciatum, non sua sed nostra culpa condemnatum esse: atque vt ita ipsius damnatio iniusta, esset loco iustissimæ dãnationis nostræ. 3. *Interfici*, tum vt implerentur vaticinia, tum vt constaret Christum, & à Iudæis, & à gentibus esse interfectum.

Crucifixus.

CRedo *in Christum Crucifixum*, id est, credo Christum subiisse hanc pœnam, & hanc maledictionẽ crucis

mea causa, eumq; pro me maledictioni diuinę factum esse obnoxium, quam ego, & nos omnes eramus meriti, cuius maledictionis etiam typus erat mors crucis à Deo maledicta.

Tribus autem de causis Deus voluit Filium suum obire tam probrosum mortis supplicium. 1. *Vt sciremus, ipsi incubuisse maledictionem peccatis nostris debitam*, atq; ita nos ad maiorem gratitudinem excitaremur, considerantes, quàm detestabilis res sit peccatum, adeo vt non potuerit expiari nisi acerbissima, & maximè probrosa morte Filij sui vnigeniti. 2. *Vt esset exasperatio supplicij*, atque ita nos tanto magis confirmaremur in vera fide, dum consideramus Christum hoc supplicij genere recepisse in se reatum nostrum, adeoque ipsam pœnam, & maledictionem, iuxta illud, *Maledictus qui pendet in ligno*. 3. *Vt veritas responderet figuris*, atque ita nos sciremus typos impletos esse in Christo. Nam. 1. *sacrificia, quæ adumbrabant victimam Christi, lignis imponebantur*, vt significaretur, quòd Christus ligno affixus, sacrificium suum peragens, hostiam sanctam offerret Patri. 2. *Sacrificia in altum eleuata antequam comburerentur, significabant* exaltationem Christi in ara crucis. 3. *Idem adumbratum est in Isaaco*, qui lignis impositus erat à Patre sacrificandus. 4. *Hoc supplicij genus depingit serpens æneus*, quem Moses palo affixum in deserto erigebat. Ipse Christus hunc æneiIoan. 3. 18. serpentis typum de sese interpretatus est. *Prout Moses extulit serpentẽ in deserto: ita extolli oportet Filium hominis.*

Mortuus.

CRedo in *Christum mortuum*, hoc est credo Christum non tantùm esse passum cruciatus maximos mea causa: sed etiam ipsam mortem, atque moriendo mihi impetrasse remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo: & per consequens etiam Spiritum sanctum inchoantem in me nouam vitam, vt denuò fiam templum Dei, tandemq; vitam æternam consequar, in qua Deus in æternum à me celebrandus est.

DE

DE MORTE CHRISTI.

QVæstiones præcipuæ sunt.

1. *Quo modo Christus dicatur mortuus.*
2. *An Christum oportuerit mori.*
3. *Quis fructus Mortis Christi.*

1. *Quomodo Christus dicatur Mortuus.*

Hanc quæstionem mouere necesse est propter hæreticos, qui sensum huius articuli deprauarunt. Marcion *negabat eum verè esse mortuum: quemadmodũ etiam affirmabat totam ordinariam humanæ naturæ dispensationem in Christo, ac illa omnia quæ Christus pro nobis subiit, imaginaria fuisse, & ipsum visum esse tantummodo vt hominem.* Nestorius *naturas in Christo separabat, nec Filium Dei, sed hominem tantùm mortuum voluit. Noli gloriari, Iudæe* (inquiebat) *Deum non crucifixisti.* Vbiquitarij *credunt naturam humanam Christi à momento incarnationis sic fuisse omnibus deitatis proprietatibus ornatam: vt inter eam & deitatem hoc interfit, quod illa per accidens habeat quicquid hæc per se & ex se habet. Hinc fit vt Christum in morte, imò cùm fetus lateret in vetero virginis, non tantùm deitate, sed etiam corpore in cælo & vbiq; fuisse imaginentur.* Hoc illud est quod *formam Dei* vocant.

Christus igitur *verè & corporaliter mortuus est*, vera scilicet diuulsione animæ eius à corpore, ita vt non modò non fuerit vbique simul anima & corpus, sed ne quidem simul fuerit in vno loco. *Quum rursum clamasset voce magna, emisit Spiritum. Iesus autem emissa voce magna expirauit. Pater in manus tuas depono spiritum meum: Et quum hæc dixisset expirauit. Et inclinato capite, tradidit Spiritum.* Mat. 27. 50. Mar. 15. 37. Luc. 23. 46. Ioan. 19. 30. *Sed alterum quoque addendum, nempe licet anima à corpore esset separata, tamen Logon corpus & animam non deseruisse, sed* mansisse nihilominus & animæ & corpori coniunctum, coque illa animi, & corporis diuulsione nequaquam diuulsas fuisse duas in Christo naturas.

Ob. Cur ergo clamauit, Deus meus, Deus meus, cur deseruisti Mat. 27. 46.

isti me? Resp. Propter dilationem auxilij. Diuelli enim duæ in Christo naturę non debuerunt: quia scriptum est, *Deus Ecclesiam proprio suo sanguine acquisiuit,* Act. 20. 22. & Filium Dei esse oportebat, qui moreretur pro peccatis nostris, vt pro iis esset pretium sufficiens. Ex his etiam liquidò constat, *Vnionem naturarum in Christo non esse vbiquitatem.* Nam anima à corpore diuulsa non fuit in sepulchro cum corpore, & per consequens non vbique, quia quod est vbique, nunquam diuelli poterit.

Ob. At sicut virtus, id est diuinitas, dicitur egressa ex ipso, sic etiam expirauit. Resp. Inest dissimilitudo. Quia diuinitas manens in humana natura, tamen operabatur extra eam. Anima autem discedebat à corpore. Dissimilitudinis ratio est: quia diuinitas est actus increatus atque infinitus: anima autem actus creatus.

2. *An Christum oportuerit mori*

MOri Christum oportuit, 1. *Propter iustitiam Dei*, vt, nimirum iustitiæ Dei satisfaceret, quæ requirebat mortem hominum, à quibus ea erat offensa. Nam summi boni læsio est expianda summo supplicio, vel vltima destructione naturæ, hoc est, morte rei damnati propter peccatum: iuxta illud, *Stipendium peccati* Rom. 6. 22. *mors est.* Filium autem Dei oportuit mori, vt pro peccatis nostris esset λύτρον sufficiens. Nulla enim creatura potuisset tale supplicium sustinere, quod æterno æquipolleret, & simul temporale esset.

Obiect. Meriti sunt æternam pœnam, quicunque Deo per Christum non reconciliantur. Ergo non debent animæ à corporibus separari, vt possint pati æternam damnationem. Resp. Hoc non sequitur: sed illud, Oportet corpus & anima simul esse vt possint illam pati, quod fiet tandem.

2. *Propter veritatem Dei*, nempe vt veritati diuinæ satisfieret: comminatus enim Deus erat mortem simul ac peccassemus, quam comminationem oportuit impleri admisso peccato. Atque hæc est illa commi-

natio

natio ab ipso Deo pronuntiata. *Quocunq; die comederis ex eo morte morieris.* Gen.2.17.

Obiect. At non continuò mortuus est Adam. Resp. Reuera spiritualiter moriebatur morte æterna: & iam tum erat mortuus. *Audiui* (inquit) *vocem tuam.* Erat terror & sensus iræ Dei, Lucta cum morte, Amissio omnium donorum corporis & animi. Sed accedit Euangelij. Non n. expressè Deus dixerat, quòd omninò totus è vestigio esset moriturus. Nam sic in æternum periisset. Filius obtulit mitigationem, excitauit ad nouam vitam, vt tamen morti corporali maneret obnoxius, quæ tamen ei lethalis non esset.

3. *Propter promissionem patribus factam*, tum verbis, vt apud Isaiam, *Sicut ouis ad occisionem ducitur, & quasi agnus coram tonsore suo obmutescit, nec aperit os suum:* tum sacrificiis, quibus promisit Deus Christum debere mori, & quidem tali morte, quæ sit æquipollens pretium pro peccatis. Hoc autem nullius creaturæ potuit esse opus: sed solius Filij Dei: ac proinde filium Dei tam diram oppetere mortem pro nobis oportuit. Isai.53.7.

Ob. Ergo in iis, non satisfit iustitiæ Dei, qui puniuntur: quia pœna eorum est æterna. Resp. Satisfit per æternum supplicium. *Inst. Sic igitur nos poterimus euadere maledictionem per nos ipsos. Resp.* Ita nunquam liberabimur, sed pœnam sustinebimus æternam.

Ex suprà dictis triplicem doctrinam libebit haurire, 1. *Maximè nobis fugienda esse peccata quæ videlicet expiari non potuerunt, nisi interueniente morte Filij Dei.* 2. *Nos debere gratos esse erga Filium Dei pro tanto ipsius beneficio in nos ex inenarrabili gratia collato.* 3. *Omnia peccata nostra, quot, quanta, & quàm grauia illa sint, sola Christi morte esse expiata.*

3. *Fructus mortis Christi.*

Fructus mortis Christi est totum opus redemptionis nostræ, & quidem, 1. *Iustificatio seu peccatorum remissio*, quia iustitia Dei postulat vt non bis peccantem Deus puniat: in Christo autem puniuit nostra peccata: ideo

Ioan.1.7. ideo eadem in nobis non puniet. *Sanguis Iesu Christi purgat nos ab omni peccato:* tam originali, quàm actuali: tam facti, quàm omissionis. Huius effectus causa est Christi mors.

2. *Donatio Spiritus sancti & per eum regeneratio, seu noua vita*, quia Christus morte sua non tantùm nobis impetrauit condonationem peccati, & reconciliationem cum Deo: sed etiam donationem Spiritus S. vt eius virtute vetus homo cum Christo crucifigeretur, hoc est, vt per Spiritum sanctum efficacia meriti Christi, & nostri in ipsum insitione, aboleretur in nobis praua nostra & nondum regenita natura: atque ex aduerso iustitia in nobis inchoaretur, imago Dei à Diabolo in nobis destructa restitueretur, ac nos per eundem spiritum impelleremur, ad gratitudinem pro tanto beneficio præstandam. *Christus factus est nobis, iustitia, sapientia, sanctificatio & redemptio. In ipso estis consummati.*

1.Cor.1.30. Col.2.10.

Mors Christi in regeneratione efficienda est causa impulsiua duplici respectu. 1. *Respectu Dei, quia propter mortem Christi Deus nobis condonat peccatum, & dat S.S.* Gal.4.6. *Quia estis filij, misit Deus spiritum Filij sui in corda vestra, clamantem, Abba, id est Pater.* 2. *Respectu nostri* habet rationem eiusdem causæ impulsiuæ: quia qui vera fide Christi meritum percipiunt, & eius mortem sibi applicant, eos impossibile est non esse gratos. Omnes nempe iustificati se comparant ad grata Deo facienda: non enim potest regeneratio, vel studium obediendi Deo, separari ab applicatione, nec beneficium regenerationis à iustificationis beneficio: Omnes qui iustificantur etiam regenerantur: & omnes re-

1.Pet.1.3. generati sunt iustificati. *Ob. Regenerationem Apostolus tribuit Resurrectioni: hîc autem regeneratio morti Christi tribuitur. Resp.* Tribuitur morti Christi quòd ad eius meritum: moriendo enim regenerationem nobis meritus est. Tribuitur autem resurrectioni Christi quòd ad applicationem: resurgendo enim nobis applicat regenera-

generationem,& dat nobis Spiritum Sanctum. Ioan. 3.16.

3. *Vita æterna* etiam fructus est Mortis Christi. *Ita Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum dederit, et quisquis credit in eum non pereat,sed habeat vitam æternam.Vitam æternam dedit nobis Deus: & hæc vita in Filio eius est.* 1.Ioan.5.11.

Obiect.Si Christus pro nobis est mortuus, cur ergo & nos morimur?Nam pro quo alius est mortuus,is non debet ipse mori: alioqui gemina videretur satisfactio. Resp. pro quo aliquis mortuus est,is non debet mori, scilicet ita vt satisfaciat, hoc est,ita vt mors eius sit meritum, vel satisfactio:sed aliæ sunt causæ cur nobis sit moriendum. Nos morimur, non vt satisfaciamus diuinæ iustitiæ, sed vt per mortem tanquam per medium percipiamus dona,quæ Christus morte sua nobis est meritus. Mam temporalis illa mors nostra est. 1. *Admonitio de peccati magnitudine.* 2 *Purgatio nostri:* per eam enim expurgantur in nobis reliquiæ peccati. 3.*Traductio in vitam æternam:* per mortem enim corporalem fit fidelium in vitam æternam transitus. *Inst. Sublata causa tollitur effectus: at in nobis per Christum sublata est causa mortis,nempe peccatum.Ergo etiam effectus,nempe mors ipsa tolli debet. Resp.* Ad Maiorem Vbi sublata est causa, scilicet omnis:in nobis autem non omnis causa mortis est sublata, quod ad expurgationem peccati attinet:etsi sublata sit, quod ad peccati remissionem. Responderi potest ad minorem,sublatum est peccatum, quod attinet ad reatum: non autem sublatum est, quod ad materiale peccati.

Et sepultus.

CAusæ sepulturæ Christi sunt.1.*Vt sciremus eum verè mortuum esse*. Non enim viui sepeliuntur, sed mortui tantùm. Atque huc pertinent aliquot partes historiæ, vt *quòd Christus lancea sit perfossus quòd de cruce sit sublatus,quòd sit vnctus,& linteis involutus*. Vt enim ex tactu & palpatione,ex esu & conspectu post resurrectio-

rectionem colligimus eum verè resurrexisse: sic ex illis colligimus eum verè mortuum esse.

2. *Vt postrema pars humiliationis, quæ se nostra causa demisit, accederet.* Ea erit sepultura, in qua non minus ipsius corpus in terram proiiciebatur, quàm aliud cadauer. Mortuum corpus est quidem sensus expers: attamen ei nihilominus est ignominiosum terræ committi, quemadmodum dicitur. *In puluerem reuerteris.* Et sicut resurrectio Christi ex morte, est pars gloriæ: sic sepultura, hoc est, demissio inter cadauera, est pars humiliationis.

3. *Oportebat typos impleri:* prædictum erat typo Ionæ triduum manentis in Cete, Messiam sepeliendum. Ergo propter huius typi impletionem debuit etiam sepeliri, & ad tertium vsq; diem in sepulchro manere.

4. *Voluit sepeliri, ne nos exhorresceremus sepulchrum:* sed sciremus caput nostrum Christũ per sepulchrum & mortem nobis viam aperuisse ad cœlestem gloriam: ac proinde nos esse resuscitandos ex sepulchro, etiamsi moriamur.

5. *Vt sciremus nos esse verè à morte liberatos: nam in eius morte, cuius est testimonium sepultura, consistit nostra salus.*

6. *Vt constaret de ipsius resurrectione,* nempe quòd posset verè resurgere, & ostendere se vicisse mortem, & non esse phantasticam resurrectionem, sed reuiuiscentis cadaueris.

Rom. 6. 4. 7. *Vt nos spiritualiter, hoc est peccato mortui iam quiescamus à peccato. Sepulti sumus vnà cum Christo per baptismum in mortem, vt sicut excitatus est Christus à mortuis in gloriam Patris, ita & nos in noua vita ambulemus.*

Descendit ad inferos.

CRedo *in Christum, qui descendit ad Inferos,* hoc est, Credo Christum pro me sustinuisse in anima dolores, & cruciatus infernales, atque ignominiam summam

nam impiis in inferno debitam me videlicet mihi descendendum esset ad inferos, & ne vnquam illa pati cogerer, quæ alioqui omnia apud inferos in æternum passurus essem: sed vt è contrario potius ascenderem cum Christo in cœlum, atque ibidem cum ipso in æternum summa fœlicitate & gloria fruerer. Hic est vsus articuli de descensu ad inferos. nunc paulò copiosiùs explicandum quis sit illius Articuli sensus, vel *quid propriè sit ille Christi descensus ad inferos.*

Infernus in Scriptura tripliciter accipitur. Significat nempe. 1. *Sepulchrũ. Deducitis canos meos cum dolore in infernum. Non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* 2. *Locum damnatorum:* vt in historia de diuite & Lazaro. 3. *Dolores inferorũ*, hoc est, terrores, ac cruciatus animæ & cõscientiæ. *Angustiæ infernime comprehenderunt. Dominus deducit ad inferos, & reducit*, id est in summos cruciatus, ex quibus deinde rursus eripit. Hoc tertio modo hic accipitur. nã de sepulchro nõ potest hic articulus intelligi, quia præcedit, *sepultus est*. Si quis articulum posteriorem prioris exegesin dicat, nihil dixerit. quoties enim duæ locutiones rem eandem exprimentes coniunguntur, ita vt altera sit alterius exegesis, posteriorem priore clariorem esse conuenit: deinde non est verisimile in hoc symbolo tam breui & succincto, eandem rem bis eisdem verbis commutatis. Neque de loco damnatorum potest hic articulus intelligi: dixit enim Christus, *In manus tuas depono spiritum meum:* & ad latronem, *Hodie mecum eris in paradiso:* quasi *dicat, hodie eris mecum*, quod ad animam meam attinet, *in paradiso*, hoc est, in loco salutis, ac fœlicitatis sempiternę, vbi liberatus ab omni cruciatu amœnissima frueris quiete. De deitate Christi id non intelligendum, nempe quòd illa eodem die vnà cum anima latronis esset futura in Paradiso: Nam diuinitas est & erit vbique. *Eris in Paradiso mecum*, scilicet quem vides in cruce pendentem.

Gen. 42. 38. Psa. 16. 10.

Psa. 116. 3. 1. Sam. 2. 6.

Luc. 23. 46. & 43.

Significat ergo *descensus ille Christi ad inferos*, 1. *sũmos cruciatus*

cruciatus, ac dolores, quos Christus perpessus est in anima sua nempe iram Dei aduersus peccata, & quidem talem, qualem damnati experiuntur partim in hac vita, partim in futura vita. 2. *Maximam, atque extremam ignominiam qua Christus affectus est.* Ista Christum esse perpessum probatur testimonio illo Dauidis antè citato, *Angustiæ inferni comprehenderunt me:* quod de Christo dicitur, in persona Dauidis. Similia dicta sunt quibus idem probatur. *Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Vndiquaque tristis est anima mea vsque ad mortem.* Idem demonstrant cruciatus in horto, cum *sudaret sanguinem. Coniecit in eum omnes iniquitates nostras Dominus.* Propterea exclamat, *Deus meus, Deus meus, cur deseruisti me?* Hac etiam ratione id ipsum probatur, quia non tantùm corpore: sed & anima debuit pati, vt scilicet etiam animas nostras redimeret.

Isa. 53. 10.
Matt. 26. 38.
Luc. 22. 44.
Isa. 53. 6.
Matt. 27. 46.

Ob. 1. Articuli fidei debent propriè intelligi. Resp. Si non pugnat aliquis articulus propriè acceptus cum aliis Scripturę locis. At hic articulus *de descensu Christi ad inferos* propriè acceptus, pugnat imprimis cum hoc dicto Christi, *Consummatum est.* Nam si Christus omnes redemptionis partes in cruce compleuit & consummauit, nulla fuit causa cur descenderet ad inferos, ad locum nempe damnatorum.

Ioan. 19. 30.

Ob. 2. Descendit ad inferos & quidem locali descensu (sicut asserunt Papistæ) *vt inde Patres liberaret. Resp. 1.* Negatur Christum localiter in infernum descendisse: idque hac ratione. *Si Christus localiter descendit in infernum, aut secundùm diuinitatem, aut secundùm animam, aut secundùm corpus descendit. Non secundùm diuinitatem:* nam illa est vbique: *non secundùm animam,* quia dicit, *Pater, in manus tuas depono Spiritum meum. Inst. At poterat etiam in manu Patris esse, hoc est, in defensione Patris, in inferno. Iuxta illud. Si strauero lectum meum in inferno, tu ades, id est, & illic ero Deo curæ, illic etiam custodiet me ne peream. Resp.* Alter locus explanat alterum, prius enim dixerat, *Hodie mecum eris in Paradiso,* hoc est, in loco, & statu bea-

Luc. 23. 46.
Psa. 139. 7.
Luc. 23. 24.

beatorũ, vbi vterq; est immunis ab his cruciatib. hoc est, loquitur de felicitate & libertate, quæ non est in inferno. vnde etiam liquet Christum hoc dixisse Latroni non de diuinitate, sed de eo quod patiebatur, nempe de anima. Nam diuinitas erat cum Latrone, neque Christus secundùm eam patiebatur, aut liberabatur, at secundùm animam. Denique *non secundùm corpus localiter Christus descendit ad inferos*: quia corpus erat in sepulchro, nec aliunde surrexit quàm ex sepulchro. Consequitur ergo non posse hunc articulum intelligi de locali descensu ad inferos. Resp. 2. *Esto verum esset localiter Christum ad inferos descendisse*: tamen *non ob hanc causam descendisset*, quam illi fingunt, nempe *vt Patres liberaret*. Id quod hac ratione probatur. *Si Christus localiter ad inferos descendit, aut patiendi, aut liberandi causa descendit. Non patiendi causa*, quia iam omnia erant in cruce consummata: quo modo & ipse Christus pendens in cruce dixit, *Consummatum est*. Ioan. 19. 30. *Non descendit causa liberandi Patres.* 1. *Quia hoc fecit patiendo pro ipsis in terra.* 2. *Fecit idem potentia, & efficacia diuinitatis suæ, inde ab initio mundi*, non animæ aut corporis descensu ad inferos. 3. *Patres non fuerunt in Limbo*: Ergo non potuerunt inde liberari. Iuxta illud, *Inter nos & vos hiatus ingens constitutus est, vt ij qui volunt huc transire ad nos non possint, neque istùc hinc transire.* Luc. 16. 26. Et ibidem, *Lazarus* dicitur *esse in sinu Abrahæ*, non in limbo. *Iustorum animæ sunt in manu Domini.*

Ob. 3. *Non quidem patiendi, seu liberandi causa, Christus descendit ad inferos, sed (sicut nonnulli volunt) vt ostenderet Diabolo & morti victoriam suam, atque ita iis terrorem incuteret. Id, inquiunt, confirmatur illo Petri dicto, Per quem etiam spiritib. qui sunt in carcere, profectus prædicauit olim immorigeris.* 1. Pet. 3. 19 *Resp.* Quòd eam ob causam descenderit ad inferos Christus in Script. non reperitur. illud autem Petri sic intelligendum: *Christus profectus*, hoc est, inde ab initio missus à Patre ad Eccle-

siam, *suo spiritu*, hoc est diuinitate sua *spiritibus in qui iam sunt in carcere, id est, in inferno, prædicauit olim quom adhuc viuebant & erant immorigeri*, nempe ante diluuium, ac tempore Noe, eos inuitans ad resipiscentiam. Sic & intelligendum est alterum Petri dictum, *Mortuis quoque prædicatum est Euang.* Mortuis scilicet qui nunc sunt mortui, vel qui mortui erant cùm Petrus illa scriberet; & qui tunc viuebant quum prædicaretur iis Euang. *Inst. Christus descendit ad inferiores partes terræ. Ergo ad inferos. Resp.* Ad inferiores partes terræ, id est, in terram, quæ est infima mundi pars. Probatur hæc interpretatio ex Apostoli scopo qui facit eo loco antithesin summæ gloriæ & summæ humiliationis Christi. Licet autem hæc loca à nonnullis ad opinionem istam stabiliendam allata intelligi deberent de locali Christi descensu ad inferos, non tamen facerent pro ipsis, sed potiùs pro Pontificiis, docentibus Christum apud inferos prædicasse Patribus, eòsque liberasse. Quòsi si verò pontificios hæc testimonia non iuuant, multo minus istos iuuabant. Nam *certum est inde non posse probari Christum descendisse ad inferos, vt Mortuis & Diabolo terrorem incuteret.* Non quidem impia est ista sententia, & est à multis Patribus approbata: verum ab illa discedo, quòd nullis nitatur firmis rationibus & contrariæ rationes in promptu sint. Nam. 1 *Christus ipse dixit (quæ testimonia iam sepius recitata sunt) Hodie mecum eris in paradiso. Pater in manus tuas depono Spiritum meum.* Item, *Consummatum est. 2. Si triumphandi causa descendit, esset hic articulus initium glorificationis*: At non est verisimile Christum glorificationis initium sumpsisse in inferno. Nam constat ex Antithesi Descensum Christi ad inferos esse gradum humiliationis infimi: interim fateor Christum Diabolis magnum incussisse terrorem: id verò morte sua, qua nimirum Diabolos, peccatum, & mortem debellauit.

1. Pet. 4. 6

Eph. 4. 9

Tertia die resurrexit a mortuis.

Credo quòd Christus depulit à se mortem, viuifi-

cauit

cauit corpus mortuum, animæ rursum copulauit corpus, restituit sibi vitam beatam, cœlestem & gloriosam & quidem propria potentia.

Quæstiones *de resurrectione Christi* præcipuæ sunt.

1. *An Christus resurrexerit.*
2. *Quomodo resurrexerit.*
3. *Quare resurrexerit.*
4. *Fructus resurrectionis Christi.*

1. *An resurrexerit Christus.*

QVòd *Christus resurrexerit*, probant testimonia Angelorum, mulierum, Euangelistarum, Apostolorum, aliorumq; sanctorum, qui post resurrectionem eius ipsum viderunt, ipsum palparunt, & cum ipso locuti sunt. Apostolis credendum esset propter autoritatem cœlestem, etiamsi non vidissent eum.

2. *Quomodo Christus resurrexerit.*

RE*surrexit Christus primùm propria potentia*, nempe sua diuina. *Destruite templum hoc & tribus diebus erigam illud. Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo rursus eam assumendi. Sicut Pater excitat mortuos, & viuificat: ita Filius quos vult viuificat.* Ioan. 2. 19. Ioan. 10. 18. Ioan. 5. 21

Ob. *Atqui Pater suscitauit eum: Ergo non ipse se.* Resp. Pater suscitauit Filium per ipsum Filium, non tanquam per instrumentum, sed tanquam, per alteram personam eiusdem essentiæ, & potentiæ cum Patre. Filius à Patre suscitatus est per semetipsum: ipsemet suscitauit se suo Spiritu. 2. *Secundùm eam naturam Iesus Christus verus Deus, & homo resurrexit, secundùm quam erat passus*, nempe secundùm humanam naturã, & quidem veram, atque eandem essentia, & proprietatibus, eamque non deificatam, sed glorificatam, depositis infirmitatibus. *Videte manus meas, & pedes meos: nam ego ipse sum. Contrectate me & videte: nam Spiritus carnem & ossa non habet, prout me conspicitis habere.* Rom. 4. 24. Luc. 24. 39. Et certè nihil aliud resurgere potuit, quàm quod ceciderat. Idem ergo corpus Christi quod ceciderat resurrexit: id quod nobis est maximo solatio.

Nam oportuit esse vnum, & eundem Mediatorem, qui mereretur nobis communicationem beneficiorum, quæ perdideramus per peccatum, & qui eadem nobis restitueret, & singulis applicaret. Itē nisi Christi caro resurrexisset, neque nostra resurgeret. 3. *Verè Christus resurrexit, ita vt verè eius anima ad corpus ipsius redierit,* & verè ex sepulchro custodibus inuitis, atque etiam perculsis exierit. 4. *Tertio die resurrexit sicut adumbratum fuerat in Iona:* & quoniam typus ille Ionæ sic impletus est, inde certò consequitur, hunc esse Iesum Messiam patribus promissum.

3. *Quare Christus resurrexit.*

Psal. 16. 10. Isai. 53. 10. Mat. 12. 39. Mat. 17. 23. Ioan. 20. 9. Rom. 1. 4. Ioan. 17. 1. Ioan. 3. 35. Ioan. 10. 28. 2. Tim. 2. 8. Apoc. 17. 14.

RESurrexit Christus. 1. *Propter vaticinia de ipso resurrecturo edita. Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & quòd laborauerit anima ipsius, videbit, & saturabitur. Signum non dabitur ei nisi signum Ionæ Prophetæ: sicut. n. Ionas fuit in ventre ceti tres dies & tres noctes: ita erit Filius hominis in corde terræ tres dies & tres noctes. Filium hominis trucidabunt, sed tertio die susci tabitur. Nondum nouerant scripturam, videlicet oportere Christum à mortuis resurgere.*

2. *Propter suam & Patris gloriam. Declaratus Filius Dei per resurrectionem à mortuis. Pater glorifica Filium tuum, vt & Filius te glorificet.*

3. *Propter personæ resurgentis dignitatem & potentiam. Nam. 1. Christus est Filius Dei dilectus & vnigenitus. Pater diligit Filium, & omnia dedit in manum eius. 2. Christus est verus deus & author vitæ. Ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neq; rapiet eas quisquam è manu mea. Absurdum igitur fuisset eum non resuscitari, qui dat vitam hominibus. 3. Christus est in se iustus, & pro nostris peccatis ipsi imputatis satisfecerat.* Vbi verò non est peccatum, ibi non amplius dominatur mors.

4. *Propter personæ resurgentis officium. Nam. 1. Mediator, qui sit verus Deus & homo, debebat in æternum regnare. Stabiliam thronum regni eius vsque in sempiternum.*

Is

Ego ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in Filium. Sedes tua Deus, in seculum seculi, virga directionis, virga regni tui. Psalm. 45.7.
Semel iuraui in sancto meo, si Dauidi mentiar: Semen eius Psal. 83.36.
in æternum manebit, & thronus eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum. Erunt mihi populus, & ego ero iis Deus. & seruus meus Dauid rex super eos, Ezech. 37. 23.24.
& pastor vnus erit omnium eorum in perpetuum. Regnum autem & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne Dan. 7.27.
calum, detur populo sanctorum Altissimi, cuius regnum sempiternum est, & omnes reges seruient ei & obedient. Regni eius non erit finis. 2. *Mediator, qui sit frater noster & verus homo, debebat semper pro nobis intercedere,* & tanquam Luc. 3.13.
sacerdos æternus pro nobis coram Deo apparere. *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec. Christus is est qui mortuus est, imò verò qui etiam resuscitatus est:* Psa. 110.4. Rom. 8.33.
qui etiam est ad dextram Dei, qui etiam postulat pro nobis. 3. *Mediator, qui sit verus homo, debebat esse Mediator & merito & efficacia.* Non enim sufficiebat eum pro nobis mori: sed oportebat eum Ecclesię & nobis omnibus potentia sua conferre beneficia, quę moriendo, vel morte sua nobis impetrauerat: iustitiam scilicet S.S. vitam & gloriam æternam. Vtrumq; enim pertinet ad mediatorem, qui nimirum ideo nobis impetrat intercessione sua & morte, in quo hęc eadem beneficia ideo etiam deponuntur à diuinitate, vt ipsemet eorum nos faciat participes. *Ex plenitudine ipsius omnes accepimus.* Ioan. 1.16.
Neque mirum videri debet, Christum nobis conferre eadem hæc beneficia, quę morte sua à diuinitate nobis impetrauit: nam homo potest & ab altero alicui aliquid impetrare & conferre. Intercedat aliquis pro te apud principem propter donum mille coronatorum, princeps hoc faciet precantis gratia, eique donum, vt hoc tibi conferat, etiam conferentis à principe tibi impetrabit hoc donum, atque illud simul tibi conferet. Etsi verò Christus mortis suæ beneficia conferre nobis potuisset per Deitatem suam, cuius opera iustificamur & regeneramur, ac fidem, & nouam

vitam per ſpiritum ſanctum inchoamus: tamen ſicut Deus decreuit per hominem ſuſcitare mortuos, (*per*
1.Cor.15.21 *hominem enim reſurrectio*) per virum iudicare mundum: ſic etiam decreuit hæc beneficia dare per hominem Ieſum, vt idem eſſet mediator, ac maneret, qui eſt verus Deus & homo. Propterea etiam oportebat Chriſtum perpetuò manere noſtrum fratrem, noſtrumque caput: nos vice verſa ipſi per veram fidē inſitos oportebat perpetuò manere eius membra Id quod confirmant omnia teſtimonia, quæ *Dauidis ſemini regnum æternum tribuunt*. Nam in illo regno ſalus noſtra fundata eſt: atqui nullo modo regnum Chriſti Filij Dauidis potuiſſet eſſe æternum, ſi ipſius humana natura manſiſſet in morte. *Obiect. Attamen in veteri Teſtamento, ante incarnationem, ſeu humiliationem, etiam ſine humana natura Chriſtus eadem beneficia patribus contulit, quæ nobis cōfert in Nouo Teſtamento: & non minus ante aſſumptam carnem fuit Mediator, quàm poſt eam aſſumptam: eadem fecit Chriſtus ante ſuum aduentum, quę poſt aduentum ſuum facit. Reſp.* Illa ne tunc quidem feciſſet, niſi aliquando futurus fuiſſet homo, & perpetuò fuiſſet homo manſurus: ſic neque iam faceret illa, ſi aſſumptam naturam non retineret in æternum. *Autoritatem Pater dedit Filio iudicium etiam exercendi quatenus eſt Filius hominis.*

Ioan.5.27.

5. *Propter nos Chriſtus reſurrexit*, idque tripliciter. 1.
Rom.4.25. *Propter iuſtificationem noſtri. Traditus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus in mortē propter offenſas noſtras, & excitatus eſt propter iuſtificationem noſtri. Requirebatur* autem *ad iuſtificationem noſtri, Reſurrectio Mediatoris*: Primò quia *niſi finitum fuiſſet ſupplicium eius, nos ex æterna morte non emerſiſſemus*, à qua ſic oportebat Mediatorem nos liberare, vt eam in nobis planè vinceret Si in nobis Mediator mortem penitus vincere debebat, vtiq; & ſic mori debebat, vt mortem priùs vinceret in ſeipſo, atq; ita impleret reipſa quod prædictum fuerat. *Abſorpta eſt mors*
Oſ 13.14. 1.Cor.15.54 *ad victoriam, Vbi eſt mors victoria? Vbi tuus, ô ſepulchrum, ſtimulus?* Deinde *niſi mortem Chriſtus viciſſet, non po-*

tuiſſet

tuisset nobis conferre sua beneficia, quæ morte sua nobis erat meritus: imò ne sciremus quidem eum pro nobis satisfeciſſe, quia si mansisset in morte, id certum fuisset argumentum, eum non satisfeciſſe, sed superatum esse à morte & à mole peccatorum. Vbi enim est mors, ibi peccatum: aut si satisfeciſſet, & tamen mansisset in morte, hoc pugnasset cum iustitia Dei. Resurgendum igitur Christo fuit, tum vt sciremus ipsum beneficia nobis esse promeritum, tum vt ipse eadē nobis posset applicare: hoc est, vt ipsius merito & efficacia perfectè saluaremur & iustificaremur. 2. *Propter nostri regenerationem Christus resurrexit.* Non enim sufficit iustificatio seu peccatorum remissio, sine nouę vitę inchoatione. 3. *Propter suscitationem & glorificationem nostri.* Deus vult hoc modo nos in æternum viuificare & glorificare, vt inserti massæ ipsius filij, hoc est humanæ ipsius naturę perpetuò ab ea gestemur, & ex ea vitam hauriamus. His de causis necesse fuit vt Christus resurgeret, id est vt ipsius anima cum eodem corpore ab illa depositò rursus coniungeretur, Resurrectio siquidem nihil est aliud, quàm eiusdem corporis cum eadem anima coniunctio.

6. *Qui sint fructus resurrectionis Christi.*

NOn omnes causæ resurrectionis Christi sunt eiusdem resurrectionis fructus. Et aliter causæ, aliter fructus resurrectionis Christi considerantur: quin & ipsa beneficia Christi per resurrectionem suam collata aliter considerantur vt causę resurrectionis Christi aliter vt eiusdem fructus. Diuersæ enim sunt quæstiones, *quare Christus resurrexit, & quos nam fructus resurrectio Christi nobis afferat.*

Duplex porrò fructus est resurrectionis Christi: alter *Christum spectat, alter nos.* Primum enim (vt inquit Apostolus) *Declaratus est per resurrectionem filius Dei*: vnigenitus nempe, ac dilectus Dei Filius, qui sit ipse etiam Deus. Deinde & humana Christi natura per resurrectionem ipsius ornata est ea gloria, quæ decet naturam filij dei. Rom. 1.

Fructus resurrectionis Christi nos spectans, est multiplex. *In genere* tamen loquendo, *omnia beneficia mortis Christi sunt fructus, quos ex ipsius Resurrectione percipimus.* Resurrectio enim Christi facit, vt mors ipsius suum habeat effectum. Resurrectione sua nobis applicat Christus beneficia, quæ morte sua nobis meritus est, atq; hoc pacto eadem mortis, & resurrectionis *Christi beneficia*, quæ tamen *aliter nobis merita sunt, quàm conferuntur. Non enim necesse erat ipsum actum merendi durare per omne tempus veteris & nouæ Ecclesiæ, sed actum duntaxat conferendi, vel applicandi:* ac proinde *necesse* etiam *erat Mediatorem esse omni tempore*, vt beneficia, quæ debebat aliquando mereri, Ecclesiæ conferret: hoc enim sine Mediatore fieri non potest, eoq; nec Ecclesia potest vel ad momentum sine Mediatore subsistere. In veteri autem Ecclesia Christus Mediator futuræ mortis suæ beneficia patribus conferebat, valore & efficacia resurrectionis suæ futuræ: nunc illa nobis confert efficacia suæ resurrectionis iam factæ.

Restat vt *in specie* præcipuos fructus, quos resurrectio Christi nobis affert, enumeremus. 1. *Ex resurrectione Christi scimus ipsum esse Messiam impletis vaticiniis.*

2. *Confirmamur ex Resurrectione Christi.* 1. *de merito: quòd satisfactum sit perfectè pro nostris peccatis.* Nam vel vnicum peccatum Christum in morte detinuisset. In talem carcerem coniectus erat, vt nisi exoluisset extremum quadrantem, non dimissus fuisset: at dimissus est: Extremum igitur quadrantem persoluit. 2. *de applicatione beneficiorum Christi quæ non potuissent conferri si non resurrexisset*: nam vt antea dictum est oportuit eundem Mediatorem hominem resurgere. *Nondum erat* S. S. *quia Iesus nondum erat glorificatus.* Rectè igitur Paulus ait *resurrexisse Christum propter iustificationem nostri*, hoc est, iustitiam nobis conferendam & applicandam.

Ioan. 7. 39.

Rom. 4. 25.

3. *Resurrectionis Christi fructus est donatio S. S. per quem Christus nos regenerat, ac donat vitam æternam.*

Olim

Olim quidem pij S. S. donati sunt, & regenerati: sed parciùs quàm nunc in Nouo Test. & quidem vi huius resurrectionis. Nam S. S. cuius sola virtute nos regeneramur, donari non potest sine resurrectione & ascensione Christi.

4. *Acceptum ferre debemus & resurrectioni Christi, quòd ipse nos conseruet in iustitia perpetua & applicata*, quòd inchoet in nobis vitam æternam, atque ita nos quoque de consummatione vitæ æternæ certos facit, de qua non possumus esse certi sine eius initio: initium autem non haberemus sine spiritu sancto.

5. *Resurrectio corporum nostrorũ fructus est resurrectionis Christi*, 1. *Quia Christus est caput nostrum, nos eius membra.* Conuenit autem capitis gloriæ, vt membra sint glorioſa. Esset quidem Christus per se, si non haberet membra, vel si membra manerent in morte: sed non esset caput: quia non est caput nisi respectu membrorum. Neq; rex sine regno, ex natũra correlatiuorum: & quidem ex eorundem natura caput glorioſum requirit membra glorioſa, & sibi conuenientia. 2. *Quia si Christus resurrexit, etiam aboleuit peccatum. Si aboleuit peccatum, aut suum aboleuit, aut nostrum: at non suum, ergo nostrum. Si nostrum peccatum aboleuit, aboleuit etiam mortem:* sublata enim causa, tollitur effectus. *Stipendium peccati mors.* Porrò si mortem aboleuit, & quidem per sufficientem satisfactionem pro peccatis nostris, quam satisfactionem sua resurrectione sufficientem declarauit: certum est ipsius resurrectionem esse certissimum testimonium resurrectionis nostræ: præstita enim satisfactione sufficienti pro peccatis membrorum, non possunt membra manere in morte. Atqui resurrectio Christi capitis est argumentũ perfectæ satisfactionis pro peccatis mẽbrorum suorum. Ergo Christi resurrectio est etiam argumentum perfectæ membrorum resurrectionis. 3. *Sicut primus Adam accepit bona pro se, & omnibus posteris, ea; eadem omnib. amisit: sic Christus secundus Adam accepit vitam* Rom. 6. 23

vitam, & omnia alia dona pro se & aliis, ac proinde vitam æternam nobis etiam communicabit. 4. *Quia idem spiritus habitat in nobis qui in Christo, etiam eadem ipse agit in nobis, quæ in capite.* Nam semper ille sibi similis est, nec agit in capite, & in mẽbris dormit, Ergo cùm sese Christus spiritu suo excitauit à mortuis, vtiq; & nos excitabit. Nam si seipsum excitauit mortuum, nos multò magis poterit excitare viuus. 5. *Quia Christus est homo: nisi enim homo esset, nullam spem haberemus de resurrectione carnis nostræ. Nam per hominem resurrectio.*

Ob. 1. *Ergo impij non resurgent: quia resurrectio Christi nec argumentum, neq; causa est resurrectionis impiorum, sed* 1. Cor. 15. 21. *tantùm piorum. Resp.* propter alias causas impij resurgent, scilicet propter iustum iudicium Dei, quo destinauit eos æternis pœnis. Possunt enim eiusdem effectus plures esse & diuersæ causæ.

Obiect. 2. *Beneficia ista sunt mortis: Ergo non resurrectionis. Resp.* Sunt mortis, quatenus per eam meritus est: Resurrectionis quatenus applicatio beneficiorum est. Ex diuite factus est pauper, & ex paupere dues, vt nos ditaret.

Obiect. 3. *Ante causam non est effectus. Ante resurrectionem primam non erat causa horũ beneficiorum, scilicet resurrectio. Ergo nec effectus. Resp.* Nego minorem. Non fuit quidem impletione, sed in consilio Dei efficacia & valore in vetere Testamento. Nam etiam tum homines recipiebantur in gratiam, donabãtur spiritu sancto & cætera beneficia accipiebant: sed propter & per Mediatorem humiliandum & glorificandum.

Postremus resurrectionis Christi fructus est nec tamen minimus, *Consummatio omnium beneficiorum, & glorificatio Ecclesiæ.* Nam Christus ideo mortuus est, & resurrexit, & nos ideò perfectè liberauit à peccatis, vt eiusdẽ regni sui simus cohæredes. *Primogenitus ex mortuis. Hæredes quidem dei, cohæredes autem Christi. Conformabit nos sibi quia eodem spiritu viuimus nos & ipse.* Hic autem spiritus sibi non est dissimilis. *Si spiritus eius, qui*

Col. 1. 18. Rom. 1. 17. Rom. 8, 11.

excitauit

excitauit Iesum à mortuis habitat in vobis, is qui excitauit Christum ex mortuis, viuificabit etiam mortalia corpora vestra, &c. Rursum veniam, & assumam vos ad meipsum: vt vbi sum ego, ibi & vos sitis. Ioan. 14.13.

Obseruemus autem, Quòd *humiliatio tota Mediatoris non duret perpetuò.* Satis enim erat eum semel passum esse: sed eius efficacia & potentia in conseruandis beneficiis in æternum durat.

Resurrexit igitur, id est, sua virtute propria reduxit animam ad corpus, vt corpus & anima liberarentur ab omni ignominia & infirmitate: immortalitate & perfecta gloria ornarentur, id est, 1. *Animam ad corpus reuocauit.* 2. *Sed tamen glorificatum vtrunq; & liberum ab infirmitatibus.* 3. *Propria sua potentia animam suam recepit.* Credo Christum resuscitatum ex morte, id est, eum ideo ex morte resurrexisse, vt posset nos participes facere iustitiæ, sanctificationis, glorificationis, quæ nobis merito suo pepererat.

Quoniam ergo Christus resurrexit, constat ipsum esse Filium Dei declaratum: &, quod ad eius humanitatem, ornatum ea gloria quæ naturam filij Dei deceat: nos ipsum quoque spiritu suo donare, sui spiritus virtute nos regenerare, nouamq; vitam in nobis inchoatam tandem nobis consummare, atque eiusdem gloriæ suæ, fælicitatis, ac sempiternæ vitæ nos facere consortes.

Ascendit in cœlum.

Ascensio Christi in cœlum, est translatio localis, vera, & visibilis corporis Christi in cœlum, quod est supra omnes cœlos visibiles, ad lucem inaccessam, ad dexteram Dei, vbi nunc est & manet, & vnde redibit ad iudicium.

Quæstiones præcipuæ *de Ascensione in cœlum:*

1. *Quò Christus ascenderit.*
2. *Quomodo ascenderit.*
3. *Quare ascenderit.*
4. *Quod sit inter nostrã & Christi ascensionem discrimen.*
5. *Qui sint fructus ascensionis Christi.*

1. *Quò*

1. *Quò Christus Ascenderit.*

IEsus Christus homo cùm esset vnà cum discipulis suis in Bethania dies 40. post resurrectionem: postquã Apostolis sępe probasset suam resurrectionem, veritatẽm carnis veramq; humanitatem, ascendit iis intuentibus in cœlum. *Cœlum autem in scriptura significat,*

Mar.4.32. 1. *Aerem.* 2. *Regionem ætheream & orbes cœlestes.* 3. *Locum*
Mat.6.26. *beatorum*, qui est spatium illud immensum, lucidissimũ, glorioſum, extra & supra totum hunc mundum & cœlum spectabile: in quo Deus se patefacit beatis Angelis & hominibus, vbi parata est nostræ beatitudinis sedes cum Christo & Angelis. *Dicitur ibi Deus habitare,* quia ibi maximè apparet eius gloria beatis Angelis & hominibus. Vocatur *nouus mundus, paradisus, Sinus Abrahami.* Hoc cœlum non est vbique. *Inter vos & nos hiatus ingens constitutus est, vt ij qui volunt hinc transire ad vos non possint, neq; istinc huc transire.* Hac tertia significatione cœlum accipitur hoc loco. *Ascendit* ergo *Christus in cœlum*, hoc est, in locum beatorum ferebatur sursum

Luc.24.51. *De cœlo aduenit spiritus sanctus in die Pentecostes. In cœlum*
Act.22. *raptus est Elias.* Paulus *tertij cœli* meminit. *Superna quæ-*
2.Reg.2.11. *rite, vbi Christus est ad dextram Dei sedens.* Quod autem
2.Cor.12.2. cœlum hoc loco ita sit accipiendum, probatur tum
Col.3.1. prioribus testimoniis, tum illo Christi dicto, *In domo*
Ioan.14.2. *Patris mei multæ sunt habitationes*, id est, multa domicilia, in quibus habitare, & manere possumus. Item hoc
Phil.3.20. Apostoli *Conuersatio nostra est in cœlis.*

Obiect. At nos conuersamur in terra: Ergo cœlum est in terra. Resp. Conuersatio nostra est in cœlis, 1. *Spe, & certitudine.* 2. *Inchoatione vitæ cœlestis.*

In hoc cœlum, nempe in domicilium dei & beatorũ Christus ascendit, quia *ascendit longè supra omnes cœlos.*

Ephe.4.10. *Excelsior cœlis factus est. Ecce cõspicio cœlos apertos & filium*
Act.7.56. *hominis astantem ad dexteram Dei.* Videbat oculis corporalib. noua acie diuinitus instructis, trans & per cœlos omnes visibiles, Christum in eadem natura humana in qua exinanitus fuerat. *Sursum receptus est in cœlis.*
Act.1.11.

Ideo

Ideo autem Deus nos scire voluit locum in quem Christus ascenderit, 1. *Vt constaret Christum esse verum hominem, neque ipsum euanuisse, sed mansisse, & mansurum semper verum hominem.* 2. *Vt sciremus quo conuertendæ essent cogitationes nostræ, & vbi eum inuocare deberemus*, atque ita vitaretur Idololatria. 3. *Vt sciremus nostrum domicilium in quod nos Christus sit deducturus, & in quo cum Christo simus habitaturi.*

Est igitur ascensio Christi translatio localis vera & visibilis corporis Christi, de terra in cœlum, quod est supra omnes cœlos visibiles, ad lucem inaccessam, ad dexteram Dei vbi nunc est, & vnde rediturus ad iudicium. Act. 1. 11. *Ita veniet quemadmodum conspexistis eum proficiscentem in cœlum.*

2. *Quomodo Christus ascenderit in cœlum.*

Ascendit Christus in cœlum, 1. *Secundùm quid*, scilicet, *secundùm humanam naturam duntaxat*, & quidē eandem *quæ nata est ex virgine, mortua, sepulta, & resurrexit.*

Obiect. 1. *Qui est in cœlo non ascendit in cœlum: At Filius hominis est in cœlo: Ergo non ascendit. Resp.* Qui est in cœlo, is secundùm id quo est in cœlo, scilicet secundùm diuinitatem, secundùm quam concedimus illum non ascendisse: ea enim iam antè in cœlo erat: & sicut Christus cùm esset in terra, non ideo migrabat è cœlo: sic cùm idem est in cœlo, non ideo diuinitas discedit à nobis.

Obiect. 2. *Quod descendit etiam ascendit: Diuinitas descendit. Ergo, &c. Resp.* Mutatur genus prædicationis. Diuinitas descendit, id est, patefecit se in loco, vbi antea se non patefecerat.

2. *Localiter seu corporaliter*, hoc est verè mutato loco. Ex loco inferiori transtulit humanam naturam reali & propriissima translatione: quod fieri non potuisset, si corpore fuisset vbique.

3. *Naturam humanam sustulit in cœlum & occupauit gloriam cœlestem, propria virtute.*

Obiect. 3. *Quod non est in loco, id est vbique, Christus non est*

in

in loco, vt qui ascendit supra, & extra cœlum visibile, extra quod non est locus: Ergo Christus est vbiq;. Resp. 1. ad maio. *Negatur vbique esse quod non est in loco.* Nam & supremũ vel extremum cœlum non est in loco, nec tamen est vbique. Hoc autem dicitur, vt & in Maiore, de loco Physico, qui continens sua superficie continetur ab alio. 2. Ad Minorem, *Christus non est in loco, scilicet Physico, sed in loco metaphysico,* seu supernaturali, qui cõtinet quidem, sed non continetur: atque huiusmodi locus Metaphysicus est extra cœlum visibile: qualis autem sit locus ille supernaturalis, tantùm intuitiua discemus notitia. Quòd autem *localiter Christus ascenderit euincunt* hi Scrip. loci *Me non semper habebitis. Nisi abiero* Matt 26. 11. Ioan. 16. 7. *consolator ille non veniet ad vos. Quid si igitur conspiceritis* & 28. *Filium hominis ascendentem eò vbi erat prius? Aspicientib.* Ioan. 6. 62. *ipsis eleuatus est* Item, *sursum receptus est à vobis in cœlum.* Act. 1. 9. 11. *Superna quærite vbi Christus est ad dexteram dei sedens.* Ex Col. 3. 1. his consequitur humanam Christi naturam esse finitam & mutare locum, ac proinde eam non esse vbiq;. Nam vbiq; esse, & mutare locum, sunt contradictoria. Ideo etiam diuinitas, quæ sola est infinita, æterna, & vbique, non dicitur locum mutare.

Sed hîc *Vbiquitarij* quærunt effugium, nempe vt non lædantur hoc telo, *Quod mutat locum, non est vbiq;: Corpus Christi mutat locum: Illud ergo non est vbique.* Maiorem huius Syllogismi concedunt esse veram, terminis acceptis vno modo: hîc verò contendunt accipi terminos diuersis modis: nimirum *vbique esse corpus Christi, scilicet modo maiestatis: mutare locum, modo Physici corporis.* Verùm non effugiunt hoc cauillo contradictionem. Nam diuersus modus qui contradictionem tollit, non debet coincidere cum prædicatis: alioqui fit *Tautologia*, & petitio principii, vt si eos imitatus dicam, Aer hic est lucidus, & tenebrosus, secundùm modum tenebrarum. Item, Hic est pauper secundùm modum paupertatis, & diues secundùm modum diuitiarum. Sic idem de eodem prædicatur. Nam modus

pauper-

paupertatis nihil aliud est quàm paupertas,& modus diuitiarum,nihil nisi diuitiæ. Similiter & isti modi, quos in maiore propositione confingunt,cùm prædicatis coincidunt,hoc est idem in istis de eodem prædicatur,ideoq; modi isti sũt id in quo est contradictio. Nam dicunt,*Christi corpus est vbique,modo Maiestatis.* Interrogati quid illis sit *maiestas*, respondent *esse omnipotentiam & immensitatem*. Itaque dicere, *Christi corpus* Act.1.11. *vbique est secundùm maiestatis modum, non secundùm modum corporis Physici:* nihil aliud est,etiam ex ipsorum sententia, quàm Christi corpus vbique est secundùm modum immensitatis,& non est vbiq; secundùm modum finitatis.Egregiè verò cõtradictionem ita distinguendo tollunt.Nam modus immensitatis nihil aliud est quàm immensitas:ac de eodem prædicatur immẽsitas,de quo prædicatur esse immensum. Proinde sicuti contradictoria sunt,vbique esse,& mutare locum vel non esse vbiq; sic etiam sunt contradictoria. *Idem corpus esse immensum & finitum,eidem cõpetere immensitatem & finitatem:* vel *Idem corpus esse vbiq;, aut immensum secundùm modum immensitatis, vel maiestatis, & non esse vbiq;, sed locum mutare & esse finitum, secundùm modum finitatis, vel corporis Physici* Constat ergo quod & antè cõfirmatũ est,*Christũ localiter ascendisse*, ac proinde hunc articulum *de locali ascensione Christi* intelligendum esse.

Ob.4.*Opposita debent eodem modo explicari, vt retineatur oppositio: At hi articuli, Ascendit in cælum, Descendit ad inferos, inter se sunt oppositi: Ergo sicut articulus de Descensu figuratè accipitur, nempe de summa humiliatione: ita & articulus de Ascensione Christi figuratè debet accipi de summa maiestate, non de motu locali. Resp.*1.Ad Maiorem, Opposita sunt eodem modo explicanda, nisi pugnent cum articulis Fidei, & cum aliis Scripturæ locis. Hunc autem articulum intelligit Scriptura *de Ascensione locali. Ita veniet, quemadmodum conspexistis eum proficiscentem in cælum.* 2. Minor negatur: Hi enim duo articuli non sunt oppositi. *Nam ascensio ad cælos non est summus*

summus gradus gloriæ, quẽadmodũ descensus ad inferos summus gradus humiliationis. Verùm sessio ad dexteram Patris, est summus gradus gloriæ. Itaque de hoc articulo Maiorem concedimus. Etenim huic articulo descensus ad inferos opponitur: vnde etiam Scriptura duos hos articulos, *de descensu Christi ad inferos, & de eius ad Patris dexteram sessione*, figuratè interpretatur. 3. *Si de exæquatione naturarum ascensio accipiatur, articuli reliqui omnes de vera Christi humana natura penitus eruentur.*

4. *Visibiliter ascendit Christus in cœlum.* Oculis enim
Act. 1. 9. erat conspicua illa ab Apostolis sublatio. *Videntibus iis assumptus est, atque ipsum tam diu aspexerunt ascendentem, donec nube sublatus esset ex eorum conspectu.* 5. *Virtute suæ*
Act. 2. 32. *diuinitatis ascendit, sicut & eadem surrexit. Hunc Iesum Deus dextra sua* (potentia sua diuina) *euectum constituit principem ac seruatorem.* 6. *Ascendit quum* 40. *dies in terris esset versatus post resurrectionem suam, idque propterea,* 1. *Vt certam faceret suam resurrectionem, & veritatem carnis suæ. Quibus etiam seipsum, postquam ipse passus fuit re-*
Act. 13. *præsentarat viuum multis indubitatis signis.* 2. *Vt discipulos erudiret, & reuocaret iis in memoriam priùs dicta, & alia adderet:* atque ita non illos tantùm, sed & nos de resurrectione sua, deque suæ carnis, aut humanæ naturę veritate certos faceret. 7. *Ita ascendit, vt non reuertatur ante iudicium. Ita veniet, quemadmodum vidistis eum*
Act. 1. 11. *proficiscentem in cælum. Quem oportet quidem cælo capi, vsque ad tempora restitutionis omnium.*
Act. 3. 21.

Obiect. Atqui Christus promisit se nobiscum fore vsque ad consummationem seculi. Resp. Plus in conclusione, quàm in præmissis. Est nobiscum vnione membrorum cum capite. Deinde in maiore loquitur de tota persona, cui tribuit quod Deitatis est proprium. Simili modo dicit ante passionem suam, cùm adhuc versaretur in terris
Ioan. 14. 23. cum discipulis suis: *Ego & Pater ad eum veniemus, & apud eum manebimus:* hoc dicit nimirum de diuinitate sua, quæ erat & est in cœlo: & sicut pater, sic ille nobis adest: alioqui possemus etiam sic argumentari, *Abiit,*

inquit

inquit Christus. Ergo planè non est nobiscum. Tribuitur autem impropriè alteri naturæ, nempe humanitati, quòd nobiscum maneat, propter vnionem personalem, quæ est arcana & admirabilis duarum diuersissimarum Christi naturarum, diuinæ scilicet & humanæ in vnam personam indissolubilis copulatio, ita vt hæ duę naturæ, eo modo coniunctæ, essentiam ipsius personæ Christi constituant, ac destrueretur vna natura, si diuelleretur ab altera: vtraque tamen retinente suas proprietates, quibus vna ab altera distinguitur.

Itaque non valet *Obiect. In Christi persona duæ naturæ inseperabili vnione conueniunt: Ergo vbicunque est Christi diuinitas ibidem & ipsius humanitatem esse oportet.* Nam ita coniunctæ manent hæ duæ naturæ, vt distincta maneat illarum proprietas, & nullius fiat in alteram conuersio *Inst. Duæ naturæ, quarum vna non est vbi altera, diuelluntur, nec vnitæ manent, sed sunt separatæ. In Christo duæ sunt naturæ quarum vna, videlicet humana, non est vbi est altera, nempe diuina. Ergo duæ in Christo naturæ non sunt vnitæ, sed separatæ. Responsio.* Maior vera est de duabus naturis finitis, non autem de iis quarum vna quidem finita est, altera verò infinita. Finita n. natura non potest esse simul in pluribus locis: infinita autem potest esse tota & in finita & tota simul extra eam, atque hoc in Christo reipsa considerare licet. Humana n eius natura, quæ finita est, vno saltem est in loco: at natura eius infinita, nempe diuina, est & in humana Christi natura & extra eam, atque adeo vbiq; *Inst. Fiet tamen separatio in alia parte, vbi humana natura non est, licet non fiat vbi illa est. Resp.* Nequaquam quia diuinitas est tota & eadem in natura humana, & extra eam. Nazianzenus. *Logos est in suo templo, & est vbique, sed singulari modo in suo templo.* Inst. *Si natura humana Christi non est ornata diuinis proprietatib. sequitur nullum esse discrimen inter Christum & reliquos sanctos. Non. n. potest aliud discrimen inueniri, nisi æquatio natu-*

rarum. Nam discrimen inter Christum & sanctos, aut est in substantia aut in proprietatibus. At non in substantia: Ergo in proprietatib. Resp. Negatur discrimen inter Christum & sanctos esse aut in substantia, aut in proprietatibus vel donis, quia non est sufficiens enumeratio. Est enim tertium, quo Christus à sanctis omnibus discernitur, scilicet arcana copulatio hypostatica duarum naturarum. *Inst. Atqui dicitur, Datum est ei nomen quod est supra omne nomen. Resp.* 1. *Deus dedit ei tale nomen, scilicet cum Deitate:* sicut n. Deitas, ita & propria Deitatis ei data sunt à Patre. 2. *Deus eiusmodi nomen ei scilicet homini Christo dedit vnione personali: non autem exæquatione naturarum.*

Phil. 2. 8.

Ex his tribus obiectionibus apparet. *Vbiquitarios* (à quibus istæ poferuntur) *in fœdos errores incidere.* 1. *In errorem Nestorij, quia diuellunt naturas in Christo.* 2. *In Eutychetis errorem, quia eæsdem naturas confundunt.* 3. *Eripiunt nobis arma, quibus pugnandum nobis est contra Arrianos & Sabellianos.* Omnia. n. loca probantia Deitatem Christi turpiter eneruant, trahendo ea ad æquationem humanæ naturæ Christi cum diuina.

Cæterùm *adest nobis Christus,* 1. *Spiritu suo & Deitate.* 2. *Quoad fidem & fiduciam ipsum intuentem.* 3. *Dilectione mutua,* quia diligit nos & nos ipsum, ita vt non obliuiscatur nostri. 4. *Vnione etiam cum natura humana* i. copulatione animæ cum corpore. Est. n. idem Spiritus in nobis & in ipso, qui nos ipsi copulat. 5. *Spe consummationis,* id est, spe certa accedendi ad ipsum.

3. *Quare Christus ascenderit in cælum.*

Ascendit Christus 1. *Propter suam & Patris gloriam.* 1. *Regnum cæleste habere debuit: igitur non potuit manere in terra: qui descendit ipse est qui etiam ascendit longè supra omnes cælos, vt impleret omnia.* 2. *Conuenit capiti; vt sit glorificatum excellentia donorum supra reliquos beatos,* vtpote capitis membra: quod in terra fieri non potuit.

Eph. 4. 10.

2. Propter nos quadruplici causa. 1. *Vt intercedat*

deret pro nobis gloriosè, nempe valore, efficacia, & voluntate. Est enim voluntas Patris & Filij, vt valeat ipsius oblatio pro nobis in perpetuum, atq; ita pro nobis intercedendo, beneficia sua & mortis merita nobis applicet: ad hanc applicationem requirebatur tota glorificatio, cuius partes sunt Resurrectio, Ascensio, & Sessio ad dextram Patris.

Obiect. Etiam in terra pro nobis intercessit. Resp. Hæc intercessio fiebat respectu intercessionis futuræ. Ea enim conditione intercedebat priùs, vt Mediator in cœlesti sanctuario, peracto sacrificio in terra perpetuò appareret.

2. *Vt nos ascenderemus & de nostra ascensione certi essemus. Parabo vobis locum. In domo patris mei mansiones multæ sunt,* id est loco ad manendum perpetuò: nam de duratione loquitur.

3. *Vt misso Spiritu Sancto Ecclesiam vsq; ad finem mundi colligat, consoletur ac defendat à Diabolo. Nisi abiero, consolator non veniet. Ob. Ante & post resurrectionem dedit Spiritum sanctum. Ergo non ideo abijt vt mitteret eum. Resp. Dederat quidem, sed non tanta copia quanta in die pentecostes.* Illa missio Spiritus Sancti facta ab initio mundi in Ecclesia, fiebat propter futurum Christum qui aliquando regnaturus esset in humana natura & largiter daturus Spiritum S. Ante ascensionem autem non dedit tanta copia, propter decretum Dei, qui constituerat vtrumq; per hominem glorificatum facere. Erat præcipua pars gloriæ Christi missio Spiritus sancti. Ideo dicitur, *Nondum erat spiritus Sanctus*, id est miraculosa & copiosa missio Spiritus Sancti, quia Christus nondum erat glorificatus. Ioan. 14. 5. Ioan. 16. 7

4. *Vt sponderet pro nobis in conspectu Dei, se velle efficere vt non amplius offendamus.*

15. *Quod sit inter nostram, & Christi ascensionem discrimen.*

CONueniunt nostra & Christi ascensio, 1. *Quia in eundem locum.* 2. *Quoad gloriam.*

Ioan.3.13. Differunt autem. 1. *Quia Christus ascendit propria potentia, ac virtute: nos ipsius. Nemo ascendit in cœlum* (scilicet propria virtute) *nisi Filius hominis.* Nos ascendemus per & propter ipsum *Vado parare vobis hospitium. Volo vt quos dedisti mihi sint vbi & ego.*

Ioan.14.2. & 17.24.

2. *Ipse ascendit vt sit caput: nos vt simus membra:* ipse ad gloriam capiti conuenientem: nos ad gloriam membrorum ascendemus. Ipse ascendit, vt sedeat ad dextram Patris: nos vt sedeamus in throno ipsius quidem & Patris: sed tantùm participatione: non autem in eadem dignitate. *Si quis vicerit, dabo ei sedere mecum in throno gloriæ, vt & ego vici, & sedeo cum Patre meo in throno eius.* Ascendit igitur tãquam Caput Eccl Christus: nos ascendemus tanquam huius capitis membra, vt scilicet simus participes gloriæ ipsius.

Apo.3.21.

3. *Christi ascensio fuit causa nostræ ascensionis, non contrà.*

4. *Christus ascendit totus, sed non totum Christi,* quia secundùm humanam naturam tantùm, non autem secundùm diuinam naturam, quæ etiam est in terra. *Totum verò nostri ascendet,* quia habemus tantùm naturam finitam, & quidem vnam.

5. *Qui sint fructus ascensionis Christi.*

FRuctus ascensionis Christi præcipui sunt,

1. *Intercessio,* quæ significat. 1. *Valorem sacrificij Christi perpetuum.* 2. *Voluntatem vtramque in Christo, diuinam scilicet, ac humanam, erga nos propitiam,* qua vult propter suum sacrificium nos recipi à Patre. 3. *Ascensum Patris approbantis hanc voluntatem Filij, accipientis valorem sacrificij eius, tanquam* λύτρον *pro peccatis nostris:* sicut autem Pater, ita nos ipse quoque recipit. *Obiect. Atqui ante ascensionem Christi, imò ante aduentum ipsius & intercessio erat. Resp.* Illa dependebat ab hac, hoc est fiebat respectu futuræ intercessionis, sicut tota receptio in gratiam ab initio mundi. Ea. n. conditione prius intercedebat ipse Mediator noster, vt ipse peracto sacrificio appareret in perpetuum in cœlesti sanctuario. *Tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedec.*

Psal.110.4. Heb.5.6.

sedet. Deinde non erat in veteri testamento Intercessio qualis nunc est in cœlis. Nam iam vult nos recipi propter λυτρον præstium.

2. *Glorificatio nostri seu nostra ascensio*: quia enim Christus nostrum caput ascendit, certi sumus & nos ascensuros in cœlum, eius vtpote membra. *Proficiscor, paraturus vobis locum. Et cùm profectus fuero, & parauero vobis locum rursus veniam, & assumam vos ad me. &c Ob. Atqui Elias & Enoch ascenderunt, ante Christum. Ergo Christus sua ascensione non est causa nostræ ascensionis. Resp* Illi ascenderunt respectu ascensionis Christi, quæ erat futura. Christi ascensio & glorificatio est nostræ ascēsionis & glorificationis causa, & exemplum, quia nisi ipse esset glorificatus, nos non glorificaremur. Omnia enim pater decreuit nobis dari per Messiam, & in ipso omnia deposuit. Quomodo autē nobis Christus fuisset regnum daturus, nisi priùs hoc ipse tanquam primogenitus occupasset? quin & hanc ob causam ascendit in cœlos, vt ibi regnet. Ergo etiam ciues suos eò transferet. Et quoniā nos eius membra sumus, & ipse nimirū caput nostrum iam ascendit, & glorificatus est. Ergo & nos ascendemus & glorificabimur. *Vbi ego fuero, illic & minister meus erit. Assumam vos ad meipsum: vt vbi ego sum, & vos sitis.* Ioan. 14. 2. Ioan. 12. 26. Ioan. 14. 3.

3. *Missio Spiritus Sancti per quem Ecclesiam ad finem vsque mundi colligit, consolatur, ac defendit. Dabatur quidem & piis sub lege, ante ascensum & aduentum Christi.* Sed 1. *Respectu huius ascensionis, ac glorificationis Christi, quæ tunc erat futura*, & cuius non modò fructus est, sed etiam pars missio illa, atque effusio Spiritus Sancti: atq; ita respectu quoque huius effusionis iam post ascensionem Christi factam dabatur piis in veteri Testaméto Spiritus Sanctus. 2. *Iam post glorificationem Christi datur copiosiùs: quemadmodum in Pentecoste*, Id quod etiā prædictum fuerat. *Et erit vltimis temporibus (dicit Deus) effundam ex Spiritu meo in quamuis carnem.* Quòd autem ante ascensionem suam tanta copia Spiritum S. Ioel. 2. 28. Act. 2. 17.

Christus non effuderit, id solummodò contigit propter decretum diuinum. Deus enim S.S. per Messiam simul hominem dari volebat: quamobrem & homo debebat esse glorificatus, qui hoc faceret. Expedit
Ioan.16,7 *vobis vt ego abeam, nisi enim abiero, Consolator ille non veniet ad vos.*

4. Sunt & alij fructus ascensionis Christi. Nam. 1, *Est testimonium, nobis credentibus esse remissa peccata perfectè.* Nisi enim luisset pœnam pro peccatis, nequiuisset intrare thronum Dei: nam vbi peccatum est, ibi &
Ioan.16.10. mors. *Iudicabit mundum de iustitia, eo quòd ad Patrem abeam.* 2. *Est testimonium, Christum reuera mortis, peccati, diaboli esse victorem.* 3. *Est testimonium, nos nunquam destituẽ iri consolatione:* quia ideo ascendit vt mitteret S.S. *Nisi ego abiero, consolator ille non veniet ad vos: sin autem pro-*
Ioan.16,7. *fectus fuero, mittam eum ad vos. Quum abscendit in sublime captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus,* 4. *Est testimonium: Christum nos perpetuò defensurum,* quia scimus caput esse glorioſum, supra omnes principatus collocatum.

Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

DIffert hic articulus à præcedenti, 1. *Quia hoc articulo finis ascensionis declaratur.* Ideo.n. Christus ascẽdit ad cœlos, vt sederet ad dexterã Patris. 2. *Quia perpetuò Christus sedet ad dexteram Patris: at semel tantùm ad cœlos ascendit.* 3. *Nos ascendemus in cœlum, sed tamen non sedebimus ad dexteram Dei.*

Quæstiones *de Sessione Christi ad dexteram Patris.*

1. *Quid significet dextera Dei.*
2. *Quid sit sedere ad dexteram Dei.*
3. *An semper Christus ad dexteram Dei sederit.*
4. *Qui sint fructus sessionis Christi ad dexterã patris*

1. *Quid significet dextera Dei.*

Act.1.11. DExtera Dei significat, 1. *Omnipotentiam, seu summam virtutem Dei. Hunc deus dextera sua euectum constituit* prin-

principem ac seruatorem. 2. Summam gloriam, summam dignitatem, ac maiestatem planè diuinam.

Quid sit sedere ad dexteram Dei.

SEdere ad dexteram Dei, est esse personam Deo æqualem potentia, & gloria, per quam Pater agit immediatè. Vulgò definiunt quòd sit æquali cum Patre potentia, & gloria regnare. Verum id quidem est de Christo: nam omnia facit similter cum Patre, & præditus est eadem cum Patre potentia, quam etiam exercet. At Filius semper ita regnauit: idem competit & *S. S. qui tamen ad dexteram Patris in scriptura non dicitur sedere, neque sedet:* quia non per S.S. Pater omnia immediatè gubernat, præsertim verò Ecclesiam, sed per filium. Proinde ista vulgò recepta definitio non est sufficiens. Aliqui confundunt Sessionem cum Ascensione, & idem esse aiunt. Verùm primò absurdum est in tam breui Symbolo committi *tautologian.*

2. *Sumpta est hæc phrasis, ex consuetudine Regum, qui sua habent assessores, quibus regendi partes committunt:* ita & *Christus sedere dicitur ad patris dexteram*, quia per eum Pater immediatè omnia in cœlo & in terra regere vult & gubernare.

3. *Etiam nos ascendemus, nec tamen sedebimus ad dexteram Dei Patris. Ad quem enim Angelorum dixit vnquam, Sede ad dexteram meam, vsque dum posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum?* Multò minus hoc Deus dicet ad hominem. Heb. 1. 13. Psalm. 110. 4.

Ob. Atqui dicitur. *Siquis vicerit dabo, ei sedere mecum in throno meo. Resp.* Nos participatione sedebimus, concesso interim, quòd idem sit Patris, & Filij thronus. In eodem throno multi sedere possunt, sed non in eadem dignitate. Atque ita Christus illam summam dignitatem, & gloriam à Patre sibi datam non dabit alteri. Apoc. 3. 21. *Inst. Sed ad dexteram Dei sedere est etiam gloriosè, ac beatè viuere: Hoc autem nobis competit. Ergo, &c. Res.* Non est sufficiens definitio, quia nobis & Angelis cõpetit beata vita, *Sessio ad dexterã dei* non item. Vnde & hi duo

articuli rectè coniunguntur: *Ascendit in cœlum, Sedet ad dexteram Patris.*

Iam paucis allatam à nobis definitionem *sessionis Christi ad dexteram Patris explicemus. Sedet* ergo *Christus ad dexteram Dei Patris*, hoc est, Ipse persona est omnipotens, per quam Pater immediatè omnia gubernat. Præsertim verò per quam defendit Ecclesiam contra hostes. Hæc definitio vt plenior & clarior euadat, singulas eius partes breuiter excutiemus.

Est igitur *sessio Christi ad dexteram Patris*, 1. *Perfectio Naturæ Christi diuinæ*, hoc est, æqualitas λογου cum Patre, quam non accepit, sed semper habuit.

2. *Perfectio humanæ naturæ Christi*, Hæc perfectio, vel excellentia humanæ naturæ Christi complectitur. 1.
Col. 2. 9. *Vnionem hypostaticam humanæ naturæ cum Logo. In eo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter.* 2. *Collationem donorum longè maiorum ac plurium, quàm quæ conferuntur omnibus hominibus aut Angelis*, ac proinde quibus donis
Ioan. 1. 16. Ioan. 3. 14. homines atque Angelos plurimùm antecellit. *Ex plenitudine eius omnes accipimus. Huic non admetitur Deus spiritum,*

3. *Perfectio vel excellentia officij Mediatoris, officij scilicet Prophetici, Sacerdotalis, ac Regij, quod iam Christus, vtpote caput Ecclesiæ glorificatum, in humana natura, gloriosè in cœlis exercet.* Hæc excellentia officij Christi est ipsa exaltatio Christi in officio suo Prophetico, Sacerdotali, ac Regio: hoc est, depositio infirmitatis naturæ Christi humanæ, & consummatio gloriæ, quæ debebatur Christo tum ratione officij, vt Prophetæ, Regis, ac Sacerdotis, tum ratione Personæ Dei.

Psalm. 97. 7. Heb. 1. 6. Phil. 2. 9. 4. *Perfectio honoris Christi*, hoc est, adoratio, ac reuerentia, quæ Christo defertur ab Angelis & hominibus. *Adorent eum omnes Angeli Dei. Donauit ei nomen, quod est supra omne nomen.* His & similibus dictis significantur partes sessionis Christi ad dexteram Dei. *Nomen* autem, de quo agitur in verbis Apostoli proximè citatis, est præstantia personæ, ac officij Christi, atq; vtriusq; decla-

declaratio per visibilem maiestatem, vt omnes cogãtur fateri hunc esse Regem illum per quem Deus omnia gubernat. Sic *Stephanus vidit eum* etiam visibili maiestate ac gloria ornatum. Habuit Christus etiam antea partes aliquas præstantiæ suæ, officiiq; sui, suæque personæ: sed consummationem tunc assequutus est, cum assumptus in cœlum collocatus est ad dexteram Patris.

Ex his partibus *sessionis Christi ad dextram Patris, definitio sessionis illius iam plenior effici poterit hoc modo: sedere Christum ad dexteram Patris, hoc est, habere ipsum eandem atque æqualem cum Patre potentiam: antecellere omnes homines & Angelos in humana natura, tam donorum, & plurium & maiorum collatione, quàm gloria & maiestate visibili: ostendere se hominum & Angelorum, atque adeo rerum omnium creatarum, Dominum: nomine Patris immediatè regnum in cœlo ac toto mundo administrare, & imprimis immediatè sua potentia gubernare Ecclesiam: ab omnibus denique agnosci & celebrari Dominum summum & caput.*

Multæ obiectiones ex hac definitione refutantur: vt, 1. *Etiam spiritus sanctus est æqualis Deo: ergo rectè dixerimus & ipsum sedere ad dexteram Patris.* Resp. Nego consequens, quia argumentum sumptum est ex mala definitione. Nam etsi spiritus sanctus æque ac Pater & Filius sit caput ac Dominus & rector Ecclesiæ, non tamen Sp. S. sed *soli Christo competit sedere ad dexteram Patris*: quia ipse solus assumpsit naturam humanam, humiliatus est, mortuus est, sepultus, resurrexit, ascendit, & est Mediator. Deinde per solum Christum Pater agit immediatè: per S. S. verò Pater non agit immediatè, sed mediante Filio. Talis enim ordo seruandus est in operatione, qualis in personis. Pater operatur per se, sed à se, quia est à nullo. Filius operatur per se non à se, quia à Patre genitus est. Spiritus sanctus operatur per se, sed à Patre & Filio, à quibus procedit. Ergo pater immediatè per Filium operatur: quia Filius est prior Spiritu sancto, non tamen tempore, sed ordine

ordine: mediatè verò Pater operatur per S.S. proinde rectè *Filius dicitur sedere ad dextram Patris.* *Ob. 2. Christus ante ascensionem semper fuit caput, & rex Ecclesiæ gloriosus: Ergo iam tandem non potest dici sedere ad dexteram dei. Resp.* Rursus ex mala definitione sumitur argu. Semper Christus fuit glorioſus: at non semper fuit exaltatus in officio Mediatoris, in suo videlicet Regno, & Sacerdotio. Iam consummationem gloriæ cæpit habere, quam ante non habuit: nimirum vt administret Regnum, & Sacerdotium suum gloriosè in cœlis.

Appellatur autem *Christus caput nostrum. 1. Perfectione & excellentia, qua Deus & homo est.* Respectu deitatis, illud non in dubium vertitur. Quoad humanam naturam, quia humanitas Christi multò maiorib. donis ornata est quàm vlla creatura: præcipuè propter vnionem eius cum λογω, 2. *Officio, idq; primum ratione meriti. Deinde efficacia.* Nam quemadmodum caput est sedes omniũ sensuum exteriorũ & interiorũ in quo sedent intellectus & voluntas, & ex eo defluũt spiritus vitales: sic ex Christo tanquam capite fluunt in nos dona S.S.

3. *An semper Christus sederit ad dexteram Dei.*

HÆc quæstio non esset necessaria, nisi curiositas hominum eam talem fecisset. Ad eius explicationem opus est primò naturarum, deinde temporis distinct.

Ad diuinitatem Christi quod attinet. 1. *Ea semper sedit ad dexteram Patris quatenus Sessio æqualẽ significat potentiam & honorem, quem eundem Christus habebat cum Patre.* Natura n. Christi diuina, ab æterno fuit æqualis Patri honore & potentia. Item *quatenus sedere ad dextrã Patris significat esse caput Eccl.* Nam per ipsum Logon Pater inde ab initio semper Eccl. conseruauit: sicut omnia per eundem creauit. Hoc modo Christus ipsa generatione æterna ad dexteram Patris est collocatus.

2. *Christus etiam secundùm diuinitatem suam eatenus ad dextram Patris sedit, quatenus destinatus fuit ad hoc officium suum ab æterno.*

3. *Semper secundùm diuinitatem suam sedit ad dexteram*

Dei

Dei, quatenus inde ab initio mundi incœpit exequi & executus est hoc officium suum. Eatenus verò secundùm diuinitatẽ suam Christus, post ascensionem in cœlum, collocatus est ad dexteram Patris, quatenus illa sese gloriosa cœpit exercere in corpore, quæ tempore humiliationis suæ occultauerat sese, declaratione. Humiliationis enim suæ tempore, quo scilicet in terris Christus versabatur, humiliauerat sese etiam ipsius diuinitas, non quidem se infirmiorem reddendo, sed occultando tantùm se, & se non exerendo. Ergo sic etiam Christus secundùm diuinam naturam suam collocatus est ad dexteram Patris deponendo nimirum humilitatem, quam nostra causa in se susceperat, & *gloriam, quam ipse ante iacta mundi fundamenta apud Patrem habuerat* (occultauerat autem tẽpore humiliationis) exerendo, non accersendo aliquid ei quod antea non habuerit, nec illustriorem robustioremue illam faciendo neque apud Deum sed apud homines eam patefaciendo, & plenè, ac liberè, ius suum vsurpando, quo iure quasi se abdicauerat diuinitas Christi in humanæ naturæ assumptione. Ideo dicit. *Nunc glorifica me tu Pater apud temetipsum ea gloria, quam habui apud te priusquam hic mundus existeret.* Hanc gloriam apud homines non habebat. Itaque petit, vt sicut eam semper habuit apud Patrem: sic etiam patefaciat illam apud homines. Proinde non accipiendum est hoc, quasi *logos* aliquam mutationem suæ Diuinitatis acceperit: sed eo, quo dictum est, modo. *Ad humanam Christi naturam quod attinet: secundùm illam tum primùm collocatus est Christus ad dexteram patris cùm ascendit ad cœlos:* tum glorificationem est consequutus, cùm accipiebat, quod antè non habebat. Ioan. 17. 54.

Ob. Qui sedet ad dextram Dei, est vbique. Christus sedet ad dexteram Dei. Ergo, &c. Resp. Concedi potest per communicationem Idiomatum. Sed siquis inferat etiam secundùm carnem, plus erit in conclusione, quàm in præmissis. Negatur etiã consecutio: quia sunt 4. termini. Non n. idem sunt *dextra Dei & sedere ad dextram dei.*

Minor

Minor talis esse debebat. Natura humana est dextra Dei. Sed sic vtraque propositio est falsa Deinde non simpliciter vera est maior. Nam *sessionis ad dextram Dei pars*, est & illa visibilis gloria, ac maiestas, qua ornata est humana Christi natura, & qua Christum præditum Stephanus in cœlo videbat. Hæc non est vbique sed ibi duntaxat vbi est.

Ob. Ascendit in cœlum, vt impleret omnia, scilicet præsentia carnis suæ. Resp. Fallacia est figuræ dictionis, *Ascendit vt impleret omnia*, scilicet donis, non carne, ossib. & cute sua. Ista sunt Monstra & deliria quibus Diabolus propinat gloriam Dei deridendam. Inst. *Natura quæ accepit omnipotentiam est vbique. Humanitas Christi accepit omnipotentiam. Ergo &c. Resp.* Ad Maiorem: quæ accepit omnipotentiam, scilicet reali transfusione & communicatione proprietatum, non autem, quę eam accepit vnione tantùm, vt humana Christi natura. Multa interim reali transfusione in humanitatem Christi collata sunt: aliæ videlicet qualitates, quàm quas habebat in cruce & humiliatione. Item longè plura & maiora dona, quàm quæ vel Angelis, vel hominib. cõferuntur, & respectu collationis illorum donorum, secundùm humanam suam naturam Christus ad dexteram Patris collocatus est: ad dexteram verò Patris collocatus est secundùm diuinitatem suam, quatenus eam glorificatus, & in cœlum sublatus exeruit, atque consummationem gloriæ, vel summum glorificationis gradum adeptus est.

4. *Qui sint fructus sessionis Christi ad dexteram Patris.*

Fructus sessionis Christi ad Patris dexteram, sunt omnia beneficia regni, & sacerdotij Christi glorioſi. Vt. 1. *Intercessio pro nobis.* 2. *Collectio, gubernatio, & conseruatio Ecclesiæ per verbum, & spiritum sanctum,* 3. *Defensio Ecclesiæ contra hostes.* 4. *Abiectio, & destructio hostium,* 5. *Glorificatio Eccl. Regni Christi glorificati fructus sunt,* vel beneficia, quòd nos regit per ministerium verbi, & Sp.S. quòd

quòd ministerium conseruat, Ecclesiæ dat hospitia, efficax est per doctrinam in conuertendis Electis: quòd Electos tandem suscitabit, omnes eorum infirmitates abolebit, eos glorificabit, absterget ab iis omnem lachrymam, collocabit eos in suo throno, eosque faciet Patri suo Sacerdotes, ac Reges. *Sacerdotii Christi glorificati fructus est*, quòd pro nobis apparet, & intercedit in cœlo, & quidem efficaciter, ita vt Pater nihil nobis neget propter valorem interces-sionis eius. Hinc oritur illa consolatio. Quia caput nostrum, caro nostra, & frater noster sedet ad dexteram Patris futurum est vt nos glorificet & viuificet, idque tum ex amore fraterno, tum ex officio capitis. Quia talem habemus Pontificem, qui ad dexteram Patris consedit, nō est quòd quicquam de salute dubitemus: illam ipse tutò nobis conseruabit, ac tandem certissimè conferet. *Nemo rapiet oues meas ex manu mea. Volo, vt vbi sum ego, & illi mecum, quos dedisti mihi.* Ioan. 10. 28. Ioan. 17. 24.

Inde venturus est ad iudicandum viuos, & mortuos.

IN hoc Articulo, tres loci coincidunt per se diuersi, nempe *de secundo aduentu Christi*, *de fine mundi*, & *de extremo iudicio*. De his locis coniunctim dicemus, vt qui inter se cohærent: ita tamen, vt præcipuus sit ille *de iudicio extremo*. Nam parum esset cogitare nos de aduentu Christi secundo, nisi porrò consideraremus ad quid venturus esset. *Credo in Christum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos*, hoc est, Credo 1. *quòd aduentu Christi secundo sequatura sit renouatio cœli, & terræ.* 2. *Quòd idem ipse Christus sit venturus, qui pro nobis est natus, passus, & resurrexit.* 3. *Quòd gloriosè sit venturus, ad liberandam Ecclesiam, cuius ego membrum sum.* 4. *Quòd sit venturus ad abijciendos impios*. Ex his consolationem percipimus magnam simul & solidam. Nam *quia futura est cœli terræque renouatio concipimus fiduciam, fore & nostrum statum aliquando alium, & meliorem; quia Christus veniet*

veniet : iudex nobis erit propitius : ipse enim veniet ad iudicandum, qui nobis meritus est iustitiam, qui noster est Frater, Redemptor, Patronus, quia *gloriosè veniet etiam feret sententiam iustam, & satis potens erit ad nos liberandos:* quia *veniet ad Eccl. liberandum, erit quòd læti ipsum expectemus : quia abijciet impios in æternas pœnas, patienter feramus ipsorum tyrannidem.* Deniq; *quia liberabit pios, impios abijciet: ac proinde necesse est resipiscamus,* ac in hac vita grati simus, ac securitatẽ carnalem fugiamus, vt simus in eorum numero, quos liberabit.

Quæstiones de extremo iudicio præcipuæ.

1. *An sit futurum iudicium.*
2. *Quid sit illud iudicium.*
3. *Quis sit futurus iudex.*
4. *Vnde, & quò sit iudex venturus.*
5. *Quomodo sit venturus.*
6. *Quos sit iudicaturus.*
7. *Qualis futura sit sententia & executio iudicij.*
8. *Propter quas causas futurum sit iudicium.*
9. *Quando sit futurum.*
10. *Quare nos Deus velit certos esse de extremo iudicio.*
11. *Quare de tempore nos certos esse noluit.*
12. *Quare Deus iudicium illud differat.*
13. *An sit optandum.*

1. *An sit futurum iudicium.*

HÆc quæstio necessaria est. Nam & Scriptura prædixit *postremis temporibus, venturos irrisores, qui sint hunc articulum habituri pro fabula.* 2.Pet.3.3. Demonstrari quidem ex Philosophia non potest extremum iudicium: sed neque contra hoc est in ea quicquam pugnans. Certitudo autem tota pendet ex oraculis diuinis, vel ex doctrina Ecclesiæ. Quamuis enim philosophus aliquid fortassis per caliginem diceret: *non* videlicet *esse verisimile hominem ad hanc miseriam conditum esse,* tamen propter amissam cognitionem iustitiæ, bonitatis, & veritatis diuinæ, non possumus ex philosophia cognoscere, quod sit futurum iudicium: multò minus

quibus

quibus futurum sit circumstantiis. Argumenta,quæ philosophia suppeditat,efficacia quidem sunt per se, sed non explicantur,nisi in theologia: ac proinde ipsa etiam argumenta tantùm in Theologia fiunt efficacia,Probationes igitur ex Theologia vel Euangelii doctrina sumemus, ex quibus constet extremum esse iudicium.

1. Probatio sumitur ex disertis Scripturæ testimoniis: vt ex prophetia Danielis, Item ex prophetia Enoch,citata ab Apostolo Iuda. *Ecce veniet Dominus cum sanctis millibus suis,vt ferat Iudicium aduersus omnes,* Iud.7.14. & 15. Præterea ex concionib. Christi,maximè apud Matt. 24.& 25.c.Similiter ex concionib.Apostolorum. *Diem statuit Dominus, quo iustè iudicaturus est orbem terrarum, per eum virum,quem definiit. Ipse Dominus cum hortationis clamore,ac voce Archangeli, ac Dei tuba descendet è cœlo,&c.* Act.17.32. 1.Thess.4.16 Nec solùm certitudo iudicii constat ex his, & similibus disertis Scripturæ test.sed deducitur ex aliis locis bona consequentia: atq; efficacia hinc fiunt argumenta, quæ Philosophi tanquam per transennam conspiciunt.

2. Probatio sumitur *à fine ad quem conditum est genus humanum.* Deus necessariò assequitur finem suum: ad hoc autem condidit genus humanum, vt esset imago Dei,ac templũ dei æternum,in quo celebraretur: cui se,summam sapientiam,iustitiam,& bonitatem communicaret,& suam fœlicitatem impertiret. Hæc fœlicitas est pars imaginis Dei:sed hæc destructa est à Diabolo: Ergo deus eã restituet,qui fortior est diabolo. Et licet finis propter quem homo conditus est in hac vita variis modis impediatur, eum tamen assequetur aliquando Deus. Itaq; *non solùm est* (vt Philos. argumentatur) *verisimile,hominem ad has miserias non esse conditum,* sed & longè certissimum est, præstantissimam creaturarum omnium, ad meliorem finem conditam esse. Quapropter immutationem tandẽ fieri necesse est.hoc arg.confirmatur etiam corporum nostrorum

fœli-

fælicitas: iuxta illud Pauli, *An ignoratis corpus vestrum esse templum Spiritus Sancti qui est in vobis.* 1.Cor.6.19.

3. Probatio sumitur *à iustitia, bonitate, & veritate diuina, quę postulat vt bonis benè sit perfectè: malis malè perfectè.* Philosophia ignorat Deum esse tam iustum, bonum, & verum, vt velit iustos frui plena beatitudine. Non autem fit hoc in hac vita: imò malis potiùs bene est in hac vita. Ergo oportuit aliam restare vitam, in qua hoc futurum sit. Vtitur hoc argumento Scriptura: vt apud Paulum. *Iustum est apud Deum retribuere nobis.* 2.Thess.1.6. *Memento te bona tua accepisse in vita tua, & Lazarum similiter mala. Nunc autem hic solatio fruitur, tu verò cruciaris.* Luc.16.25. Alia omnia argumenta ad hæc referri possunt.

2. *Quid sit iudicium extremum.*

IN omni iudicio sunt, *reus, actor, iudex, causa, cognitio causæ, lex secundùm quam iudicatur, sententia absolutionis & damnationis, & eius executio secundùm leges. Iudicium igitur in genere est inquisitio alicuius causæ à iudice ordinario & legitimo, secundùm iustas leges, & latio sententiæ, atque eius executio secundùm leges iustas.* Iam facile est huius iudicij diuini definitionem constituere. Cognitione causæ, testibus, & accusatoribus, non eget hic iudex cùm sit καρδιογνώστης. Erunt ergo tantùm iudex, homines, de quibus feretur sententia, lex secundùm quam sententia feretur, & executio.

Definitio hæc est: *Iudicium extremum est iudicium quod exercebit Deus in fine mundi per Christum, qui tunc in gloria & maiestate Patris & Angelorum visibiliter descendet de cælo in nube: per quem etiam tunc suscitabuntur omnes homines, qui mortui fuerunt ab initio mundi ad finem vsque: reliqui autem subitò mutabuntur, & sistentur omnes ante tribunal Christi, qui de omnibus feret sententiam: & impios cum Diabolis abiiciet in pœnas æternas: pios autem ad se assumet, vt cum ipso & beatis Angelis in cælo fruantur æterna fælicitate & gloria.*

Definietur hoc modo breuiùs. *Extremum iudicium erit* pate-

patefactio, vel declaratio, & separatio iustorũ & iniustorum, qui vixerunt ab initio mundi vsq; ad finem, & viuent, futura à Deo per Christum: & latio sententiæ de his omnibus, huiusque executio secundùm doctrinam Legis & Euangelij.

Huius definitionis partes iam paucis confirmabimus. 1. *Iudicium illud erit patefactio iustorum, & iniustorum Nam aperientur libri vt manifesta fiant arcana cordiũ.* Apoc. 20. 22. 2. *Erit separatio iustorum, & iniustorum. Costituit enim Christus oues quidem ad dextram suam: hœdos autem ad sinistrã.* Mat. 25. 32. 3. *Hæc patefactio, & separatio fiet à Deo per Christum. Si* à deo, iudicium erit planè diuinum, & iustissimũ. *Si Deus est iniustus, quomodo iudex erit mundi? Per Christum fiet, quia Pater omne iudicium dedit filio. Deus constituit iudicare mundum per virum.* 4. *Erit latio sententiæ. Venite benedicti Patris mei.* Benedicti sumus à Deo, non in Adamo, sed in semine, ac proinde *sententia feretur secundùm Euangelium.* Naturaliter enim iræ Dei sumus obnoxij. Ideo & pij inquient, *Quando vidimus te esurientem, aut sitientem?* Fatebuntur non secundùm meritum sed secundùm gratiam fieri retributionem prẹmiorum: Hac porrò ratione *secundùm Legem & euangelium impij & pij iudicabuntur: absolutio fiet* principaliter secundùm euãgelium: confirmabitur per Legem. *Damnatio fiet* principaliter per Legem, confirmabitur ab Euangelio. *Sententia de impijs* feretur ex merito ipsorum: *sententia de pijs* feretur ex merito Christi, fide ipsis applicato: cuius fidei testimonium erunt opera. *Est autem iudicari,* iustum declarari coram tribunali Christi, & ingredi in vitam æternam, idque cum conditione fidei, quæ postulatur in Euangelio. Rom. 3. 9. Ioan. 5. 22. Act. 17. 31. Math. 25. 24

Obiect. At vnicuique secundùm sua opera reddetur. Ergo de omnibus feretur iudicium secundùm doctrinã Legis. Resp. Hoc sensu secundùm opera sua reddetur electis: non quòd opera sint merita, sed quòd sint effecta fidei. Electis ergo reddetur secundùm opera, id est, indicabuntur secundùm fidem. Secundùm fidem verò iudicari, est iudicari secundum Euangelium. *Faciet* autem *operũ*

nostrorum iudex mentionē, non fidei. 1. *Quia vult manifestū esse aliis, cur sic iudicet:* ne videlicet condemnati possent obiicere, Deum nos iniquè donare vita æterna. Monstrabit igitur illis opera nostra, eaq; ad refutandos illos proferet tanquam testimona, quòd in hac vita applicauerimus nobis meritum Christi 2. *Vt in hac vita consolationem habeamus ex operibus nos staturos ad dexteram.*

3. *Quis sit futurus iudex.*

IVdex futurus est Christus. Omne iudicium dedit Filio Non quidem remouentur ab hoc iudicio Pater & Spiritus sanctus: sed immediatè loquetur, & sententiam feret Christus, & quidem in natura humana. Ipso autem loquente Deus loquetur: non solùm quia ipse Deus est, sed etiam quia Pater per ipsum loquetur. Ioan. 5. 22

Iudicium erit trium personarum Diuinitatis, quod ad consensum atque authoritatem: *Christi verò* quod ad promulgationem & executionem iudicij. Nam Christus etiam visibiliter de omnibus feret sententiam, quam & simul exequetur. *Eccle. etiam iudicabit,* nempe quod ad approbationem huius iudicij: quomodo Christus dicit. *Apostolos sessuros super duodecim thronos, & iudicaturos duodecim tribus Israelis,* hoc est, vt subscribant iudicio Christi & sententiam eius approbent. Luc. 22. 30

Causæ cur Christus homo sit futurus iudex, hæ sunt.

1. Quia *per eundem Mediatorem glorificanda est Ecclesia per quem, & propter quem iustificata est. Per eum virum Deus iustè iudicaturus est orbem terrarum, quem definiit.* Act. 17. 31. *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum potentia & gloria multa.* Mat. 24. 30. *Pater authoritatem dedit Filio iudicium etiam exercendi, quatenus Filius hominis est.* Ioan. 5. 27.

2. *Vt habeamus consolationem, scientes illum fore Iudicem nostrum, qui sanguine suo redemit,* & qui fratres suos, imò membra sua nos facit. Ipse enim est, 1. *Frater noster & Caro nostra.* 2. *Promisit & dixit. Qui credit in Filium habet vitam æternam. Amen, amen dico vobis, qui ser-* Ioan. 3. 39. & 5. 24.

monem

nem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam aeternam, & in condemnationem non veniet, sed transiuit à morte in vitam. 3. *Ideo venit, vt Ecclesiam liberet, & impios obiiciat.* Tripliciter ergo nos reditus & iudiciũ Christi consolatur. 1. *Persona ipsa.* 2. *Promissio.* 3 *Causa finalis.*

3. *Propter iustitiam Dei*, quia hunc Filium hominis affecerunt contumelia. *Videbunt quem confixerunt. Ob.* Zac. 12. 56
Christus dicit se non venisse ad iudicandum. Resp. In primo Ioan. 19. 37.
aduentu non venit ad iudicandum, sed in secundo ad- Ioan. 11.
uentu propterea venit. *Hominem oportet esse iudicem.* 1. *Quia debet iudicare homines, ergo debet ab omnibus conspici: nam Deus est inuisibilis.* 2. *Vt eò magis confundat impios hostes suos, qui eum cogentur iudicem videre, cui tantum resistierunt.*

4. *Vnde Christus, & quò sit venturus.*

E Cælo expectamus Iudicem nostrum Christum: quò enim ipsum Apostoli viderunt ascendentem, inde veniet. Patefiet Dominus Iesus de cœlo cum Angelis potentiæ suæ. Ab hoc tẽpore videbitis Filium hominis sedentem ad dexteram potẽtiæ Dei, & venientẽ in nubibus cæli. E cœlo igitur vbi sedet 1. Thess. 1. 7
ad dexteram Dei (non ex aere, aut mari, aut terra: *sic-* Mat. 26. 64
ut enim vidistis eum ascendentem, ita veniet. Act. 1. 11.) descendet in nubes, hoc est, descendet è cœlo visibiliter in hanc regionem aeris, sicut reuera visibiliter ascendit. Hæc necessariò proponuntur, vt Ecclesia sciat vnde sit expectandus iudex. Sicut enim vult sciri quonã ascenderit: sic etiam vnde rediturus, vt nimirũ significet hoc modo se non deposuisse naturam humanam, quam assumpserat.

5. *Quomodo Christus ad iudicium sit venturus.*

1. *Suscitabuntur mortui, vel mutabuntur viui.* 2. *Soluetur mundus per ignem.* 3. *veniet subitò, vt glorificet suos: &* Mat. 24. 30.
venturus est. 1. *verè, visibiliter, ac localiter, non phantasticè, videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli, atq; ita cognoscent eum esse Deum ex visibili eius maiestate. Vide-*

Zach. 2. 20. *bunt quem transfixerunt.* 2. *Veniet instructus gloria, & maiestate diuina, cum omnibus Angelis, cum voce, & tuba Archangeli, cum potentia diuina*, ad excitandos mortuos, ad separandos pios ab impijs, & ad hos abiicendos in pœnas æternas: illos autem glorificandos. *Futurum est vt Filius hominis veniat cum gloria Patris sui, cum An-*
Math. 16. 27. *gelis suis*, id est, vt veniat multitudine Angelorum cœlesti ac maiestatis plena auctus, idq; non necessitate, sed imperio, ostendens se Dominum esse omnium creaturarum, & quidem cum tali gloria, quæ sola conuenit patri, eique est propria, vnde simul colligitur Christum non esse secundarium deum, sed secundam Personam Deitatis æqualem Patri. *Gloriam enim suam Deus alteri non dabit.*

6. Quosnam Christus sit iudicaturus.

Iudicabit omnes homines tam viuos, quã mortuos, etiã Angelos malos. Homines autẽ dicuntur viui, vel mortui, respectu status qui præcedit iudicium, nempe qui ad iudicium vsque superuixerint viui dicuntur. His exceptis reliqui omnes dicuntur mortui, atque *hi in iudicio resurgent, illi immutabuntur*: quę immutatio illis erit mortis loco: & sic, *Omnes sistemur apud Tribunal Christi.*

1. Cor. 15. Rom. 14. *Ob. At qui credit in Filium, non veniet in iudicium, & per consequens non omnes iudicabuntur. Resp.* Qui credit non veniet in iudicium condemnationis, sed veniet in iudicium absolutionis. Iudicabimur ergo, quatenus latè sumitur nomen iudicii pro damnatione, & absolutione: non iudicabuntut quòd ad damnationem Diaboli, iudicabuntur, quod ad promulgationem iudicij iam facti, item quod ad exasperationem iudicij.

Ob. Nunc quidem (inquit Christus) iudicatus & Ioan. 16. 11. *natus est huius mundi princeps. Ergo tunc non iudicabitur. Resp:* Diabolus iam iudicatus est, sed tantùm. 1. *Decreto Dei.* 2. *In verbo* 3. *Sua conscientia.* 4. *Inchoatione.*

Tunc autem sic iudicabitur promulgata publicè sententia, vt nihil amplius in Deum & Ecclesiam possit moliri.

7. *Quali*

7. *Qualis futura sit sententia & executio Iudicij.*

Feretur sententia, (quod & suprà attigimus Quæstione.2.) *de impijs principaliter secundùm Legem:* ita tamen vt Euangelium eam approbet. *De pijs feretur sententia principaliter secundùm Euangelium:* ita tamen vt Lex ea sit contenta. Electi audient sententiam ex Euangelio, ex merito Christi per fidem apprehenso, cuius fidei testimonia erunt bona opera.

Executio latæ sententiæ, futura est, 1. *Virtute & potentia Christi diuina.* Fiet enim suscitatio mortuorum audita voce Christi: viuentes mutabuntur, & ex mortalibus fient immortalia corpora, colligentur à quatuor plagis mundi. 2. *Ministerio Angelorum*: per eos Christus colliget pios, & impios, tanquam per illos messores, per quos etiam pios ab impiis separabit: Mat. 13. 30. & 24 31.
idque non quòd Ministerio Angelorum egeat, sed vt ostendat se esse Angelorum Dominum. Atqui hoc non est impotentia, sed pars gloriæ Christi, ad cuius tribunal nos omnes ita collecti per Angelos, & separati, sistemus. 3. *Mundus, cælum, & terra dissoluentur per ignem*: fiet mutatio status huius præsentis, & purgatio creaturarum: non autem earum consumptio. 4. *Hæc mutatio* (sicut ipse etiam aduentus, & iudicium domini) *veniet subitò, impiis subsistentibus, cùm dicent pax Pax.* 5. *Fiet abiectio impiorum in pœnas æternas, & euectio piorum in fœlicitatem & gloriam æternam.* Tunc enim perfectè Christus nos glorificabit, & ad se traducet. *Rursum veniam & assumã vos ad meipsum. Rapiemur simul cum eis in nubes, in occursum Domini, in aera, & ita semper cum Domino erimus.* Ioan. 14. 3. 1. Thes. 4.
Impij verò à pijs seorsum abiicientur cum Diabolis, & pœnis æternis adiudicabuntur. Non quòd iam condemnati non sint impij. Nam quẽadmodum Diabolos nunc diximus esse iudicatos, ita & *impij iam iudicati sunt, ac damnati* nempe. 1. *in decreto diuino.* 2. *in verbo.* 3. *in ipsorum conscientiis.* 4. *Inchoatione.* Sed tunc impij cum Diabolis iudicabuntur promulgatione eius iudicij. Nam tum fiet, 1. *Manifestatio*

iudicij dei, quod iustè pereant, qui pereunt. 2. *Impij enim patientur pœnas, & cruciatus corporis*, quod nunc est sepultum. 3. *Impij, ac Diaboli exasperabuntur, & coercebuntur*, vt non possint ampliùs lædere pios, Deùmque & Ecclesiam contumeliis afficere. Hiatus ingens inter nos & illos constitutus, transitum illis intercludet, vt nobis nocere desistant.

8. *Propter quas causas futurum sit Iudicium.*

1. *Causa principalis est Dei decretum.* Ideo enim futurum est extremum iudicium, quia Deus dixit, ac decreuit illud futurum. Hoc igitur fiat necesse est, vt ita Deus finem suum assequatur, id est, vt bonitatem suam atq; amorem erga nos declaret perfectè & integrè vt celebretur in templo suo, videlicet in Electis: vt Filius Dei regnum suum, suosque ciues glorioſos, & se dignos habeat. 2. *Causa minùs principalis, & subordinata est, tum salus Electorum, qui hic cruciantur, tum abiectio impiorum, qui hic florent.* Nam & ideo futurum est extremum iudicium, vt bonis benè, malis malè sit. Atq; ex hoc sument pij materiam celebrandi Deum. 3. *Futurum est iudicium propter iustitiam Dei.* Hic non fit perfecta executio iustitiæ diuinæ. Oportet enim vt impiis perfectè malè sit, secundùm corpus & animã.

9. *Quando futurum sit iudicium.*

FVturum est *in fine mundi, in fine dierum.* Nam *tres sunt partes durationis mundi.* 1. *Ante Legem.* 2. *Sub lege.* 3. *Sub Christo.* Pars autem *durationis mundi sub Christo* vocatur *finis mundi: finis dierum: tempus extremum.* Proinde non erit tantum spatium inter aduentum Christi primum, & secundum, quantum fuit ab initio mundi vsque ad primum. *Annus autem, dies, mensis iudicij ignoratur ab ipso Christo,* 1. *Quoad humanam naturam.* 2. *Quoad officium Mediatoris. De die illo ac hora nemo scit, ne Angeli quidem qui in cælo sunt, nec ipse Filius, sed solus Pater.* Mat. 24. 36

10. *Quare Deus velit nos certos esse de extremo iudicio.*

Tempus quidem iudicij futuri nobis est incogni-

tum

tum, sed vt certissimum est iudicium esse futurum: sic etiam Deus hoc ipsum scire nos voluit, 1. *Propter gloriam suam:* vt nimirum refutare possimus Epicureos hanc cælestem de iudicio diuino futuro doctrinam habentes pro fabula. Ob. *Iustis inquiunt, debet esse benè. Hoc autem non fit. Ergo Deus aut non potest id præstare, aut non stat promissis, aut non est prouidentia.* Resp. ad hoc istorũ cauillum: Quoniam in hac vita iustis non est benè, benè tandẽ illis erit post hanc vitam. 2. *Propter consolationem nostram:* vt scilicet in malis ac miseriis nos eo consolemur, fore tandem vt emergamus ex hac putredine. 3. *Vt nos in timore Dei, atque officio nostro contineamus, & vt alij etiam à malo reuocentur.* Futurum est iudicium: demus igitur operam vt in hoc iudicio consistere possimus. Vtroque modo vtitur hoc argumento scriptura, videlicet ad nos consolandos, & ad nos in officio continendos. Christus impios & hostes nostros tandem iudicabit: patienter ergo feramus persequutiones. *Sistemur omnes apud Christi tribunal:* igitur piè viuamus. 4. *Vt impij reddantur inexcusabiles: monentur* enim satis, *vt omnibus momentis sint parati:* nimirum ne dicant improuisò se oppressos esse. 2. Pet. 3. 12.

11. *Quare de tempore iudicij nos Deus voluit esse certos.*

Licet certissimum sit, extremum iudicium tandem futurum: dies tamen illius iudicij planè est incertus. *De die illa, ac hora nemo scit, ne Angeli quidem, qui in cælo sunt: nec ipse Filius, sed solus Pater.* Mar. 13. 32. Annum igitur mensem, diem, horam futuri iudicij ipse etiam Christus ignorat, non tantùm quod ad humanam suam naturam, sed & officij sui præsentis respectu. Officium Christi præsens, quatenus videlicet noster est Mediator, non postulat, vt illa nobis ipse declaret. *Causæ verò cur nos velit illa latere Deus*, hæ sunt, 1. *Vt exerceat fidem & patientiam nostram*, atque ita ostendamus nos velle Deo credere, etsi nesciamus tempus liberationis. 2. *Vt frænet nostram curiositatem.* 3. *Vt contineat nos in timore sui, in pietate, in officij nostri executione:* atq; ita

Mat. 24. 43. Luc. 13. 13. nos parati simus omni momento. *Si Paterfamilias sciret, &c. Negociamini donec veniam.*

12. *Quare Deus illud iudicium differat.*

Differt illud vt in piis exerceat fidem, & patientiam, spem, inuocationem. 2 Vt omnes Electi aggregentur ad Ecclesiam: propter hos enim non propter impios mundus consistit: nam creaturæ sunt conditę propter filios domesticos: Impij iis vtuntur sicut fures & latrones. Vult autem Deus Electos colligi mediis ordinariis: in hac vita scilicet vult eos audire verbum, ac per illud renasci & conuerti, ad quod requiritur tempus. 3. *Vt omnibus concedat tempus, ac spatium resipiscendi, sicut tempore hoc atque vt dilatio impios & contumaces reddat inexcusabiles. An copiam benignitatis eius & tolerantiæ contemnis, ignorans te benignitate Dei ad resipiscentiam vocari & deduci?*

Rom. 2. 4.

13. *An sit optandum.*

Est omnino, quia est certum signum discriminis electorum & reproborum: quam declarationem pij vehementer expetunt. Erit liberatio ex miseriis in quibus nunc sumus. *Miser ego homo, quis me liberabit? Sponsus & sponsa inquiunt, Veni Domine Iesu:* quod non dicunt qui minimè sunt parati ad excipiendum Dominum. Impij autem ad eius iudicij mentionem exhorrescunt.

Rom. 7. 24. Apoc. 22. 17.

TERTIA SYMBOLI PARS.

De Spiritu sancto sanctificatore.

HAC Symboli parte postrema, sex articuli continentur: quorum primus agit *de ipsa spiritus sancti persona*: alter *de Ecclesia*, quæ per spiritum sanctum colligitur, confirmatur, & conseruatur: quatuor sequentes articuli sunt *de beneficiis per spiritum sanctum in Ecclesiam collatis: ac primò de communione sanctorum: secundò de remissione peccatorum*: tertiò *de resurrectione Carnis*: postremò de vita æterna.

De Spiritu sancto.

Quæstiones præcipuæ.

1. *Quid nomen spiritus significet.*
2. *Quis, & quid sit spiritus sanctus.*
3. *Quodnam spiritus sancti sit officium.*
4. *A quo detur spiritus sanctus, & quare.*
5. *Quibus detur.*
6. *Quomodo detur, & accipiatur.*
7. *Quomodo retineatur.*
8. *An, & quomodo amittatur.*
9. *Quare sit necessarius.*
10. *Vnde agnoscatur eius habitatio in nobis.*

1. *Quid nomen spiritus significet.*

NOmen *spiritus* aliquando *pro causa* sumitur, aliquando *pro effectu. Quando pro causa accipitur, significat naturam incorpoream, & viuam, spiritualis essentiæ, agitantem, mouentem, & cientem aliquid.* Sic. 1. *Deus essentialiter & personaliter est spiritus*, hoc est, incorporeus, sine dimensionibus corporum, indiuisibilis. 2. *Angeli quoq;* & ij vel boni, vel mali, sunt hac ratione Spiritus. 3. Eodem modo *Spiritus dicuntur hominum animæ. Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*: id est immisit spiritum. Gen. 2. 7.

Quando nomen spiritus pro effectu capitur, significat. 1. *Aerem impulsum.* 2. *Ipsam impulsionem, & motum aeris.* 3. *Ventum ac vapores impellentes.* 4. *Effectus, aut motus spirituales bonos, vel malos.* Sic *Spiritus timoris*, & contra *spir. Principum*, id est, fortitudo: item *spiritus fornicationis.* 5. *Spiritus nouus significat dona spiritus sancti. Dicitur* autem *spiritus à spirando*, sicut πνευμα à πνέω.

In hac verò doctrina *spiritus causam significat agitantem, ac mouentem: nempe tertiam personam Deitatis*, quæ efficax est in mentibus ac voluntatibus hominum. Vocatur autem hæc tertia persona diuinitatis *Spiritus*, 1. *Quia est spiritualis essentia*, vel substantia incorporea: & inuisibilis. 2. *Quia spiratur à Patre, & Filio*: hoc est, quia est agitator, & motor immediatus diuinorum operum. Pater & Filius mouent, sed per hunc

hunc Spiritum. 3. *Quia ipse spirat & immediatè efficit motus in cordib. Electorum, vnde & virtus Altissimi dicitur.* Luc. 1. 35. 4. *Quia est æqualis, & idem cum Patre, & Filio. Deus autem spiritus est.*

Vocatur hæc tertia diuinitatis persona *sanctus.* 1. *Quia ipse in se, per se, & sua natura sanctus est.* 2. *Quia est sanctificator,* hoc est, alios immediatè sanctificat. Pater & Filius per ipsum sanctificant, eoque mediatè.

2. *Quis sit, & quid spiritus sanctus.*

SPiritus sanctus est *persona tertia veræ & vnicæ Deitatis, à Patre & Filio, procedens, Patri & Filio coæterna, coæqualis & consubstantialis: atque ab vtroque mittitur in Electorum corda, vt eos ad vitam æternam sanctificet.* Hic eadem dicenda sunt de deitate spiritus sancti, quæ suprà de deitate Filij dicta sunt. Nam & hæc definitio probanda est, & confirmanda probationibus earundem quatuor partium.

1. *Quòd spiritus sanctus sit persona.*

2. *Quòd sit Persona tertia, seu quòd sit alius & distinctus à Patre, & Filio.*

3. *Quòd sit verus Deus cum Patre & Filio, vel quòd sit æqualis Patri & Filio.*

4. *Quòd sit eiusdem deitatis cum Patre, & Filio, vel quòd sit vtrique consubstantialis.*

1. *Personam esse spiritum sanctum* probatur. 1. *Ab apparitionibus eius*: quia visibilis apparuit. *Descendit spiritus sanctus supra Christum corporea specie tanquam columba.* Luc. 3. 22. *Et visæ sunt iis dispartitæ linguæ instar ignis, qui etiam sedit (ignis videlicet vel spiritus sanctus) super vnumquemque eorum.* Act. 2. 3. Quoniam ergo Spiritus sanctus corporea specie supra Christum descendit, & sedit super Apostolos, consequitur ipsum esse ὑφιστάμενον. Hoc enim facere non potest vlla qualitas, aut motus animorum creatus, vel cordium. Nam accidens non modò nullam assumit speciem, sed & indiget alio in quo ipsum hæreat. Neque verò sanctitatis, pietatis, amoris Dei, aliorumque motuum spiritualium subiectum

est

est aër, sed mentes humanæ. 2. *Quia Deus vocatur. An nescitis vos esse templum Dei, & spiritum sanctum habitare in vobis? Cur impleuit Satanas cor tuum, vt mentireris in S. sanctum?* & paulò pòst: *non es mentitus hominibus, sed Deo.* Vide etiam Isai. 40.7.13. Act. 28.25. Eph. 4.4.30. Quocunque igitur modo aducrsarij dicant spiritum sanctum vocari Deum, tamen fieri non potest quin ipse sit ὑφισάμενον vel existens: cùm Deus sit τὸ ὄν: nostra autem pietas, bonitas, pij motus, & alij affectus diuini, Deus dici non possunt. 3. *Quia est author baptismi, & in eius nomine baptizamur*, hoc est, eius iussu, & voluntate. Rei autem mortuæ, vel non existentis iussu, & voluntate nequaquam baptizamur, nec etiam baptizamur in nomine donorum Dei. 4. *Quia propria personæ ipsi tribuuntur, vt quòd doceat, quòd distribuat dona prout vult, quòd consoletur, confirmet, regat, regnet: item quòd missus Apostolos, quòd loquatur in Apostolis. Spiritus sanctus vos docebit eo momento, quæ oporteat dicere.* Similiter annuntiat futura. *Spiritus ille veritatis, quæ ventura sunt renuntiabit vobis. Dat oracula: iubet & vult, vt separentur Apost. denique doctores in Eccl. constituit.* Hæc omnia sunt personæ existentis, intelligentis, volentis, agentis, & viuentis. 5. *Quia disertè à donis distinguitur. Omnia hæc dona efficit vnus idemq; spiritus distribuens, illa priuatim singulis sicut vult.* Et ibid. paulò antè: *Discrimina donorum sunt, sed idem spiritus.* Plurimùm ergo dona differunt ab ipso spiritu. Ob. *Donum Dei non est persona: spiritus sanctus dicitur donum. Ergo non est Persona. Resp.* Maior est falsa. Nam Filius datus, est donum Dei, & tamen est Persona. *Vocatur* autem *S.S. donum Dei*, quia mittitur à Patre & Filio. *Consolatorem illum ego mittam vobis à Patre.* Vel sic responderi potest: Propter missionem dicitur donum, & habitat in cordib. sanctorum quibus datus est: & est tale donũ quod efficit sua virtute reliqua. Quòd autẽ *Procedere significet à duob. existere*, probo: *Quia Paulus spiritum dei vocat qui ex deo sit & in deo. Ex Deo*, quia spiritus à patre & Filio emanauit. *In Deo* est ergo quiddam ipsius Dei. Cæteri spiritus non sunt

1.Cor. 3.16. Act. 5.3. & 4.

Luc. 12.1.2.

Ioan. 16.13.

Luc. 2.26. Act. 13.2.

1.Cor. 12.11

Ioan. 15.26.

in Deo, id est, in substantia Dei. Quod verò est in deo, non est nisi essentia Dei.

1. *Alium esse Sp. S.* i. distinctum à Patre & Filio, probatur aduersus illos qui eum dicunt esse Patris νοερὰμερον. 1. *Ab ipsa appellatione spiritus.* Nemo enim est sui ipsius spiritus: sicut nemo est sui ipsius Pater: nemo sui ipsius Filius: Ergo ab vtroque est alius. Ob. *Quod est omnibus personis commune non debet distingui: Vocabulum spiritus est omnibus tribus personis commune: Ergo non debet distingui. Resp.* Concedo totum, si intelligatur de essentia: non de ordine existendi & operandi. Nam spirans & Spiritus differunt: alius est procedens, alius à quo procedit: Alia est persona Deitatis tertia, alia prima, vel secunda. At Spiritus sanctus tertia persona Deitatis dicitur: idque non propterea quòd in Deo sit prius aut posterius tempore, sed propter ordinem siue modum existendi: quia videlicet spiritus sanctus à Patre & Filio habet suam essentiam, à quo vtroq; ab æterno procedit, sicut & vtriusq; est Spiritus. Pari ratione Filius secunda persona vocatur, quia est à Patre. Pater prima, quia est à nullo.

Ioan. 14.16. 1. Ioan. 5.7. 2. *Expressè Sp. S. vocatur Alius. Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum mittet vobis. Tres sunt in cœlo qui testantur, Pater sermo, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt* 3. *Mittitur à Patre, & Filio.* Ergo est alius ab vtroque. Nemo enim à seipso mittitur. Potest quis accedere sua voluntate, vel à seipso. Sed nemo potest à seipso

Ioan. 15.26. Ioan. 14.26. mitti. *Ego mittam eum vobis à Patre. Pater mittet eum in nomine meo.* 4. *Ab attributis distinctis.* Solus S. S. procedit à Patre & Filio. Solus S. S. apparuit in specie columbæ, in specie ignis: non autem Pater, aut Filius. Christus etiã non per Patrem, aut Filium, sed per S. S. conceptus esse dicitur, hoc est, immediata virtute atq; efficacia S. sancti. Ipse igitur alius est à Patre & Filio: id quod diligenter est obseruandum. Aduersarij siquidem conuicti de persona S. sancti, *concedunt ipsum esse subsistens, sed Patris. Ob. Virtus patris est ipse Pater.*

Spiritus

Spiritus sanctus vocatur virtus patris. Ergo spiritus sanctus est ipse Pater. Resp. Sunt quatuor *termini: quia in maiore accipitur virtus pro natura Dei: In minore pro persona.*

3. *Æqualem esse Spiritum sanctum Patri & Filio, probant hæc argumenta.* 1. *Ipsi communicata est essentia Patris & Filij:* quia ab utroq; procedit,& vtriusque est Spiritus. In Deo autem nihil est quod non sit eius essentia. Ea igitur indiuisibilis cùm sit,tota,& eadem ipsi communicata sit necesse est. Sicut Spiritus hominis,qui est in homine,est de essentia hominis: sic Spiritus Dei, qui est in Deo,est de Essentia Dei. Ex his apparet, *quæ sit processio Spiritus sancti,* nempe *communicatio diuinæ essentiæ qua sola tertia persona Diuinitatis à Patre & Filio, tanquam ab eo,cuius est spiritus, eandem & integram essentiam accipit.* Quòd verò *Spiritus sanctus etiam à Filio procedat,* certis rationibus euincitur. 1. *Quia dicitur Filij Spiritus: Si quis Spiritum Christi non habet,is non est eius. Emisit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra. Spiritus Filij,* nimirum non donatus Filio à Patre: sed sicut ex Patris sic ex Filii quoque substantia existens & procedens,cùm Filius sit æqualis & consubstantialis Patri. 2. *Quia Filius eum dat vnà cùm patre. Ego mittam eum vobis à Patre. Accipite spiritum sanctum.* 3. *Quia spiritus S. accipit sapientiam Filij, quam nobis reuelat. De meo accipiet, quod renuntiabit vobis.* Cum autem Spiritus sanctus sit verus Deus,consubstantialis Patri & Filio,non potest quicquam accipere nisi de eo, de cuius substantia sit. Prodit ergo de filii substantia,quia de eo accipit,quod est Filii. 2. *Tribuuntur & communicantur Spiritui Sancto attributa diuina,* vt *æternitas:* quia creauit cœlum & terrã, & quia Deus nunquam fuit sine suo Spiritu. Item, *omnipotentia & omniscientia. Spiritus omnia scrutatur, etiam profunditates Dei.* Similiter *immensitas,* vt qui in omnib. Electis habitat totus. 3. *Opera eadem diuina, quæ Patri tribuuntur & Filio, etiam spiritui sancto tribuuntur,* eaque tum vniuersalia, tum illa miraculosa, quæ in Ecclesia constituenda consistunt. Sic apud Iobum ipsi tribuitur creatio.

Galat. 4. 6.

Ioan. 15. 26.
Ioan. 20. 22.
Ioan. 16. 14.

1. Cor. 2. 10.

creatio. *Spiritus eius ornauit cælos. Spiritus dei fecit me, &*
Iob. 33. 4. *spiraculum omnipotentis viuificauit me.* Alia ipsi tribuuntur aliis locis: maximè quod viuificet, regeneret, illuminet, faciat miracula. 4. *Æqualis, & idem honor deferatur spiritui sancto, qui & Patri, & Filio.* Nulli creaturæ, sed soli Deo tribuendus est honor diuinus, nempe solius Dei proprius: hic autem tribuitur spiritui sancto. Ergo
1. Ioan. 5. 7. ipse est Deus, Patri, & Filio æqualis. *Tres sunt qui testificantur in cælo: Pater, sermo, & spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.* Spiritus sanctus igitur idē est cum Patre &
Mat 28. 19. Filio verus deus, *Profecti docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filij, & spiritus sancti.* Hoc testimonio docemur. 1. *Nos etiam in spiritus sancti nomen, fidem, cultum, & religionem baptizari.* 2. *Etiam spiritum sanctum esse autorem baptismi & ministerii.* Sic & in ipsū creditur. Quod in ipsum committitur peccatum non remittitur. Nos ipsius templum sumus. 5. *Quæ in veteri Testamento de Deo vel Iehoua dicta sunt, accommodantur in Nouo Testamento ad spiritum sanctum. Ob. Missus non est æqualis mittenti: spiritus sanctus mittitur, eumque mittunt Pater & Filius. Ergo Patri & filio spiritus sanctus non est æqualis. Resp.* Negatur maior, quia missus potest esse æqualis mittenti. Nam & Christus à Patre missus æqualis est Patri. Hæc missio non denotat imperium seruile Ob. 2. Qui accipit ab alio is non est ei æqualis qui dat: *spiritus sanctus accipit à Patre & Filio: Ergo vtrique non est æqualis. Resp.* 1. Ad maiorem: Qui accipit ab alio partem, non totum. 2. Qui accipit in tempore seu successiuè. 3. Ad minorem: accepit quoad ordinationē & missionem ad nos vt nos doceat immediatè. Sed hæc missio æqualitatem confirmat, quia est opus diuinum: & destinatio ad docendum non imminuit æqualitatem.

4. *Esse spiritum sanctum vnum & eundem cum Patre & Filio verum Deum*, probatur his argumentis. 1. *Quia est patris & Filii spiritus.* At Essentia Dei multiplicari nō potest sicut nec alia creari, nec diuidi: eandē igitur illam

illam Spiritui ſancto communicatam eſſe oportet, & quidem totam, quæ eſt Eſſentia Patris & Filii, à quo vtroq; ſpiritus ſanctus procedit, vtpote Spiritus Dei in Deo, & ex Deo. 2. *Verus Deus non eſt niſi vnus*: Spiritus ſanctus eſt verus Deus: Ergo ſpiritus ſanctus eſt vnus ille & idem cum Patre & Filio verus Deus, vtrique conſubſtantialis. 3. Vnus tantùm eſt Iehoua, hoc eſt vna eſſentia Diuina, vnum τὸ ὄν vnus denique eſſentialiter, qui ſolus à nemine ſit, ipſe verò omnib. ſuum eſſe cõmunicet & conſeruet. Spiritus ſanctus eſt Iehoua. Ergo eſt vnus & idem cum Patre & Filio Deus, vtriq; conſubſtantialis. *Ob. virtus Patris eſt ipſe Pater. ſpiritus S eſt virtus Patris. ergo, &c. Reſ.* Sunt 4. termini. virtus in maiore ſumitur pro potentia patris: in minore pro perſona per quam pater exerit ſuã potentiã.

Ob. 2. Qui eſt ab alio non eſt ei conſubſtantialis vel non eſt idem cũ eo à quo eſt. ſp. ſanctus eſt à Patre & Filio. Ergo &c. Reſ. Minor valet in creaturis. 2. Eſt ambiguitas in termino, eſſe ab aliquo. Qui eſt ab alio, ſcilicet non eandẽ vel totam Eſſentiam habens: tantùm ſequitur eum non eſſe eandem perſonam. Ergo per inuerſionem reſpondendum eſt, imò quia eſt ex Patre & à Patre, eſt conſubſtantialis.

3. *Quodnam ſpiritus ſancti ſit officium.*

Spiritus ſ. officium eſt ſanctificatio. Hoc nomine ſanctificationis omnia ipſius beneficia comprehenduntur, quorum hæc poni capita poſſunt. 1. *Docere atq; illuminare. Hinc appellatur doctor veritatis. Item, ſp. ſapientiæ, gaudij, fidei, timoris, fortitudinis. ſp. ſ. quem mittet vobis Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæ dixi vobis. ſpiritus ille veritatis deducet vos in omnem veritatẽ.* atq; ipſe docuit Apoſt. in Pentecoſte, rudes antè de morte Chriſti & eius regno. Infudit iiſdem cognitionem linguarum miraculoſam, & impleuit teſtimoniũ Ioelis. 2. *Regenerare.* 1. fidem ac conuerſionem efficere. *Niſi quis fuerit genitus ex aqua, & ſp. non poteſt introire in regnum Dei. Ego quidem baptizo vos aqua ad reſipiſcentiã: is*

Mat. 3. 11.
Ioan. 3. 5.

verò

verò qui ponè me venit, ipse vos baptizabit S. sancto & igni. Hic Baptismus, qui fit à Christo per Spiritum sanctũ, est ipsa renouatio, eaq; per externum baptismum Ioannis, aliorumque ministrorum significata. 3. *Coniungere nos cum Christo ac Deo*, omniumque beneficiorum
1. Cor. 6. 11. Christi nos facere participes. *Sed abſoluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini Iesu, & per*
1. Cor. 12. 3. 4. *spiritum Dei nostri. Nemo potest dicere Christum Dominum nisi per spiritum sanctum. Discrimina autem donorum sunt, sed idem spiritus.* Et paulò pòst. *Per vnum spiritum nos*
1. Cor. 6. 18. *omnes in vnum spiritum baptizati sumus. An ignoratis corpus vestrum esse Templum spiritus sancti qui est in vobis, quẽ*
Rom. 8. 14. Act. 2. 4. *habetis à Deo? Sic igitur spiritus Christi in vobis est.* Ergo ipsi per Spiritum suum copulamur. 4. *Regere. Quotquot spiritu Dei ducuntur, ij sunt Filij Dei. Cœperunt q; loqui aliis linguis, prout spiritus ille dabat iis eloqui.* Est autem *regi à spiritu sancto*, institui consilio in actionibus vitæ, & vocationis, & flecti ad sequẽdum recta, & ad faciendum officia dilectionis erga Deum, & erga proximum. 5. *Consolari.* Consolatur Apostolos in afflictionibus. Apostoli primò fugientes ex metu Iudæorum, nunc erecti solatio Spiritus Sancti prodeunt in publicũ, ac lætantur quum est patiendum propter Euangelii confessio-
Ioan. 14. 16. nem. *Alium Consolatorem dabit vobis.* 6. *Cõfirmare.* Apostolos reddit animosos, qui priùs fuerant timidi, ac multis dubitationib. inuoluti. Ostendit hęc collatio in cõcione Petri in Pẽtecoste, & in oratione cuntium in E-
Luc. 24. 21. Ioan. 16. 22. maus, qui inquiunt: *Nos autem sperabamus eum esse qui redempturus esset Israel. Gaudiũ vestrũ nemo tollet à vobis.*

Hæ sunt officii Spiritus S. partes præcipuæ, ad quas omnia dona S. sancti referri possunt: tum piis propria, tum communia etiam reprobis. Omnia illa dona hac diuisione breuiter licebit comprehendere. *Dona S. sancti sunt vel communia pijs & impijs, vel propria pijs. Quæ communia sunt pijs & impijs, dantur vel certis hominibus ac temporibus, vel omnibus temporibus, & omnibus membris Ecclesiæ. Quę certis hominibus ac temporibus dantur, sunt hæc:*

donum

donum miraculorum,linguarum,oracula,fides miraculorum,eaque neceſſaria erant Apoſtolis primitiuæ Eccleſiæ,cùm primò ſpargendum eſſet Euangelium. *Quæ omnibus temporibus, & omnibus Eccleſiæ membris dantur*, ſunt hæc:dona linguarum,ſcientiæ,donum interpretationis:Ea ſemper Eccleſię ſunt neceſſaria, & pertinent ad miniſterij conſeruationem,ac dantur etiam nunc ſingulis Eccleſiæ membris ad menſuram donationis Chriſti pro neceſſitate vocationis membrorum. *Dona Spiritus Sancti piis propria*, ſunt illa,fides iuſtificans,inuocatio,dilectio,& alia dona ſalutaria.

Ob. Multi extra Eccleſiam calluerunt linguas & ſcientias:linguæ igitur,& ſcientiæ non ſunt dona S. S. Reſp. Extra Eccleſiam linguæ & ſcientiæ ſunt dona Spiritus Sancti,ſed ex actione Dei generali,quæ eſt ſine vera eius agnitione.In Eccleſia verò linguæ & ſcientiæ ſunt dona Spiritus Sancti,cum vera Dei agnitione.

Porrò *omnia illa dona* (vt diximus) *commodè referuntur ad ſex illas officij S. S. partes præcipuas antè enumeratas: vt notitia linguarum ac ſcientiarum ad docendi officium: Donum autem ipſum miraculoſum linguarum partim ad officium regendi* (regebat enim S. ſanctus illorum linguas) *partim ad docendi & confirmandi officium.* Sic & *donum prophetiæ atq; interpretationis ad officiũ docendi pertinet.* Docet enim tum animos intus illuminando, tum foris inſtruendo per verbum. *Inſtitutio quidem Sacramentorũ pertinet ad officium docendi, ſed inprimis ad officium confirmandi. Fides & conuerſio ad officium regenerandi & coniungendi nos cum Chriſto pertinent. Quòd ſit Spiritus precum nos inſtruens ad precandum, pertinet ad officium regendi.* Pari ratione &reliqua dona ad certas officij Spiritus ſancti partes referri poterunt.

Illius autem officij ſui reſpectu, ſpiritus ſanctus varia habet in Scripturis elogia. Hinc enim vocatur 1. *Spiritus Adoptionis*,quia nos certos facit de Paterna dei erga nos benouolentia,& nobis eſt teſtis gratuitę bonitatis,ac miſericordiæ, qua nos Pater cõplectitur

in Filio vnigenito. Ideo *per hunc spiritum clamamus*
Rom.8.15 *Abba, Pater, 2. Arrhabo & sigillū hæreditatis nostræ*, quia, nos certos reddit de salute nostra. *Qui nos confirmat*
2.Cor.1.22. *vobiscum in Christum, & qui vnxit nos, Deus est, qui etiam*
Eph.1.13. & 14. *obsignauit nos, & dedit arrhabonem Spiritus in cordibus nostris: In quo etiam Euangelio postquam credidistis, obsignati estis Spiritu illo promissionis sancto, qui est arrhabo hæreditatis nostræ. 3. Vita*, quia nos viuificat: vel (vt Apostolus ait) *Spiritus vitæ*, qui scilicet veterem hominē mortificat, nouum viuificat. *Lex spiritus vitæ, quæ est in Chri-*
Rom.8.2. *sto Iesu, liberauit me a lege peccati & mortis. 4. Aqua*, quo nos refrigerat penè mortuos in peccatis, & fœcūdat nos vt feramus fructum. 5. *Ignis*, quia assiduè concupiscentias & vitia in nobis exurit, atque excoquit, & nostra corda amore Dei, atque proximi incendit. 6.
Psa.45.9. *Fons*, quo ad nos manant omnes diuitiæ cœlestes ab
Heb.1.9. ipso. 7. *Spiritus precationis*. 8. *Oleum lætitiæ. Propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. 9. Paracletus*, quia fidem in nobis efficit, & purificat con-
Rom.8.26. scientias, & ita nos consolatur, vt in afflictionibus gloriemur. 10. *Intercessor*, quia *ipse spiritus intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. 11. Deniq; vocatur *spiritus veritatis, sapientiæ, gaudij, lætitiæ, fidei, timoris dei, fortitudinis, &c.*

Ob. Dictum est suprà S. sanctum esse arrhabonem hæreditatis nostræ: atqui Saul & Iudas habuerunt S. sanctum, nec tamen hæreditatem obtinuerunt, sed reprobati sunt: Ergo S. sanctus non est arrhabo hæreditatis nostræ. Resp. Saul & Iudas habuerunt S.S. quòd ad aliqua dona S.S. Sed non habuerunt Spiritum adoptionis. *Inst. Atqui est idem spiritus. Resp.* Idem quidem spiritus est, sed non eadem efficit in omnibus. Nam adoptionem & conuersionem in solis Electis efficit.

Ob. 2. Istæ officij partes antea enumeratæ non sunt S. sancti propriæ, sed & Patris & Filij. Ergo non rectè Spiritui sancto propriæ assignantur. Resp. Sunt etiam Patris, & Filij, sed mediatè per Spiritum sanctum. Huius autem sunt immedi-

immediatè. *Inst. Sed eadem ratione etiam tanquam propria officia spiritui sancto videntur tribuenda, Conseruatio rerum, artium inuentio, & similia. Nam etiam illa agit Pater, & Filius per spiritum sanctum: iuxta dictum, Spiritus Domini repleuit terras.* Sapien. 1. 7. *Resp.* Vt ptoprium opus assignetur spiritui S. non tantùm illud immediatè ab eo fieri debet, sed etiam ita vt agnoscatur. Ibi propriè operatur S.S. vbi sanctificatur: cùm & inde *sanctus* dicatur.

4. *A quo detur spiritus sanctus, & quare.*

Datur à Patre & Filio, atq; etiam per Filium à Patre, non per Patrem. Pater enim spiritum sanctum à nullo alio dat, quàm à seipso, vt qui à nullo alio existit, quam à seipso, nec agit ab vllo alio, quàm à seipso: Filius autem dat Sp. S. à Patre, à quo & ipse agit & existit. A Patre eum dari confirmant hæc testimonia. *Denuntiauit iis, vt expectarent promissam Patris. Effundam ex spiritu meo in quamuis carnem. Ego rogabo Patrem & alium Consolatorem dabit vobis*: & paulò pòst, *Pater mittet eum in nomine meo.* Act. 1. 4. Act. 2. 17. Ioan. 14. 16. & 26. A Filio dari spiritum sanctum probant hæc testimonia, *Spiritum illum veritatis ego mittam vobis à Patre. Sin autem profectus fuero mittam illum ad vos. Dextera Dei exaltatus, & promissum spiritum sanctum adeptus à Patre, effudit hoc quod vos nunc spectatis & auditis.* Ioan. 15. 26. Ioan. 16. 7. Act. 2. 33. Igitur & Filius enim dat, sed hoc ordine, vt Filius illum mittat à Patre: ex quo firmũ argu. colligitur pro Deitate Christi. Quis enim dat spiritum Dei, & quis in eum ius habet, nisi Deus? Nam & humana Christi natura tantùm abest vt ius habeat mittendi S. sanctum vt contrà spiritus sanctus ipsam sanctificarit.

Dare autem S sanctum sic intelligendum est, quòd Pater sit efficax per illum, idque quia spiritus sanctus vult hoc, præcedente voluntate Patris, efficere. Notetur *operationis ordo, qui hîc seruatur in agendo.* Præcedit voluntas Patris, sequitur Filij, & S. S. voluntas. Dat autem nobis S.S. non alia de causa, quàm ex gratuita Electione, propter intercessionem Filij. *Qui benedixit nobis omni benedictione spirituali in cœlis in Christo:*

sicut nos elegit in ipso, antequam iacerentur fundamenta mundi.

Ephes. 3. *Ego rogabo Patrem, & alium consolatorem dabit vobis.*

Ioan. 4. 16. Filius nobis illum dat, aut per filium ille nobis datur, quia ipse merito suo nobis acquisiuit, vt nobis daretur.

5. *Quibus detur Spiritus Sanctus.*

Ioan. 14. 17. *Electis tantùm spiritus sanctificationis datur. Mundus eum non potest recipere, quia non videt eum, nec nouit eũ. Vel datur Spiritus Sanctus toti Ecclesiæ vocatorum, videlicet & Electis, & hypocritis:* & quidem nõ aliter datur iis nisi volẽtibus, & petentibus: ac deinde perseuerantib. augetur. *Electis* autem *datur non* tantum quòd ad cognitionem doctrinę, sed etiam quòd ad regenerationẽ, fidem, & conuersionem: quia præterquàm quòd in iis accendit ipse veritatis ac voluntatis diuinę notitiam, eos etiam regenerat, veraque fide, & conuersione donat. *Hypocritis* verò S. S. *datur* tantùm quòd ad cognitionem doctrinæ, quæ quidem iis non est salutaris, quemadmodum Electis. His enim sic datur Spiritus sanctus vt dona sua in ipsis efficiat ad ipsorum salutem, atque ex iisdem donis communicatis ipsi spiritum in se habitantem possint cognoscere.

Hinc apparet *quid cognitio linguarum, scientiarum, & similia dona Ethnicis collata differant ab iis quæ conferuntur Ecclesiæ.* Nam qui inter Ethnicos linguarum cognitione & bonarum artium, rerumq; vtilium notitia excelluerunt, habuerunt quidem dona Dei, sed non Spiritum sanctum, quippe quem nulli dicuntur habere, nisi quos ipse sanctificauit, & qui ipsum agnoscunt autorẽ donorum. Notandum hoc loco S. S. *dari, vel visibiliter*, quando scilicet dona sua confert Symbolis adhibitis: vel inuisibiliter, quando dona sua confert sine Symbolis. *Visibiliter* datus est Apostolis, & aliis in prima Ecclesia. *Visæ sunt iis dispertitæ linguæ instar ignis, qui etiam sedit super vnumquemque illorum.* Act. 2. 3 *Illapsus est spiritus sanctus super omnes, qui audiebant hunc sermonem.* Act. 10. 44 Atque hæ, & aliæ locutiones ita sunt explicandæ, quòd symbolum

bolum accipiat nomen rei: idcoq; de re dicatur, quod ſymbolo competit: quia nimirum ſymbolo ſpiritus ſanctus præſentiam atque efficaciam ſuam teſtatur. Sic & Ioannes *vidit ſpiritum ſanctum deſcendentem ſuper Chriſtum corporea ſpecie tanquam columbam*, vidit nempe ſpeciem columbæ, ſub qua Deus ſpiritus ſui præſentiam demonſtrabat. Non igitur motus localis cogitetur in deo: ſed præſentia & operatio, quã exercet in Eccleſiam Nam Spiritus Sanctus vbiq; diffuſus eſt cælumq; & terram implet: proinde *dicitur dari, mitti, effundi*, quando efficaci præſentia ſua in Eccleſiæ mẽbris dona ſua creat, excitat, & paulatim perficit.

6. *Quomodo ſpiritus ſanctus detur, & accipiatur.*

Datur ordinaria via per miniſteriũ verbi & vſum ſacramentorum: & quidem primò patefaciendo ſeſe nobis per Euangelicę doctrinę ſtudium & meditationẽ. Agnitus enim vult ſe nobis communicare, ac dum ſe nobis cognoſcendũ præbet etiam corda noſtra renouat & reformat. Sic operatus eſt in Electis per concionem Petri die Pentecoſtes. Similiter operatus eſt in Cornelio & reliquis qui aderant, eodem loquente Petro. *Ita tamen operatur per verbum & ſacramenta, vt hiſce mediis non ſit alligatus.* Nã Paulum in itinere conuertit: Ioannẽ donis ſuis inſtruxit cùm adhuc eſſet in vtero. *Efficiendo in electis deſiderium ſui, Petentib. enim datur.* Hinc ſumitur argumentum efficax pro Deitate Sp. S. Per miniſteriũ enim operari efficaciter eſt ſolius dei. *Neque is qui plantat eſt aliquid, neque is, qui rigat, ſed Deus qui dat incrementum. Ego quidem baptizo vos aqua ad reſipiſcentiam, is verò qui poſt me venit, vos baptizabit* S. S. *& igni. Euangelium eſt potentia Dei, quia ſpiritus ſanctus eſt per illud efficax. vnde etiam miniſterium ſpiritus dicitur Euangelium.* Accipitur autem ſpiritus ſanctus fide. *In quo etiam poſtquam credidiſtis obſignati eſtis ſpiritu illo promiſſionis ſancto. Mundus non poteſt ſpiritum illum veritatis recipere, quia non videt eum, nec nouit eum.*

Luc. 3. 22
Act. 2. 37.
Act. 10. 44.
Act. 9. 6.
Luc. 1. 15. & 4. 41.
Luc. 11. 13.
1. Cor. 3. 7.
Mat. 3. 11
Rom. 1. 16
2. Cor. 3. 8
Eph. 1. 17
Ioan. 14. 17

Eph.2.8. 1.Cor.12.3. *Obiect. Atqui fides est donum, & fructus spiritus sancti. Gratia estis seruati, idque non ex vobis, donum Dei est. Nemo potest dicere Iesum Dominum, nisi per Spiritum.* S. Resp. 1. Actio spiritus natura est fide prior, simul autem tempore: quia fidei initium est acceptio spiritus S. 2. Fide inchoata magis, magisque accipitur Sp. S. qui reliqua deinde per fidem in nobis operatur. Iuxta illud. Gal.5.6. *Fides est per charitatem efficax.* Item, Act.15.9. *fide purificantur corda.*

7. *Quomodo retineatur spiritus sanctus.*

RETINETUR 1. *Meditatione doctrinæ, & studio in ea proficiendi. Qui in Lege Domini meditabitur die & nocte, erit velut arbor plantata secus riuos aquarum, quæ fructum suum suo reddit tempore.* Psa.1.2. Col.3.16. *Sermo Christi inhabitet in vobis cum omni sapientia, docendo, commonefaciendo vos mutuò.* 2. *Incremento & continuatione pœnitentiæ,* hoc est, Mat.13.12. Apoc.22.11. Eph.4.30. studio cauendi lapsus contra conscientiam. *Habenti dabitur. Iustus iustificetur magis. Ne tristitia afficite Spiritum illum sanctum Dei, per quem obsignati estis in die Redemptionis.* Huc potest referri studium vitandi prava commercia & peccata. Peccatum enim vitare qui vult vitet occasionem peccandi. 3. *Assidua & seria petitione vel inuocatione.* Luc.11.13. *Quantò magis Pater vester cœlestis dabit Sp. sanctum iis, qui ab eo petierint?* Idem videre est Eph.6.14. in Christiana panoplia, quam Apostolus describit. Similiter & exemplo Dauidis id confirmatur, qui orat Psal.51.12 *ne Dominus auferat ab ipso spiritum sanctum.* 4. *Dona Dei conferendo ad vsuram,* hoc est, ad ipsius gloriam, & ad proximi salutem Luc.22.32. *Et tu conuersus confirma fratres.* Math.25.29 *Habenti dabitur: à non habente etiam quod habet auferetur.* Mar.4.25.

8. *An, & quomodo spiritus sanctus amittatur.*

AMITTI potest *ab hypocritis, & reprobis. Ab electis non quidem totaliter amittitur, sed quòd ad multa dona* quia semper aliqua dona retinent. Nec etiam finaliter amittitur ab electis, quia tandem redeunt ad pœnitentiam. A reprobis autem prorsus vel totaliter amittitur

mittitur, & finaliter, ita vt eum nunquam recipiant. *Obiect. Atqui spiritus sanctus recessit à Saule, potest igitur & ab Electis recedere. Resp.* Recessit à Saule, sed non spiritus regenerationis, quia eum nunquam habuit. *Inst. Imò etiam spiritus regenerans discedit, quia Dauid precatur, Redde mihi lætitiam salutis tuæ. Resp.* Amittitur sæpe quòd ad aliqua dona regenerationis, sed non in vniuersum. Fieri enim non potest vt Electi nullas retineant reliquias, cùm non peccent ad mortem. *Homo* (inquit Bernardus) *nunquam in eodem statu manet: aut deficit, aut proficit.* Psalm. 51. 13.

Hoc discrimen tenendum est ad soluendam quæstionem. *Quomodo certa sit nihilominus Electorum perseuerantia, licet amittant Sp. sanctum, quia scilicet finaliter* & totaliter spiritu sancto non destituuntur. *Potest autem S.S. amitti quatuor modis,* & quidem contrariis iis quibus retinetur, 1. *Negligentia doctrinæ*, Nam Paulus Tim. iubet *vt exuscitet donum dei quod in se est*: & quo pacto hoc fiat etiam docet, *attendendo scilicet lectioni, exhortationi, doctrinæ.* 2. *Securitate carnali*, ac proiiciendo nos in scelera contra conscientiam. 3. *Neglectu precum.* 4. *Abusu donorum Sp. sancti*, quando nimirum non conferuntur ad ipsius gloriam, & proximi salutem. *Habenti dabitur: à non habente etiam quod habet auferetur.* 2. Tim. 1. 6. 1. Tim. 4. 13. Luc. 18. 18. & 19. 26.

8. *Quare Spiritus sanctus sit necessarius.*

QVàm sit necessarius, & quibus de causis, ex his dictis luculenter apparet. *Nisi quis fuerit genitus ex aqua & spiritu &c. Caro & sanguis non possunt hæreditatem regni Dei consequi. Non idonei sumus ad cogitandum ex nobis ipsis quippiam boni, velut ex nobis, sed quòd idonei sumus id ex Deo est.* Hinc ita licet concludere. Sine quo non possumus boni quid cogitare, nedum facere, & sine quo nec regenerari, nec agnoscere Deum, nec regni cœlestis hæreditatem consequi possumus, sine eo non possumus seruari. At sine S.S. illa fieri propter naturæ nostræ corruptionem & cæcitatem non possunt. Ioan. 3. 5. 1. Cor. 15. 50. 2. Cor. 3. 5.

Ergo sine Sp. S. fieri non potest, vt seruemur, & per consequens ipse nobis omnino necessarius est ad salutem.

10. *Vnde agnoscatur habitatio spiritus sancti in nobis.*

AGnoscimus eum nos habere, *ex effectis, vel beneficiis ipsius in nobis*, videlicet ex vera Dei agnitione, regeneratione, fide, & inchoatione nouæ obedientiæ, seu promptitudine ad obediendum deo. *Iustificati fide pacem habemus cum deo. Dilectio dei effusa est in cordib.* Rom. 5. 1. *nostris.* Item ex testimonio, *quod ipse dat spiritui nostro nos esse filios Dei.* Insuper certissima testimonia sunt & indicia spiritus sancti in nobis habitantis, Consolatio in media morte, lætitia in afflictionibus, propositum perseuerandi in fide, gemitus, & preces ardentes, syncera professio Christianismi. *Nemo potest dicere Iesum* 1. Cor. 12. 3. *Dominum, nisi per* S. S. Breuiter, ex fide & pœnitentia habitationem S. S. in nobis agnoscimus.

DE ECCLESIA.

QVæstiones obseruandæ.

1. *Quid sit Ecclesia.*
2. *Quotuplex illa sit.*
3. *Quæ sint eius notæ.*
4. *Quare dicatur sancta, & Catholica.*
5. *Quod sit discrimen inter Ecclesiam & Politiam.*
6. *Vnde sit discrimen Ecclesiæ à reliquo genere humano.*
7. *An possit aliquis extra Ecclesiam seruari.*

1. *Quid sit.*

QVando quæritur, *Quid sit Ecclesia*, præsupponitur esse Ecclesiam, ita vt quærere *an sit Ecclesia* non sit necesse. Quòd attinet ad *nomen Ecclesiæ* dicebatur

batur apud Athenienses nomen Ecclesiæ: ab ἐκκαλεῖν *euocare*, cœtus ciuium voce præconis de reliqua turba quasi nominatim & per centurias euocatus ad concionem, vel ad audiendum senatus sententiam. Atq; hoc modo *differt Ecclesia à Synagoga*. Notat enim Synagoga qualemcunque congregationem, etiam quæ sit communis, & inordinata: at *Ecclesia* ordinatum cœtum denotat, eumq; certa de causa conuocatum. Hinc Apostoli nomen Ecclesiæ transtulerunt ad suum institutum, propter similitudinem. *Est* enim *Ecclesia cœtus Dei, nec fortuitò confluens, nec inordinatus: sed voce Domini & præconio verbi, hoc est, Euangelij ministris euocatus è regno Satanæ, ad audiendum, vel amplectendum Dei verbum*. Hunc cœtum vocatorum à Deo ad Euangelij cognitionem & Latina recepta voce Græca vocant *Ecclesiam*. Sed necesse erit, vt quid sit Ecclesia definiamus paulò plenius. *Ecclesia Dei est cœtus hominum ab æterno electus à Deo ad vitam æternam, quæ inde ab initio mundi ad finem vsq; colligitur à Filio Dei ex toto genere humano per S.S. & verbum, consentiens in vera fide, & quem Filius Dei tuetur, conseruat, ac tandem glorificat gloria, & vita æterna*. Hoc modo definitur vera Dei Ecclesia, de qua propriè agit Symbolum: *Obiect. 1. Qui sunt in Ecclesia non pereunt, vt fert definitio. Multi hypocritæ sunt in Ecclesia: Ergo aut hypocritæ non peribunt, aut falsum est quòd qui sunt in Ecclesia non pereunt. Resp.* Ad Maiorem, Qui sunt in Ecclesia inuisibili non pereunt: & de hac est nostra definitio. Minor loquitur de visibili, in qua sunt multi hypocritæ. *Ob. 2. Vbi non est inuisibilis Ecclesia, ibi nec visibilis. In Papatu non fuit inuisibilis Ecclesia. Ergo nec visibilis. Resp.* Nego Minorem: quia etiam ibi fuerunt reliquiæ, id est semper admixti fuerunt illis fæcibus nonnulli retinentes fundamentum, alij puriùs, alij minus purè. In summa, Ecclesia fuit oppressa.

Rom. 8. 30. Joan. 5. 37. & 10. 16. 27. 28. & 17. 2. 1. Cor. 1. 13. & 3. 11.

2. *Quotuplex sit Ecclesia.*

Ecclesia est aut vera, aut falsa. Falsa impropriè dicitur Ecclesia, & est cœtus arrogans sibi titulum Ecclesiæ

Ecclesiæ Christianæ: at eam non sequens, sed persequens. *Vera* est aut *visibilis*, aut *invisibilis*. *Visibilis* est cœtus in genere humano, amplectens, atq; profitens veram, atque incorruptam doctrinam Legis & Euangelij, & rectè sacramentis vtens iuxta institutionem ac profitens obedientiem erga doctrinam: in quo cœtu multi sunt non renati, vel hypocritæ, consentientes tamen doctrinæ: in quo etiam filius Dei est efficax ad regenerandos virtute sui spiritus aliquos in vitam æternam. Huc pertinent parabolæ *de semine & de zizaniis*. *Invisibilis* est cœtus Electorum ad vitam æternam, in quibus noua vita à S. sancto hîc inchoatur, & post hanc vitam perficitur. Qui sunt in hac invisibili Ecclesia nunquam pereunt, neque vlli in ea sunt Hypocritæ, sed soli Electi, de quibus dicitur. *Oues meæ nemo rapiet è manibus meis.*

Ioan. 10.28.

Porrò *vtraque pars Ecclesiæ veræ*, scilicet visibilis & invisibilis, est vel *vniuersalis, vel particularis*. *Ecclesia visibilis vniuersalis*, est cœtus omnium professentium doctrinam, vbicunque locorum etiam sint. *Visibilis Ecclesia particularis*, est etiam cœtus professentium doctrinam, sed in certo loco. *Visibilis est vniuersalis*, quòd ad professionem vnius fidei in Christum, vniusq; doctrinæ & cultus. *Est autem particularis* quòd ad cohabitationem, & diuersitatem rituum. *Sic & invisibilis Ecclesia est vniuersalis*, quatenus omnes Electi, vbicunque locorum sint, & quocunque tempore vixerint, vnam habent fidem: *rursum particularis est*, quatenus in hoc vel illo loco eandem habent fidem. Omnes autem particulares Eccl. sunt partes vniuersalis & quidem visibiles vniuersalis Ecclesiæ invisibilis. Atque *de hac invisibili Ecclesia vniuersali* agit propriè Articulus Symboli nostri: *De sancta Eccl. catholica.* Nam præterquam quòd vniuersalis illa invisibilis est Catholica, eo titulo insignitur quòd sit *sancta*. Deinde in hac est vera communio sanctorum cum Christo, & membris omnibus: *Invisibilis autem dicitur* non quòd homines

sint

sint inuisibiles: sed quia fides & pietas est inuisibilis, non agnoscitur nisi ab iis in quib. inest: & verè pios ab hypocritis in ea non possumus certò dignoscere. *Partes huius Eccl. inuisibilis vniuersalis* constitui non ineptè possunt, *Eccl. militans, ac Triumphans. Militans* est in hoc mundo aduersus Diabolum, mundum, & carnem nostram, sub vexillo Christi pugnans. *Triumphans*, quæ & nunc cum beatis Angelis triumphat in cœlo, & post Resurrectionem plenum triumphum aget. Etsi verò militans Eccl. sit inuisibilis illa vniuersalis adhuc in terra pugnans: tamen est, & latet in Eccl. visibili. Ac proinde idē ferè discrimen est inter vniuersalem Eccl. visibilē, ac hanc militantē, quod inter totū & partem.

Obiect. Si totum est visibile, etiam pars est visibilis. Resp. Pars etiam illa est visibilis, quòd ad homines Electos, vel quatenus sunt homines, & quatenus profitentur doctrinam visibilis Ecclesiæ: *sed non est visibilis*, quòd ad hominum pietatem, seu fidem, vel quòd ad fidem & pœnitentiam in hominibus. *Hanc inuisibilem Eccl. hîc in terris militantem esse partem visibilis Ecclesiæ*, vel ex hoc loco Pauli constat, *Quos Dominus elegit hos vocauit. Vocatio* autem, qua nos Dominus vocat, *est duplex, interna & externa. Internam* Paulus *secundùm propositum seruandi factam* dicit, & vtrâque vocantur Electi: hypocritæ tantùm vocantur *externa*. Huius autem *vocationis externæ respectu, visibilis Ecclesia dicitur, & Ecclesia vocatorum*, in qua scilicet sunt & hypocritæ. *Inuisibilis* verò nominatur *Electorum cœtus aut Ecclesia*. Rom. 8. 30.

Est & alia quædam Ecclesiæ diuisio, videlicet *Ecclesia veteris Testamenti & noui. Ecclesia veteris Testamenti* est cœtus amplectens doctrinam Mosis & Prophetarum, & professionem edens se velle amplecti in Iudęa, ceremonias Mosaicas, & eas seruare: & tum in Iudæa tum extra Iudæam amplecti res significatas per illas ceremonias, id est, credens in Messiam exhibendum. *Ecclesia Noui Testamenti* non habet hæc discrimina: quia omnes credunt in Messiam exhibitum Est

autem

autem cœtus amplectens doctrinam Euangelij, vtens Sacramentis à Iesu Christo institutis, & in eum exhibitum verum Messiam credens.

3. *Quæ sint Ecclesiæ signa, vel notæ.*

NOtæ veræ Ecclesiæ sunt, 1. *Professio veræ, incorruptæ & rectè intellectæ doctrinæ Legis, & Euangelij*: doctrinæ scilicet Prophetarum & Apostolorum. Concurrunt quidem sæpe errores, sed constat nihilominus hæc nota si fundamentum seruetur, licet super hoc extruantur stipulæ: modò tamen eiusmodi errores vel stipulæ non defendantur. 2. *Rectus & legitimus vsus Sacramentorum.* 3. *Professio obedientiæ erga doctrinam, seu ministerium.*

Obiect. 1. *In multis Ecclesiis veram doctrinam profitentibus hæc tertia nota non cernitur: igitur illæ non sunt Ecclesiæ. Resp.* Multi sunt in iis qui reuera præstant, & præstare conantur obedientiam. 2. Omnes obediunt professione agnoscentes quòd non debeant defendi peccata. *Ac necesse est addi tertiam hanc notam*: quia ludibrio Deum haberent, qui dicerent se recipere hanc doctrinam Christi & tamen nollent viuere secundùm eam. *Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomi-*
Mat. 28. 19. *ne Patris, Filij, & Spiritus sancti: docentes eos seruare omnia, quæ mandaui vobis.* Hisce Christi verbis omnes illæ tres Ecclesiæ notæ continentur.

Obiect. 2. *Sed quæ omnes schismatici & hæretici sibi arrogant, ea non sunt notæ veræ Ecclesiæ. Hæc sibi arrogant omnes. Ergo &c. Resp.* Nego Maiorem. Non an sibi arrogent, sed an habeant videndum est. Sic etiam sequeretur etiam bona cœlestia propria veræ Ecclesiæ illorum esse, quòd ea sibi arrogent.

Obiect. 3. *Sine quo non potest Ecclesia subsistere, id est eius nota. Sed sine ordinaria episcoporum successione non potest subsistere. Ergo &c. Resp.* Ordinaria successio in ministerio intelligitur successio ministrorum in eadem vera doctrina & administratione Sacramentorum. Atque si propositio sic intelligatur, vera est: talis enim succes-

sio

sio nihil aliud est, quàm illæ notæ quas posuimus. Sed in cõclusione intelligitur ordinaria successio in eundé locum, siue eandem doctrinam doceant, siue diuersam: Item alligatio Ecclesiæ ad certam vrbem, regionem &c. *Augustinus* contra epistolam Manichæi, cap. 5. narrat quomodo ad fidem Ecclesiæ Catholicæ perductus fuerit. Dicit enim *se obtemperasse Catholicis dicentib. Credite Euang.* & ibi in medium profert vulgatam illam sententiam, *Ego verò Euang. non crederem nisi me Catholicæ Eccle, commoueret auctoritas.* Ex Ecc. igitur testificatione commotus est vt legeret Euang. & crederet doctrinam diuinitus patefactam in illo contineri. Num verò postquam Euan. credidit pollicetur se plus creditum Ecc. quàm Euang. si ipsa aliquid statuat vel proponat quod vel sit contra Euangelium, vel nullo Scripturæ testimonio probari possit? Hoc certè noluit Augustinus: imò alibi dicit *anathema iis qui annuntiant præter quod in Scripturis legalibus, & Euangelicis accepimus. Et in illo ipso loco testatur, se quia Euangelio credat, non posse Manichæo credere, propterea quòd in Euan. nihil legat de Manichæi Apostolatu.* Ergo traditiones deducunt nos ad Scripturam, & ad vocem in Scriptura sonantem nos alligant.

Hic autem obseruetur, quàm candidè agant Pontificii. Vbicunque enim occurrit vocabulum *Traditionis*, illud mox detorquent ad suas traditiones, quæ ex Scriptura probari non possunt. Vt cùm Paulus dicit, *Tradidi vobis quod accepistis:* statim exclamant, *audis traditiones?* Audio, sed mox ibidem lege Paulum scripto explicare quæ sint illæ traditiones. *Tradidi* 1. Cor. 15. 3.
vobis quòd Christus mortuus est pro peccatis nostris, secũdùm Scripturas: quòd sepultus est & resurrexit secundùm scripturas. Audis hic traditiones Pauli duplici modo esse ἐγγράφους. Primò enim, sumptæ sunt ex Scriptura veteris Testamenti: secundò ab ipso Paulo literis consignatæ sunt. Ita, de Cœna Domini Paulus inquit. *Ego accepi à Domino quod & tradidi vobis. Sed illam* 1. Co. 11. 23.

tradi-

traditionem, post Euangelistas ipse etiam scripto comprehendit. Iesuitæ citant dictum Pauli, *Subducite vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundùm traditionem quam accepit à nobis.* Sed mox eodem capite describit quam intelligat traditionem sicut inspicienti manifestum est. Et tamen inde volunt probare multa esse credenda quæ nullo Scripturæ testimonio probari possunt. Eandem impudentiam produnt in alio testimonio ex Luca desumpto: *Tradebãt eis custodienda dogmata quæ ab Apostolis & senioribus Ierosolymitanis decreta fuerant:* cùm paulò antè testetur dogmata illa literis fuisse ab Apostolis consignata.

1. Thes. 3. 6.

Act. 16. 4

Act. 15. 23

Oportet autem superiores notas tenere. 1. *Propter gloriam Dei, vt discernantur hostes à Filiis.* 2. *Propter nostrã salutem, vt possimus veræ Ecclesiæ nos adiungere.* Tria sunt genera hominum. 1. *Qui apertè profitentur & declarant se hostes esse.* 2. *Hypocritæ.* 3. *Cœtus electorum.*

4. *Quare Sancta dicatur Ecclesia, & Catholica.*

Sancta dicitur. 1. *Quia imputatur sanctificatio Christi.* 2. *Quia omnes obedientiæ partes omnia eius membra inchoarunt.*

Catholica dicitur *Ratione locorum*: quia sparsa est per totum mundum. Vna nimirum est Ecclesia omnium locorum, & vitæ graduum, nec est alligata ad certum locum, regnum, certamue successionem. 2. *Ratione temporum:* quia omnium temporum vna tantùm est vera Ecclesia, quæ & vnoquoque tempore sic est Catholica, vt dispersa sit per totum mundum, nec vnquam sit certo alicui loco alligata. *Non dicitur Catholica*, quia multa regna possideat. Nam *Catholica* est applicatio temporis Apostolorum: prius enim angustis terminis Ecclesia circumscripta erat.

Quòd autem *vna sit omnium temporum Ecclesia inde ab initio mundi ad finem vsq;* de eo non est dubium. Nam 1. *semper Ecclesiam fuisse manifestum est. Nec obiici possunt Abrahami tempora, quasi ante ipsius vocationem nullus fuerit veri Dei cultus in ipsius familia, & post vocationem ipse*

ipse fuerit solus. Nam ante vocationem retinuit fundamenta doctrinæ de Deo vero, licet illa fuerint superstitionib. admixtis obscurata. Deinde *Melchisedec* eodẽ tempore vixit, qui *fuit sacerdos Dei altissimi*, ideoque nec post vocationem solus fuit Abrahamus, sed & alii fuerunt præter ipsum veri Dei cultores, quorum nempe Sacerdos fuit Melchisedec. 2. *Manſuram quoque ſemper Eccleſiam* patet ex his testimoniis. *Non recedet verbũ meum abore tuo, nec ab ore seminis tui. Si nox & dies mutabitur, mutabitur etiam pactum meum. Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Præterea Christus fuit semper, & futurus est semper Rex, caput, & sacerdos Ecclesiæ. Proinde nunquam non Ecclesia fuit, & est futura. Atque hinc etiam liquet *Ecclesiam vtriusq; Testamenti esse* vnam & eandem id quod confirmatur ex Articulo sequenti. Nam Christus est Ecclesię sanctificator vtriusque hominibus communis.

Isai. 59.21

Iere. 33.20

Mat. 28.20

Quæstio *de Ecclesiæ autoritate* huc pertinet, quam omitto. In hac tantùm considerabimus hoc loco sententiam, vel dictum illud, *Ecclesia non errat*. Id verum est hoc modo: non errat. 1. *Tota*, etiamsi aliqua membra errent. 2. *vniuersaliter*, licet in aliquibus doctrinæ partibus erret Ecclesia. 3. *Non errat in fundamento*.

5. *Quod sit discrimen inter Ecclesiam, & Politiam.*

ECclesia differt à Politia. 1. *Quia Politię sunt distinctæ, ac regna mundi, variis locis ac temporibus. Ecclesia semper vna est eadem omnibus temporibus, & apud omnes.* 2. *Regna & politiæ mundi multa habent capita, vel vnum quidem caput summum, sed præter illud alia multa inferiora, eaq; in hac terra. Eccle. vnum in cœlo.* 3. *Politia regitur certis legibus ad pacis ac tranquillitatis externæ conservationem sanciris. Ecclesia regitur spiritu sancto ac verbo Dei.* 4. *Politia requirit externam tantùm obedientiam: Ecclesia vtramque requirit, & externam obedientiam, & internam.* 5. *In Politiis est potestas condendi nouas leges positiuas autori-*

autoritate prætoria, quorum violatio conscientias obligat, & meretur pœnas corporales: Ecclesia alligata est ad verbum Dei cui nihil addere vel detrahere licet. 6. Politia habet potentiam corporalem, qua armata est aduersus contumaces: istos enim vi coercere, ac ferro punire potest, & debet: Ecclesia punit denuntiatione iræ Diuinæ ex verbo Dei. 7. In Ecclesia semper sunt aliqui Electi & sancti: in Politia non semper.

6. *Vnde sit discrimen Ecclesiæ à reliquo genere humano.*

CAusa discriminis illius est Electio Dei. *Præteritis ætatib. sinit Deus omnes gentes suis ipsarum viis incedere. Deus cuius vult miseretur, quẽ autẽ vult indurat. Quicquid dat mihi Pater ad me veniet. Quos præscinit, eosdẽ & prædestinauit, vt conformes fiant imagini Filij sui: quos verò prædestinauit, eos etiam vocauit, &c.* Hoc dicto item docemur promissionem gratiæ esse vniuersalem respectu Electorum, seu credentium. *Omnes quidem Deus vult saluos fieri,* idque. 1. *quòd ad amorem salutis. Electi tantùm assequuti sunt salutem omnium. 2. Quod ad inuitationem omnium ad salutem: at reliqui occalluerunt.* Discriminis causa efficiens est Electio Dei volens sibi colligere Ecclesiam in his terris. 2. *Filius est huius consilij exactor mediatus: spiritus sanctus immediatus. 3. Verbum Dei est causa instrumentalis.*

Act. 14. 16. Rom. 9. 18. Ioan. 16. 37. Ro. 8. 29. 30. Rom. 11. 7.

Cognita iam causa discriminis, quodnam discrimen illud sit breuiter videamus. Notandum itaque *tria esse hominum genera plurimùm inter se diuersa. Hominum enim alij etiam professione prorsus alieni sunt ab Ecclesia,* vt qui negant fidem, aut pœnitentiam eoque sunt apertè hostes Eccl. *alij sũt vocati, sed nõ efficaciter: horum omnes hypocritæ: alij denique vocati sunt efficaciter, electi videlicet,* quorum est minima portio, iuxta illud Christi, *Multi sunt vocati, pauci verò Electi.*

Matt. 20. 16.

7. *An possit aliquis extra Ecclesiam seruari.*

NEmo potest saluus fieri extra Ecclesiam: quoscunque Deus eligit ad finem, nempe ad vitam æternam,

eos

eose legit ad media, hoc est ad vocationem internam, & externam. Ob. *Ergo electio non est libera.* Resp. Est libera, quia liberè elegit, & ad finem, & ad media. Postquam autem destinauit ad media, non mutat. Infantes, nati in Ecclesia, sunt etiam de Ecclesia, contra Anabaptistas.

DE PRÆDESTINATIONE.

LOcus hic *de prædestinatione*, seu de electione, & reprobatione, oritur ex co de Eccl. & cum illo coniungitur.

Quæstiones præcipuæ.

1. *An sit prædestinatio.*
2. *Quid sit.*
3. *Quæ sit eius causa.*
4. *Quæ sint eius effecta.*
5. *An sit immutabilis.*
6. *Quatenus illa sit nobis nota.*
7. *An electi semper sint membra Ecclesiæ, & Reprobi nunquam.*
8. *An Electi deficiant ab Ecclesia, & Reprobi semper in Ecclesia maneant.*
9. *Quis sit vsus huius doctrinæ.*

1. *An sit Prædestinatio.*

ESse prædestinationem probant Scripturæ testimonia. *Multi sunt vocati, pauci electi. Non vos elegistis me, &c. Alias oues habeo. Electi secundùm beneplacitum. Populus multus est mihi in hac ciuitate. Elegit nos in ipso. Quos prædestinauit, hos & vocauit.* Ex his & similibus dictis docemur aliquos esse electos, aliquos non, ac proinde esse prædestinationem. Math. 20. 16 Ioan. 15. 16. Ioan. 10. 16. Eph. 1. 5. Act. 18. 10. Eph. 1. 4. Rom. 8. 30

Quando quæritur *an sit prædestinatio*, tum quæritur *an sit aliquod consilium Dei, quod discreuerit saluãdos & reprobandos.* Nonnulli dicunt *Electionem*, cùm eius fit

mentio in scripturis, *sumi pro præstantia, propter quam aliquis dignus sit vt eligatur:* vt electus & egregius equus. Sic etiam *reprobationem* interpretantur sed falsò: est enim æternum Dei consilium.

Rom. 9.22. Mat. 13.11 Iud. 4. Math. 11 25 Ioan. 10.26. Prou. 16.4

Esse reprobationem constat ex variis locis. Paulus ait *Deum exerere iustitiam suam in vasa iræ. Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum: reliquis non. In hoc iudicium iam olim sunt descripti. Abscondisti eam à sapientibus. Non estis ex ouibus meis. Omnia propter seipsum fecit, etiam impium in diem iudicij.*

Ob. 1. *Atqui promissio gratiæ est vniuersalis. Resp. Est vniuersalis,* quo ad credentes, id est, pertinet ad omnes credentes. *Particularis est* respectu omnium hominũ. Aduersarij nostri dicunt *conuersos posse deficere*, id est, labefactare promissionem vniuersalem. Inst. *Atqui dicitur quòd Deus velit omnes saluos fieri. Contrà multi sunt vocati: pauci electi. Cor huius populi pinguefactum est, dicit Dominus, ne conuertantur & sanem eos: & hìc dicitur quòd Deus velit aliquos non seruari. Ergo hæc testimonia pugnant.*

2. Tim. 2. Mat. 20.16. Mat. 13.15. Prou. 1.26.

Resp. 1. Deus vult omnes saluos fieri, 1. *quatenus omnium saluti delectatur:* etsi alibi dicitur *eum lætari pœna impiorum,* non tamen in quantum cruciatus est, sed in quantum est executio iustitiæ. 2. Vult omnes saluos fieri, *quatenus omnes inuitat ad pœnitentiam.* Non vult omnes saluos quoad efficaciam vocationis. *Benefacit omnibus, si fortè palpent & agnoscant. Electi apprehendunt: cæteri indurantur.* Omnibus quidem dicit, Probitas mihi placet: vos eam mihi debetis. Non omnibus dicit, In vobis efficiam: sed solis electis, quia ab æterno ei placuit.

Act. 17.27. Rom. 11.7.

Obiect. 2. *Qui dat æqualibus inæqualia, est acceptor personarum. Resp.* Maior est vera, scilicet, *Si dat æqualibus inæqualia propter causas externas,* id est, quæ non sunt conditio, propter quam dandum vel non dandũ sit æquale præmium vel pœna, id est cùm negligitur causa communis vtriusque & deceditur ad alia quæ non sunt causa, vt diuitiæ, honores, &c. Hic autem Deus

spectat

spectat receptionem huius beneficij, & conuersionē, & eam habentibus dat vitam æternam. 2. Qui dat æqualibus, &c. scilicet *ex obligatione*. Deus autem dat liberrimè, ex mera misericordia & gratia. Nemini est obligatus, quia eramus ipsius hostes: ideò iustissimè poterat omnes excludere. Et si iniustitia caderet in Deum (quod absit) iniustus & acceptor personarum esset aliquid dando. Sed si misericordia motus, cuidā mendico des assem, alteri denariū, non es ideo acceptor personarum. *An non licet mihi* (inquit Christus) *quod volo facere in meis? an oculus tuus malus est, quia ego bonus sum?* Mat. 20. 15. Rom. 11. 35. *Quis prior dedit Domino?*

Obiect. 1. *Iustum est eum qui accipit* λυτρον *sufficiens pro omnibus peccatis, omnes homines in gratiam recipere. Deus lutron accepit sufficiens pro totius mundi peccatis, Ergo, &c. Resp.* ad maiorem: *lutron* sufficiens pro omnib. & applicatum omnib. credentib. Sed hic non fit applicatio ad omnes, quia dicitur. *Non rogo pro mundo. sed pro iis quos dedisti mihi. Inst lutron sufficiens debet applicari omnib. Christi lutron est sufficiens. Ergo, &c.* Maior probatur, *videlicet quia hoc est infinitæ misericordiæ benefacere omnibus, Resp.* Negamus in hoc consistere infinitam misericordiam. Non in numero seruatorum, sed in modo consistit. Porrò non omnibus vult hoc beneficium dare: quia etiam summè sapiens & iustus est. Potest simul exercere misericordiam & iustitiam. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum dederit, vt quisquis credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Qui vero non credit iam condemnatus est, &c,* Ioan. 17. 9. Ioan. 3. 16.

Ob. Qui accipit lutron sufficiens pro omnibus, & non omnes seruat, est iniustus, quia plus æquo accipit. Deus, &c. Resp. Est iniustus, *nisi ipse det lutron.* Deus autem dedit: ideo de suo accepit, non de nostro. 2. *Sufficientia non obligat ad recipiendos omnes, sed applicatio.* Non autem obligauit se quòd omnib. velit *lutron* illud applicare. *Ob. 3. Qui suæ gloriæ causa aliquos affligit, est iniustus Deus &c. Resp.* Nego maiorem vniuersaliter sumptam.

De creaturis enim vera est: *de Deo, non valet.* Quia deus est summum bonum: summi autem boni maxima habenda est ratio. Summum bonum verò, id est, gloria Dei, requirebat vt non tantùm misericordia, sed etiam iustitia patefieret. 2. *Iniustus est qui affligit aliquos, scilicet sine ipsorum culpa.* Sed Deus suæ gloriæ causa finit aliquos perire, dum ipsi volentes pereunt & labuntur. 3. *Deus nulli obligatus est ad seruandum* sicut nec ad creandum erat. *Sinit homines labi in peccatum:* sed 1. *Volentes.* 2. *Non obligatus ad seruandum.* 3. *Suæ gloriæ maiorem rationem habere debuit quàm hominum salutis.*

Ob. 6. *Qui destinat ad finem, destinat etiam ad media per quæ venitur ad finem: Deus destinat aliquos ad finem, id est damnationem: Ergo etiam ad media, id est peccata. Quod autem peccata sint media sic probatur: Medium est id sine quo ad finem peruenire non possumus.* Resp. Duplicia sunt media. Alia quæ antecedunt quocunque modo finem, id est, quib. vtitur is qui ad finem tẽdit, & quorum auxilio assequitur & perficit finem quem intendit. Alia sũt media quæ quidem accedunt ad finem, sed non effecta ab eo qui intendit. Ea potest is quidem admittere, sed non sequitur eum velle. Respondeo igitur ad Maiorem. Qui vult finem vult etiam media quæ ipse efficit, & per quæ operatur ad consequendum finem quem intendit: non autem omnia, alioquin plus esset in conclusione, quàm in præmissis. Nec etiam ea vult quæ permittit, id est, non prohibet quo minus fiant, quamuis seruet si non impediant ipsius finem.

Ob. 7. *Qui omnes seruat, & interim aliquos tantùm vult seruare, simulat: Deus &c. Resp.* Nego consequens. Ex puris particularibus nihil sequitur. Vel est fallacia non causæ vt causæ. Ad Maiorem, non facit vt illudat: vel, vt omnes reddat inexcusabiles, vel inuitet ad pœnitentiam. Si maiorem intelligis vniuersaliter, negãda est: quia potest esse alia causa: & si ita sumatur, sic distinguenda est, Qui vocat omnes, & interim tantùm aliquos seruare vult, vt hominib. illudat, aut eos fallat,

is simulat: si indefinitè, vel si animo nolendi efficere vt obtemperent eos vocat. Sed deus nunquam promisit quòd hoc in omnibus efficere velit. Igitur non est contradictio in his propositionibus: Omnes debent facere: &, Ego in aliquibus efficiam: quia non sunt iidem termini.

Obiect. 8. Quorum salus pendet ab arcano consilio Dei, ij non possunt habere consolationem. Salus nostra pendet ab arcano Dei consilio. Ergo, &c. Resp. Consolationem habere nequimus scilicet ante patefactionem: Sed arcanum illud consilium nobis aperitur per Filium & S.S. item ex effectis. *Iustificati fide, pacem habemus. Obsignauit nos, dedit q; arrhabonem Spiritus in cordibus nostris. Deus qui nos ad hoc ipsum condidit, etiam dedit nobis arrhabonem S. sancti. Ipse spiritus testatur vnà cum spiritu nostro, nos esse Filios Dei. Ex hoc cognoscimus nos in eo habitare, & ipsum in nobis, quia de spiritu suo dedit nobis.* Rom. 5. 1 2. Cor. 1, 22. & 5. 5. Ephe. 1, 14 Rom. 8. 16 1. Ioan. 3 24. & 4. 13.

Obiect. 9. Quod frustrà sit, nemo debet suscipere. Sed reprobi frustra agunt pœnitentiam: quia impossibile est eos seruari. Resp. Si constat ipsis quòd sint reprobi. Deus autem neminem vult hoc statuere. 2. Est contradictio, reprobum esse & agere pœnitentiam: quia si pœnitentiam agerent, iam non essent reprobi. Igitur non est periculum ab hoc absurdo.

Ob. 10. Periculum quod non est non necesse est cauere. Sed electis non est periculum damnationis. Resp. Ad Maiorem. Si scilicet nullum periculum futurum sit, siue caueatur siue non. Sed electis, scilicet cauentibus, non est periculum: at omnes electi cauent & qui non cauent non sunt electi. Nam á quibus Deus auertet hoc periculum, in iis etiam efficit vt caueãt, *Quos elegit, hos & iustificauit.* Perperam agunt, qui consolationẽ accipere cogitant sine studio bonæ conscientiæ. *Inst. Sed si cauent, sunt incerti. Resp.* Non quia stimulum habent ad proficiendum & perseuerandum. Est implicatio contradictionis, Esse certum & non habere studium pœnitendi: quasi dicas sum certus de prẽmio, ideo nolo Rom. 8. 30.

currere: præmium enim non datur nisi currenti. Termini conuertibiles sunt, Esse certum de salute, & habere studium conuersionis.

2. *Quid sit Prædestinatio.*

Prædestinatio differt à prouidentia, sicut species à genere. Nam prouidentia est consilium Dei æternum de omnibus creaturis: *Prædestinatio* autem de hominibus & Angelis saluandis. *Est* itaque *prædestinatio, consilium Dei æternum, iustissimum, & immutabile de creandis hominibus, de permittendo eorum lapsu in peccatum & mortem æternam, de mittendo Filio in carnem vt fiat victima, deque conuertendis aliquib. per verbũ, & S. S propter mediatorem, iis seruandis in vera fide, & conuersione, ac de reliquis in peccato, & morte æterna relinquendis, iisq; suscitandis ad iudicium, & abiiciendis in æternas pœnas.* Hic agitur de hominib. saluandis, & non saluandis: igitur & iis tantùm, non angelis, hæc definito prædestinationis competit.

Prædestinationis partes sunt electio, ac Reprobatio. Electio est æternum, immutabile gratuitum, ab iustissimum Dei decretum, quo aliquos decreuit ad Christum conuertere, conseruare in fide, & pœnitentia, ac per ipsũ donare vitæ æterna. Reprobatio est tale dei decretum, quo decreuit aliquos pro iustissimo suo iudicio in peccatis relinquere, punire cæcitate, & damnatione, atque participes Christi non factos in æternum damnare. Electionem similiter, & reprobationem esse decretum Dei probant hæc & similia dicta. *Scio quos elegerim. Nobis data est gratia ab æterno. Cuius vult miseretur.* Consilio igitur facta est Electio, ac Reprobatio, ac proinde vtraque est decretum atque adeo æternum: quia in Deo nihil est noui, sed omnia ab æterno: & manifestè Scriptura dicit, Deum ab æterno nos elegisse, seu ante iacta mundi fundamenta, quia verè nos elegit: ergo cæteros reiecit. Id quod & eligendi verbum demonstrat. Nam quod eligitur, id aliis repudiatis eligitur. Gratuita est hęc electio, id est, non respectu alicuius boni in nobis præuisi. *Cuius vult miseretur*: id est Gratis dat quod dat. *Non vos me elegistis.*

Ioan. 13. 18
2. Tim. 1. 8
Rom. 9. 15
Eph. 1. 4.
Rom. 9. 15.
Ioan. 15. 16.

3. Qui

3. *Quæ sint causæ Prædestinationis, vel Electionis & Reprobationis.*

Causa efficiens & impulsiua, est beneplacitum Dei. *Etiam Pater quia ita placuit tibi.* In nobis Deus nihil quicquam præuidit cuius gratia nos eligeret. nihil enim potest esse boni in nobis, tanquam à nobis. Nam siquid boni in nobis reperiatur, id ipse totum in nobis efficit: nihil autem efficit in nobis, quod non decreuerit ab æterno efficere. Proinde solum gratuitum, & liberimum Dei beneplacitum, aut sola Dei misericordia gratuita, est causa efficiens, & impulsiua nostræ Electionis. *Prædestinauit nos deus quos adoptaret in filios per Iesum Christum in seipso, pro beneuolo affectu voluntatis suæ.* Vide præterea Rom. 9. 11. Col. 1. 12. 2. Tim. 1. 9. 13. Similiter & *reprobationis causa efficiens, est liberrimum Dei beneplacitū.* Nam *cùm omnes natura simus filij iræ*, periissemus omnes si peccatum esset causa reprobationis. *Non igitur in hominibus est reprobationis causa*, sed ea est in Deo voluntas illustrandi iustitiam suam. Itaque de Indiuiduis cur hic sit electus, ille reprobatus, nulla alia dari potest ratio, nisi solum Dei beneplacitum. Damnationis autem causa est omnino in hominibus, nempe peccatum. *Finalis causa suprema prædestinationis est gloria dei. Atq; finalis causa vltima Electionis ac propria, est patefactio bonitatis, & misericordiæ Dei in Electis gratuitò seruandis.* Causa finalis proxima nostræ Electionis est nostra iustificatio, dum nos Deus in Filio suo gratis habet pro iustis. Vtramque hanc Electionis causam finalem cōplectitur Apostolus his verbis. *Prædestinauit nos ad laudem gloriosæ suæ gratiæ, qua nos gratis effecit sibi gratos in illo dilecto.* Similiter ex aduerso *Reprobationis causa finalis prima est declaratio iustitiæ, seueritatis, ac odij aduersus peccatum in reprobis.*

Mat. 11. 16.

Eph. 1. 5.

Eph. 1. 6.

Obiect. 1. *Deus præcognouit, Ergo propter opera eligit.* *Resp.* Præcognouit bona quæ statuit in nobis efficere, sicut etiam personas præuouit: alioqui nulla bona opera potuisset præcognoscere. Sic nulla mala

potuisset præuidere, nisi statuisset ea promittere.

Ob. 2. Meritum Christi fide applicatum est causa electionis: Ergo non beneplacitum Dei. Resp. Meritum Christi non est causa electionis, sed inter effecta numeratur.

Ob. 3. Mala opera sunt causa reprobationis: ergo bona opera sunt causa electionis. Resp. Mala opera non sunt causa reprobationis, sed eorum quæ sequuntur reprobationem, id est, damnationis. Bona opera non præcedunt iustificandum, multò minus sunt causa electionis: sed sequuntur iustificatum, & à mera Dei gratia originem & efficaciam perpetuam trahunt.

4. *Quæ sint effecta prædestinationis.*

Electionis effectus est totum opus salutis, & omnes gradus Redemptionis nostræ. 1. *Creatio & collectio Ecclesiæ.* 2. *Missio ac donatio Christi Mediatoris, & eius sacrificium.* 3. *Vocatio efficax ad eius cognitionem*, conuersio scilicet Electorum per spiritum S. & verbum. 4. *Fides, iustificatio, regeneratio.* 5. *Bona opera,* 6. *Perseuerantia finalis.* 7. *Suscitatio ad gloriam.* 8. *Glorificatio & vita æterna. Reprobationis effectus sunt creatio reproborum, priuatio gratiæ diuinæ, excæcatio, induratio, perseuerantia in peccatis, suscitatio ad iudicium, & abiectio in pœnas æternas.*

Ob. Diuersarum causarum, seu contrariarum, sunt contrarij effectus. Electionis effectus sunt bona opera: Ergo mala opera sunt effectus Reprobationis. Resp. Maior non est semper vera de causis voluntariis. Est enim dissimilitudo, quia Deus mala tantùm permittere decreuit, bona verò in nobis efficere. Propria autem causa malorum est Diabolus, & mali homines. *Inst. Atqui Deus indurat & excæcat. Cæcitas est reprobationis effectus: Cæcitas est peccatum: Ergo peccatum est effectus reprobationis. Resp.* Cæcitas est peccatum respectu hominum admittentium eam, & quatenus ab iis ea recipitur & attrahitur suo merito: quatenus verò infligitur à Deo, iusta pœna est: quòd autem ea cæcitate Deus aliquos liberat, est ipsius misericordiæ.

Obiect.

Obiect. Indurationis est effectus reprobationis, & est peccatum: Deus est autor reprobationis: Ergo & indurationis, eoq; & peccati. Resp. Reprobationis effectus est induratio, nimirum sic, vt hæc fiat secundùm eam, non ex ea. Induratio & excæcatio sunt secundùm reprobationem, seu secundùm prædestinationem, quatenus sunt peccata. Sunt autem ex reprobatione vel ex prædestinatione, quatenus sunt iustissimæ.

5. *An Prædestinatio sit immutabilis.*

EST *firma atque immutabilis*, id quod vel ex hac generali ratione patet: quia nimirum Deus est immutabilis & non pendet à vicissitudine rerum: sed hæc potiùs ab ipsius decreto. Quod igitur ab æterno decreuit de saluandis electis, & reprobis damnandis, id immutabiliter decreuit. Ideoque firma atque immutabilis est tum Electio tum Reprobatio. Nam quos ab æterno voluit, ac decreuit saluos fieri, nunc etiam vult & volet semper. Idem sentiendum de Reprobatione. Nec desunt Scripturæ testimonia, quibus ea confirmantur. *Hæc est voluntas Patris, vt ex ijs quos dedisti mihi nullum perdam. Consilium meum stabit. Deus sum, & non mutor. Oues meas nemo rapiet ex manu mea. vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Firmum stat fundamentum, dominus nouit suos.* Fundamentum Paulus vocat decretum de Electis saluandis. 1. *Quia est origo & fons nostræ salutis, etiam ipsius finis omniumq; mediorum ad salutem.* 2. *Propter firmitudinem*, quia nunquam illud concutitur. Hæc scire nos necesse est, vt firmam consolationem habeamus vt possimus credere vitam æternam eoq; omnes alios articulos fidei. Ratio est sæpe repetita, & ideo sæpius meditanda, quia qui negat se de futura gratia esse certum, incertus est etiam de præsente. Nam Deus est immutabilis.

Ioan. 6. 39.
Isai. 46. 10.
Mal. 3. 6.
Ioan. 10. 28.
Ioan. 10. 26.
2. Tim. 2. 19.

6. *Quatenus nobis nota sit Prædestinatio, vel Electio, & Reprobatio.*

NOTA *est in genere*, scilicet quòd aliqui sint Electi, aliqui Reprobi: *non in specie*, an hic vel ille. De nostra Electione

Electione singuli non tantùm in specie possumus, sed etiam debemus esse certi. Et quidem de ea certi erimus à posteriori: nempe ex conuersione, hoc est, ex vera fide & pœnitentia. Nam vt credamus, ac sciamus nos certò ad vitam æternam Electos esse, tenemur credere in Christum, & credere vitam æternam. Hoc autem credere non possumus, nisi habeamus veram fidem & pœnitentiam. Atqui vt hanc vtramque singuli debent habere: sic etiam singuli certò tenere debent, se esse ex Electorum numero. Alioquin Deum arguent mendacij. *Gloriamur sub spe gloriæ Dei.* Christus est intercessor efficiens vt in æternum seruemur. *Credo vitam æternam*, id est, non spiritualem tantùm, sed æternam, quam hic inchoatam effero mecum ex hac vita. Neque tantùm in specie singulis nota est sua Electio ex fide, & conuersione, sed & notum est in genere esse aliquos Electos. Atque in genere non tantùm sperare, sed & certò credere debes, esse videlicet & alios præter te Electos. Teneris enim credere articulum de Eccles. quòd ea fuerit omnibus temporibus, & iam sit. Tu solus autem non es Ecclesia, ideoq; non dicendum cum Elia, *solus sum relictus*. Indiuidua verò discernere tuum non est. Interim de Electione aliorũ, etiam quòd ad ipsa indiuidua, benè est sperandum. In genere est tota Electio de omnibus: in specie diuersa est ratio de seipso & de aliis

Rom. 5. 2.

Rom. 8. 9.

De reprobatione nec sua, nec alterius certi quid quispiam statuere debet, ante finem vitæ, quia qui nondũ est conuersus, potest adhuc conuerti. De aliis igitur nemo statuere debet quòd sint reprobi, sed de iis benè sperare: de se verò quisque certò debet credere se esse Electum. Nam habemus mandatum vniuersale.

7. *An Electi semper sint membra Ecclesiæ, & Reprobi nunquam.*

Electi non semper sunt membra Ecclesiæ, sed tum demũ quando conuertuntur, & regenerantur per Sp. S. Dicitur enim, *Quicunq; Spiritum Christi non habet, non est eius.*

Item

Item *Ecclesia dicitur sancta*: Sed tum demum Electi fiunt sancti cùm couertuntur. Nam expresse Paulus inquit, *Tales eratis & vos quondam, sed abluti estis*. Item, *Transtulit nos in regnum Filij sui*. Alij autem in Ecclesia nascũtur, manent & moriuntur: alij non nascuntur in ea, sed vocantur, aut statim aut serò, ad visibilem Ecclesiam: alij ad visibilem & inuisibilem, vt latro in cruce. Quidam in Ecclesia nascuntur & recedunt ab ea. *Alias oues habeo*, inquit Christus. Item, *est mihi populus multus in hac ciuitate*: scilicet, electione. Sic reprobi non semper sunt alieni ab Eccl. sed aliquando fiunt membra visibilis Ecclesiæ. *Ex nobis egressi sunt. Ex vobis egredientur lupi graues.*

1. Cor. 6. 11. Col. 1. 13. Isai. 10. 16. Act. 18. 10. 1. Ioan. 2. 19. Act. 20. 29.

Ob. Termini conuertibiles sunt, Saluandi, Electi, Credentes: nam omnes credentes sunt electi, & saluandi. omnes etiam qui sunt saluandi & electi credunt. Resp. Sunt termini conuertibiles, sed adhibita certa limitatione: omnes verè credentes & omnes saluandi sunt Electi, sed semper & omni tempore: At omnes Electi sunt credentes & saluandi, non tamen semper: sed aliâs electi sunt saluandi, aliâs credentes, aliâs salui. Hactenus ergo tantùm termini sunt conuertibiles, vt omnes Electi credant, vel credituri sint ante finem vitæ. Iam enim gratiæ tempus est: tunc erit iudicij tempus.

Obiectio. Christus nihilominus Oues vocat nondum conuersos ex gentibus. Habeo (inquit) alias oues, quæ non sunt ex hac caula, id est, ex hac Ecclesiæ parte ex Iudæis colligenda. Videntur igitur illæ oues aliæ esse ex ouili vniuersali. Responsio. Oues etiam tunc erant cura & consilio Dei: non autem oues erant quòd ad impletionem decreti: hoc est, erant oues prædestinatione. In summa, Electi non semper sunt membra Ecclesiæ: sed tamen necesse est eos adhuc in hac vita adduci ad Ecclesiam, etiamsi illud accidat in ipso mortis articulo. Hoc est, quod dicitur, oportere omnes electos in hac vita inchoare vitam æternam. Reprobi membra quidem sunt aliquando Ecclesiæ visibilis, & ab ea non semper

sunt

sunt alieni: sed nunquam verè accedunt ad Ecclesiam & nunquam sunt membra inuisibilis Ecclesiæ, id est, Ecclesiæ sanctorum: nam ab hac sunt semper alieni.

8. *An Electi deficiant ab Ecclesia, & Reprobi semper in Ecclesia maneant.*

HÆc quæstio patet ex iis, quæ de immutabilitate Electionis & perseuerantia sanctorum dicuntur. *Electi quando semel verè accesserunt ad Ecclesiam sanctorum deficere quidem ab ea interdum possunt: sed nunquam discedunt ab ea totaliter & finaliter: totaliter*, quia nunquam sic deficiunt, vt fiant hostes Dei & Ecclesiæ. *Non finaliter*, quia non perseuerant in ista Apostasia, sed tandē redeunt ad pœnitentiam. *Ex nobis egressi sunt sed non erant è nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum. Calamum quassatum non confringet & linum fumigans non extinguet. Oues meas nemo rapiet è manu mea.* Reprobi omnes & hypocritæ tandem finaliter ab Ecclesia discedunt, & cum donis quæ habebant, amittunt etiam dona quæ videbantur habere.

1. Ioan. 2. 19
Isai. 42. 3.
Ioan. 10. 28.

Ob. Etiam sancti sæpe deficiunt, vt Dauid, Petrus. Resp. Deficiunt, sed non totaliter, nec finaliter, vt Petrus: nam retinebat in animo amorem Christi, etsi metu periculi eum negabat: agnoscebat etiam postea delictum suum, & verè resipiscebat. Dauid etiam non defecit totaliter, sed à Domino per Prophetam correptus, verè resipuit & fidem non extinctam sed ad tempus sopitam fuisse ostendit. At hypocritæ, & reprobi tandem totaliter, ac finaliter deficiunt nam sic ad extremum deficiunt, vt nunquam redeant ad pœnitentiam: & qnia nunquam in iis fuit verus amor Dei, ac proinde isti nunquam fuerunt ex numero Electorum sanctorum, tandem ab Ecclesia prorsus etiam discedent.

9. *Quis sit vsus huius doctrinæ.*

VSus est. 1. *vt in solidum Deo tribuatur gloria salutis nostræ. Quid habes quod non accepisti?* 2. *vt firmam ac certam*

certam consolationem habeamus. Hanc habebimus vbi de 1.Cor.4.7.
iis, quæ hic docentur, non dubitauerimus : & maximè si certò vnusquisque nostrùm statuat immutabile penitus esse decretum Dei de seruandis Electis : necnon se vnum esse ex Electorum numero, vnum scilicet inuisibilis Ecclesiæ membrum, eoque se nunquam discessurum à Sanctorum Ecclesia : quippe quæ sanctificatur à Deo, ac proinde sancta est, ac Deo conformus, non quidem perfectione, sed sancta primùm imputatione, propter imputatam ipsi sanctitatem Christi. Deinde & inchoatione, quum Spiritus Sanctus eam paulatim renouat, ac sordibus peccatorum repurgat : ac postremò sancta, quia vsui sacro atque diuino dedicata est, & segregata ab impiis qui sunt extra Ecclesiam. *Credere* igitur *sanctam Ecclesiam*, est credere in hoc cœtu visibili esse aliquos verè conuersos, & me esse viuum inuisibilis & visibilis Ecclesiæ membrum.

DE COMMVNIONE *Sanctorum.*

SEquentes Articuli sunt de beneficiis Christi in Ecclesiam per Spiritum sanctum collatis.

Communio sanctorum significat. 1. *Vnionem Ecclesiæ cum Christo, & membrorum eius inter se.* 2. *Communionem, seu participationem omnium Christi beneficiorum.* Eadem enim est omnibus sanctis reconciliatio, redemptio, iustitia, salus, sanctificatio, per, & propter Christum. Eadem habent communia omnes sancti beneficia, quæ ad salutem necessaria sunt. *Vnum est corpus & vnus spiritus, sicut & vocati estis in spem vnam vocationis vestræ :* vnus Dominus, vna fides, *vnum baptisma.* 3. *Distributionem donorum Specialium* Hæc dona particularia sunt quidem etiam toti Ecclesiæ communia, vt quæ conferuntur membris Ec- Eph.4.4. & 5.

Eccleſiæ in ſalutem totius corporis: nimirum *ad coagmentationem ſanct. ad opus miniſterii, ad ædificationem inquam corporis Chriſti:* verùm ita diſtribuuntur ſingulis membris, vt alii aliis in Eccleſia donis antecellant. Eph.4.12. Eph.4.7. Nam varia ſunt dona Spiritus ſancti, & *vnicuique noſtrûm data eſt gratia pro menſura doni Chriſti.* 4. *Obligatione membrorum omnium*, vt conferant omnia ſua dona ad gloriam capitis ſui Chriſti, & Dei, atque ad ſalutem corporis totius, & quorumlibet inter ſe membrorum.

Fideles dicuntur *Sancti* tripliciter. 1. *Impetratiuè, nimirum imputatione* ſanctitatis Chriſti. 2. *Inchoatiuè*, id eſt, inchoatione conformitatis cum Lege. 3. *Segregatione ab omnib. aliis hominib.* Ex his apparet quid ſit credere *communionem ſanct.* nempe credere Sanctos (in quorum numero & me eſſe certò ſtatuam neceſſe eſt) ipſi capiti Chriſto per Spi. ipſius vniri, ex capite in eos transfundi dona, tum quæ eadem ſingulis ad ſalutem neceſſaria ſunt, tum quæ varia, ac diuerſa ſingulis data requiruntur ad ædificationem Eccleſiæ.

Iam paulò copioſius explicanda eſt prima, ac *precipua pars communionis ſanctorum*, Illa *eſt vnio, ſeu copulatio omniũ ſanctorũ*, hoc eſt totius corporis Eccleſiæ cum Chriſto capite, & membrorum eius inter ſe, quæ fit per Spi. ſanctum. nempe per eundem ſpiritum qui in Chriſto capite, & in ſingulis membris habitat. Atq; hac vnione Chriſtus ſanctos facit ſibi conformes per eundem Spiritum vtriſque communem, & ſimilia in vtriſque operantem, ſeruato tamen operandi diſcrimine: operatur enim in capite omnia, eaq; perfectiſſimè: in membris operatur ea quæ ſingulis competunt, & tantum quantum ſingulis eſt neceſſarium. Vnionem illam Chriſti cum membris ſuis, & membrorum inter ſe confirmant, & explicant hæc dicta. *Ego ſum vitis, vos palmites. Is qui manet in me, & in quo ego maneo, hic feret fructum multum.* Per *vnum Spiritum nos omnes in vnum corpus baptizati ſumus. Qui agglutinatur Domino vnus Spiritus eſt. Per hoc cognoſcimus, nos in eo habi-*

Ioan.15.5. 1.Cor.12.13 2.Cor.6.17. 1.Ioan.4.13.

habitare, & ipsum in nobis, quòd de Spiritu suo dedit nobis. Hic liquet quàm absurdum sit istorum commentum, qui contendunt communionem hanc esse subsistentiam corporis Christi inter nostra corpora, vel nostrorum inter ipsius corpus. Refutat idem sæpe repetita capitis, & membrorum comparatio. Cohærent enim illa, non mixtim subsistunt. Vnde & facilè iudicatur *de communione in sacramentis*. Nam Sacramenta non aliud obsignant, quàm verbum promittit. Sed hoc omisso idem inde quoque refutatur, quòd comunionem illam oportet continuari perpetuò. Ad hoc enim se nobis Christus cũmunicat, vt in nobis habitet. proinde talis est communio, quasi mansio At mansio Christi est perpetua: Ergo & communio. Firmissimum est hoc argumentum, & in eius solutionem excogitata est Vbiquitas. Nam vt alia illa communio obtineatur, affirmandum erit Christum perpetuò corporaliter in omnibus sanctis mansurum.

DE REMISSIONE *Peccatorum*.



Væstiones præcipuæ.

1. *Quid sit Remissio peccatorum.*
2. *A quo fiat.*
3. *Propter quid.*
4. *An congruat cum iustitia Dei.*
5. *An sit gratuita.*
6. *Quibus detur.*
7. *Quomodo detur.*

1. *Quid sit remissio peccatorum.*

REmissio pec. *est propositum Dei non puniẽdi fidelium peccata, perinde ac si nunquam peccassent*, quod propositũ non

Rom. 5. 5. non puniendi peccata Deus etiam simul nobis declarat. *Nam charitas Dei effusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis. Definiri potest & sic. Remissio peccatorum est condonatio pœnæ promeritæ, & largitio, atque imputatio iustitiæ alienæ, nempe Christi. Definietur autem plenius hoc modo. Remissio peccatorum est voluntas Dei: qua credentibus, ac electis non imputat vllum peccatum & propterea perinde eos diligit, ac si nunquam peccassent, eosq; liberat ab omnibus pœnis peccati, ac donat iis vitam æternam gratis, propter intercessionem, & meritum Iesu Christi Filij Dei Mediatoris nostri.* Etsi verò Deus propter meritum Filii sui peccata nobis remittit: nos tamen adhuc affligit in hac vita, non quidem vt nos puniat sed vt nos paternè castiget, & quia nos Deus non punit propter peccata nostra: non ideò cogitandum est ea ipsi non displicere: nam & sanctissimorum peccata ipsi valde displicent.

2. *A quo fiat remissio peccatorum.*

Isa. 43. 25. Marc. 1. 4. Luc. 5. 24. Act. 5. 9. Ephe. 4. 30. R*Emissio peccatorum fit à solo Deo, qui* (vt inquit Propheta) *delet iniquitates nostras:* & quidem à Patre, Filio, & S. S. Nam in trium nomen baptizamur. *Baptismus* autem, vt & de Ioannis Baptismo dicitur, fit in *remissionem peccatorum*, ac de Filio manifestè dicit Scriptura: *Filium hominis habere potestatem remittendi peccata.* Similiter de S. sancto dicitur *quòd tentatus fuerit quòd offendatur & contristetur.* Proinde & ipse peccata potest remittere. Nullus enim peccata remittere potest, nisi in quem peccatur, & qui in peccatis offenditur. Ac

Matt. 12. 31. Marc. 3. 28. Luc. 12. 10. disertis etiam verbis de peccato in S. sanctum Christus apud Euangelistas loquitur. Causa *autem quòd à solo Deo*, à solo nempe Patre, Filio, & S. S. *peccata remittantur*, hæc est, *quia nemo nisi pars offensa potest remittere peccata*: at solus Deus, Pater, Filius, & S. sanctus peccatis nostris offenditur. Ergo solus Deus ea potest remittere, & per consequens de hoc iure Dei nulla creatura potest quicquam largiri. Vnde etiam Dauid ait.

Psal. 51. 5. *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci.*

Ob.

Obiect. Atqui etiam Apostoli & Ecclesia remittunt peccata, quia dicitur, Quæcunque ligaueritis in terra, erunt ligata in cælo, quæcunque solueritis in terra, erunt soluta in cœlo. Si quorũ remiseritis peccata, remittuntur iis, si quorum retinueritis, retenta sunt. Ergo non solus deus remittit peccata. Mat. 18. 18 Ioan. 20. 23. *Resp.* Apostoli remittunt peccata, quatenus internuntij sunt remissionis diuinæ. Similiter & Ecclesia remittit peccata, quum ex mandato Dei pœnitentiam agentibus peccatorum remissionem denuntiat. Item proximo proximus peccata remittit, quod ad condemnationem offensæ. Solus autem Deus liberat nos à reatu peccati sua authoritate solius Deus nos abluit à peccatis. Deus denique solus omnia peccata nobis remittit, nimirum originalia, & actualia, omissionis, & ignorantiæ. *Qui sanat omnes infirmitates tuas.* Psa. 103. 3 *Nulla est condemnatio iis, qui sunt in Iesu Christo.* Rom. 8. 1.

3. *Propter quid fiat Remissio peccatorum.*

FIt *peccatorum Remissio*, non certè ex lenitate quæ pugnet cũ iustitia, sed *ex gratuita Dei misericordia*, ex mera gratia, ac gratuito Dei amore propter intercessionem, ac meritum Christi fide applicatum. *Christus semel pro peccatis passus est, iustus pro iniustis, vt nos ad Deum adduceret. Sanguis Christi purgat nos ab omni peccato* 1 Pet. 1. 18. 1. Ioan. 12. 7. *Quoniam in Christo placuit Patri vt omnis plenitudo inhabitaret: & pace per sanguinem crucis eius facta, per eum reconciliare omnia sibi. Accessistis ad Noui Testamenti Mediatorem Iesum, & sanguinem aspersionis præstantiora loquentem, quàm loqueretur sanguis Abel. In Christo habemus redemptionem per sanguinem ipsius: remissionem* (inquam) *peccatorum, ex diuite ipsius gratia.* Col. 1. 19. 20 Hebr. 12. 24 Ephe. 1. 7. Deprecatio enim absque satisfactione fieri non potest: quia id esset rogare, vt Deus de iustitia sua aliquid concederet.

4. *An remissio peccatorum congruat cum iustitia Dei.*

VErum quidem est Dei, vtpote iustissimi Iudicis, esse, non relinquere peccatum impunitum, eoq;

illud ipsum nulla satisfactione interueniente non remittere. Sed nec illud relinquit impunitum Deus: punit enim peccata in Christo, vel in ipsis peccantibus sufficientissimè. Pronuntiat nos Deus ita iustos, vt nos non puniendos pronuntiet propter satisfactionem Christi perfectissimam,& hoc non pugnat cum iustitia,& veritate Dei.

Obiect. Iustitia Dei postulat, vt qui peccant puniantur. Ergo peccatorum remissio, quæ sit sine sufficienti pœna peccantis,est impossibilis,vel pugnat cum iustitia dei.Resp. Pugnat cum iustitia Dei peccatum non punire, scilicet simpliciter,id est, nec in peccante illud punire, nec in alio qui pro peccante pœnam subeat. *Inst.Innocentem punire loco nocentis etiam pugnat cum iustitia Dei.Resp.* Innocentem, 1. *qui nolit subire pœnam.* 2. *Qui non sit eiusdem naturæ cum nocente.* 3. *Qui non possit pœnam sufficientem persoluere.* 4. *Qui non possit ex ea emergere.* Deus enim non vult innocentem perire pro nocente. 5. *Qui nocentem non possit restaurare,& cõuertere,vt offendere desinat,* eumq; fide donare,quæ suum hoc beneficium amplectatur. Hæ autem conditiones omnes sunt in Christo, vt ex sequentibus testimoniis clarè liquet. *Christus dilexit nos & tradidit seipsum pro nobis oblationem aq victimam Deo,in odorem bonæ fragrantiæ.*

Ephe.5. 2 *Animam meam pono pro ouibus.*
Ioan.10. 15. *Ipse vulneratus est propter in-*
Isai.53.5 *iquitates nostras.*
2.Cor.5.15. *Christus pro omnibus mortuus est vt qui*
Ioan.2. 19. *viuunt posthac nõ sibi viuant sed ei qui pro ipsis mortuus est*
& 10.18. *& resurrexit. Destruite templum hoc & tribus diebus eri-*
Eph.5.26. *gam illud. Ego pono animam meam,vt eam rursus assumam.*
Christus dilexit Ecclesiam,& semetipsum exposuit pro ea,vt
Tit.2. 14. *eam sanctificaret: Dedit semetipsum pro nobis, vt redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi ipsi populum peculiarem,studiosum bonorum operum.*

5. *An remissio peccatorum sit gratuita.*

ETsi peccata nostra nobis Deus non remittit nisi interueniente pœna sufficientissima, remittit tamen gratis, respectu Christi, cui satis magno constiterunt

siterunt nostra debita.

Obiect Si condonat propter satisfactionem Christi: Ergo non gratis Resp. Remittit gratis, respectu nostri, id est, sine nostra satisfactione & condonat propter satisfactionē alienam. *Inst. Et qui hoc pacto condonat, non gratis condonat. Est enim regula, Quod quis per alium facit id per se facere videtur. Nos igitur ipsi soluimus soluendo per Christum. Resp.* Deus etiam nobis dat hoc pretium, scilicet hunc satisfactorem, ac Mediatorem Christum, qui à nobis non emitur. *Ita Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum dederit, vt quisquis credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Idem sunt habere remissionem peccatorum, & esse iustum. Contrà. *Lex non tantùm requirit vt vitemus peccata, sed etiam vt faciamus bona. Ergo non satis est vt peccatum sit condonatum: sed etiam necessaria sunt bona opera vt simus iusti, Resp.* Omissio boni est etiam peccatum. Atqui hoc etiam remissum est. Qui potest facere bonum, & non facit, peccator est & maledictus. Sed Deus non odit nos, nec habet voluntatē puniendi nos propter peccata, pro quib. sufficienter Christus satisfecit, in quo etiam habemus perfectam omnium peccatorum remissionem, ita vt eius vnico merito iusti coram Deo reputemur. Ioan. 3. 16

6. *Quibus detur peccatorum remissio.*

R*Emissio peccatorum datur solis & singulis Electis*, quia datur solis & singulis credentibus nulli autem credunt præterquam soli Electi: nam Reprobi nunquam verè credunt. Non tamen semper omnes Electi habent remissionem peccatorum, sed omnes credentes eam habent semper, quia illi tantùm habent remissionem peccatorum, qui credunt eam se habere. Hoc autem non semper credunt Electi: sed tum demum cùm conuertuntur, ac fide donantur. Semper habent remissionem peccatorum quod ad propositum Dei. Infantes habent fidem & conuersionem potentia & inclinatione, tametsi non actu.

7. *Quomodo detur peccatorum remissio.*

REmissio peccatorum datur per fidem, qua, per S. Sin nobis creata & accensa, nos illam accipimus. Ergo decretum Dei de remittendis peccatis æternum est, sed executio eius fit cũ fide nobis applicamus remiss. peccat. Sic semper suos Electos Deus diligit, sed illa dilectio non effunditur in cordibus ipsorum ante pœnitentiam. Nam illi demum habent certum illud conscientiæ testimonium, ex Sp. S. dono se à Deo diligi, eóque sibi remissa esse peccata, qui verè resipiscunt.

DE RESVRRECTIONE *Carnis.*

QVæstiones præcipuæ.

1. *Quid sit Resurrectio.*
2. *Errores de Resurrectione.*
3. *Vnde constet Resurrectionem certò futuram.*
4. *In quem finem sit futura resurrectio.*
5. *Per quem.*
6. *Quomodo.*
7. *Quando.*
8. *Quænam corpora sint resurrectura.*
9. *An anima sit immortalis.*

1. *Quid sit Resurrectio.*

RESurrectionis nomen, conuersionem aliquando significat. *Resurrectio carnis est restitutio substantiæ corporum nostrorum post mortem ex eadem materia, qua nunc constant, & viuificatio eorundem vita immortali & incorruptili per eandem animam qua nunc viuunt, immortalem futura à Deo per Christum in fine mundi, virtute ac potentia diuina, & quidem electorum ad gloriam Dei æternam, reproborum autem ad æternas pœnas.* Hoc est. 1. *Instauratio corporis eiusdem,* id est, recollectio eiusdem materię quę in omnia elementa dissipata fuerat. 2. *Vnio cum eadem anima*

anima & viuificatio per eam, quam prius etiam habuit.3. Depositio infirmitatum & effectio immortalitis.

2. *Errores de Resurrectione.*

TRiplex est error de resurrectione. *Quidam prorsus eam negarunt & dixerunt animas interire vnà cum corporibus.2. Alij concesserunt quidem animarum immortalitatem, sed interpretati sunt resurrectionem de regeneratione in hac vita: Corpora autem resurgere negarunt, etsi animæ piorum post mortem æterna fœlicitate fruantur.3. Alij,* vt Anabaptistæ, *negant eadem numero corpora quæ nunc habemus resurrectura: sed dicunt Christum in secundo aduentu alia conditurum.*

3. *Vnde constet Resurrectionem certò futuram.*

PRobabiliter quidem colligi potest ex Philosophia futuram aliquando Resurrectionem: sed non potest ex ea demonstrari Resurrectionem esse certò futuram. Nam in Philosophia sunt multa principia, quę cum sacris literis non conueniũt. Deinde in Philosophia cognitio iustitiæ & veritatis Dei est ratio mutila. In sacris literis autem rationes firmæ sunt, ac veræ: ex iis igitur solis certissimè futuram resurrectionem esse demonstratur. Idque primùm scripturæ testimoniis: deinde rationibus ex sacra scrip. desumptis.

Testimonia scripturæ, quæ certitudinem futuræ resurrectionis confirmant, euidentissima sunt, eaque ex Veteri & Nouo Testamento desumpta. *Scio quòd Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra resurrecturus sum, & rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum. Veniet hora, qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem eius, & prodibunt qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem condemnationis. Ego suscitabo illum vltimo illo die. Si resurrectio mortuorum non est, Christus quoq; non est excitatus: quòd si Christus non est excitatus, inanis videlicet est prædicatio nostra: inanis autem etiam fides vestra.* Rationes varię sunt. 1. *Promittit Deus vitam æternam, non tantùm*

Iob. 19, 26
Ioan. 5. 28.
Ioan. 6. 40
1. Cor. 15. 13

animæ, sed & corpori piorum: impiis contrà minatur pœnas & corporis, & animæ æternas: has autem promissiones, & minas Dei oportet impleri. Earum enim certitudo est immutabilis. Atqui non implebuntur, si non resurgent mortui. Quoniam igitur certissimè Deus exequitur suo tempore, quod pijs promisit, & impijs est comminatus, mortui quoque resurgant necesse est. 2. *Misericordia dei perfecta est, vt quæ ad totum hominem extenditur, & quæ nos totos vult saluos fieri: resurgent igitur & corpora nostra.* 3. *Misericordia Dei & Amor erga pios perpetuus est, & immutabilis: ita vt quod semel vult pro paterno suo erga eos amore eis præstare, id semper velit. Vult autẽ pios & animo, & corpore fieri saluos. oportet igitur eos animo, & corpore, totos nimirum saluos fieri:* ac proinde vt toti salui fiant, oportet eos resurgere. 4. *Iustitia Dei perfecta postulat, vt in impijs id totum secundùm quod peccant, æternis pœnis puniatur. Peccant autem toto corpore simul & anima. Igitur & eorum corpora suscitentur necesse est,* quia nõ minus corpore, quàm animo sustinere pœnas æternas debent. 5. *Christus resurrexit: ergo & nos resurgemus.* Cõsequutio hæc firmissima est. Nam. 1. *Christus ideo resurrexit, vt nos posset suscitare.* 2. *Christus est nostrum caput, nos eius membra.* Quoniam ergo Christus caput nostrum resurrexit, etiam nos ipsius membra proculdubio resurgemus. Nam gloria capitis postulat, vt membra habeat sibi conformia. Itaque si membra manerent putrida, caput non esset glorioſum. 3. *Idem Spiritus est in nobis, qui in Christo suscitato: is nos cum Christo coniungit, & vnit: atque eadem in nobis operatur, quæ in Christo, nec non sui semper similis est. At excitauit Christum: Ergo & nos excitabit.* 6. *Christus dicitur habiturus regnum æternum: hoc autem non esset habiturus, si corpora nostra perpetuò manerent in morte: neq; enim sufficeret animas nostras esse immortales, aut æternas.* Nam vt regnum Christi sit æternum, æternos habeat subditos oportet, eosque totos æternos. Igitur & corpora nostra resurgent, vt ita Christo Regi nostro toti simus in æternũ subiecti.

7. *Christus*

7. *Christus est perfectus seruator, quia totum hominem seruauit, ac Deo reconciliauit. Igitur & corruptum corpus per Christum suscitabitur & resurget.* 8. *Christus non est infirmior ad saluandum, quàm Adamus ad perdendum.* Imò Christus totum id quod Adamus peccando perdidit, & quidem longè plura & maiora merito suo nobis restituit. *Amiserat autem nobis Adamus inter cætera dona, etiam corporum vitam æternam. Ergo Christus eam nobis reddidit,* & per consequens haud dubiè resurgemus. 9. *Deus est Deus totius hominis.* Hoc argumentum & Christus vsurpat aduersus Sadducæos. *Non legistis quòd vobis dictum est à Deo, dicente: Ego sum Deus Abraham, Isaac, & Deus Iacob? Deus non est Deus mortuorum, sed viuentium,* atque ita Deus est Deus hominis totius, non partis. Nam si partis, videlicet Animæ tantùm, Deus esset, non esset perfectè noster Deus. Mat. 22. 31. 10. *Post lapsum, homini Legem suam promulgauit. Ergo eam vult aliquando ab homine seruari.* Id autem non fit in hac vita. Ergo in altera fiet, eoque homines resurgent. 11. *Stipendium peccati mors est. Ergo abolito peccato, mors abolebitur, ac proinde abolita morte, nos in vitam æternam resurgemus.* Finis corporum nostrorum etiam est vt in ipsis tanquam templis habitet spiritus sanctus in æternum.

4. *In quem finem sit futura Resurrectio.*

VLtimus finis resurrectionis est gloria Dei. Futura enim est Resurrectio, vt Deus patefaciat, & simul exerceat perfectè tum misericordiam suam erga fideles, tum iustitiam suam erga reprobos: & ita patefaciat ineffabilem certitudinem promissionum suarum. *Finis proximus & subordinatus Resurrectionis, est electorum salus & gloria: atque ex aduerso reproborum pœna.* Nam Electi, siue *sancti resurgent ad vitam æternam. Dabo ei sedere* Apoc. 3. 21. *mecũ in throno meo. Inducntur stolis albis.* Apoc. 7. 13. *Fulgebunt sicut sol,* Dan 12. 3. *&c. Impij verò resurgent, vt trahantur ad pœnas æternas,* Mat. 25. 41. *Maledicti, abite à me in ignem æternum, qui paratus est*

Diabolis & Angelis eius: ibidem, paulò pòst: *& abibunt isti in supplicium æternum, iusti verò in vitam æternam.*

Obiect. Resurrectio Christi est causa resurrectionis nostræ: atque etiam resurrectionis Christi beneficium est nostra resurrectio. Hæc autem causa, atque hoc beneficium non pertinet ad infideles. Igitur isti non resurgent. Resp. Conceditur totum, nempe quòd non resurgent impij propter resurrectionem Christi: non tamen inde consequitur, quòd non debeant resurgere: quia propter aliam causam resurgent, nimirum vt puniantur. Vnus quidem Resurrectionis finis est respectu Dei, nimirum ipsius gloria: sed ad hunc finem diuerso modo peruenitur.

5. *Per quem futura sit Resurrectio.*

Ioan. 5.2.8. PEr *Christum*, virtute nimirum Christi seruatoris nostri resurgemus. *Ego suscitabo eum nouissimo die.* Hoc de corpore est accipiendum. Nam animas non resuscitat, quia eæ non moriuntur. Et quidem Christus homo nos suscitabit, virtute tamen Diuina. *Veniet* Ioan. 5.2.8. *hora, qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij* Act. 17.31. *hominis. Statuit Deus diem quo iustè iudicaturus est orbem terrarum per eum virum, quem definiit, fide palàm facta omnibus, illo à mortuis excitato.* Atque hinc magna oritur consolatio. Quoniam verus homo nos est excitaturus, ipse carnem suam & membra sua nequaquam negliget, sed suscitabit ea, nimirum nos ad vitam æternam, cuius causa carnem nostram assumpsit, & nos redemit.

Obiect. At Pater dicitur suscitare nos, imò ipsum Christum. Ro. 8.11.13. *Is qui excitauit Christum à mortuis viuificabit etiam mortalia corpora vestra, per inhabitantem eius spiritum in vobis. Ergo non per Christum, neque Christi virtute suscitabimur. Resp.* Pater suscitabit nos per Filium mediatè: At Filius immediatè nos suscitabit spiritu suo, vt vnicus Redemptor noster. *E cœlis seruatorem nostrum expectamus Iesum Christum, qui transformabit corpus nostrum humile*

mile, vt conforme fiat corpori suo glorioso, pro efficacitate quæ potest etiam subiicere sibi omnia. At spiritus immediatè per se nos suscitabit.

6. *Quomodo futura sit Resurrectio.*

1. *Mortui excitabuntur cum hortationis clamore, & voce Archangeli ac tuba Dei*: & sistentur omnes coram summo & iustissimo iudice Iesu Christo. Fiet itaque resurrectio glorioſè, & manifestè, non trepidè, nec occultè: & longè alia erit, quàm illa, quæ fiebat in quibusdam Christo resurgente. Fiet enim omnibus videntibus, imò cum maximo gaudio omnium piorum, & summo tremore impiorum. 2. *Qui adhuc viuent in momento temporis immutabuntur, & ex mortalibus fient immortales.* Lege cap. 15. prioris ad Corinthios, & cap. 4. prioris ad Thessalonicenses.

7. *Quando futura sit Resurrectio.*

FVtura est in fine mundi. In nouissimo die. *Ego suscitabo eum vltimo die.* Hæc quæstio tenenda est, & proponenda, ne turbetur nostra fides, dum expectare cogimur: aut ne fingamus nobis certum aliquod tempus, quo ista putemus euentura: atq; ita incipiamus dubitare, & nos derideri putemus, cũ non acciderint illa, tempore à nobis constituto. Hæc item quæstio facit ad augendam in nobis spem & Fidem. Ioan. 6. 44.

8. *Quænam corpora sint resurrectura.*

EAdem hæc resurgent corpora, & non alia à Christo creata, vt Anabaptistæ volunt. Iobus enim dicit. *In hac carne videbo Dominum meum.* Et Apostolus ait. *Quisque recipiet in corpore suo quod fecit.* Si igitur corpora quæ peccarunt, ea recipient, corpora non alia, sed eadem resurgent. Quin & ipsum verbum *Resurgendi* satis hoc euincit: nihil n. potest resurgere, nisi quod cecidit. Quoniam ergo corpora nostra surgent, non alia resurgent & viuificabuntur corpora, quàm quæ cecide-

Iob. 19. 26. Eph. 6. 8.

runt

ceciderunt,& mortua sunt,vel non alia,quàm quæ cadunt & moriuntur.

Ob. Sed Paulus ait, Carnem & sanguinem non posse hereditatem regni Dei consequi. Nostra igitur corpora non possunt regnum Dei possidere, quia caro sunt & sanguis. 1.Cor.15.50 *Resp.* Caro sæpe qualitatem significat aut substantiam respectu certæ qualitatis. Ita Caro, scilicet peccatrix & corruptibilis non possidebit regnum Dei: nostra autem caro tunc non poterit peccare, neque erit corruptibilis.

Ob. 2. Corpora nostra erunt spiritualia. Seminatur corpus animale, excitatur corpus spirituale. Ergo tunc non habebunt corpora nostra proprietates carnis nostræ. 1.Cor.15.44. *Resp.* Erunt spiritualia quidem, sed non habebunt omnes proprietates spiritus, sed quasdam, quia scilicet erunt agilia, robusta, incorrupta, & quidem *ideo dicuntur spiritualia præcipuè*, quòd à spiritu regentur, nec amplius in iis erit animalis vita. Hanc rationem veram esse patet ex his rationibus. 1. Apostolus ipse addit: *hoc corruptioni obnoxium induet incorruptam naturam.* 2. Ait *corpus spirituale*: Spiritus verò non est corpus. 3. *Si vllum corpus post resurrectionem futurum esset spirituale, certè Christi corpus id fuisset*: nunc autem ipse dicit Apostolis, *Contrectate me, & videte: nam spiritus carnem & ossa non habet, prout me conspicitis habere.*

Ob. 3. Quomodo dicimur credere resurrectionem, cum tamen dicamur sperare nos resurrectionem futuram? Luc.24.36. *Resp.* Speramus resurrectionem, quòd ad effectum consilij Dei: credimus eam, quòd ad ipsum Dei consilium & propositum.

9. *An anima sit immortalis.*

PRæterquàm quòd hæc quæstio pertinet ad Articulum de Resurrectione: non erit etiam prorsus inutilis eius explicatio. Non enim *iam tantùm contra immortalitatem animæ disputare incipiunt, sed & eam negarunt Saducæi: item qui dicebant iam factum esse Resurrectionem* Mat.22.23.

tionem credenti, nec aliam esse præter illam spiritualem. Similiter, & *nonnulli Anabaptistæ animarum immortalitatem negant.* Quin & Paulus Tertius, Papa, moriturus dixit *se tandem tria experturum, de quibus in tota vita dubitasset. 1. An esset Deus. 2. An animæ essent immortales. 3. An esset infernus.* Non igitur mirũ videri debet, si hæc quæstio moueatur, nec illa penitus erit superuacanea: tum quia facit ad refutandos imprimis Epicureos: tũ quia facit ad intelligentiam quorundã locorũ sacræ script. 2. Tim. 2. 18.

Sed quia fuerunt atque etiamnum sunt, qui docuerunt *hominis animam perinde vt brutorum, nihil aliud nisi vitam aut vim vitalem ex corporis temperamento & perfectione ortam esse, ac proinde vnà cum corpore interire & extingui,* & (sicut loquuntur ex illis quidam, qui resurrectionem mortuorum credere videri volunt) *corpore moriente dormire,* hoc est, sine motu & sensu esse vsq; ad corporis resuscitationem, quod reuera non est aliud quàm animam mortalem, hoc est, in corpore tantùm qualitatem, dissoluto autem corpore nihil esse, cùm substantia incorporea sine sensu & motu non sit: aduersus eos *de spirituali & immortali animæ humanæ substantia,* vocis diuinæ testimonia tenenda sunt.

Non tantùm formam seu perfectionem, seu temperamentum, seu vim ac potentiam, siue agitationem ex temperamẽto corporis ortam, sed substantiam incorpoream, viuam, intelligentem, in corpore habitantem, illudque sustentantem ac mouentem, esse hominis animam, hæc dicta ostendunt. Ps. 48. *Anima eorum in vita benedicitur.* Heb. 12. Deus nominatur *Pater spirituum.* Et de fidelib. dicitur: *Accessistis ad Ierusalem cœlestem & myriadas angelorum, & spiritus iustorum consecratorum.* 1. Cor. 2. *Nemo nouit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in ipso.* In his & similibus scripturæ locis, & *spiritus* nominatur hominis anima, & substantiæ viuæ atque intelligentis propria illi tribuuntur. Frustra igitur aduersarij opponunt loca, in quibus nomen *animæ pro hominis vita aut voluntate sumitur,* vt Matth cap. 6. *Animæ pluris*

pluris est quàm esca. Iob. 13. *Animam meam porto in manibus meis &c.* Ex dictis enim suprà allegatis manifestum est, hoc non vniuersaliter, ac per metalepsin fieri, qua causæ nomen tribuitur effectui.

Probatur autem animæ immortalitas manifestis sacræ scripturæ testimoniis. 1. *Christus in cruce pendens dixit Latroni, Hodie mecum eris in Paradiso.* At corpore non potuit illic esse, quia illud mortuum ac sepultum fuit: Ergo anima eius cum Christo collecta est in Paradisum, & per consequens anima viuit. 2. Paulus inquit, *Cupio dissolui & esse cum Christo*: loquitur de quiete & lætitia, qua cum Christo fruiturus erat. Sed qui nihil sentiunt, quæ potest istorum esse lætitia, & fœlicitas? Proinde & illi refutantur hoc loco, qui animas dormire dicunt, eoq; simul animarum immortalitatem negant. 3. *Iustorum animæ dicuntur esse in manu Domini.* 4. *Deus non est mortuorum Deus, sed viuentium:* ergo animæ viuunt. 5. *In manus tuas commendo spiritum meum.* 6. *Cùm migramus ex corpore, ad Dominum migramus:* non igitur animæ dormiunt, vt volunt Anabap. nonnulli: sed vita immortali & gloria cœlesti fruuntur apud Dominum. 7. In Apocalypsi, *piorum interfectorum animæ dicuntur clamare sub altari voce magna dicentes, vsque quò Domine, qui sanctus es & verax, non iudicas & vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra?* viuunt igitur animæ. 8. Apud Lucam, *Lazarus dicitur deportatus in sinum Abrahæ*: atque ex eodem loco constat etiam de animabus impiorum. Nam & *Epulo dicitur ex aduerso deportatus in infernum.* Hæc igitur scripturæ testimonia docent, & confirmant euidentissimè non tantùm in corpore ante mortem, & post resuscitationem corporum: sed etiam toto intermedio spatio, & tempore extra corpus existere, viuere, sentire, intelligere animas, etsi nobis operationum illarum modus sit incognitus. Habet igitur etiam immortalitatis donum, similitudinem aliquam cum Deo, qui solus tanquam fons & auctor vitæ vnicus, habet immor-

Luc. 13. 23.

Phil. 2. 23.

Sap. 3. 1.

Mat. 22. 32.

Luc. 23. 46.

2. Cor. 5. 8.

Apoc. 6. 10.

Luc. 16. 22.

immortalitatem.1.Tim.9.

Ac non tantùm anima, ſed etiã corpore immortalem & perpetuò beatam vitam acturum fuiſſe hominem,ſi mortem ſibi peccato nõ accerſiuiſſet, primùm ex eo conſtat, quòd per peccatum introiit mors in mundum tanquam peccati ſtipendium.Ro.5.& 6.Deinde quòd à peccato liberati per Chriſtum, etiam à morte liberamur. Ac denique quòd ipſe Deus homini per peccatum facto morti obnoxio, ſymbolum ſiue ſacramentum immortalitatis, fructum videlicet arboris vitæ ſubtraxit.Gen.3.

Non igitur valent obiectiones eorum, *qui animas poſt mortem dormire ſiue euaneſcere fingunt*. Nam Gen.1. & 1.Cor.15. dicitur *Adam factus in animam viuentem, non ſimpliciter*, vt iſti volunt, *ſicut alia animantia ibidem dicuntur animæ viuentes*, ſed qui ſit factus etiam ad imaginem & ſimilitudinem Dei, quod cum aliis non habet commune.

Gen 2.cùm inquit Deus *quocunq; die comederis de arbore ſcientię boni & mali, morte morieris*: non minatur homini animæ interitum aut extinctionem,ſed mortem æternam,hoc eſt, ſenſum ac terrorem horribilem iræ & iudicij diuini,& deſertum atque abiectum à Deo, omnibus miſeriis ac cruciatib. obnoxium viuere, cuius mortis appendix eſt animæ & corporis temporaria diuulſio, tunc quidem ex Dei miſericordia,vt ſeruaretur genus humanum,dilata. Sic enim eſt mortuus Adamus adhuc viuens in paradiſo iuxta cõminationem diuinam, ſtatim vbi de fructu vetito ederat. Sic viuent in æterna morte omnes damnati, *quorum ignis non extinguetur & vermis non morietur*. Sic Ephe 2. *per peccata dicuntur mortui*, qui in illis abſque conuerſione viuunt.& cap.5.iubetur ſurgere à mortuis,qui reuocatur à peccatis ad Deum:& Paulus Ro. 7.ſe agnitione peccati ſui & iræ Dei mortuum fuiſſe dicit.

Iob 11.Act.7.1.Cor.11.1.Theſ.4. *mortui dicuntur dormire*: ſed per ſynecdochen, quod corporis eſt ad totũ homi-

hominem translato. Nam ad corpus hoc pertinere quod in vitam est reuocandum ex morte, quasi è somno in vigiliam, multa dicta ostendunt: vt Iob 7. *Ecce nunc in puluere dormio*, &c. Non enim anima, sed solum corpus in puluere & sepulchro dormit.

Eccl. 3. 19. Ecclesiastes ait, *Vnus interitus est hominis & iumentorum, & æqua vtrisque conditio*, &c. *Ergo non est animæ immortalitas. Resp.* Est fallacia à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter. 1. *Moriuntur homines vt bruta*, quòd nimirum homines semel cogantur mori, & ex hac vita discedere: quod hominib. hîc non semper sit manendum, nec habeant hîc fixam sedem. 2. *Moriuntur vt bruta*, scilicet sensu & iudicio impiorum.

Beatitudo & regnum pijs promissum, dicitur illis primùm cõtingere in die nouissimo, Mat. 24. 25. Mar. 13. Dan. 12. &c. Sed loca illa non docent, animas piorum, non illico cùm à corporib. discedunt, beatitudine & lætitia cœlesti frui, verũ in die nouissimo resuscitatis corporib. consummandam esse ipsarum fœlicitatem & gloriam. Sic enim oramus, *Adueniat regnum tuum*, cùm tamen etiam nunc regnet in nobis Deus.

Ex eo quod 1. Cor. 15. dicitur, *Si in hac solũ vita*, &c. sic ratiocinantur: *Qui etiam ante resurrectionem beatus est, is non est sine resurrectione miserrimus: At nos sine resurrectione essemus miserrimi omnium hominum. Ergo ante eam non sumus beati.* Sed ad Maiorem respondemus nõ est miserrimus sine resurrectione, qui non solùm ante illam, sed etiam sine illa potest esse beatus: At nos ante eam sic sumus beati vt tamen sine ea sequutura non possimus illa præcedenti beatitudine frui: eò quòd nexu tam inseparabili Deus initium & progressum & perfectionem beatitudinis electorum connunxit, vt nemini possit principium contingere, qui non ad consummationem perueniat. Itaq; aut resurgendum est, aut beatitudine cœlesti etiam ante resurrectionem carendum. Rom. 8. *Si spiritus eius qui excitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis, is qui excitauit Christum*

ex

ex mortuis, viuificabit etiam mortalia corpora vestra. &c.

Heb.11. *Secundùm fidem mortui sunt isti omnes, non adepti promissa, &c. Ergo non acceperunt patriam.* Respondemus primò. Etsi morientes non inueniſſent patriam: tamen non sequeretur ex his verbis, eos non existere aut non sentire post mortem. Qui.n. non est, aut non sentit, is patriam non quærit. Secundò non loquitur auctor epistolæ de vita post mortẽ, quæ in patria cœlesti agitur. 2.Cor.5. sed de hac vita, in qua peregrinantes fideles quærebant patriam cœlestem nõ inuenientes patriam in terris.

Psal. 78. *Caro sunt, ventus vadens & non rediens.* His & similibus dictis breuitas vitæ humanæ & fragilitas atq; interitus omnium rerum humanarum sine Deo, describitur & deploratur. Sicut enim hîc vento statum euanescenti, sic Psalmo 103. pulueri fœno & floribus agrorum conferuntur. Item Iob. 14. *Flos velut vmbra fugiens. Ies.40. Omnis caro fœnum.* At si ipsum verbum in his dictis vrgeant, sequetur non tantùm à morte nihil reliquum, sed ne resurrectionem quidem esse, cùm dicat, *ventus vadens, & non rediens:* & flores item & vmbræ, quibus confertur homo, sic pereant, vt non reparentur.

Psa.88. *Reputatus sum sicut interfecti dormientes in sepulchro, quorum non recordaris amplius, & ipsi à manu tua separati sunt.* His verbis nequaquam docet Propheta, se aut mortuos diuinę prouidentię exemptos esse: sed se desertum esse à Deo queritur, perinde vt mortui ab ipso non curari hominibus videntur. ideoq; non ex fidei, sed ex opinionis & infirmitatis, & miseriæ humanæ sensu loquitur, qui desertos & neglectos à Deo esse iudicat, quorum liberationem aliquantisper differt. Quid autem interea fides dictet, piis etiam cum tentatione luctantibus. Psa.112. docet, cùm ait: *In memoria æterna erit iustus.*

Psal.146. *Egreditur spiritus eius, reuertitur in terram suam, in die illa pereunt cogitationes eius.* Hic non perire

aut

aut euaneſcere, aut mori, aut ſenſu priuari, ſed egredi ſpiritum ſiue animam hominis dicit, de corpore numerum in quo habitat: & reuerti non ſpiritum, ſed hominem in terram, videlicet quoad corpus, quod è terra factum eſt vt Gen. 3. & Eccleſiaſt. 12. ſcriptum eſt. Et *perire cogitationes eius*, quod non eſt animam ratione, iudicio & ſenſu miſericordiæ vel irę Dei poſt hanc vitam priuari, ſed irrita fieri conſilia que in hac vita homo perficere cogitauerat: quo ſenſu dicitur Pſal. 112. *Deſyderium impiorum peribit.*

Colligunt etiam dicta, quæ mortuis Dei celebrationem detrahunt. vt Pſal. 88. *Num mortuis facies miracula &c.* Sed in his dictis mors & infernus dupliciter intelliguntur. Mortui ſpiritualiter ſiue ante, ſiue poſt mortem corporalem, hoc eſt, gratia diuina priuati, & à Deo deſerti atque abiecti, & in inferno exiſtentes, hoc eſt, in loco & ſuppliciis damnatorum, vel etiam in hac vita deſperantes & cõſolatione deſtituti, non laudabunt Deum ſimpliciter, neque in hac, neque in altera vita. Mortui verò non ſpiritualiter: ſed corporaliter tantùm, etſi non laudabunt Deum in hac vita, dum corpora ipſorum in inferno. i. in ſepulchro ſunt: animo tamen eum in altera vita agnoſcere ac celebrare non deſinent, donec receptis corporibus, vtroq; eum celebrent in cęleſti ęternitate. Interea verò, quia Deus etiam in hac vita vult ab hominibus agnoſci ac celebrari, & Eccleſia vniuerſa & ſinguli fideles non modò deſertionem & ſenſum iræ Dei, quo opprimuntur impii, deprecantur, ſed etiam in mortali vita ſeruari ſe & defendi vſq; ad eius conſtitutum ſibi à Deo terminum petunt. Non enim Sancti mortem & ſepulcrum corporale exhorreſcunt & fugiunt ſimpliciter, ſed ne à Deo deſerantur, neue in deſperationem & interitum ruant, aut hoſtes, ipſis proſtratis, Deo inſultent, aſſiduis & ardentibus votis precantur.

Neque cum ipſis facit quod addunt ex Pſalm. 146. *Laudabo Dominum in vita mea: Pſallam Deo quamdiu ero.*

Non

Non enim restringit laudationem dei ad tempus vitę mortalis, sed tantùm id omne se in laudibus diuinis transacturum ait, quas tamen in multis locis in æternitatem continuam extendit, vt Psa.34. *Benedicam Domino omni tempore, &c.* At sæpe significat particula, Donec, siue quamdiu, continuationem temporis præcedentis aliquem euentum sine exclusione temporis sequentis: vt 1.Cor.15. *Oportet eum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedes ipsius.* Donec quid significat.

Iob.10. *Desine à me, & roborabor paululum antequam vadam & non reuertar.* Negat se reuersurum in hanc vitam mortalem & ad conuictum inter homines in hoc mundo, non autem negat, se interea existere & viuere, donec rursus ex carne sua videat Deum idem ille Iobus, qui tunc affligebatur, vt inquit cap.10.

Iob.3. *Quare non ab vtero mortuus sum, &c* Hic etiam nequaquam negat, animas post mortem existere, viuere, & sentiri, sed tantùm dicit præsentis vitæ miserias non sentiri: si vrgent *etiam alterius vitæ mala non sentiri: quia Iob alioqui malam commutationem optaret:* respondemus, Iobum, nõ impiorum, sed piorum mortem optare. Sin addant, *quòd etiam reges & Principes congregantes sibi aurum, paruos & magnos, hoc est, omnes homines, pios & impios, quietis huius faciant participes:* responsio est ex orationis totius contextu: non docere hic Iobum quis sit status hominum post hãc vitam: sed tãtùm præsenti miseria defungi cupere, ac proinde ex infirmitate humana & impatientia, præsentium malorum sensum conferre cum morte & statu mortuorum, qualiscunq; ille sit, sicut, qui præsentibus malis grauiter cruciantur, nihil non illis anteferunt.

Sic etiam cap.7. loquitur tanquam de liberatione in hac vita desperans: *Memento, quod sicut ventus est vita mea, & quod non reuertetur oculus meus vt videat bonũ, &c.* Sic enim ipse se declarat, cùm addit: *Nõ reuerterur vltra ad domum suam, nec agnoscet eum vltra locus.* Sic itẽ cap.17. *Spiritus meus corruptus est, sepulchrũ supereſt mihi:*

verba sunt de vita & salute irato Deo desperantis.

Iob.34.14 Cap.autem 34. cum inquit, *Si apponeret super eum cor suum, spiritum eius & flatum eius ad se colligeret: interiret omnis caro simul, & homo in terram reueteretur*: nequaquã dormire vel extingui animam, sed illius discessu corpus interire & dissolui dicit.

Addunt his: *Si post mortem illico pij essent beati, iniuriam illis factam esse, qui in hanc vitam mortalem reuocati fuerunt.* Sed neq; Deus cuiquam potest iniurius esse, cùm nulli quidquam debeat: neque melius aut gratius aliquid piis accidere potest, quàm illustrandæ gloriæ Dei: sive per vitam, sive per mortem seruire, vt Phil.1. dicitur. *Vt semper ita nunc quoq; magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam sive per mortem, &c.*

Postremò, si dicant, *animam non sentire & agere, nisi per organa corporea: his igitur exuiam atque destitutam sensu quoq; & motu, & operatione destitui:* Vt ipsis de anima in corpore existente antecedens istud concedatur: tamen de anima è corpore liberata & Philosophi eruditi aliud fatentur, & verbum Dei testatur, vt 1. Cor. 13. *Ex parte cognoscimus & ex parte prophetamus: postquam autem aduenerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est, abolebitur, &c.*

DE VITA ÆTERNA.

HIc articulus in fine ponitur. 1. *Quia post alios impletur perfectè.* 2. *Quia est effectus omnium aliorum articulorum,* hoc est, omnes alij articuli creduntur propter hunc, & omnia quæ credimus, facta sunt, vt possimus credere hunc articulum, atque ita demum frui vita æterna. Hic articulus est Colophon totius salutis & vitę nostræ.

Quæstiones de vita æterna præcipuæ.

1. *Quid sit vita æterna.*

2. *A quo detur.*
3. *Quibus detur.*
4. *Quare detur.*
5. *Quando detur.*
6. *Quomodo detur.*
7. *An in hac vita possimus esse certi de vita æterna.*

1. *Quid sit vita æterna.*

VIta apud Philosophos variè definitur: est enim homonymon. *In genere est, vel ipsa existentia animæ cum corpore, vel operatio viuentis:* id est, vel ipsum esse, vel agere quæ sunt viuentis. Sumitur enim pro actu primo & secundo. Ideo mors est destructio viuentis & facultatis agendi. *Vel est aptitudo animati ad efficiendum operationes sibi proprias, atque etiam ipsæ operationes,* propter vnionem corporis cum anima. Generaliter, *& de Deo, & de Angelis, & de hominibus est existentia viuentis, & facultas qua viuens præditum exercet opera vitæ.* Spiritus etiam viuunt: at id non habent ex vita sed ex essentia. Cùm autem dicimus *vitam æternam* fit restrictio vocabuli: loquitur enim de vita æterna hominum & Angelorum. *Æternum dicitur* 1. *quod principio & fine caret.* 2. *Quod principio caret & finem habet,* vt decreta Dei. 3. *Quod principium habet, sed finem non est habiturum, vt vita æterna.*

Videtur autem inexplicabilis hæc quæstio, quia dicitur de ea, *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in mentem hominis venerunt, quæ parauit iis Deus qui ipsum diligunt:* Quid autem ex scriptura de hac quæstione cognosci possit videbimus. Esai. 64. 4. 1. Cor. 2. 9.

Vita in genere est ipsum viuere, ipsum esse viuentis, id est præditum esse anima, quæ anima est id, quo viuimus, & vita animalis est mansio animæ in corpore animato: & operatio animæ, vel animæ facultas efficiens actiones animato proprias. Anima siquidem est vitæ forma essentialis: quæ quę prędita sunt, viuunt.

2. *Vita æterna nihil aliud est nisi esse hominis regenerati, quod esse est habere imaginem Dei instauratam ad quã initio*

fuimus conditi. Sed ad hanc explicandam definitione pleniore opus est. Itaq; vita æterna est habitatio Dei in Angelis & hominibus per Spiritum sanctum, & accensa per eundem spiritum in illorum cordibus vera agnitio Dei, eius voluntatis, & operum diuinorum omnium, & vera atq; integra iustitia & sapientia, id est conformitas voluntatis & virium & operationum integra cum mente & voluntate Dei: item Lætitia in Deo acquiescens, & sufficientia omnium bonorum in Deo secũdùm animam & corpus, quæ nunquam interrumpetur, impedietur, aut finietur. Partium definitionis huius probatio facilis est. 1. Est agnitio Dei & sapientia. *Hæc est vita æterna vt te solum cognoscant esse verum Deum & quem misisti Iesum Christum.* Ioan. 17.3 2. Est iustitia. *Pares Angelis sunt & erunt filij Dei, quũ sint filij resurrectionis.* 3. Est lætitia. *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Ioan. 16.22 4. Est sufficientia in deo. *Dominus Deus omnipotens Templum illius est, id est Agnus. Neq; vrbs ista eget Sole vel luna, vt luceant in ea: nam gloria Dei illustrauit eam, & lucerna eius est Agnus.* Apoc. 21.22 & 23. Quæ hîc habemus bona omnia tunc erunt perfecta. *Postquam aduenerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est abolebitur.* 1. Cor. 13.10 5. Non interrumpetur. *Absterget omnem lachrymam. Regni eius non erit finis. Regnum autem & potestas & magnitudo regni, quæ est subter omne cœlum detur populo sanctorũ Altissimi, cuius regnum sempiternum est vel æternum,* Apoc. 21.4. Luc. 1.33. Dan. 7.27 id est, quod fine & principio caret.

5. *Vita æterna est quod principium habet, sed fine caret.* Hoc tertio modo etiam nos vita æterna fruemur.

Ob. Vita æterna est viuere in æternum. At impij etiam suscitabuntur, & immortales erunt eò quòd viuent in æternũ. Ergo impij æternã vitam habebunt. Resp. Vitæ æternæ nomine non intelligitur præsentia animæ in corpore id est animalis vita: sed hac præsuppositâ, intelligitur spiritualis vita quã S.S. proprio suo officio efficit. Cum animali autẽ vita in impiis erit coniuncta. 1. *reiectio à Deo. 2. priuatio agnitionis & gratiæ Dei. 3. perpetuus & inenarrabilis cruciatus. Vermis eorum non morietur. Illic erit fletus & stridor dentium.* Esai. 66.24. Mat. 8. 13. & 22. 13. & 24 51. & 25. 30. Ex his intelligitur quod mors

æterna

æterna sit, eaque sic dicatur, non quia semel moriendo ea defungentur reprobi, sed quia perpetuò morientur, & perpetuos cruciatus sentient.

2. *A quo vita terna ædetur.*

SOlus Deus dat *vitam æternam*, & quidem Pater eam dat per Filium & spiritum sanctum. De Patre dicitur, *Sicut Pater excitat mortuos & viuificat, ita & Filius quos vult viuificat.* In eodem hoc dicto idem de Filio hoc dicitur, sicut & sequentibus. *In ipso vita erat. Pater futuri seculi, vel æternitatis. Ego vitam æternam do eis,* scilicet non merito tantùm, sed etiam efficacia. De spiritu sancto similiter dicitur, *Nisi quis regeneratus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest ingredi in regnum Dei. Is qui excitauit Christum à mortuis suscitabit etiam mortalia vestra corpora per inhabitantem eius Spiritum in vobis.* Atque hoc testimonium est obseruandum ad vtriusque Deitatem probandam,

Ioan. 5. 21.
Ioan. 1. 4.
Esai. 9. 6.
Ioan. 10. 18.
Ioan. 3. 5.
Rom. 8. 11.

Ob. *Atqui etiam ministri vitam dant, iuxta illud Pauli: Per Euangelium in Iesu Christo ego vos genui.* Resp. Christus & Spiritus sanctus dant vitam propria sua potentia: ministri sunt tantùm instrumenta, per quæ Christus virtute sui Spiritus agit & operatur. Inst. *At Christus communicata potentia vitam dat, Ergo non propria.* Resp. Dat eam potentia communicata, sed ab æterno per sui generationem. *Sicut Pater habet vitam in se ipso, sic dedit & Filio vitam habere in seipso.*

1. Cor. 4. 15.

Ioan. 5. 26

3. *Quibus detur vita æterna.*

DAtur vita æterna solis & omnibus electis. *Ego vitam æternam do eis,* scilicet ouibus meis, id est, electis. *Ego pro iis rogo: nõ pro mundo rogo, sed pro iis quos dedisti mihi quia tui sunt:* & paulò pòst, *Quos dedisti mihi, ego custodiui, & nemo ex iis periit nisi filius ille perditionis,* Item fides & pœnitentia sunt electorum tantùm: hæc autem sunt pars vitæ æternæ. Ergo vita æterna, est electorum tantùm. *Electi assecuti sunt, reliqui occalluerunt.* Obseruandum hoc loco, cùm quæstio est, *quibus detur*

Ioan. 10. 28
Ioa. 17. 9. 12

Rom. 11. 7

vita æterna, melius esse vt respondeamus dari vitam æternam electis, quàm vt eam conuersis dari dicamus. Nam conuersio & fides sunt æternæ vitę principium, Dari vitam æternam conuersis idem esset, ac si diceres viuentibus vitam dari.

15. *Quare detur æterna vita.*

Causa impulsiua vitæ æternæ nobis datæ, est sola gratuita misericordia Dei, (Nam bonum est communicatiuum sui) & amor eius erga genus humanum, ac nobis dari vult & dat vitam æternam duntaxat propter interceſſionem & meritum Christi nobis imputatum. quo interueniente magis illustratur Dei misericordia quàm sine eo. Nullum autem hominis opus in nobis vel prę uisum vel præsens est huius vitę æternæ causa, ad quam tamen per multa media adducimur. Ante vitę æternæ initium opera merentur mortem æternam: post eius initium omnia opera nostra sunt eius effectus: nihil autem est sui ipsius causa. *Finalis causa, propter quam nobis vita æterna datur, est vt Dei misericordia agnoscatur & celebretur à nobis. Ad laudem gloriosæ gratiæ suæ, qua nos gratis efficit sibi gratos in illo dilecto.* Propter eandem causam Deus dat nobis vitam æternam propter quam nos elegit.

Eph. 1. 6.

5. *Quando detur vita æterna.*

In hac vita datur vitæ æternæ principium, & quidem necessariò. Nam cui hic vita æterna data non fuerit inchoatiuè, id est, qui hic non cœperit sentire partem æternæ vitę, fidem scilicet, & conuersionem, huic vita sempiterna nunquam post hanc vitam dabitur. *In hoc suspiramus expectantes domicilio nostro, quod è cœlo est, superindui. Siquidem etiam induti non nudi reperiemur.* Consummatio vitæ æternę est post hanc vitam: quib. enim hic vita æterna datur inchoatione, iis tunc illa dabitur cum perfectione seu consummatione. Atque huius consummationis duo sunt gradus: vnus quum anima mox defertur in cœlum, quia morte corporali liberamur ab omni infirmitate: alter est maior & sublimior,

2. Cor. 5. 2.

limior, cùm in corporum resurrectione rursus animæ corporibus vnientur, quia post resurrectionem reddemur glorioſi,& *videbimus Deum ſicuti eſt. Qui ſermonem meum audit,& credit ei qui miſit me, habet vitam æternam & in condemnationem non veniet, ſed tranſiuit à morte in vitam. Nunc filij Dei ſumus, ſed nondum patefactum eſt nobis quod erimus: ſcimus autem fore, vt quum ipſe patefactus fuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Ioan. 5. 24. 1. Ioan. 3. 2.

6. *Quomodo vitæ æterna detur.*

DAtur nobis æterna vita per S. S. ac S.S. eam nobis dat in hac quidem vita per miniſterium verbi, per verbum efficit in nobis cognitionem Dei & voluntatis diuinæ: cognitionem ſequitur ſtudium ac deſiderium magis magiſque cognoſcendi Deum, & ad ipſius voluntatis præſcriptum viuendi. Datur hic infantibus ita vt habeant inclinationem ad pœnitentiam & fidem. Cæterùm æternæ vitæ conſummatio poſt hanc vitam nobis dabitur immediatè. *Quod autem nobis illa mediatè detur per verbum,* apertis Scripturæ teſtimoniis euincitur. *Quò ibimus?* (inquiunt diſcipuli) *verba vitæ habes. Ego vos in Chriſto Ieſu genui per Euangelium. Euangelium eſt potentia Dei ad ſalutem cuiuis credenti.* Atque hæc eſt ordinaria ratio dandi nobis hoc initium vitæ æternæ, nempe per miniſterium verbi mediatè. Alia tamen & infantium ac miraculorum ratio. Ioan. 6. 68. 1. Cor. 4. 15. Rom. 1. 16.

7. *An in hac vita poſſimus eſſe certi de vita æterna.*

IN hac vita non tantùm poſſumus, ſed etiam debemus eſſe certi de vita æterna, vel eam non habebimus. Solis enim & omnibus electis datur. *Poſſumus autem de ea certi eſſe ex fide,* ex fiducia nimirum de Dei bona voluntate erga nos: item *ex initio veræ pœnitentiæ,* ex propoſito ſcilicet viuendi ſecundùm Dei præcepta, denique *ex pace conſcientiæ, ex deſiderio Dei, & ex lætitia in Deo.* Hæc certitudo nititur firmis rationibus. 1. *Auctor vitæ æternæ eſt immutabilis, nempe Deus.* 2. *Electio Dei eſt immutabilis.* 3. *Chriſtus in omnibus quę à patre petit exaudietur. Atqui petiit, vt pater ſeruaret quos ipſi dederat.* 4. *Deus non vult* Io. 17. 11. 24.

2. Tim. 2. 19. *vt petamus bona ad salutem necessaria cum conditione.* Soli-
Ioh. 10. 28. *dum stat Dei fundamentum, deus nouit suos. Oues meas nemo rapiet ex manu mea, &c. Ego vitam æternam do iis*: at non esset vita æterna si posset abrumpi. De consummatione vitæ æternæ debemus esse certi ex eius initio. *Dona enim Dei sunt talia quorum eum non pœniteat. Fi-*
Rom. 11. 29. *delis est Deus*: ideo sicut inchoauit, sic etiam perficiet. Proinde de perseuerantia & consummatione vitæ æternæ dubitare, est fidem & veritatem Dei euertere. De principio autem vitæ æternæ certi sumus potissimum ex vera fide, quæ resistat dubitationibus, id est, quæ propositum habeat repugnandi Diabolo, & cla-
Marc. 9. 24. met. *Credo Domine, succurre incredulitati meæ.* Sed hæc fides non potest esse sine pœnitentia, ideoque ex certa etiam pœnitentia certi sumus de initio vitæ æternæ, ac proinde simul de eius consummatione.

Quæ iam dicta sunt de hoc articulo satis declarant, *quid sit credere vitam æternam*: nempe certò statuere 1. *post hanc vitam fore etiam vitam in qua Ecclesia glorificabitur, & Deus ab ea celebrabitur in æternum.* 2. *Me etiam membrum esse istius Ecclesiæ, & ideo participem vitæ æternæ.* 3. *Me etiam in hac vita habere initium eius.*

DE IVSTIFICATIONE.

HÆc doctrina *de iustificatione* est vnum ex præcipuis fidei nostræ capitibus, non tantùm quia de præcipuis rebus agit, sed etiam quia hæc doctrina maximè ab hæreticis in controuersiam vocatur. *Duæ* enim *sunt præcipuæ controuersiæ inter Ecclesiam & hæreticos*: prior *de doctrina de Deo*, altera *de hac*. atque euersa alterutra harum doctrina, reliquæ partes fidei nostræ facillimè ruunt. Quamobrem in doctrina de Deo & iustificatione maximè nos aduersus hæreses munire debemus.

Quæ

Quæstiones præcipuæ.

1. *Quid sit iustitia in genere.*
2. *Quotuplex sit iustitia.*
3. *Quid iustitia differat à iustificatione.*
4. *Quæ sit nostra iustitia.*
5. *Quomodo illa fiat nostra.*
6. *Cur fiat nostra.*
7. *Cur sola fide.*

1. *Quid sit iustitia in genere.*

IVstitiæ definitio tam generalis vix potest dari, quæ Deo simul & creaturis competat, (eoque quæ summis iustitiæ generib. increatæ scilicet & creatæ competat,) nisi valde homonymòs. Nã increata iustitia est Deus ipse, qui nimirum norma est & regula omnis iustitiæ. *Creata iustitia* est effectus increatæ seu diuinæ iustitiæ in creaturis rationalibus. Hæc iustitia creata definiri poterit generaliter, ita vt definitio omnibus eius speciebus sit communis. *Iustitia igitur in vniuersum* (quatenus illa creaturis rationalibus competit) *est impletio legum ad rationales creaturas pertinentium: vel est conformitas creaturarum rationalium cum legibus ad se pertinentibus.* Potest etiam hoc modo definiri: *Iustitia est conformitas cum Deo, seu cum lege Dei, vel est impletio legis diuinæ.* Iustitia est ἀνομία sicut peccatum *est* ἀνομία *ac Iustitia dicitur à iure* quod est ipsa lex: conformitas cum lege est ipsa iustitia. Hoc tenendum est, quia oportet nos iustificari per impletionem legis, & scire debemus per Euangelium non aboleri legem, sed stabiliri: nam Euangelica iustitia est legis impletio: non autem pugnat quicquam cum lege. 1. Ioan. 3. 4.

Ob. Iustus est Deo conformis. Iustificare est iustum facere. Ergo iustum facere est legi conformem facere. Resp. Concedo totum: scilicet vel in alio. Idem autem sunt iustitia aliena imputata, iustitia Euangelij, iustitia fidei. Est igitur *iustificare, absoluere aliquem à peccato, propter iustitiam, quæ vel in ipso, vel in alio est.* Probatur hæc significatio ex tota

Epistola

Epistola ad Romanos: *Imputatum est ei ad iustitiam.*

2. *Quotuplex sit iustitia.*

IVstitia (loquimur in genere de creata) *est Legalis & Euangelica. Legalis iustitia est impletio legis præstita ab eo, qui per eam dicitur iustus.* Vel, *est talis impletio legis quæ fit ab aliquo propria obedientia*: vel, *est conformitas in lege quæ in eo ipso est qui iustus dicitur.* Hæc *iustitia Legalis, aut est in nobis, aut in angelis, aut in Christo*, quatenus homo est, tãquam in subiecto. *Euangelica iustitia est quidem impletio legis, sed non est in eo qui per eam dicitur iustus, sed in alio, & ei qui iustus est imputatur*: est nimirum iustitia Christi nobis præstita: seu λυτρον illud filij Dei nobis per fidem imputatum. Definietur & hoc modo breuiter; *Euangelica iustitia, est conformitas cum lege à Christo præstita, nobis autem à Deo per fidem imputata.* Legalis iustitia *fit, aut per obedientiam legis, aut per pœnam*: alterutrum enim lex requirit. *Quæ fit per obedientiam legis, est vel vniuersalis vel particularis. Vniuersalis est obseruatione omnium legum ad nos pertinentium*, vel est obedientia secundùm omnes leges ad nos pertinentes. *Contendatis quieti esse, & res vestras agere.*

1. Thes. 4. 11

Vniuersalis est duplex, perfecta & imperfecta. Perfecta est interna & externa erga omnes leges ad nos pertinentes obedientia: vel, est conformitas perfecta, interna & externa cum lege Dei. *Maledictus quicunque non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in hoc libro, vt faciat ea.*

Deu. 27. 26. Gal. 3. 10.

Imperfecta seu inchoata, *est conformitas tantùm inchoata & imperfecta, talis nimirum iustitia, quæ vel non omnia, vel non eo modo facit quicquid lex requirit.* Hęc imperfecta est etiam duplex. *Philosophica & Christiana. Philosophica* est notitia legis diuinę & virtutum, imperfecta, obscura & languida in mente, & qualecunque propositum in voluntate, & corde faciendi recta secundũ illam notitiam & gubernatio morum secundùm leges. *Christiana* est regeneratio seu notitia Dei & legis diuinæ, imperfecta quidem, sed tamen illustrior ac perfectior quàm Philo-

Philosophica: perficienda autem post hanc vitam: orta ex fide & dilectione Dei, accensa in cordibus duntaxat renatorum, virtute S. S. per Euangelium, & cõiuncta cum seria inclinatione voluntatis & cordis ad obediendum Deo secundùm omnia mãdata ipsius.

Particularis est virtus suum cuique tribuens, estq; duplex, *commutatiua, & distributiua*. *Commutatiua* seruat æqualitatem rerum & pretiorum in commutatione & contractibus. *Distributiua* seruat proportionem, in distributione officiorum, bonorum, præmiorum, pœnarum, tribuens personis conuenientia præmia & pœnas.

Est & alia diuisio Iustitiæ, scilicet *Personæ & Causæ*. *Iustitia personæ*, cùm persona est iusta & conformis legi. *Causæ*, cùm habet causam iustam & bonam in aliqua controuersia, siue persona sit bona, siue mala.

3. *Quid Iustitia differat à Iustificatione.*

IVstitia est ipsa conformitas cum lege, ipsa legis impletio, & res qua iusti sumus coram Deo .i. ipsa satisfactio Christi in cruce præstita. *Iustificatio est illius iustitiæ applicatio*, atq; hac applicatione res qua iusti sumus, illa scilicet iustitia & satisfactio Christi, fit nostra, & nisi illa fiat nostra seu nobis applicetur & imputetur, non possumus esse iusti, sicut neq; paries fit albus, nisi albedo ei applicetur. *Eadem nimirum ratione differt Iustitia à Iustificatione*, qua albedo ab albificatione: sic non applicatio & imputatio sunt idem: nam imputatio est quiddam angustius quàm applicatio. Vnus enim Deus imputat: nos verò nobis etiam applicamus.

Diuiditur autem Iustificatio sicut Iustitia. Alia enim est *Legalis iustificatio, quæ est effectio conformitatis cum Deo*, vel cum lege Dei in nobis, quum nimirum regeneramur. Alia est *Euangelica Iustificatio, quæ est applicatio Iustitiæ Euangelicæ: non autem transfusio qualitatum in nos*: vel, est imputatio iustitiæ alienæ, quæ est extra nos, atque absolutio in iudicio. *Non* Psalm. 143.2

iustifica-

Psal.143.2. *iustificabitur in conspectu tuo vllus viuens.* Ergo iustitia qua nobis applicata & imputata iustificamur, non est in nobis, sed extra nos.

4. *Quæ sit nostra iustitia.*

Nostra iustitia .i. iustitia Euang. qua nimirum iusti sumus coram Deo, non est conformitas nostra cum lege: sed *est satisfactio Christi præstita lege pro nobis, seu pœna quam sustinuit pro nobis, atque adeo tota ipsius humiliatio,* (id est assumptio carnis, seruitutis, penuriæ, ignominiæ, & infirmitatis: passionis & mortis tolerantia: quæ omnia subiit pro nobis, sed volens) *eaq; humiliatio & satisfactio nobis credentibus suis à Deo gratis imputata.* 1.Cor.2.2. *Non decreueram inter vos quicquam scire, nisi Christum* Col.2.10. *Iesum, eumque crucifixum. In ipso estis consummati.* Rom.5.19. *Per vnius obedientiam iusti constituentur multi.* Esa.53.5.6. *Liuore ipsius sanati sumus. Coniecit in eum Dominus iniquitates omnium nostrûm.* Vt autem Christus pro nobis obedientiam præstare ac satisfacere posset, oportebat ipsum esse mediatorem nostrum per se iustum ac sanctum. *Talis enim nos decebat pontifex, pius, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & sublimior cœlis factus.* Hæc omnia vera sunt perfectè & integrè in Christo. Perfectè enim pro nobis impleuit Legem. 1. *sanctitate humanæ naturæ.* 2. *Obedientia sua: nam factus est Patri obediens vsque ad mortem,* Heb.7.26. Phil.2.8. *mortem autem crucis.* Ac prior impletio legis, nempe sanctitas humanæ Christi naturæ, requirebatur ad alteram, ad obedientiam scilicet ipsius. Hæc autem obedientia & satisfactio Christi est satisfactio nostra, & propria nostra iustitia, propter quam nos Deo placemus, propter quam apud Deum Patrem recipimur in gratiam, & quæ nobis imputatur. Imputatur quidem nobis & prior illa legis impletio, nempe humiliatio & Iustitia humanæ Christi naturæ, vt habeamur sancti coram Deo: verùm hæc sanctitas Christi nobis imputatur propter obedientiam, vel satisfactionem ipsius: quia pro nobis iustitiæ diuinæ satisfecit, sustinendo

nendo pœnas æternas quas oportuisset nos in æternum sustinere. Hinc est quod effusio sanguinis Christi (satisfactionis vtpote Christi complementum) sola dicatur esse iustitia nostra. *Sanguis Christi purgat nos ab omni peccato*, nempe non tantùm ab admisso, sed & à futuro. 1.Ioan.1.7.

Obiect. Peccata pro quibus satisfecit Christus, non possunt nocere: Christus autem satisfecit pro peccatis admissis & futuris. Ergo admissa & futura peccata non possunt nocere. Resp. Connecte argumentum. *Inst. Quod non nocet id non est opus vt vitemus: futura peccata non nocent: Ergo non est opus vt à futuris peccatis nobis caueamus. Resp.* 1. Nego minorem: nam Deus offenditur peccatis, quod est maximum damnum: deinde peccata nos spoliant conformitate cum Deo, & attrahunt corporales pœnas fidelibus. Distinguendum autem est, inter has quęstiones, 1. *Quomodo rationalis creatura possit esse iusta coram Deo.* 2. *Quomodo homo, peccator existens, possit esse iustus coram Deo.* 3. *An rationalis creatura possit mereri de Deo.* De primo respondetur, *conformitate inhærente cum Lege*, sicut beati homines & Angeli iusti sunt. De secũda, *Sola imputatione meriti Christi*: & de hac quęstione sermo est, cùm de iustificatione agitur. De tertia. *Nihil potest. Cùm omnia feceritis, dicite Serui inutiles sumus*, Nam ne obedientia quidem Christi ideo meritum est, quòd Deo aliquid boni accedat, sed propter personæ dignitatem, quòd passus est Christus dicitur meritum. Homo autẽ peccator iustus esse coram Deo nequit. 1. *Quia ante iustificationem eius opera sunt corrupta.* 2. *Etiam post iustificationem hominis peccatoris sunt imperfecta.* 3. *Etiamsi sint perfecta, vt in altera vita, tamen non possumus satisfacere pro peccatis præteritis*: debemus enim opera cùm ea facimus. Luc.17.10.

5. *Quomodo satisfactio Christi fiat nostra iustitia.*

HÆc quæstio accedit, quia videtur absurdum nos re aliena iustificari. *Satisfactio vel iustitia Christi nostra.*

nostra fit, seu nobis applicatur, *dupliciter*, duplici nimirũ applicatione. *Prior applicatio est Dei, qui propter illam legis impletionem à Christo præstitam, nos acceptat, eamq; nobis applicat*, id est imputat non secus ac si nunquam peccassemus, aut saltem pœnam sufficientem pro nostris peccatis exoluissemus. Etenim *iustificare*, significat iustum facere, tamen in Ecclesia aliud significat, & in alia significatione accipitur. Vel, Deus applicat, dum nobis imputat præstitam à Christo impletionem legis, ac si à nobis esset præstita, nec vult nos punire. *Imputare* autem est acceptare satisfactionem Christi, hoc fine factam, vt sit nostra iustitia. *Nobis igitur applicamus impletionem legis à Christo præstitam, cum firmiter statuimus, quòd Deus nobis eam applicet, imputet, donet, & propter eum nos pro iustis reputet, absoluens nos ab omni reatu.* Sine hac applicatione prior non est, verùm hic posterior est etiam à Deo. Deus enim primùm nobis imputat satisfactionem Christi, denique efficit fidem in nobis, qua illam imputatam nobis applicemus. Vnde etiam apparet quod applicationem nostram (quæ est fidei) præcedat, & eius causa sit applicatio diuina, licet hæc non sit sine nostra, quomodo & Christus ait, Joan. 15. 16. *Non vos me elegistis, sed ego vos*. Porro certi possumus esse iustitiam aut satisfactionem Christi nobis imputari à Deo, quum seriò appetimus gratiam Dei, & sentimus Spiritum sanctum in nobis operari fiduciam veram in fidelium mediatorem. Quæ de vtraque applicatione, diuina, scilicet, & nostra iam diximus, manifestè declarant quid de hoc loco significet. Iustificare nimirum non ex iniusto iustum facere, sed iniustum pro iusto reputare, iniustum absoluere ab omni reatu, nec velle eum punire, idque propter alienam iustitiam nobis per fidem imputatam.

Obiect. Atqui iustificare est iustum pro iniusto facere. Resp. Id quidem verum est in genere, sed in Ecclesia aliter accipitur. Nam *iustificatio legalis* est effectio iustitiæ in nobis tanquam in vno subiecto. Euangelica verò iu-

stificatio

stificatio, de qua hîc agitur est longè diuersa. Subiectum enim iustitiæ, quæ nostra fit Euangelica iustificatione, id est, qua per fidem nobis applicatam iusti censemur, est ipse Christus: atque huius iustitiæ nos tantùm sumus obiectum, & materia circa quam: materia in qua est solus Christus.

6. Cur satisfactio Christi fiat nostra.

PErfecta legis impletio præstita pro nobis à Christo nostra fit, aut nobis applicatur, ex sola & gratuita Dei misericordia, vt qui nos ab æterno prædestinauit, & gratis elegit, quibus illam iustitiam suo tempore ex mera gratia per fidem applicaret. *Remouenda est igitur omnis constitutio meriti:* quippe quæ cum gratia Dei pugnat, estque gratiæ diuinæ negatio. Nam gratia & misericordia Dei est sola vtriusq; applicationis causa. Ipse pro immensa bonitate sua meritũ Christi nobis applicat, & facit vt illud nobis applicare possimus. Causa itaque cur hæc fiat applicatio, est in solo Deo: nequaquã autem in nobis: nempe nec aliud in nobis pręuisum, nec etiam ipsa apprehensio iustitiæ. Omnia enim dona in nobis sunt effectus applicationis meriti Christi: proinde, nullo modo propter opera quæ nos facimus, illud Christi meritum nobis applicatur, sed hoc fit, vt docet Apostolus secundùm beneplacitum voluntatis suæ. Vnde etiam dicitur, *Quid habes quod non acceperis?* Gratia estis seruati per fidem, *idq; non ex vobis: Dei donum est.* Atque hic obseruandum, non idem esse, *Gratia Dei seruari & fide iustificari:* illud enim *significat causam impulsiuam in Deo: hoc verò causam instrumentalem in nobis,* qua apprehendimus iustitiam Christi nobis imputatam. Christus habet se ad iustificationem, 1. *vt subiectum & materia in qua est nostra iustitia.* 2. *vt causa impulsiua, quia impetrat.* 3. *vt efficiens principalis, quia vnà cum patre iustificat.* 4. *Quia dat fidem qua credimus.* Misericordia Dei habet se, *vt causa impulsiua in Deo.* Satisfactio Christi est *formalis causa iustificationis.*

7. Cur

7. *Cur ſola fide ſatisfactio Chriſti fiat noſtra.*

SOla fide ſatisfactio Chriſti fit noſtra. 1. *quia fides eſt vnicum inſtrumentum apprehendens ſatisfactionem Chriſti.* 2. *Quia proprius actus fidei, non autem alter actus virtutis eſt applicatio vel apprehenſio meriti Chriſti:* imò fides nihil aliud eſt quàm acceptatio ipſa, vel apprehenſio iuſtitiæ alienæ, meritique Chriſti. 3. *Sola fide*: quia ſolo fidei obiecto iuſtificamur, nẽpe ſolo merito Chriſti extra quod nulla eſt iuſtitia noſtra, vel eius pars. Gratis enim iuſtificamur propter Chriſtum ſine operibus: nihil prẽter Chriſti meritum eſt iuſtitia noſtra coram Deo, neque ex toto neque ex parte: tantùm accipiendo & credendo alienam iuſtitiam, non faciendo, iuſtificamur. Non faciendo, nec merendo, ſed ſola acceptione ſumus iuſti, *Sola igitur fide iuſtificamur, id eſt, per fidẽ*, vt Paulus loquitur, tanquam per medium & inſtrumentum: *non autem propter fidem*, vt aiunt Papiſtæ, qui volunt vtramque hanc formulam admittere: ac ſi, fides eſſet quidem applicatio, qua nos iuſtitiam Chriſti applicemus nobis, ſed eſſet etiam prẽterea opus aliquod ſeu meritũ, quo mereamur eſſe iuſti. Excluſiua autem (*ſola*) additur, vt excludatur omne noſtrum meritũ, & fides correlatiuè intelligatur, vt ſit ſenſus, Meritum Chriſti nos iuſtificat non ipſa fides, apprehenſũ nos iuſtificat, non ipſum apprehendens inſtrumentũ, Poteſt & ſine relatione intelligi hęc propoſitio. Fide iuſtificamur, hoc eſt, per fidẽ vt per medium. At fides ei imputata eſt ad iuſtitiam, & aliæ eiuſmodi propoſitiones neceſſariò intelligẽdæ correlatiuè. *Imputata eſt ei fides ad iuſtitiã*, quatenus nimirũ fides eſt apprehenſę iuſtitiæ apprehendens inſtrumentum, velut organum ſeu manus qua accipitur iuſtitia Chriſti: atque hac ratione fides prorſus excluditur ab eo quod fide accipitur: cum qua tamen fidei natura pugnaret, *Propter fidem nos eſſe iuſtos*. Nam ſi propter fidem, iam fides non eſſet acceptatio alienæ iuſtitiæ, ſed eſſet meritum & cauſa propriæ iuſtitiæ, nec alienam ſatisfactionem,

onem, qua non haberet opus, acciperet.

Obiectiones contra doctrinam de iustificatione.

OB. 1. *Fide iustificamur. Fides est opus. Ergo huius operis (nempe fidei) merito iustificamur. Resp.* Primò nego consequentiam, quia plus est in conclusione quàm in præmissis, ex quibus sequitur tantùm quod illo opere tanquam instrumento vel medio iustificemur, non tanquam causa inpulsiua. Aliud autem est *per fidem iustificari*, id est, instificari mediante fide sola, sanguine Christi: aliud item *propter fidem iustificari*, id est, propter meritum fidei. 2. Mutatur genus prædicationis. nam fides in maiore correlatiuè sumitur, in minore sumitur propriè.

Ob. 2. Iustitia est id quo formaliter sumus iusti. Fides est iustitia. Ergo fide formaliter sumus iusti. Resp. Nego consequentiam, quia mutatur genus prędicationis. Nam maior accipitur propriè, minor verò sumitur per metalepsin.

Ob. 3. Fides imputatur ad iustitiam, vt inquit Paulus. Ergo propter fidē sumus iusti. Resp. Est Metalepsis: quia correlatiuè per fidem, quæ imputatur ad iustitiam, intelligitur obiectum fidei. *Meritum* enim *Christi*, quod apprehenditur fide, *propriè est iustitia nostra, estq; hoc meritum Christi formalis causa nostræ iustitiæ. Efficiens nostræ iustitiæ est Deus*, Illud meritum Christi nobis applicans. *Instrumentalis causa iustitiæ nostræ est fides.* Proinde hæc propositio, *Fide iustificamur*, legaliter intellecta cum Papistis non est vera, sed blasphema: correlatiuè autem accepta, id est Euangelicè, est vera. Correlatiuum enim fidei est meritum Christi, quod fides tanquam instrumentum apprehendit.

Obiect. 4. Quod non est solum, non iustificat solum. Fides non est sola. Ergo, &c. Resp. Est fallacia compositionis: componitur enim *solum* in conclusione cum prædicato, in præmissis verò vel antecedente cum verbo, *est*. Verum est argumentum, si in conclusione *solum* non diuellatur à verbo, *Est*, sed cum eo coniungatur, hoc

modo: Fides ergo non iustificat sola. i. existens sola. Nam si ita accipiatur valet consequentia: fides enim nunquam est sine operibus, tanquam suis effectis.

Obiect. 5. *Quod requiritur in iustificandis, sine eo fides non iustificat. Bona opera requiruntur in iustificandis. Ergo sine bonis operibus fides non iustificat. Per consequens non dicendum est exclusiuè, sola fide nos iustificari. Resp.* Est ambiguitas in particula *sine*, quæ nimirum in maiore sic accipitur: Fides sine eo scilicet existens nõ iustificat. Eadem hîc est fallacia quæ in obiectione precedente. Minor etiam est explicanda. In iustificandis plura requiruntur, sed non eodem modo. *Fides requiritur in iustificandis*, tanquam instrumentum apprehendens alienam iustitiam. *Bona opera in iis requiruntur*, non tanquam causæ iustificationis, sed tanquam fidei effecta ac veluti fidei ac gratitudinis testimonium. Fides enim non est sine suo fructu. Applicare autem meritum Christi est proprius actus fidei: reliqua bona opera non item, quamuis & illa proueniant ex fide: quo circa & *alio modo requiritur in iustificandis apprehensio meriti Christi quàm cætera bona opera. Fides enim* cum illo actu suo proprio (sine quo fides cõsiderari nequit) requiritur tanquam necessarium instrumentũ quo meritum Christi nobis applicamus. *Opera* verò bona non requiruntur vt iis apprehendamus meritum Christi, & multò minus vt propter ea iustificemur: sed vt iis ostendamus fidem nostram, quę sine bonis operibus mortua est, & nõ nisi ex iis cognoscitur. Quicquid necesse est cohærere cum causa, id non propterea necessarium est ad effectum proprium: sed bona opera licet necessariò cum fide cohęrent, non tamen ad apprehensionem meriti Christi necessaria sunt, quare præter fidem & iis debeamus illud nobis applicare.

Ob. 6. *Messias adfert iustitiam sempiternam. Iustitia imputata non est æterna. Ergo ea non iustificamur. Resp.* Iustitia Christi dicitur æterna fore iustitia, sed non eodem modo. Nam *in vita futura diuerso modo erimus in ſi*

quàm

quàm in hac. Licet enim eadem iustitia tunc erimus iusti, nempe iustitia Christi nobis imputata, cum hac tamen & legalis iustitia continuabitur, ita vt etiam Iustitia legali tunc perfectè futuri simus iusti, quia nunc tantùm inchoatione iusti sumus. Hæc vtraq; iustitia legalis, vt & Euangelicũ, æterna est continuatione, & quidem Euangelica, id est, iustitia Christi nobis imputa, æterna est continuatione imputationis. Iustitia autem legalis continuatione bonorum operum æterna est, quatenus nimirum bonis operibus continuatur: primùm in hac vita, donec tandem post hanc vitam perficiatur, & sit perfecta: deinde continuatur in æternum.

Ob. 7. *Notitia non iustificat, fides est notitia. Ergo fides non iustificat. Resp.* Notitia scilicet sola non iustificat. Fides autem iustificans non tantùm est notitia, sed etiam fiducia, qua tanquam medio nobis applicamus meritum Christi. Ac *multùm differunt notitia ac fiducia.* Illa est in intellectu, hęc verò in voluntate. Itaque fiducia non tantùm est alicuius rei cognitio: sed etiam voluntas & propositum faciendi aut applicandi hoc quod cognoscimus, vel in eo acquiescendi, ita vt simus securi, ac de eo lætemur. Ergo fiducia, seu fiduciam habere est, quod Germanice dicitur *Vertrauwen.*

Ob. 8. *Iacobus ait, Videtis ex operibus iustificari hominem, & non ex fide tantùm? Resp.* 1. Loquitur de iustitia qua ex operibus nostris coram hominib. iustificamur id est, iusti comprobamur, seu comperimur esse iustificati: non autem loquitur de iustitia qua coram Deo iustificamur, id est, qua à Deo iusti pro iniustis reputamur. Nam dicit eodem cap. *ostende mihi fidem tuam ex operibus, & ego tibi ostendam ex operibus meis fidem meam.* 2. Loquitur non de fide vera seu viua: sed de mortua, quæ caret operibus. Iac. 2. 24.

Ob. 9. *Mala opera damnant. Ergo bona iustificant. Resp.* 1. Contraria non sunt paria: mala enim opera sunt perfectè mala, bona autem imperfecta. 2. Etiamsi bo-

na opera essent perfectè bona, non tamen mererentur vitam æternam, cùm sunt debita. Malis operibus datur merces ordine iustitiæ: bonis verò nõ item, quia ad ea facienda sumus obligati. Creatura enim obligata est creatori, nec illa ex aduerso obligare sibi Deum potest vllis operibus aut modis ad sibi benefaciendũ.

1. Ioan. 3. 7

Ob. 10. *Ioannes inquit, qui facit iustitiam iustus est: Ergo non qui credit. Resp.* Iustus est nempe coram hominibus 1. faciendo iustitiam se iustum aliis declarat: verùm coram Deo non faciendo iustitiam, sed credendo sumus iusti. 2. Indicat non quo modo sumus iusti, sed quales sint iusti, quum dicit, qui est regeneratus, est etiam iustificatus.

Luc. 7. 47.

Obiect. 11. *Christus ait, remissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum. Ergo bona opera sunt causa iustificationis. Resp.* Christus hîc argumentatur à posteriore ad prius, ab effectu ad causam. *Remissa sunt peccata multa, ideo dilexit multum:* & quia magnus beneficij sensus est in illa muliere, ideo necesse est multa ei peccata remissa esse. Hunc esse sensum patet ex parabola. 2. Non quicquid est causa consequentię, est etiam causa consequentis rei. Est ergo fallacia consequentis si addatur, Ergo propter dilectionem remissa sunt ei multa peccata. Nam (Quia) non semper significat causam rei consequentis: non sequitur, sol ortus est, quia dies est: Ergo dies est causa ortus Solis: contrarium potius est verum.

Rom. 3. 27. Gal. 2. 16. Eph. 2. 8. 9. Tit. 3. 5. 1. Ioh. 1. 7

Ob. 12. *Quod non est in Scriptura, non est docendum aut retinendum: Sola fide nos iustificari, non est in scriptura, sive quod ad verba, sive quod ad sensum: ergo non est retinendum. Resp.* Ad maiorem, Quod non est in Scriptura, scilicet quod ad verba, & quod ad sensum. At sola fide nos iustificari, continetur in scriptura quod ad sensum: dicimur enim *gratis iustificari, sine operibus legis: fide: sine merito: non ex iustitia, quam fecimus nos: sanguis Iesu Christi nos purgat ab omni peccato.* Ergo nullum opus erit meritum. Si nullum opus, Ergo sola fide iustificamur apprehen-

prehendente meritum Christi. Est igitur omnino particula (*sola*) retinenda. 1. *Vt à iustificationis negotio omne meritum vel fidei vel operum nostrorum remoueatur.* 2. *Vt ostendatur necessariò fidem non fidei meritum requiri ad iustitiam.* quia iustitia seu meritũ Christi tantũ per fidem datur, & hoc solo medio iustitiam illam accipimus.

Obiect 13. *Si Christus pro nobis satisfecit, non iustificabimur gratis, sed propter meritum. Resp.* Iustificamur gratis respectu nostri, non gratis respectu Christi, cui satis magno constitit nostra salus.

Obiect. 14. *Merces supponit meritum, ita vt vbi merces est, ibi sit & meritum. Merces enim seu præmium & meritũ sunt correlatiua, quorum vno posito ponitur & alterum. Sed bonis operibus præmiũ proponitur vita æterna. Ergo & meritum bonorum operum est vita æterna. Resp.* Maior aliquãdo vera est de creaturis, vt cùm homines de hominib. mereri possunt: sed nec semper apud homines ibi meritum esse consequitur vbi sit merces. Nam & ab hominibus præmia sæpè dantur non ex merito. Impropriè autem de deo dicitur quod ab eo vita æterna proponatur operib. nostris vt merces: nihil enim operib. nostris mereri possumus apud Deum Quin & hac potissimum de causa Deus dicit mercedem se operibus nostris tribuere, vt ostendat bona opera sibi placere.

Obiect. 15. *Quod non requiritur ad iustificationem, non est necesse facere. Bona opera non requiruntur ad iustificationem. Ergo non est necesse ea facere. Resp.* Nego maiorem, si ponatur illa vniuersaliter: quia gratitudinis ergô bona opera facere debemus. Sin particulariter sumatur maior, sunt puræ particulares: sunt autem bona opera tanquam effectus sine quo causa, nempe fides, esse nequit. Ideò necessaria sunt quidem bona opera, sed non tanquam causa seu meritum iustitiæ.

Obiect. 16. *Qui iustificatur duabus rebus, non instificatur vna sola. Sed nos præterquam quod fide iustificamur, etiã iustificamur merito & obedietia Christi: Ergo non sola fide. Resp.* Qui iustificatur duabus rebus, is non iustificatur vna

sola,scilicet eodem modo. Nos autē iustificamur duabus rebus sed diuerso modo.Iustificamur.n.fide tanquam instrumento apprehendente iustitiam: merito autem Christi,tanquam causa formali nostræ iustitię.

*Ob.17. Doctrina quæ reddit homines profanos, non est proponenda Sed hæc doctrina,nos operib.non iustificari,reddit homines profanos.Ergo &c Resp.*Est fallacia accidentis in minori.*Inst.Etiam per accidens mala.sunt fugienda.Sed doctrina hæc reddit homines per accidens malos.Ergo &c.Resp.* Ad maiorem, fugiēda sunt per accidens mala,si non subsit maior causa propter quamnon sint illa omittēda,quæ per accidens reddunt homines malos. Atqui nos habemus maiores causas cur debeat hęc doctrina proponi nimirum 1.mandatum Dei.2.nostram salutē.

*Obiect.18.Christus attulit nobis iustitiam æternam.Hæc iustitia applicata non est æterna.Ergo,&c. Sed Deus ipse est iustitia nostra.*Ref. ad antecedens. *Iehoua Iustitia nostra,* id est iustificator noster.Deinde,Nego minorem quia imputata & applicata. Christi iustitia est sempiterna. Continuatione in hac vita sumus iusti, & in altera consummatione: tunc perficietur iustitia.Illa iustitia quæ est Deus ipse,non est in nobis: quia deus sic esset accidens creaturę, & iustitia in homine.Iustitia enim & virtus sunt res creatæ in nobis,non essentia Dei. Præterea, Osiander non discernit causam ab effect. Sicut non viuimus aut sapientes sumus essentia Dei (hoc enim perinde est ac si dicas nos æque sapientes esse ac Deum)ita etiam non iusti sumus essentia dei. Nihil igitur magis est impiū, quàm dicere iustitiā essentialem creatoris,esse iustitiam creaturarum: inde enim sequeretur,nos habere iustitiam Dei,immo ipsam Dei essentiam.Oportet discerni causam ab effectu,creatam ab increata iustitia.

*Obiect.19.Vbi non est peccatum, ibi non habet locum remissio seu imputatio.In altera vita non erit peccatum. Ergo &c.Resp.*In altera vita non erit remissio peccati præsentis:sed remissio facta in hac vita semper durabit. Imò

Imò etiam illa conformitas cum Deo in altera vita erit effectus huius imputationis.

Ob. 20. *Decem aurei sunt pars centum aureorum in soluendo debito. Ergo etiam bona opera possunt esse pars aliqua iustitiæ. Resp.* Est dissimilitudo: quia decem aurei sunt pars integra centum aureorum. Opera autem nostra non sunt pars integra & perfecta.

Ob. 21. *Quod non potest nocere, id non est cauendum. Futura peccata non nocent. Ergo non sunt cauenda. Resp.* Nego minorem, quia Deus offenditur, quod est maximum damnum. 2. Ad maiorem: siue caueamus, siue non. futura peccata autem non nocent si caueamus. 3. Maximè nocent, quia (vt iam dictum est) nos spoliant conformitate cum Deo, & attrahunt corporales pœnas, etsi non æternas fidelibus.

Ob. 22. *Dicitur opus Pinhæ imputatum ei fuisse ad iusti-* Psa. 106. 31.
tiam. Resp. Sententia est, quòd Deus approbauerit opus eius: non autem quòd eo opere sit iustificatus.

Solo autem Christi merito iustificamur. 1. *Propter gloriam eius*, ne ipsius sacrificium extenuetur. 2. *Propter nostram consolationem*, vt possimus esse certi, nostram iustitiam non pendere ex operib. nostris: sed ex solo Christi sacrificio: alioqui millies eã amitteremus.

Iustificamur non partim fide partim operibus. 1. *Quia opera sunt imperfecta*, & idcirco iustitia esset imperfecta. *Maledictus qui non manserit in omnib. quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea.* 2. *Etiamsi essent perfecta, tamen sunt debita*: ita vt non possimus ipsis præteritum delictum exoluere. *Cùm omnia quæ iussa sunt feceritis, dicite, serui inutiles sumus.* 3. *Sunt operantis Dei.* 4. *Quia sunt temporaria, nec habent proportionem cum æternis bonis.* 5. *Sunt effectus iustificationis: ergo non causa.* 6. *Ne haberemus de quo gloriaremur.* 7. *Conscientia destitueretur certa consolatione.* 8. *Christus frustra esset mortuus.* 9. *Non eadem esset salutis via.* 10. *Christus non esset perfectus Seruator.*

Opera autem nostra sunt imperfecta. 1. *Quia multa omittimus quæ debebamus, & facimus multa quę non de-*

bemus. 2. *Quia etiam bonis, quæ facimus, admiscemus mala:* id est, bona malè facimus.

DE SACRAMENTIS.



Sacramẽta sunt pars Ecclesiastici ministerij. Ac *de ministerio Ecclesiastico* quæritur. 1. *quis sit vsus ministerij.* 2. *quæ sint eius partes.* 3. *quæ habeant illæ inter se conuenientia.* 1. *Vsus præcipuus & vltimus Ecclesiastici ministerij* est, vt nos adducti ad Christum de voluntate Dei confirmemur, vt nimirum nos doceat voluntatem Dei, nos hortetur ad amplectenda Dei beneficia, ac de eorundem continuatione nos reddat certos. 2. *Partes ministerij* sunt sacramẽta, & verbum. 3. *Ita cõueniunt sacramenta cum verbo,* vt quicquid in verbo de salute nostra per Christum obtinenda nobis promittitur, id sacramenta, tanquam signa vel sigilla verbo ceu diplomati apposita nobis, ad succurrẽdum infirmitati nostræ magis magisque confirment. Vnde etiam patet sacramentorum quoq; præcipuum vsum esse à parte dei confirmationem fidei nostrę, quemadmodum & ipsi ministri quicquid agunt nomine ministerij, id agunt præcipuè vt voluntatem Dei nobis patefaciant & confirment.

Ob. Dicitur quòd spiritus & verbum efficiant in nobis fidem, & sacramenta eam foueant. Igitur hæc tria nihil inter se differunt. Resp. Primùm spiritus sanctus efficit & confirmat in nobis fidem tanquam causa efficiens: verbum & sacramenta tanquam causæ instrumentales. 2. Spiritus sanctus etiam sine illis duobus potest efficere fidem. Verbum & sacramenta sine spiritu S. nihil. 3. Spiritus sanctus vbicunque habitat, est efficax: verbum & sacramenta non item. Hæc breuiter in genere priùs dicenda erant de ministerio.

Restat vt paucis deinceps *de sacramentis* agamus, de altera

altera scilicet Ecclesiastici muneris parte. Recta methodus hanc doctrinam de sacramentis interpretandi requirit, vt primùm de sacramentis in genere dicamus. Atque hoc modo in specie de Cœna & Baptismo non incommodè tractari poterit, nempe si sumamus in vtroq; sacramento speciatim explicando, easdem quæstiones, & earundem quæstionum seriem quam obseruare debemus de sacramentis in genere: tum si testimonia quæ agunt de sacramentis in genere, applicemus ad tractationem sacramentorum in specie.

Quæstiones de sacramentis præcipuæ.

1. *Quid sint sacramenta.*
2. *Qui sint sacramentorum fines.*
3. *Quid sacramenta differant à sacrificiis.*
4. *Quid commune habeant cum verbo, & quid ab eodem differant.*
5. *Quomodo conueniant veteris & noui testamenti sacramenta.*
6. *Quid sit vnio sacramentalis.*
7. *Quid res à signis differant.*
8. *Quæ formæ loquendi de sacramentis Ecclesiæ & scripturæ vsitatæ sint.*
9. *Quis sit vsus sacramentorum legitimus.*
10. *Quid accipiant impij in vsu.*
11. *Quot sint noui testamenti sacramenta.*

1. *Quid sint sacramenta.*

VT sciamus quid sacramenta propriè sint, ipsum *sacramenti* nomen primò nobis erit considerandum. Latinis *sacramentum est forma solennis iuramenti in bello, sacramentum scilicet militare, sic dictum à sacrando quod eo iuramento quis consecretur aut destinetur huic imperatori, non alij, ad seruiendum.* Hinc quidam volunt has ceremonias à Deo institutas ideo sic appellari, quòd vt milites illo sacramento militari se obligabant suo imperatori: sic obligemus nos duci nostro Christo solemni iuramento coram Deo, Angelis & hominibus. Ista quidem

quidem satis concinna est Metaphora: sed puto ex veteribus versionibus ortum esse hoc nomen, in quibus vbicunque occurrit in nouo Testamento mysterium, id plerunque latinè redditur *sacramentum*. Est autem μυστηριον à μυεω, id est, instruo in sacris, initio, vnde Germanicum *Verweihen*. At μυεω deriuatur à μυω quia (vt inquit Eustathius) oportebat *initiatos os occludere, & non indicare quæ secreta erant*. Mysterium autem dicitur, vel ipsum arcanum, vel signum rei arcanæ, vel id quod habet arcanam significationem, quam non intelligunt nisi initiati. *Signum* intelligimus rem & actionem externam & corpoream, siue ceremoniam diuinitus institutam, quæ rem quandam internam & spiritualem denotat. Quod Græci dicunt *mysterium*, à Theol. aliàs appellatur *sacramentum*. Atque eiusmodi signa semper aliqua in Ecclesia extare voluit Deus, quibus & Dei bona voluntas erga homines testata fieret, vt vicissim homines fidem suam erga Deum aliaq; pietatis officia declararent. Sic igitur sacramenta dicuntur mysteria, quia significationem habent arcanam quam non intelligunt nisi initiati & edocti de summis rerum, seu de capitibus Christianæ religionis.

Postquam vidimus quid significet ipsum *sacramenti* nomen, superest vt rem ipsam consideremus, & *quid sint sacramenta* definiamus. Definitio est eiusmodi. *Sacramenta sunt sacra signa & sigilla in oculos incurrentia instituta à Deo, vt per ea nobis promissionem Euangelij magis declaret & obsignet.*

Tria sunt membra definitionis. Primum ad *sacramentorum genus*, posteriora *ad eorum differentiam* pertinent. *Ad genus* pertinent, quòd *sacramenta sint signa & sigilla sacra*, id est diuina ac significantia res sacras ad cultum Dei & salutem hominum pertinentes. *Signum & sigillum inter se differunt vt genus & species.* Omne enim sigillum est signum, sed non contra. *Sigillum* certificat & confirmat: *signum* tantùm ostendit aliquid. *Est autem signum res aliud præter speciem quam sensibus*

ostendit

ostendit significans: vel *signum est per quod intellectus alia intelligit, quàm ipsum signum*. Sic verba sunt signa rerum, Porrò *duplicia sunt signa*, alia *sunt tantùm significantia*, alia *etiam confirmantia*, nimirum eiusmodi signa ex quibus etiam argumentamur de re quam ipsa significant, neque tantùm ex iis intelligimus quid ipsa significent, sed & ex iis argumentamur & ratiocinamur, ita vt non relinquamur incerti an sit verum vel falsum quod illa significant. *Idem* ergo *præstant sacramenta quod pignora*: nam & significant esse tibi quid promissum, & simul idem tibi confirmant, vnde etiam additur quòd sint *sigilla. Hæc autem signa & sigilla vocantur* sacra, quia nobis dantur à Deo. Res enim sacræ sunt duplices, 1. *Quæ nobis præstantur à Deo.* 2. *Quæ Deo præstantur à nobis.* Dicuntur hæc *signa in oculos incurrentia*, id est visibilia: nam talia debent esse, si res inuisibiles significare debent. Deinde quia debent esse adminicula fidei & externo sensu percipi quo moueatur sensus internus. Quod enim non vides non est signum. Qui facit signum inuisibile, implicat contradictionẽ. Signa non sunt inuisibilia, sed res significatæ. Hinc est quòd veteres ita sacramentum definiant. Sacramentum est signum visibile inuisibilis gratiæ.

Ad *differentiam sacramentorum* pertinent hæc. 1. Quod sint instituta à Deo. 2. Ideo instituta vt per ea nobis Deus obsignet & confirmet promissionem. *A solo autem Deo institutæ esse hæc signa certum est*: sicut enim Deus solus pronuntiat de sua voluntate, eamque nos docet, & dat nobis promissionem gratiæ, sic ipse solus per sacramẽta nobis eam promissionem confirmat. Proinde solus Deus habet autoritatẽ instituendi sacramentum. Atque hæc *institutio sacramentorum complectitur duo*, 1. *præceptionem ritus ac ceremoniarum.* 2. *promissionem gratiæ huic ritui additam, qua Deus promittit se veteribus signo legitimè datum rem significatam.* Hæc autẽ sunt solius Dei. Nam vt receptio in gratiam, & remissio peccatorum est solius dei: sic etiam eius promissio,

Et

Et vt solus Deus instituit sibi cultum publicum, sic ipse solus confirmare nobis potest per cultum publicum, ac ministerium, & per sacramenta promissionem gratiæ, promissionem nimirum de accipiendis omnibus beneficiis ad salutem necessariis, quæ per ceremonias ac ritus sacramentorum significantur ac confirmantur: promissionis etiam fit mentio in definitione, vt illa Sacramentorum differentia melius percipiatur & discernatur: quia etiam aliarum rerum testimonia Deus dedit hominibus. *Promissionem illam* gratiæ vocat & scriptura *promissionem* Euangelij, quia nimirum eam nobis Deus in Euangelio principaliter promittit. Eam deinde promissam in Euangelio per sacramenta nobis magis *declarat*: idque *propter analogiam & similitudinem signorum cum rebus, quæ per illa signa sacramentalia significantur.* Vt enim similitudo explicat id cuius est similitudo: sic sacramenta declarant id cuius sunt sacramenta. Et vt vera similitudo non intelligitur, nisi analogia similitudinis intelligatur: ita nec Sacramenta nisi analogia signi intelligatur. Neque verò Deus Euangelij promissionem per sacramenta nobis tantùm declarat, sed & obsignat. 1. *Quia Deus nobiscum loquens siue per verbum, siue per signum, semper æquè verax est.* Ideoque de voluntate sua certos nos facit verbo pariter ac sacramentis. 2. *Quia sacramenta sunt sigilla ac pignora addita promissioni*, quibus qui rectè vsus fuerit, vera nimirum fide & pœnitentia, huic obsignant & confirmant certissimè illa pignora ac sigilla, qui etiam sit futurus particeps rerum significatarum & spiritualium.

2. *Qui sint Sacramentorum fines.*

Finis principalis Sacramentorum continetur eorundem definitione, scilicet *vt sint signa fœderis*, hoc est, vt Deus testetur se in vsu legitimo rem promissam conferre, atq; ita fidem nostram confirmet, nos per sacramẽta doceat, nos per eadem hortetur, ad amplectenda bona per Christum parta, deinde sacramentis

hæc

hæc beneficia Christi nobis obsignet, idque, 1. *Quia sacramẽta sunt signa.* 2. *Quia sunt pignora habentia promissionem*, ac per hæc signa ac pignora fauoris erga nos diuini, Spiritus S. efficaciter mouet corda nostra non minus quàm per verbum.

2. *Distinctio Ecclesiæ ab Ethnicis & sectis aliis omnibus.* Vult enim Deus Ecclesiam suam conspici in mundo, eamque agnosci ex his sacris signis, vt milites agnoscuntur ex tesseris militaribus, & oues ex notis quas eis pastor inurit. *Iubet Iudæos circumcidi & Christianos baptizari: alienos arcet ab esu agni pesah.* Vult suum regnum à synagoga satanæ discerni. 1. *Propter gloriam suã.* 2. *Propter nostram consolationem & salutem. Sicut* enim non vult se confundi cum idolis: sic etiam non vult populum suum confundi cum regno Diaboli.

3. *Professio ac testificatio nostræ gratitudinis ac officij erga Deum*, nimirũ obligatio qua nos obstringimur Christo nos futuros eius populum, sicut ille est noster Deus, nos acturos veram pœnitentiam, nos in ipsum credituros, & ab ipso accepturos oblata beneficia.

4. *Seruiunt sacramenta propagationi & conseruationi doctrinæ*, quia vsum sacramentorum non vult Deus esse sine verbo & explicatione.

5. *Sunt & occasio iunioribus inquirendi quid velint ista, & explicandi & prædicandi beneficia Christi.* Quomodo etiam dominus dicit populo suo. *Cùm interrogauerit te filius tuus cras dicens & videns hoc: respondebis ei. In manu forti eduxit nos dominus de terra Ægypti, de domo seruitutis.* Exod. 13. 14.

6. *Sunt vincula dilectionis mutuæ*, quia confœderati cum Christo capite Eccl. nõ debent inter se diffidere. *Per vnum spiritum nos omnes in vnum corpus baptizati sumus.* 1. Cor. 12. 13. Pari ratione Sacramenta sunt vincula congressuum publicorum in Eccl. *Cum conuenitis ad vescendum alius alium expectate.* 1. Cor. 11. 33. *Quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus: nam omnes vnius panis sumus participes.* 1. Cor. 10. 17. *Vnus Deus, vna fides, &c.* Eph. 4. 5. Sed nos nec communionem inter nos constituere, nec constitutam cõseruare, nec mortem

tem Domini vtiliter annuntiare possumus: quãdiu de institutione sacramentorum rixosè inter nos dissentimus. Sacramenta sunt pignora communionis Christianorum cum Christo inprimis, deinde etiam inter se.

3. *Quid sacramenta differant à sacrificiis.*

TEnendum est discrimen inter sacrificia & sacramẽta, vt sciamus quid agamus cùm ad ea accedimus. *Differunt autem principali fine. Nam sacramenta sunt tantùm ceremoniæ. Sacrificia possunt esse ceremoniæ & etiam opera moralia, vt eucharistica sacrificia* sunt opera nostra erga Deum, quibus Deo præstamus debitam obediẽtiam & honorem: talia sunt sacrificia laudis & gratitudinis. *Sacramentum* est opus Dei erga nos in quo dat aliquid, scilicet signa & res signatas: & in quo testatur se nobis offerre ac dare sua beneficia. *Vel sic. Sacrificiũ* est opus in quo nos Deo prẽstamus aliquam obedientiam vel cultum. Sed *Sacramentũ* est, in quo nobis Deus aliquid dat. 1. *Signa externa.* 2. *Res significatas.* Possunt aliquando esse simul sacramentum & sacrificium: sed respectu Dei sunt Sacramenta, respectu nostri sunt sacrificia, & tantum eucharistica. Nã vnum est tantùm sacrificiũ ἱλαστικον per λύτρον Christi pro nobis in cruce oblati. *Ob. Pascha & aliæ ceremoniæ veteris testamenti erant sacrificia & sacramenta. Ergo sacramenta nihil à sacrificiis differunt. Resp.* Plus est in cõclusione, quia sequitur hoc saltem, eandẽ rem posse esse Sacramẽtum ac sacrificium. Sic Baptismus & cœna D. sunt sacramenta: sacrificia sunt sacramẽta, & quidẽ principaliter, quia sũt opus dei, qui aliquid in iis nobis dat, & se dare testatur. In iis. n. symbola nobis porrigit per ministros, quẽadmodũ etiã per ministros ore suo loquitur, iuxta illud. *Qui vos audit, me audit.* Sic ergo ministrorum quique manibus porrigit sacramenta, & ex manibus illorum tanquam Dei manibus illa accipimus, modò illa sumamus cum reuerentia: multò magis autem dat nobis Deus & veluti manu porrigit in vsu legitimorum per

Luc. 10. 16.

per sacramenta significatas. Sunt porrò sacrificia Baptismus & Cœna Domini non quidem principaliter, sed quatenus sunt opus nostrum, quod Deo præstamus, id est, quatenus velut ex Dei manu, symbola accipimus, atque ita declaramus nostram obedientiam erga Deum.

4. Quid sacramenta commune habeant cum verbo, & quid ab eodem differant.

Commune habent sacramenta cum verbo, 1. *Vtraque easdem res nobis exhibent.* Vtrisque enim testatur Deus nobis voluntatem suam, & vtrisque eadem sua beneficia, eandem gratiam, eundemque Christum nobis proponit, nec aliud confirmat ac repræsentat Deus sacramentis quàm in verbo promisit, & qui aliud gerunt in sacramentis, quàm in verbo Dei præscriptum, fabricant idola. 2. *Vtraq; sunt organa S. sancti, & sic vtraq; etiam confirmant fidem.* 3. *Vtraque Deus instituit, vtraque Deus porrigit.* 4. *Vtraque Deus exequitur per ministros Ecclesiæ.* Loquitur enim nobiscum in verbo per ministros, & in sacramentis per ministros nobis porrigit symbola. Res autem per symbola significatas offert nobis immediatè filius Dei. Ille dicit, *Accipite Spiritum Sanctum:* & Ioannes de eo dicit. *Ego quidem baptizo vos aqua ad resipiscentiam, is verò qui post me venit, vos baptizabit Spiritu sancto & igni.* Ioan. 20 21. Matt. 3. 11.

Differunt à verbo sacramenta, 1. *Substantia & natura:* nam, 1. verba significant ex instituto hominum, quibus ita placuit res significari. Symbola significant secundùm similitudinem, quam habent cum rebus significatis. 2. Verba audimus, legimus: symbola etiam tactu, visu, gustuque percipimus. 3. Verba significant solummodo: symbola & signa etiam confirmant. 2. *Verbum promissionis & præcepti promiscuè proponitur omnibus:* non renatis vt vel incipiant credere & regenerari, vel reddantur inexcusabiles: renatis vt magis credant & confirmentur. *Sacramenta tantùm membris Ecclesiæ porriguntur, quorum fides iis confirmatur & conseruatur.*

seruatur. Verbum prædicatur omnibus simul: sacramenta dantur membris Ecclesiæ singulis: vnus post alterum baptizatur: vni post alterum communicatur Cœna. 3. *Verbum est instrumentum S. S. per quod inchoat & confirmat fidem nostram.* ideoque debent illa verbum sequi. *Sacramenta sunt organa Spiritus S. per quæ non inchoat, sed tantùm confirmat fidem nostram:* ideoque debet verbum illa præire. Ratio huius discriminis est, quia Sacramenta sine intellectu non mouent. *Ignoti nulla cupido:* diuersa tamen ratio est in infantibus. In his enim fides à S. S. nec inchoatur nec confirmatur verbo, sed interna efficacia, & qui nascuntur in Ecclesia ad eos infantes pertinet fœdus & promissio. 4. *Verbum est necessarium & sufficiens ad salutem adultis. Fides.n. est ex auditu. At sacramenta non præcisè & absolutè sunt necessaria omnibus.* Verissimum enim illud est Augustini dictum: *Non priuatio, sed contemptus damnat.* 5. *Sacramenta gestibus, verbum sermone nobis declarat. voluntatem Dei.* 6. *Verbum potest esse absque Sacramentis,* vt in explicatione tum priuata, tum publica, eaq; etiam efficaci, sicut apparuit in Cornelio, Act. 10. *Sacramenta verò absque verbo non item.* 7. *Verbum est quod confirmatur signis appositis: Sacramenta sunt illa quibus illud confirmatur.* 8. *Verbum prædicari debet tantùm adultis: Sacramenta etiam præbenda sunt infantibus, vt circumcisio & baptismus.* Augustinus dicit, *Sacramentum esse visibile verbum. breuissimè & aptissimè expressit conuenientiam & discrimen Verbi & sacramentorum. Nam cùm* dicit, *Sacramentum esse Verbum*, ostendit conuenientiam Verbi & Sacramentorum, quòd scilicet idem doceant. Cùm addit, *visibile*, ostendit discrimen, nimirum quòd ritu differant.

5. *Quomodo conueniant, & quomodo differant Veteris & Noui Testamenti Sacramenta.*

DIfferunt primò ritibus, quorum facta est aduentu Christi mutatio, vt significaretur cessatio veteris testa-

testamenti: & inchoatio seu successio noui testamenti. 2. Multitudine seu numero: ibi fuerunt plures & laboriosiores: hic pauciores & faciliores ritus. 3. *Significatione*: Illa venturum Christum, hæc exhibitum significant. Significatio diuersa est quatenus diuersa temporis est circumstantia, quam Sacramenta veteris & noui Testamenti significant. Nam veterum Sacramenta significabant futurum tempus exhibendi Christi nostra significant tempus præteritum Christi iam in carne manifestati. 4. *Obligatione*. Vetera posteros tantùm Abrahæ, nostra totam omnium gentium Ecclesiam obligant. 5. *Duratione*. Vetera vsque ad Messiam durare debebant: noua ad finem vsq; mundi. 6. *Claritate*. Illa sunt obscuriora, quia significant exhibenda: hæc verò clariora, quia significant exhibita.

Conueniunt. 1. *Authore*. 2. *rebus significatis*, siue substantia. Nam Sacramentis vtriusque Testamenti eædem res nobis offeruntur, significantur, promittuntur, nimirum remissio peccatorum, ac donatio Spiritus sancti, & quidem per solum Christum. Probatur hoc in Epistola ad Hebræos. *Iesus Christus heri & hodie idem est, & in secula*. Sed hæc non sunt quod ad ritus & ceremonias eadem. Ergo quoad rem significatam. *Patres sub lege in nube & in mari baptizati sunt, & omnes eandem escam spiritualem comederunt. Per Christum circũcisi estis Circũcisione quæ fit sine manibus*, id est, in baptismo eadem beneficia accipimus quæ in Circumcisione. Extra Christum igitur, qui est omnium Sacramentorum, & veteris & noui Testamenti res significata, nullus vnquam seruatus fuit, aut hodie seruatur, aut deinceps seruandus est Vnde consequitur Patres in veteri Testamẽto eandẽ habuisse *communionem* cum Christo, quam & nos, atque illam non minus per verbum & sacramenta fuisse significatam & confirmatã, quàm nobis nunc in nouo fœdere. Proinde non solùm idololatria est quærere aliam Christi *communionẽ* quã sit in verbo, sed & aliam Christi *communionem* in noui

Heb. 13. 1.

1. Cor. 10. 2

Col. 2. 11.

Testamenti Sacramentis quærere, quàm quæ fuit in veteris Testamenti Sacramentis.

6. *Quid sit vnio Sacramentalis.*

Fundamentum in sacramentis sunt ritus & ceremoniæ à Deo institutę. *Terminus*, Christus & omnia eius beneficia. *Relatio* est ordinatio rituum ad significandas res. *Correlatiua* sunt res & signa. Hinc iam apparet coniunctionem rerum cum signis, vel vnionem sacramentalem, non esse corporalem aut localem. *Consistit autem hæc vnio in duobus. 1. In similitudine & analogia signorum cum rebus signatis. 2. In coniuncta exhibitione vel acceptione rerum & signorum in vsu legitimo.* Soli fideles in vsu legitimo à Ministris signa, à Christo res significatas accipiunt: & quando nos ita accipimus vtrunq; id dicitur *vnio Sacramentalis*: nam in his illa consistit, non autem in præsentia rei & signi in eodem loco, & multò minus in transmutatione & transsubstantiatione.

Vnio ergo *Sacramentalis talis est* vt conueniat omnibus Sacramentis: & qualis vnio fuit Christi cum veteribus Sacramentis, talis etiam iam est. *Sacramentum* est relatiuum vocabulum. Ceremoniam à Deo institutam diximus esse *fundamentum*: Christum seu communionem Christi, & omnium beneficiorum eius, *terminum*. *Relatio*, est ordinatio illius ritus ad rem significatam, seu ad hunc terminum *Correlatiuum* est res significata, scilicet & Christus ipse & eius beneficia seu cõmunio & participatio Christi & eius beneficiorum. *Sunt* enim *in omni sacramento duo, res significata & signa.* Differunt autem res & Sacramentum tanquã relatio & correlatiuum. Sicut igitur res non possunt esse sine signo: ita si signum auellas à re non amplius erit signum, quia relatio in rerum coniunctione consistit: sicut non manet Dominus sublato signo. Distinguntur autem, non diuelluntur res & signa. *Breuius sic: In omni sacramento sunt signum & res significata. Res ipse*

ipse Christus & eius beneficia, seu communio & participatio Christi & eius beneficiorum. *Differunt res & Sacramentum.* Res propriè non est Sacramentum, nec signa sunt sacramenta. Signum non est res: sed si auferas signum, non erit res: & contrà. Ergo sunt discernenda, non diuellenda. Debent igitur ista duo simul esse, ita vt altero sublato, hoc non sit amplius quod dicebatur. *Est igitur Sacramentalis coniunctio rerum & signorum in sacramentis: & consistit* 1. *in similitudine, qua significatur, adumbratur & præsentatur res.* Nam si signa non habent similitudinem cum rebus iam non sunt signa. 2. *Inconuenientia perceptionis rerum & signorum.* In his consistit coniunctio rerum & signorum.

7. *Quid res à signis differant.*

DIfferunt signa à reb. significatis, 1. *Substantia. Signa sunt corporalia, visibilia, terrena: res verò cœlestes inuisibiles, spirituales. Obiect. Atqui corpus Christi est quiddam corporeum. Resp.* Spirituales res hic vocantur quæ mediante Spiritu sancto, sola fide, non autem membris percipiuntur. 2. *In modo accipiendi:* signa accipiuntur manu, ore & corporalibus membris, còque & ab infidelibus: res accipiuntur sola fide & spiritu, eòque à solis credentib. tantùm. 3. *Fine vel vsu.* Res dantur ad possidendam vitam æternam, & sunt ipsa vita æterna vel eius pars. Signa accipiuntur ad obsignandam & confirmandam fidem de ipsis rebus promissis. 4. *Res significatæ sunt necessariæ, & necessariò percipiuntur ab omnibus veræ Ecclesiæ membris. Signa tantùm ab iis qui illa possunt accipere: signa sunt diuersa, ritus varij: res perpetuæ & eædem in omnibus sacramentis.*

8. *Quæ formæ loquendi de sacramentis Ecclesiæ & scripturæ vsitatæ sint,*

FOrmæ loquendi de Sacramentis, partim sunt *propriæ*, partim *figuratæ*. *Propriæ* sunt, 1. *quando sacramenta dicuntur tesseræ, signa, sigilla, eaque obsignantia &*

Rom.4.11 Gen.17.11. *confirmantia quòd Deus velit dare promissa. Sic circumcisio est sigillum iustitiæ fidei. Et hoc signum erit in carne tua.* 2. *Quando disertè signis additur promissiones*, quòd nimirũ Marc.16.16 accipientes signa accipiant res per illa significatas, vt cùm dicitur, *qui crediderit & baptizatus fuerit seruabitur. Figurata vel sacramentalis loquutio est.* 1. *Quando signis tribuuntur nomina rerum: vt Pascha est transitus.* 2. Cõtrà, *quando rebus tribuuntur nomina signorum.* 3. *Quando signis tribuuntur proprietates rerum*, vt *Panis quem frangimus* 1.Cor.10.16 *nonne est communio corporis Christi &c?* Sic *baptismus dicitur abluere peccata, saluare: regenerare.* 4. Vel contra, *quando signorum proprietates tribuuntur rebus ipsis*, vt *Petra erat Christus. Sanguine Christi abluimur.* Hæ locutiones omnes idem finificant: promissionem scilicet gratiæ additam ritui, idque ideo, 1. *Quòd signa res repræsentent & obsignent. Baptismus est lauacrum regenerationis.* 2. *Quòd simul res & signa à fidelibus in vsu legitimo percipiantur.*

9. *Quis sit vsus sacramentorum legitimus.*

VSus sacramentorum legitimus est, 1. *Quando seruantur ritus à Deo instituti, neque illi corrumpuntur.* Institutio Christi pura retinenda est, additiones Antichristi tollendæ, quæque abstulit rursus addenda sunt. 2. *Quando eæ personæ ritus vsurpant, quibus eos Deus instituit.* Ritus ergo debẽt tantùm vsurpare domestici Act.8.37. Mat.3.6. Christi, id est Christiani, qui professione fidei & pœnitentiæ sunt ciues Ecclesiæ. *Si credis toto corde, licet tibi baptizari: sic & à Ioanne baptizantur peccata sua confitentes.* 3. *Quando in eum finem vsurpantur ritus & sacramenta, in quem sunt instituta.*

In alium finem & vsum non licet ritus transformare præter eum in quem sunt constituti. 1. *Quia id non est obtemperare Dei mandato.* 2. *Quia signis mutatis, aut in alium vsum conuersis, aut pacto non seruato, sponsoris consensus admittitur, sine quo nihil confirmat signum aut arrhabo.* Itaque sacramenta extra vsum non sunt sacramenta, sed

sed potius inania spectacula, nec habent rationem sacramentorum. *Vsus autem legitimus consistit potissimum vera fide & pœnitentia*: hanc qui non habẽt, illis sacramenta non sunt sacramenta. Proinde insaniunt qui infideles dicunt vnà cum signis accipere res per signa significatas.

10. *Quid accipiant impij in vsu.*

IMpij accipiunt nuda tantùm signa, eaq; ad iudicium & condemnationem. 1. *Quia beneficia Christi accipiuntur tãtùm in vsu sacramentorum legitimo*: at legitimum eorum vsum negligunt qui ea sumunt indignè: quamobrem & Paulus ait, *Quisquis ederit panem hunc, aut biberit poculum hoc indignè, reus tenebitur corporis & sanguinis domini.* 1. Cor. 11. 27
Impii autem edunt & bibunt indignè, quia profanant sacramenta, ac Deum in Diabolum transformant, Deiq; filios in Diaboli filios. 2. *Cui nihil promittitur in verbo, ei sacramenta nihil obsignant. Impiis Deus nihil promittit in verbo. Ergo sacramenta nihil illis obsignant.* Diploma quomodo & quibus aliquid promittit, eodem modo & iisdem illud etiam promittit signum diplomati appensum, non autem aliis. Haud aliter beneficia sua Deus eo modo & iis præstat, quomodo & quibus ea promisit. Impiis autem nihil promisit, quamdiu manent in sua incredulitate. 3. *Fide percipimus res spirituales. Impij non habent fidem. Ergo nec spirituales res impij percipiunt.* 4. *Impium esse & accipere integra sacramenta, contradictionem implicat.*

11. *Quot sint noui testamenti sacramenta.*

IN nouo testamento *tantùm sunt duo sacramenta*, quorum vsus in Ecclesia est perpetuus & vniuersalis, consentientibus Ambrosio & Augustino: *Baptismus*, qui circumcisioni & reliquis purificationibus legis successit: & *Cœna Domini*, quam Agnus Pesah adumbrauit. Hæc duo, non plura, Christus instituit. *Ea tantùm sunt noui Testamenti sacramenta quæ sunt*, 1. cere-

moniæ.2.Institutæ à Christo toti Eccl.3. Habentia additam promissionem gratiæ. Talia autem duo tantùm sunt sacramenta, sicut ex eorum definitione constat. Proinde *pœnitentia, absolutio priuata, matrimonium, vnctio, & impositio manuum non sunt sacramenta.* Certum enim est *pœnitentiam & absolutionem priuatam* esse tantùm concionem Euangelij. Ipsa autem annuntiatio gratię non debet confundi cum appendicibus promissionis gratiæ. *Vnctio, Impositio manuum* sunt quidem ceremoniæ: sed nec institutæ sunt à Christo toti Ecclesiæ, nec habent promissionem gratiæ. Res significata extremæ vnctionis desiit in Ecclesia. *Matrimonium* non est ceremonia, sed opus morale. Illud Pontificij inter Sacramenta numerant, quoniam vetus interpres mysteriuu *vertit Sacramentum*. Ep.5.32, vbi de coniugio agitur. Sed potius audiendus est Paulus quàm Latinus interpres. Nemo ignorat mysterium Græcis non minus latè patere quàm *arcanum* Latinis. Fateantur ergo omnia arcana esse Sacramenta. *Si coniugium est 7 sacramentum*, voluntas Dei erit 8. Sacramentum: vocatio Gentium 9. Sic enim idem interpres in eadem epistola idem vocabulum Græcum est interpretatus. Ep.1.9.& 3.9. Sed Paulus eo in loco, cap. 5.23. *mysterij* nomine vtitur, ad designandam Christi & Ecclesiæ, non autem mariti & vxoris coniunctionem.

Theses De sacramentis, in genere.

1. DEus promissioni gratiæ & vitæ æternæ semper adiunxit signa & ritus quosdam quos Ecclesia nominat Sacramenta. Abrahæ Circumcisio mandata fuit. Per Mosen sacrificia & ritus aucta sunt quæ durarunt vsque ad Christum, qui Baptismum & Cœnam instituit.

2. Sunt igitur sacramenta signa fœderis æterni inter Deum & homines credentes, hoc est, sunt ritus diuinitus Ecclesiæ mandati & additi promissioni gratiæ, quibus, tan-

quam

quam visibilibus & certis testimoniis Deus significet & testetur se omnibus vera fide hæc symbola vsurpantibus Christum & omnia eius beneficia communicare, iuxta promissionem Euangelij: & vt hoc modo promissionis fiduciam in ipsis confirmet: Ecclesia etiam vicissim horum symbolorum participatione suam erga Deum fidem & gratitudinem publicè profiteatur, ad eámque se obliget, memoriam beneficiorum Christi conseruet ac propaget, ab omnibus aliis sectis discernatur, atque ad mutuam dilectionem sub vno capite Christo obligetur & excitetur.

3. Ritus non mandati à Deo, vel non in hunc finem instituti vt sint signa promissionis gratiæ, non sunt signa Ecclesiæ: Signum enim nihil confirmare potest nisi ex consensu & promissione illius à quo res promissa & significata expectatur. Nulla igitur creatura potest signa diuinæ voluntatis instituere.

4. Duo sunt in omnibus sacramentis consideranda: Signa visibilia, terrena & corporalia, quæ sunt ritus seu ceremoniæ, & res visibiles atque corporales, quas nobis Deus per ministros exhibet, ac nos corporaliter, hoc est, membris & sensibus corporis accipimus. Et res significatæ, inuisibiles, cœlestes & spirituales, hoc est, Christus ipse & omnia eius beneficia, quæ spiritualiter, hoc est, virtute spiritus sancti per fidem nobis à Deo communicantur.

5. Mutatio signorum, non physica sed relatiua, non fit quo ad naturam siue substantiam, sed tantùm quod ad ipsorum vsum attinet.

6. Etiam coniunctio signorum & rerum significatarum non physica aut localis est, sed relatiua, ordinatione Dei, qua res inuisibiles & spirituales per visibiles & corporales repræsentantur, tanquam per verba visibilia, & in vsu legitimo vnà cum signis exhibentur & percipiuntur.

7. Nomina & proprietates rerum significatarum symbolis, & contrà symbolorum nomina & proprietates rebus tribuuntur propter similitudinem siue propter significationem rerum per signa, & propter coniunctam rerum cum signis in legitimo vsu exhibitionem & perceptionem.

8. *Vsus legitimus sacramentorum est, quando fideles seruant eos ritus quos Deus præcepit in eos fines propter quos sacramenta sunt à Deo instituta. Institutio in ritibus, personis & finibus consistit: quibus violatis, abusus est.*

9. *In hoc vsu res significatæ semper vnà cum signis accipiuntur. Ideo signa minimè inania aut vacua sunt: etiamsi aliter res, aliter signa accipiantur.*

10. *Extra vsum verò institutum à Deo neque ceremoniæ rationem Sacramenti habent, neque beneficia Dei per eas significata cum signis accipiuntur.*

11. *Signa pij ad salutem, impij ad condemnationem accipiunt. Res verò significatas tantùm pij ad salutem possunt accipere.*

12. *In Electis tamen, etiam indignè accepti Sacramenti, postquam conuertuntur, fructus tandem consequitur. Et in illis etiam quæ propter ipsorum vitia & defectus concurrit indignitas, & si aliquando propter eam à Deo castigentur, tamen ipsis condonatur, ita vt indignitas illa eorum saluti non noceat.*

13. *Alia Sacramenta semel in vita: alia sæpius accipienda. Alia tantùm adultis: alia etiam infantibus tribuenda sunt. Prout fœdus semel sanciendo cum omnibus Electis & in Ecclesiam recipiendis, vt circumcisio & baptismus: aut post lapsus & tentationem certamina renouando, fœdere, Ecclesiæ vnitati, & congressibus fouendis, à Deo instituta sunt: vt arca, Pascha, & reliqua sacrificia: item Cœna Domini.*

14. *Antiqui & noui fœderis Sacramentis communia sunt ea quæ in definitione dicta sunt. Eorum verò discrimina sunt hæc, quòd vetera exhibendum, noua exhibitum Christum cum suis beneficiis monstrant. Veterum erant alij & plures ritus, vt circumcisio, sacrificia, obligationes, pascha, sabbatum, adoratio ad arcam, Christianorum alij, & tantùm duo Baptismus & Cœna, Vetera obscuriora: noua clariora sunt. Vetera posteris Abrahæ propria erant eorúmque mancipiis: noua toti Ecclesiæ, ex Iudæis & Gentibus colligendæ, sunt mandata.*

15. *Commune est Sacramentis & prædicationi Euangeli-*

cæ,

te, quod sunt opus Dei quod exercet erga Ecclesiam, per ministros, qui docent, promittunt & offerunt nobis eandem Christi & omnium beneficiorum eius communionem: & sunt organa externa spiritus sancti, per quæ mouet corda ad credendum, ac proinde interuentu fidei, & Christi, & beneficiorum eius nos facit participes. Nec tamen spiritus sancti operatio hîc est alligenda: nec prosunt, sed potius nocet non applicantibus sibi fide id quod verba & ritus significant.

16. *Differunt à verbo Sacramenta, quòd illud sermone, hæc gestibus significant Dei erga nos voluntatem. Illo fides & inchoatur & confirmatur: His confirmatur tantùm in Cœna. Illud etiam sine Sacramentis docet & confirmat: Hæc autem non sine verbo. Sine illius cognitione adulti non seruantur: Sine Sacramentorum autem usu, si non ex contemptu omissus fuerit, & renasci homines & seruari possunt. Illud etiam incredulis & impiis prædicatur: ad hæc tantùm eos admittere debet Ecclesia quos pro membris Deus nos habere iubet.*

17. *Commune est Sacramentis & sacrificiis quòd sunt opera à Deo mandata, facienda in fide. Deffert Sacramentum à Sacrificio, quod Sacramento Deus nobis significat & testatur sua beneficia quæ ipse pro nobis præstat. Sacrificio nos Deo nostram obedientiam offerimus.*

18. *Ideo etiam eadem ceremonia sacramenti & sacrificij rationem habere potest, vt quibus deus dãdo nobis symbola visibilia sua erga nos beneficia, nos accipiendo illa rursus erga eum officium nostrum testemur. Hæc autem nostræ fidei & gratitudinis testificatio ex illa diuini erga nos beneficij testificatione, tanquam ex primario & proprio sacramentorum fine atque usu pendet, per eámque in animis fidelium excitatur.*

Probatio Thesium.

SEcundæ) Definitio hæc expressa est. Genes. 17. 11. Exod. 20. 10. Exod. 31. 14. *Sabbata mea seruabis. Esse ritus mandatos Ecclesiæ à Deo*, patet ex institutione: sicut etiam, *quod sint ritus additi promissioni, tanquam eius visibilia signa. Quia omnia sacramenta sunt necessaria erga Deum*

um officia. Sed primò & principaliter sunt Dei erga nos beneficia, vt circumcisio remissionem peccatorum & mortificationem ostendebat. Deut. 30. 6 Heb. 8. 9. 10. Nec tantùm ea nos confitentes & celebrantes significamus, sed principaliter Deus ea per ceremonias Sacramentorum testificans & confirmans nobis significat. Ministrum tam in sacramentorum administratione, quàm in verbi prædicatione, personam & vices Dei erga Ecclesiam gerunt. *Docete & baptizate omnes gentes. Qui misit me baptizare. Jesus baptizabat: cùm non ipse sed discipuli eius baptizarent:* Sic de symbolo inaugurationis in regnum, *Vnxit te Iehoua &c.* cum tamen Samuel ad vngendum Saulem esset missus. *Fidem igitur confirmant, quia scriptura testatur ea esse signa mutui atq; æterni fœderis inter deum & credentes, quod Deus illa collatione beneficiorum in Euangelio promissorum nobis significat.* At Deo, siue per symbola, siue per verba, quæ voluntatem suam significant, æque credendum est: quia promissionem gratiæ non tantùm sacrificia & obedientia nostra, verùm etiam signum gratiæ nobis à Deo traditæ in vsu legitimo habent additum: vt, *qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Quia denique scriptura ad significandam rerum significatarum acceptionem & priuationem, allegat acceptionem vel priuationem signorum,* vt, *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor. Circumcidet Dominus cor tuum. Quicunque baptizati sumus. Panis quem frangimus, nonne est communio corporis Christi?*

Mat. 28. 29. Ioh. 1. 33. & 3. 22. & 4. 2. 1. Sam. 10. 1. Psalm. 51. 9. Deut. 30. 6. Rom. 6. 3. 1. Cor. 10. 16.

Hinc alij fines accedunt. *Sacramenta discernunt Ecclesiam ab alijs sectis.* Hoc patet ex effectis & testimoniis. *Omnis alienigena non comedet ex eo. Quæ igitur vtilitas circumcisionis? Multa: quia illis credita sunt oracula Dei. Vos gentes quæ dicebamini præputium, quæ eratis illo tempore sine Christo, alieni à politia Israelis, hospites testamentorum promissionis, spem non habentes, & sine Deo in mundo. Erit signum fœderis inter me & te: eritque pactum meum in carne vestra. Quotiescunque ederitis &c.*

Exod. 12. Rom. 3. 1. Ephe. 2. 11. Gen. 17. 11. 1. Cor. 11. 26 Exod. 12. 14.

Conseruant beneficiorum memoriam. Hic dies erit vobis in

recordationem. Erit quasi signum in manu tua: & appensum quid ad recordationem ad oculos tuos. Hoc facite in mei recordationem. Sunt vincula dilectionis: quoniam qui confœderantur cum Deo, etiam inter se vniuntur. *Vnus Dominus, una fides, &c. Vnum corpus multi sumus.* Deut. 6. 8. Luc. 22. 19. Ephe. 4. 5. 1. Cor. 10. 17

Quartæ.) Distinctio manifesta ex distinctione. Item *signorum acceptio corporalis & externa. Res verò significatæ specialiter sine fide non accipiuntur, quia solis credentib. promittuntur.* Signa autem non sunt aliter vera quàm promissiones quibus annectuntur. Item, *quia signa nunciant oculis quod promissio nunciat auribus.* Sicut igitur promissio est inanis sonitus sine fide: ita etiam ceremoniæ. Item, *Quia res significatæ sunt communio Christi & omnium eius beneficiorum.* Hoc verò non aliter quàm per fidem cuiquam potest contingere, siue in vsu, siue extra vsum sacramenti.

Sextæ.) *Talis est omnium signorum cum rebus significatis copulatio vt res significatas repræsentent, & eorum acceptationem cõfirment: siquidẽ pignora siue symbola testificantia, etiamsi non sint in eodẽ loco, sunt cũ significatis.* Ratio est, *Quia facere aliquid signum alicuius rei, non est rem cum signo includere aut alligare, vt sint in eodem loco, sed ordinare signum ad rem. signo siue in eodem loco, siue in alio loco existente, significandam.* Item, *natura verum significatarum per Sacramenta hæc non patitur. Aliquæ enim sunt species subsistentiæ, aliquæ accidentia non in symbolis sacramentalibus, sed in mentibus hominum hærentia, vt S. sancti dona. Aliquæ corporeæ, & in vno tantùm loco, non autem vbicunque sacramenta vsurpantur, localiter existentes, vt Caro & sanguis Christi.* Gen. 17. 10. Exo. 12. 11. & 24. 8.

Septimæ) Scriptura sic loquitur de sacramentis, *Circumcisio est fœdus, Agnus est transitus, sanguis victimarum, sanguis fœderis, expiatio victimarũ, sabbathum, fœdus æternum, Operculum arcæ propitiatorium. Baptismus lauacrum mundans. Panis & vinum corpus & sanguis Christi.* Et sic seipsam exponit, cum vocatur *circumcisio signum fœderis: Pascha, signum transitus: sabbathum signum perpetuum gratiæ & sanctificationis: Ceremoniæ exemplaria verorũ: Credẽ-* Leui. 17. 5. Exod. 31. 7. Heb. 9. 5. Ephe. 5. 26. Mat. 26. 26. 28. Gen. 17. 11. Exod. 12. 27. & 31. 14. Heb. 9. 24.

zem

Marc.16.16. Mat.26.28. *tem & baptizatum fore ſaluum, & ſymbola cœnæ Dominicæ in reconciliationem ſumenda eſſe dicuntur.*

Decimæ.) Signa fœderis nihil confirmant iis qui non ſeruant fœdus, aut qui ad alium finem ea referunt. At Sacramenta ſunt ſigna fœderis, quo Deus ſe obligat ad remiſſionem peccatorum & vitam æternam gratis propter Chriſtum nobis dandam: nos verò ad fidem & nouam obedientiam præſtandam nos obligamus. Ergo non confirmant nos de gratia dei qui ſunt ſine fide & pœnitentia. Aut ritus alios, aut in alium finem vſurpant quam Deus inſtituit. Præterea *ſuperſtitioſum eſt & idololatricum vel externo opere ſine promiſſione, vel ab hominibus excogitato gratiæ Dei teſtificationem tribuere.* Non igitur Sacramentorum abuſus gratiam Dei coniunctam habet vel quemcunque de ea confirmat. Sicut dicitur, *Circumciſio prodeſt, ſi legem ſerues &c.*

Rom.2.25. 1.Pet.3.21. 1.Cor.10.16. *Vndecimæ.) Arcæ Noe reſpondens exemplar baptiſmi nos quoq; ſeruat, non ſordium carnis ablutio, ſed bonæ conſcientiæ teſtificatio erga Deum. Panis quem frangimus nonne eſt communio corporis Chriſti?* Et quum Sacramenta ſint organum externum quo Spiritus ſanctus fouet & conſeruat fidem, conſequitur ea ſaluti credentium ſeruire ſicut verbum. Contra vero impij abuſu Sacramentorum, contemptu Chriſti & beneficiorum eius, quæ illis in verbo & Sacramentis offeruntur, & confeſſione doctrinæ quam vera fide non amplectuntur, iram Dei & pœnas æternas ſibi cõciliant, iuxta dictum prophetæ. *Qui mactat bouem eſt quaſi qui occidit hominem: qui offert arietem eſt quaſi qui canem iugulet.* Eſa.66.3. 1.Cor.11.27 *Quiſquis ederit panem hunc aut biberit hoc poculum Domini indignè, reus tenebitur corporis & ſanguinis Domini.* Res autem ſignificatæ quia ſola fide accipiuntur, ſuntque vel ſalutis propriæ, vel ipſa ſalus Chriſtus & ipſius beneficia, nec ab impiis niſi ad ſalutem ſunt accipi.

Duodecimæ) & ſigna promiſſionis non ſunt ſine additam conditionem data ſunt, quandocunq; præſtatur conditio,

ditio. Talis autem est promissio quæ significatur & cõfirmatur Sacramẽtis. Ergo si in vsu accedat fides quæ credat promissioni, cum signis recipiuntur res promissæ & signatæ. *Faciam tibi sicut despexisti iuramentum, vt irritum faceres pactum: & recordabor ego pacti mei* Ezec. 16. 59. *tecum in diebus adolescentiæ tuæ, & suscitabo tibi pactum sempiternum.*

Decimætertiæ) *Circumcisionis & baptismi iteratio nusquam recepta est.* Nec obscura est ratio: *quia instituta sunt illa sacramenta, vt sint initiatio siue receptio solennis in Ecclesiam, quæ semper est rata pœnitentiam agenti & in ea perseueranti. Aliorum vero sacramentorum vsus iterari iubetur, vt de sacrificijs, paschate, adoratione ad arcam, purgationibus: item de Cœna Domini. Causa est, quia sunt testimonium quòd fœdus in circumcisione & Baptismo initum sit ratum agenti pœnitentiam. Hæc autem fidei exercitatio semper est necessaria.*

Decimæquartæ) *Definitionem esse communem veteris & noui testamenti Sacramentis* supra dictum est. *In numero & rituum forma differentiam esse* patet inductione. *Nam in nouo Testamento duo tantùm esse constat, quia non sunt aliæ ceremoniæ à Deo mandatæ & habentes additam promissionem gratiæ, Vetera exhibendum, noua exhibitum significare* constat ex eorum interpretatione in Sacra scriptura tradita, de qua in definitione dictum est. *Claritate differũt*: quia in Nouo puriores sunt ceremoniæ, & res completas significantes: In veteri plures ritus adumbrantes res futuras, quarum omnes circumstantiæ nondum erant expositæ.

Decima quinta) Quid agant ministri nomine Dei in administratione Sacramentorum, quodque Deus per illa significet, id est doceat, offerat, promittat nobis communionem Christi, ostensum est in probatione secunda. Ex hoc sequitur alterum, *quòd videlicet Spiritus sanctus per ea mouet corda ad credendum.* Cùm enim sacramenta sint promissio visibilis, eandem confirmandi fidem in nobis authoritatem habent quàm promis-

promissio nobis facta. Ex hac sequitur tertia: *non enim fidei in nobis accendendæ vel suscitandæ, sed percipiendæ communioni seruit. Quia hoc nobis per fidem contingit*, ideo dicitur, *Panis est communio corporis Christi: Baptismus nos saluos facit*. Nec tamen semper fidem per ea confirmat spiritus S. vt ostendunt Simonis magi & infinita aliorum exempla. Quòd noceat eorum vsus sine fide, probatum est in secunda propositione.

Decimæ sextæ) *Sacramenta sine verbo præeunte, nec docent, nec fidem confirmant, quia significatio eorum non intelligitur nisi verbo explicetur: nec signum aliquid potest confirmare, nisi prius sit promissum.* Exemplo sunt Iudæi qui seruabant & nunc seruant ceremonias, addita autem non intellecta promissione gratiæ & beneficiorum Christi. *Sine verbo adulti non seruantur*, siue per doctrinam via ordinaria, siue per internam & extraordinariam cognitionem. *Qui non credit in filium iam condemnatus est*. *Fides ex auditu: auditus autem per verbum Dei. Sine Sacramentis verò seruari possunt*: quia etsi his ex necessitate priuentur, tamen credere possunt, vt latro in cruce. Aut si infantes sint, pro ætatis circumstantia sanctificati sint, vt Ioannes in vtero, & multi infantes in vtero, qui ante diem Circumcisionis moriebantur. *Verbum etiam est impiis prædicandum*, quia istis conuertendis destinatum est. *Sacramenta autem hic administranda qui pro membris Ecclesiæ agnoscuntur*, quia tantum in Eccles. vsum instituta sunt. *Licet tibi baptizari, si credas.*

Ioh. 3. 18.
Rom. 10. 17.
Act. 8. 17.

Decimæ octauæ) Probatio manifesta est *ex Paschate & reliquis sacrificiis, item & Sabbatho: quæ erant omnia à Deo præcepta*, quò pii Deum celebrarent, & se erga eum gratos declararent, & simul sumerent Symbola beneficiorum Dei, quæ per Messiam accipiebant. Sic Baptismus est confessio Christianismi, & signum quo testatur Christus nos ablui suo sanguine. Cœna Domini est gratiarum actio pro morte Christi, & monitio nos illius morte viuificari, ipsius membra fieri, & cum ipso mansuros in æternum.

DE

DE BAPTISMO.



Væstiones præcipuæ sunt.

1. *Quid sit Baptismus.*
2. *Qui sint fines Baptismi: seu, ad quid sit institutus.*
3. *Quis sit sensus verborum Institutionis.*
4. *Quæ sint loquendi formæ de Baptismo.*
5. *Qui sint Baptizandi.*
6. *Vsus legitimus Baptismi.*
7. *Cui successerit Baptismus.*
8. *Quomodo Baptismus cum Circumcisione conueniat, & quid ab ea differat.*

1. *Quid sit Baptismus.*

Baptismus est externum Lauacrum institutum à Filio Dei cum pronuntiatione verborum, Baptizo te in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, vt sit testimonium eum qui sic mergitur vel tingitur reconciliari propter Christum per fidem, & sanctificari à spiritu ad vitam æternam. Profecti (inquit Christus) *docete omnes gentes, Baptizantes eos in nomine Patris, Filij & spiritus sancti.* Cõmodè definiri potest & hoc modo, *Baptismus est ceremonia instituta à Christo in nouo Testamẽto, qua abluimur aqua in nomine Patris, Filij, & spiritus Sancti, ad significandum nos recipi in gratiam propter effusum pro nobis sanguinem Christi, & regenerari ipsius spiritu, & ad obligandos nos vt velimus deinceps factis & reipsa testari nouitatem vitæ.* Dicimur in gratiam recipi propter sanguinem Christi pro nobis effusum, scilicet in cruce, id est propter totam humiliationem Christi fide nobis applicatam.

Ob. *Baptismus dicitur externum aquæ lauacrum. Ergo Baptismus tantùm est nudum signum.* *Resp.* Est fallacia diuisionis. Quia cùm dicimus baptismum esse signum ex-

externum coniungimus cum ſigno rem ſignificatam. Deinde non additur particula excluſiua, & ſua natura baptiſmus eſt nudum ſignum: ſed accedit, & cum hoc ſigno coniungitur promiſſio.

Obiect. 2. *Ablutiones fuerunt & in veteri teſtamento: Baptiſmus eſt ablutio: Baptiſmus igitur eſt ſacramentum veteris teſtamenti. Reſp.* Ablutiones in veteri teſtamento non erant ſignum receptionis in Eccleſiam, vt Baptiſmus. Significabant Chriſtum venturum. Obligabant tantùm Iudæos. Baptiſmus ad omnes Gentes pertinet, ſeu ad totam Eccleſiam. Erant inſuper inſtitutæ ad abluendam immunditiem ceremonialem: Baptiſmus ad moralem munditiem abluendam atque hinc eſt quòd *baptiſmus appellatur* in Scriptura *lauacrum ſeu ablutio*, propter illam ſcilicet ablutionem munditiei moralis, id eſt, propter ablutionem internam ſeu ſpiritualem, qua abluimur à peccatis. Hæc autem ablutio duplex eſt. 1. *Ablutio ſanguinis*, quando lauamur ſanguine Chriſti, quæ eſt condonatio peccatorum, propter effuſum ſanguinem Chriſti. 2. *Ablutio ſpiritus*, quando lauamur ſpiritu Chriſti, quæ eſt renouatio per Spiritum ſanctum, id eſt, mutatio inclinationum malarum in bonas, facta virtute Spiritus ſancti in voluntate & corde, vt habeamus odium peccati, & contrà propoſitum viuendi ſecundùm voluntatem Dei. Duplicem hanc ablutionem à peccatis baptiſmi ſacramento ſignificari patet ex hoc dicto. *Prædicabat baptiſmum reſipiſcentiæ ad remiſſionem peccatorum.* Vtriuſque igitur ablutionis, vel vtriuſque beneficii (remiſſionis nempe peccatorum & reſipiſcentiæ) ſymbolum eſt baptiſmus: non tantùm quia ſimilitudinem hoc ſacramentum cum vtroque habet, ſed etiam quia iſta duo beneficia perpetuò ſimul coniuncta ſunt, & neutrum eſſe poteſt ſine altero: *Qui ſpiritum Chriſti non habet, non eſt eius.* In ſumma *lauari Chriſti ſanguine*, eſt accipere remiſſionem peccatorum propter effuſum ſanguinem Chriſti. *Lauari Spiritu S.*

Marc. 1. 4.

Rom. 8. 9.

eſt

est regenerari, id est mutari cogitationes in nobis malas in bonas: habere in voluntate & corde studium obediendi Deo. *Differunt autem iustificatio & regeneratio, quòd hæc est ablutio per sanguinem Christi, illa per Spiritum sanctum,* vt iam dictum est. Ac Baptismus est symbolum seu sigillum vtriusque, iustificationis, & regenerationis. Regeneratio seu mutatio inclinationum malarum in bonas, licet non perfecta sit in hac vita, tamen initium eius est hîc in omnibus piis, & ab omnibus piis illa mutatio in hac vita sentitur, ita vt maximè etiam doleant propter defectum.

Complectitur ergo Baptismus 1. *Signũ, scilicet aquã.* 2. *Ceremoniam,* vt aspersionem aquæ, seu immersionem, ac rursus emersionem ex aqua. 3. *Res ipsas, & quidem* primò *aspersionem sanguinis Christi, & imputationẽ iustitiæ eius,* Secundò, *mortificationem veteris hominis:* quam ab causam dicimur *induere Christum in Baptismo.* Tertiò *vivificationem noui hominis in spem certam futuræ resurrexionis per Christum.* 4. *Signum quod non modò significat, sed etiam confirmat.* 5. *Signum quod illam authoritatem confirmandi habet à mandato & promissione Dei.* Gal. 3. 27. Rom. 6. 4.

2. *Qui sint fines Baptismi.*

Fines Baptismi sunt 1. *vt sit nota qua discernatur Eccl. ab aliis omnibus gentibus & sectis. Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos:* quasi dicat, Colligite Ecclesiam per Baptismum & verbum, & quos feceritis mihi discipulos toto corde credentes, eos omnes & solos baptizate, & separate mihi. *Quis potest arcere eos ab aqua, super quos cecidit Spiritus sanctus, vt super nos?*

2. Principalis ac proprius baptismi finis est, *vt sit confirmatio fidei nostræ,* id est, testificatio, quum Christus testatur se nos lauare suo sanguine, se nobis conferre remissionem peccatorum, iustificationem & regenerationem: seu præcipuus baptismi finis est, *vt sit obsignatio Dei, item obsignatio promissionis gratiæ ac testimonium* Mat. 28. 19. Act. 10. 47.

voluntatis diuinæ, quòd ipse nobis hæc dona dat in præsentia & in posterum semper daturus sit. Ipse enim per manus ministri nos baptizat, & per eundem nobis hanc voluntatem suam significat. *Huius diuinæ de salute nobis conferenda voluntatis testimonium & confirmationem esse baptismum,* patet ex his etiam quæ sequuntur, scilicet *quia baptizamur in nomine Patris & filij, & S. S.* Hoc est deo patri, filio, & S.S. assignamur, & eius propriũ esse asserimur. 2. *Quia deus promisit salutem ei qui crediderit & baptizatus fuerit.* 3. Testimonia scripturæ idem quoque confirmant. *Vt super nos? Exurge & baptizare, ablue peccata tua, inuocato nomine domini. Qui crediderit & baptizatus fuerit, seruabitur. An ignoratis, nos quotquot baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius esse baptizatos? sepulti igitur sumus vna cum eo per baptismum in mortẽ. Consepulti cum eo per baptismum. Ex misericordia sua seruauit nos per lauacrum regenerationis & renouationẽ S.S. Cui nunc correspondens exemplar baptismo nos quoq; seruat, &c.*

Act. 22. 16
Mat. 16. 16
Rom. 6. 3.
Col. 2. 12.
Tit. 3. 5
1. pet. 3. 22

Ex hoc fine apparet *cur baptismus nõ reiteretur:* quia nimirum *baptismus est signum receptionis in gratiam,* atq; fœdus quod est semper ratum pœnitentiã agentibus ex non pendeat illud à baptizantis persona. Deinde *regeneratio semel tantùm fit:* nam qui semel Christo est vere insitus, nunquã foras eiicitur: ac proinde satis est baptismũ regenerationis, vtpote lauacrum & symbolũ, semel dũtaxat accipi: maximè, quia regeneratio seu salus nõ pendet à baptismo. 3. *Testificatio est officij nostri erga deũ atq; obligatio nostri & Eccl. ad agnitionem & cultum ipsius Dei, in cuius nomen baptizamur.* Obligamus nos in baptismo ad gratitudinem: nempe primùm ad fidẽ, ad promissa beneficia fide accipienda, ac deinde simul ad pœnitentiam. Baptizati sumus in mortem Christi, *Hæc eratis nonnulli, sed abluti estis.* Baptizati in mortem Christi, id est 1 *vt simus participes mortis Christi, non secus acsi ipsi mortui essemus.* 2. *Vt moriamur etiam nos ad peccata:* vt mortificemus cupiditates carnis. deus promittit nobis mortificationem & obligat nos ad mortificationem.

Rom. 6. 6.

1. Cor. 6. 11

4. *Significatio vel admonitio de cruce, deq; conseruatione Eccl. in ea, ac de eiusdem liberatione ex ea. Potestis eodē baptismate baptizari, quo ego baptizor:* Liberationé ex cruce declarat ipsa baptismi ceremonia. Nam nos immergimur quidem, sed non submergimur aut suffocamur. Huius porrò finis respectu Baptismus diluuio confertur. Vt.n. in diluuio quidam includebantur arcæ, reliquis hominib. pereuntib. ita in Eccl. qui Christo adhęrent, etsi premuntur calamitatibus, tamen certo tandem suo tempore liberantur. Huc pertinet etiam locus Pauli, vbi transitus maris rubri confertur Baptismo. *Omnes in Mose baptizati sunt nube & mari.* Mat. 20. 23. 1. Cor. 10. 2

5. *Vt significet Eccl. vnitatem*, ac proinde confirmatio sit articuli, *Credo Eccl. Cath.* Hic tamen finis comprehendi potest sub primo, sicut & ille, quòd sit Baptismus obligatio membrorū inter se ad mutuam dilectionem: quia cum Baptismus Eccl. membra discernit ab aliis, eadem quoque coniungit & vnit inter se.

6. *Symbolum receptionis & ingressus in Ecclesiam* sicut in primo fine Baptismi qui est distinctio Ecclesiæ ab aliis omnibus. Antithesis est, Esse & non esse in Eccle. Ingredi & non ingredi in Eccl. Huc pertinent omnia loca, in quib. ij qui facti sunt Christiani, dicuntur statim fuisse baptizati Ideo & Cœna tantum Baptizatis datur: ij enim soli recepti sunt in Ecclesiam.

7. *Medium conseruationis & propagationis Doctrinæ de remissione gratuita propter mortem Christi:* vt baptizati habeant occasionem docendi & discendi quis sit author, & quæ significatio baptismi.

3. *Quis sit sensus verborum institutionis baptismi.*

PRobatio Definitionis & præcipuorum finium baptismi continetur in verbis institutionis quę leguntur apud Matthęum & Marcum. *Profecti docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Qui crediderit & baptizatus fuerit, seruabitur: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Hæc paucis explicanda sunt. *Docete omnes.* omnes, non autem aliquas Mat. 28. 19 Marc. 16. 16

gentes docere, neq; tantùm posteros Abrahami. Hic est *discrimen Sacramentorum veteris & noui Testamenti.* Hoc enim nouum sacramentum non tantùm Iudæis Christus instituit, ad quos propriè pertinebant vetera sacramenta, sed omnibus aliis sequentibus etiam. *Baptizantes eos.* Omnes scilicet qui vestra doctrina accedunt ad me meique fiunt discipuli. Inter eos autem numerantur & infantes accedentium ad Christum, seu discipulorum Christi: Nam & horum infantes discipuli sunt, nati videlicet in schola Christi. Nascitur in Ecclesia est infantibus loco professionis. Notandus est hîc ordo: iubet priùs eos *doceri*, post eos *Baptizare*: vult itaque sacramenta non esse muta, sed significare verbum debere præcedere, sacramenta sequi. *In nomine Patris, & Filij & spiritus sancti.* Significat autem *in nomine* 1. *Iussu & autoritate communi horum trium institutum esse baptismum*, atq; has tres personas mandare vt qui velint esse membra Ecclesiæ baptizentur. Idem ergo valet quando minister baptizat, ac si Deus, Pater Filius & Spiritus sanctus baptizaret. Hinc porro liquet has tres personas esse ὑφιστάμενα diuina. 2. *testificatione sui nobis has tres personas confirmare, quòd ipsæ nos in gratiam recipiant, & nobis præstent quod per Baptismum significatur*, salutem scilicet si crediderimus & baptizati fuerimus: Hîc notatur secundus Baptismi finis. 3. *Baptizari in nomine Patris, Filij, & spiritus sancti est obligari baptizatum ad agnitionem, fidem, cultum, fiduciam, honorẽ, & inuocationẽ huius veri Dei, qui est Pater Filius & Spir* S. Hic est tertius Baptismi finis, quem & Paulus his verbis indicat, *Num in nomen Pauli baptizati estis?* quasi dicat, illius debetis esse, cui in baptismo nomen dedistis & vos obligastis. 4. *Baptizantes eos in nomine patris, Filij, & spiritus sancti*, id est, *baptizantes eos per horum trium personarum inuocationem, inuocantes super eos nomen Patris, & Filij, & spiritus sancti*: quæ tres personæ nos in gratiam recipiunt: & quidem Pater nos in gratiam recipit propter Filium, per Spiritum S. quem fi-

1 Cor. 1. 13

lius

us nobis à Patre donat. *Qui crediderit.* Hoc additur promissioni: nam qui baptizantur non nisi fide percipere possunt quod in Baptismo promittitur & obsignatur. Atque his verbis notatur breuiter *vsus baptismi legitimi*, in quo legitimo vsu sacramenta rata sunt. In vsu autem legitimo sacramenta non sunt sacramenta, sed iis tantùm sacramenta sunt qui ea accipiunt vera fide. *Et baptizatus fuerit.* Signo etiam externo voluit nos confirmare: addit igitur hoc (*& baptizatus fuerit*) vt sciamus non tantùm ex fide, sed etiam ex symbolo nos certos esse quòd sumus è numero seruandorum. Vtrique *& fidei & baptismo additur promissio, sed diuerso modo: fidei*, quia est organum vnicum quo apprehenditur meritum Christi: *baptismo*, quia est signum huius beneficij. *Seruabitur.* Id est baptizatus sciat se habere, si credat, illa beneficia, quæ significantur per externum ritum, se nimirum iustificari & regenerari. *Qui non crediderit, condemnabitur*, Scilicet etiamsi baptizatus fuerit: Vsus Sacramenti sine fide non seruat. Ergo cum fide seruat. *Priuatio sacramenti non damnat*, si tamen sit ea sacramenti priuatio sine contemptu. Non enim priuatio, sed contemptus sacramentorum damnat, vt qui non potest esse cum fide. Atque hinc est quòd non retineat in propositione conuersa vtrũque membrum subiecti, sicuti in priore propositione: quoniam non eadem necessitas est fidei & sacramentorum: tunc autem Sacramenta sunt necessaria, quãdo possunt haberi secundùm institutionem diuinam. Contemptus enim sacramenti pugnat cum fide.

Obiect. Christus salutem tribuit vtrique membro. Ergo debuit etiam eius remotio in vtroque membro conuerso poni & seruari. Resp. Tribuit vtrique membro salutem, sed non æqualiter: fidei, tanquam medio: Baptismo, tanquam signo, quo salus nobis obsignatur.

4 *Quæ sint loquendi formæ de baptismo.*

FOrmæ loquendi de baptismo sunt, vel *propriæ* vel *impropriæ*. *Propriæ* loquendi formæ sunt hæ. 1. *Bap-*

gentes docere, neq; tantùm posteros Abrahami. Hic est *discrimen Sacramentorum veteris & noui Testamenti.* Hoc enim nouum sacramentum non tantùm Iudæis Christus instituit, ad quos propriè pertinebant vetera sacramenta, sed omnibus aliis sequentibus etiam. *Baptizantes eos.* Omnes scilicet qui vestra doctrina accedunt ad me meique fiunt discipuli. Inter eos autem numerantur & infantes accedentium ad Christum, seu discipulorum Christi: Nam & horum infantes discipuli sunt, nati videlicet in schola Christi. Nasci.n. in Ecclesia est infantibus loco professionis. Notandus est hîc ordo: iubet priùs eos *doceri*, post eos *Baptizari*: vult itaque sacramenta non esse muta, sed significat verbum debere præcedere, sacramenta sequi. *In nomine Patris, & Filij & spiritus sancti.* Significat autem *in nomine* 1. *Iussu & autoritate communi horum trium institutum esse baptismum*, atq; has tres personas mandare vt qui velint esse membra Ecclesiæ baptizentur. Idem ergo valet quando minister baptizat, ac si Deus, Pater Filius & Spiritus sanctus baptizaret. Hinc porro loquet has tres personas esse ὑφισάμενα diuina. 2. *testificatione sui nobis has tres personas confirmare, quòd ipsæ nos in gratiam recipiant, & nobis præstent quod per Baptismum significatur*, salutem scilicet si crediderimus & baptizati fuerimus: Hic notatur secundus Baptismi finis. 3. *Baptizari in nomine Patris, Filij, & spiritus sancti est obligari baptizatum ad agnitionem, fidem, cultum, fiduciam, honorẽ, & inuocationẽ huius veri Dei, qui est Pater Filius & Spir* S. Hic est tertius Baptismi finis, quem & Paulus his verbis indicat, *Num in nomen Pauli baptizati estis?* quasi dicat, illius debetis esse, cui in baptismo nomen dedistis & vos obligastis. 4. *Baptizantes eos in nomine patris, Filij, & spiritus sancti*, id est, *baptizantes eos per horum trium personarum inuocationem, inuocantes super eos nomen Patris, & Filij, & spiritus sancti*: quæ tres personæ nos in gratiam recipiunt: & quidem Pater nos in gratiam recipit propter Filium, per Spiritum S. quem filius

1 Cor. 1. 13

us nobis à Patre donat. *Qui crediderit.* Hoc additur promissioni: nam qui baptizantur non nisi fide percipere possunt quod in Baptismo promittitur & obsignatur. Atque his verbis notatur breuiter *vsus baptismi legitimi*, in quo legitimo vsu sacramenta rata sunt. In vsu autem legitimo sacramenta non sunt sacramenta, sed iis tantùm sacramenta sunt qui ea accipiunt vera fide. *Et baptizatus fuerit.* Signo etiam externo voluit nos confirmare: addit igitur hoc (*& baptizatus fuerit*) vt sciamus non tantùm ex fide, sed etiam ex symbolo nos certos esse quòd sumus è numero seruandorum. Vtrique *& fidei & baptismo additur promissio, sed diuerso modo: fidei*, quia est organum vnicum quo apprehenditur meritum Christi: *baptismo*, quia est signum huius beneficij. *Seruabitur.* Id est baptizatus sciat se habere, si credat, illa beneficia, quæ significantur per externum ritum, se nimirum iustificari & regenerari. *Qui non crediderit, condemnabitur*, Scilicet etiamsi baptizatus fuerit: Vsus Sacramenti sine fide non seruat. Ergo cum fide seruat. *Priuatio sacramenti non damnat*, si tamen sit ea sacramenti priuatio sine contemptu. Non enim priuatio, sed contemptus sacramentorum damnat, vt qui non potest esse cum fide. Atque hinc est quòd non retineat in propositione conuersa vtrũque membrum subiecti, sicuti in priore propositione: quoniam non eadem necessitas est fidei & sacramentorum: tunc autem Sacramenta sunt necessaria, quãdo possunt haberi secundùm institutionem diuinam. Contemptus enim sacramenti pugnat cum fide.

Obiect. Christus salutem tribuit vtrique membro. Ergo debuit etiam eius remotio in vtroque membro conuerso poni & seruari. Resp. Tribuit vtrique membro salutem, sed non æqualiter: fidei, tanquam medio: Baptismo, tanquam signo, quo salus nobis obsignatur.

4 *Quæ sint loquendi formæ de baptismo.*

FOrmæ loquendi de baptismo sunt, vel *propriæ* vel *impropriæ*. *Propriæ* loquendi formæ sunt hæ. 1. *Bap-*

tiſmus eſt ſignũ ablutionis peccati. 2. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſeruabitur. Impropriæ ſeu figuratæ* ſunt, 1. *Baptiſmus eſt ablutio peccatorum.* 2. *Baptiſmus abluit peccata.* Quatuor hæ ſententię ſunt æquipollentes, & ſignificant hanc vnam ſententiam. Baptiſmus eſt certũ ſignum remiſſionis peccatorum credentib. Hę & aliæ ſimiles loquutiones figuratæ de ſacramentis interpretandę ſunt ſicut loquutiones figuratę de ſacrificiis. Sacrificia dicuntur ſæpiſſimè *expiatio peccatorum*, & tamen Apoſtolus affirmat *ſanguinem hircorum & taurorũ non potuiſſe expiare peccata. Sic cùm dicitur, baptiſmus ſaluat, eſt lauacrum regenerationis, eſt ablutio peccatorum*: idem eſt ac ſi dicatur, Baptiſmus eſt ſignum horũ omnium. Sic autem loquitur ſcriptura, nomina ſignorũ & rerum permutans, 1. *propter analogiam inter ſignum & rem ſignificatam.* Tale ſcilicet quiddam eſt res ſignificata in ſuo genere, quale quiddam & ſignum eſt in ſuo genere. Vt enim ſordes abluit aqua, id eſt ſignum: ſic & ſanguis Chriſti, id eſt res ſignificata, nos abluit a peccato. Et ſicut externè ſignum confertur à miniſtro: ſic Deus vult internè rem ſignificatam iis virtute ſui ſpiritus conferre, qui ſignum vera fide percipiunt. Vt agunt miniſtri foris, ita Deus agit intus. 2. *Propter confirmationem fidei in nobis:* nam ſigna teſtantur Dei voluntatem erga nos: eam autem teſtantur propter additã promiſſionẽ, qualis eſt hęc, *Qui crediderit & baptizatus fuerit ſeruabitur.* 3. *Propter coniunctã cum ſignis exhibitionem rerum*, ſeu propter ſignificationem, quia Deus nobis aliquid per ſignum ſignificat, id eſt, nos tam certò accipere res, quàm certò ſigna percipimus. Atque hæc pertinent ad eos qui rectè vtuntur ſacramentis.

5. *Qui ſint Baptizandi.*

QVi *nondum ſunt diſcipuli Chriſti*, id eſt ex numero vocatorum, non conſentientes de doctrina, nec obedientes miniſtro: *non ſunt ad baptiſmum admittendi*: qui ſentiunt ſe nondum Chriſti diſcipulos eſſe non debent petere baptiſmũ. Nam Chriſtus dicit 1. Docen-

Mat. 28. 19.

nes omnes gentes, ac deinde eos baptizari præcipit, vnde omnes iiq; soli baptizandi sunt ex mandato Christi, ad quos fœdus pertinet: nempe qui sunt, eoq; haberi debent mẽbra Ecclesię visibilis, siue ij sint adulti profitentes fidem & pœnitentiam, siue infantes in Ecclesia nati. Omnes.n. fidelium liberi sunt in Eccl. Dei, nisi ipsi sese excludant: vel baptizandi sunt omnes qui sunt habendi pro discipulis Christi. Pro his autem habendi sunt adulti profitentes fidem & pœnitentiam, nec ipsi tantùm, sed & eorum infantes qui nati sunt in Ecclesia, id est, in Schola Christi: quia etiam eos docet S.S. pro ipsorum captu, vel modo ætatis.

Atque hæ sunt *rationes quib. probatur infantes esse baptizandos.* 1. *Baptismus est symbolum ingressus in Eccl. quæ tota debet baptizari*, iuxta illud: *Baptismus est lauacrum regenerationis.* Item. *Per vnum spiritum nos omnes in vnum corpus baptizati sumus: at infantes pertinent ad Eccl.* quemadmodum dicitur. *Sinite paruulos ad me venire. Ergo infantes debent baptizari.* Tit. 3. 5. 1. Cor. 12. 13. Mat. 19. 14.

2. *Baptismus est discretio vel signum distinctionis Eccl. totius ab aliis omnib. sectis, atq; adeo à reliquo toto hominum genere. Dandus est ergo baptismus omnib. membris Eccl. visibilis, & ciuib. Christi. Infantes autem sunt ciues regni Christi, & membra vel pars Eccl. proinde denegari infantibus non debet ius illud ciuium Eccl. Christi:* sed baptizari debent vt ita insiti & recepti in Eccl. hoc symbolo vnà cum tota Ecclesia discernantur à reliquis omnibus.

3. *Ad quos pertinet beneficium remissionis peccatorum & regenerationis, illi sunt baptizandi*: quibus.n. debentur res significatæ, iis etiam symbolum debetur, nisi obstet aliqua conditio in modo vtendi, vel nisi sit aliqua circumstantia institutionis impediens vsum ritus. Hinc est quod Petrus dicit in Actis, *Resipiscite & baptizetur vnusquisq; vestrûm in nomine Iesu Christi*: &, *Vobis enim facta est promissio & liberis vestris.* Item. *Num quis aquã prohibere potest quominus baptizentur isti qui spiritum sanctum acceperunt, sicut & nos? Quocirca baptizãdi sunt & infantes* Act. 2. 38. & 39. Act. 10. 47.

nec iis denegari debet symbolum, vtpote ad quos pertinet res significata, beneficium scilicet remissionis peccatorum & regenerationis, idq; ex forma fœderis aut promissionis cuius & ipsi participes facti sunt. *Ero Deus tuus, & seminis tui. Et, liberi vestri sancti sunt. Sinite paruulos venire ad me. Vobis facta est promissio, & liberis vestris.* Sic & Ioannes Baptista sanctificatus fuit in vtero, siquis diligenter expendat hæc testimonia scripturæ, videbit haud dubiò non tantùm licere, sed etiam debere infantibus dari symbolum: sancti nimirum sunt infantes, ipsis facta est promissio, eorum est regnum Dei, ac Deus eorum quoq; Deum se dicit esse. qui certè non est impiorum Deus. Deinde nulla est conditio in infantibus impediens vsum baptismi. *Num quis igitur aquam prohibere potest quo minus scilicet baptizentur isti* qui eorundé beneficiorum cum tota Eccl. sunt participes?

Gen. 17. 7.
1. Cor. 7. 14.
Mat. 19. 14.
Act. 2. 39.

4. *Baptismus in nouo Testamento successit circumcisioni, & quidem ita successit vt habeat eundem vsum, quem habuit in veteri fœdere circumcisio. Circumcisi estis in Christo, circumcisione quæ sine manibus fit, dum corpus carnis peccato ob noxiæ exuistis per circumcisionem Christi: Consepulti cum eo per Baptismum, per quem etiam cum eo resurrexistis. Atqui circumcisio debebatur infantibus in Ecclesia veteris testamẽti natis, qui & ideo circumcidebantur. Ergo infantibus etiam natis in Ecclesia noui testamenti debetur Baptismus, qui nimirum nostra est circumcisio*, id est sacramentum quo confirmantur eadem & iis omnibus nunc in Nouo testamento quæ in Veteri testamento, & quibus omnibus confirmabantur & conferebantur circumcisione. Proinde qui baptismum denegant infantibus in Ecclesia natis eos iure suo spoliant. Nati siquidem in Ecclesia, Ecclesiæ sunt ciues ex gratia & beneficio fœderis, eoque ius ciuium ad eos eodem fœderis beneficio pertinet: & nasci in Ecclesia est loco professionis fidei & pœnitentiæ.

Col. 2. 11. & 12

Obiectiones contra Pædobaptismum.

Obiect. 1. Qui non credunt, non sunt baptizandi: dicitur enim

enim, qui crediderit & baptizatus fuerit &c. At infantes non credunt. Ergo non sunt baptizandi. Ad vsum enim baptismi necessariò requiritur fides: nam quicunque non crediderit, condemnabitur. Condemnatis autem non debet dari signum gratiæ. Resp. 1. Nego Maiorem: ea siquidem non est vniuersalis. Opponi iis potest exemplum circumcisionis per instantiam. Itaque non sunt baptizandi qui non credunt, scilicet adulti. Nec tamen pronuntiare de adultis possunt, quod credant. Igitur si infantes non erunt baptizandi, quia non habent fidem, neque grandes natu baptizandi sunt: de quibus non potest sciri an credant. Vt, Simon magus baptizatur, & tamen fuit hypocrita. *Sed* (inquiunt) *sufficit professio fidei Ecclesiæ.* Fatemur hoc ita esse, atque addimus, Natum esse in Ecclesia, esse infantibus loco professionis. 2. *Ad vsum Baptismi requiritur fides, scilicet actualis in adultis: in infantibus tantùm, quod ad inclinationem.* Sic ad circumcisionis vsum requirebatur fides actualis in adultis, in infantibus tantùm quod ad inclinationem. 3. Neganda est minor: *infantes enim credunt suo modo,* pro modo scilicet ætatis suæ, qua habent inclinationem ad credendum, seu credunt inclinatione. Fides est in infantibus potentia & inclinatione, licet in iis fides non sit actu, sicut in adultis, & sicut infantes impij, qui sunt extra Ecclesiam non habent actualem impietatem, sed inclinationem ad impietatem: sic pij infantes non habent pietatem actualem, sed inclinationem ad pietatem. Deinde infantes habent etiam spiritum sanctum & ab eo regenerantur, sicut Ioannes cum adhuc esset in vtero: Et Ieremiæ dicitur, cap. 1. 5. *Cùm nondum prodiisses ex vulua sanctificaui te.* Si infantes spiritum sanctum habent, certè operatur in eis quæ sunt ad salutem necessaria. Quapropter infantes non profanant baptismum.

Obiect. 2. *Nunquam est mandatum vt baptizentur infantes. Resp.* Habemus mandatum generale. Christus enim præcipit vt baptizentur discipuli: *Docete* (inquit) *omnes*

Mat. 28. 19. Mar. 16. 16. *omnes gentes, baptizantes eos.* Infantes autem sunt discipuli, quia nascuntur in schola Christi, & docentur suo modo. Idem Petrus mandauit, inquiens, *facta est vobis promissio & liberis vestris.* Item. *Num quis aquam prohibere potest? &c.* Mandat & hoc ipsum Paulus, quum docet, *nos esse circumcisos in Christo, & cum eo consepultos per baptismum.* Substitutus ergo est baptismus Circumcisioni, quæ substitutio baptismi est loco mandati.

Act. 2. 39. Act. 10. 47. Col. 2. 11. & 12.

Ob. 3. Si baptizandi sunt infantes, admittendi quoque sunt ad Cœnam: Cœna enim debetur toti Ecclesiæ, sicut & baptismus. Resp. Nego consequentiam, quia discrimen est inter baptismum & cœnam. *Nam baptismus est introitus et receptio, seu signum receptionis in ecclesiam,* quo fit, vt nemini sit cœna concedenda, nisi prius baptizato. *Cœna vero est confirmatio receptionis:* vnde sequitur eos qui sunt baptizati, non esse statim admittendos ad cœnã. Infantes enim tantùm admitti debent ad ea Sacramenta, quæ sunt signa receptionis in fœdus & Ecclesiam: tale autem sacramentum baptismus est (vt dictum fuit) in nouo testamento. Cœna est instituta ad confirmationem nostri, nimirum vt ea sit signum, quo Deus nobis confirmet & obsignet quòd ipse nos in Ecclesiam semel receptos velit in ea perpetuò etiam conseruare, ne vnquam ab ea deficiamus: quòd item velit continuare beneficia semel nobis collata & nos alere ac nutrire corpore & sanguine Christi. Hac autẽ confirmatione indigent adulti qui variè tentantur. Ad baptismum satis est regeneratio per S. S. vel inclitio ad fidem & pœnitentiam. 2. *In Cœna additæ sunt & requiruntur conditiones, quæ eius vsum infantibus impediunt.* Proinde quamuis baptizandi sunt, ad Cœnam tamen admitti non debent. Nam ad ea duntaxat sacramenta admittendi sunt infantes quæ non habent additam conditionem qua eorum ætas excluditur. At conditiones quæ adduntur in cœna, ab eius vsu penitus infantes excludunt: *requiritur enim in Cœna, 1. Vt vtentes signo annuntient mortem Domini. 2. vt seipsos probent*

habeantne

habeantne fidem & pœnitentiam. Hæc cùm non possit ætas infantium, meritò excluduntur infantes à Cœna.

6. *Quis sit vsus baptismi legitimus.*

VSus baptismi legitimus est quando non mutantur cæremoniæ aut ritus à Christo instituti in baptismo. Vnde manifestum est, abiiciendas esse Pontificiorum sordes *de chrismate, sputo, & exorcismo. Ob. Atqui ad ordinem & decorum ista pertinent. Resp.* S.S. sciuit satis quid eò pertineret. *Inst. Atqui ad significationem pertinent. Resp.* Hominum non est instituere signum voluntatis Dei. Idem de aliis eiusdem farinæ iudicandum est. 2. *Quando baptismus porrigitur illis quibus est institutus*, nimirum conuersis, aut membris Ecclesiæ. 3. *Quando in eum finem baptismus vsurpatur in quem est institutus*, non in curationem pecudum, sed cùm veri eius fines spectantur. Breuiter baptismi legitimus vsus est cum baptizatur conuersus ritu & fine legitimo. Cæterùm, *Baptismus non iteratur*, 1. *Quia non pendet à baptizantis persona.* Iam verò qui semel Christo est insitus nunquam eiicietur: ac proinde satis est semel receptum, id est: Salus non *pendet à baptismo.*

7. *Cui successerit Baptismus.*

BAptismus Circumcisioni successit. Id probatur, 1. *Verbis Apostoli* suprà citatis: dicit enim, *Nos in Christo Circumcisos Circumcisione quæ fit sine manibus, dum corpus carnis peccato obnoxiæ exuimus per Circumcisionem Christi.* docere vult hac sententia Paulus nullum nunc esse *Circumcisionis manufactæ* fructum aut vsum, quia in Christo iam completum est quod per eam fuit adumbratũ. Ad explicandam autem sententiam hanc statim subiicit *eos per baptismum consepultos esse cum Christo*: quibus verbis declarat baptismi cõplementum & veritatem esse cõplementum & veritatem Circumcisionis, cum vnam eandemq; rem nobis significet baptismus, quam patribus olim significabat circumcisio: circumcisionẽ scilicet spiritualem quam in nobis perficit Christus. Col. 2. 11.

Hoc

Hoc saltem interest, quòd rei exhibitę signum est baptismus, quam absentem figurabat Circumcisio. Itaq; docemur ex hoc loco Pauli, Baptismum esse id Christianis, quod antè circumcisio fuerat Iudæis. 2. *Baptismum circumcisioni substitutum esse & hoc euincit, quòd vt Circumcisio, sic & Baptismus signum est receptionis in Eccle-siam.* Nam sicut infantes Iudæorum & proselytorum, nati vtpote ciues Ecclesiæ, ex gratia circumcidebantur: adulti verò tum demum admittebantur ad circũcisionem cùm professi essent Iudaismum: sic etiam Christianorum infantes baptizantur statim, adulti verò non nisi post professionem veræ doctrinæ Christianæ, cuius professionis loco infantibus est quòd nati sunt in Ecclesia. Sunt & aliæ rationes præter testimonia sacrarum literarum, ab vsu præsertim Baptismi desumptæ, quibus confirmari potest, Baptismum Circumcisioni successisse. Succedere autem sacramẽto, est præcedente abolito in eius locum substitui, & quidem vt eundem habeat vsum & finem, quem habebat sacramentum prius, atq; vt habeat insuper idem significatum. Sic baptismi est eadem res significata quæ fuit olim Circumcisionis. Deinde non minùs per Baptismum Ecclesiæ ciues recipiuntur, & ab omnibus aliis hominibus discernuntur, quàm fiebat olim per Circumcisionem. *Ob. Si Circumcisioni successit Baptismus etiam hodierno die tantùm masculi sunt baptizandi, seruatis circumstantiis circumcisionis. Resp.* Circumstantiæ nunc non sunt determinatæ sicut tunc: quia & hæc sunt specialia, quæ possunt sine violatione mandati omitti. Vniuersale autem est, quòd liberi piorum hoc symbolo debent inseri in Ecclesiam, siue id fiat statim octauo die, siue statim post partum.

8. *Quomodo baptismus cum circumcisione conueniat, & quid ab ea differat.*

COnueniunt circumcisio & baptismus, 1. *Fine principali*, cum vtroq; obsignetur promissio gratiæ per Christum, quæ omnib. temporib. est eadem. 2. *Vtroque*

fit

sit receptio in Ecclesiam. 3. *Vtroque significatur regeneratio.* *Circumcisi estis in Christo circumcisione quæ fit sine manib.* Col. 2, 11.

Differunt circumcisio & baptismus, 1. *Ritu*: non. n. sunt iidem circumcisionis & baptismi ritus. 2. *Circuncisio (ex parte Dei) promittebat gratiam propter venturum Messiam, baptismus propter exhibitum.* Circumcisi propter exhibendum, baptizati propter exhibitum Christum recipimur in gratiam. 3. *Circumcisio habebat promissionem de beneficio etiam corporali,* id est, erat testimonium etiam Deum vsque ad aduentum Messiæ certam Ecclesiæ sedem daturum in terra Chanaan. *Baptismus in specie nullam habet promissionem temporalis beneficii.* 4. *Circumcisio (ex parte nostri) obligabat ad obseruationem totius legis ceremonialis, forensis, & moralis.* *Baptismus nos tantùm obligat ad fidem & pœnitentiam*, id est, ad obseruandam legem duntaxat moralem. 5. *Circumcisio erat instituta populo Israelitico: Baptismus omnib. gentib. est institutus volentib. ad Ecclesiæ societatem peruenire. Circumcisio vsque ad aduentum Messiæ durare debuit: Baptismus permanebit ad finem vsque mundi.*

THESES DE BAPTISMO.

1. *BAptismus est noui Testamenti Sacramentum, quo Christus, fidelibus, aqua in nomine Patris, Filij, & Sp. S. baptizatis, testatur peccatorum omnium remissionem S. S. donationem, in Ecclesiam & in suum corpus insitionem: & ipsi vicissim profitentur se hęc beneficia à Deo accipere, & propterea illi deinceps viuere & seruire velle & debere. Est q; idem Baptismus per Ioa. Baptistam inchoatus, & per Apost. continuatus: eo quòd ille in Christum passurum & resuscitandum, hi verò in passum & resuscitatum baptizarunt.*

2. *Finis instituti à Deo Baptismi primus est, vt Deus per eum significet & testetur, quòd sanguine & Spiritu sancto mundet baptizatos à peccatis, eoque corpori Christi inserat, & omnium eius beneficiorum participes faciat. 2. Vt Baptismus sit solennis receptio seu adscriptio singulorum in Eccl. visibilem, & eius distinctio ab omnibus sectis. 3. Vt sit publica*

&

& solennis professio nostræ in Christum fidei, & obligationis ad fidem & obedientiam erga ipsum. 4. Vt sit admonitio de mersione in afflictiones, & de emersione ac liberatione ex illis.

3. Testandi autem seu obsignandi vim habet Baptismus ex præcepto Dei, & ex promissione gratiæ à Christo addita huic ritui legitimè vsurpato. Christus enim per manum Ministrorum nos baptizat: sicut per os ministrorum alloquitur.

4. Est igitur in Baptismo duplex aqua: Externa visibilis quæ est elemẽtaris: & interna inuisibilis, cœlestis, quæ est sanguis & spiritus Christi: Duplex item ablutio, Externa visibilis & significans, scilicet: aquæ aspersio seu effusio, quæ est corporalis, hoc est membris & sensibus corporis percipitur. Et Interna, inuisibilis, & significata, videlicet remissio peccatorum, propter effusum Christi, pro nobis sanguinem, & nostri per S.S. regeneratio, & in corpus ipsius insitio, quæ est Spiritualis, hoc est fide & spiritu percipitur. Duplex denique administer baptismi: externus externi, qui est minister Ecclesiæ, manu sua baptizans nos aqua: Internus interni, qui est ipse Christus, sanguine & spiritu suo nos baptizans.

5. Neque aqua in sanguinem aut spiritum Christi mutatur, nec in aqua aut eodem loco cum aqua, adest sanguis Christi. Nec eo perfunduntur visibiliter corpora eorum qui baptizantur: nec spir. S. substantia aut virtute sua in hac aqua magis est quàm alibi: sed in legitimo vsu baptismi operatur in cordibus eorum qui baptizantur, & ea spiritualiter Christi sanguine aspergit ac lauat: & hoc symbolo externo vtitur tanquam instrumento, & tanquam verbo seu promissione visibili ad fulciendam & excitandam fidem baptizatorum.

6. Cùm igitur Baptismus dicitur lauacrum regenerationis esse, aut nos saluos facere, aut peccata abluere, intelligitur, Baptismus externus esse symbolum interni, hoc est, regenerationis, salutis, & ablutionis Spiritualis: & hic cum illo in omni vsu baptismi legitimo coniunctus esse dicitur.

7. Sic tamen in baptismo peccatum aboletur, vt à reatu iræ Dei & pœnarum æternarum condemnatione liberemur, & renouatio per S.S. in nobis inchoetur: sed reliquiæ peccati vsque ad finem huius vitæ maneant.

8. Le-

8. *Legitimè autem accipiunt Baptismum omnes & soli renati aut renascentes, Baptizati in eos fines, in quos à Christo est baptismus institutus.*

9. *Legitimè administrat Ecclesia baptismum omnibus & solis quos ipsa in renatorum & membrorum Christi numero habere debet.*

10. *Cùm etiam infantes Christianorum de Ecclesia sint, in quam recipi & adscribi Christus voluit per baptismum omnes ad se pertinentes, & proinde Baptismus subrogatus sit Circumcisioni, qua tam infantib. quàm adultis ad semen Abrahæ pertinentibus iustificatio, regeneratio, & in Ecclesiam receptio obsignabantur per & propter Christum futurum, sunt in Baptismo per & propter Christum exhibitum, ac proinde nemo aquam prohibere possit, quo minus baptizentur qui S.S. corda ipsorum purificantem receperunt: infantes etiam eos baptizari necesse est, qui vel in Ecclesia nascuntur, vel cum parentibus in eam transeunt.*

11. *Sicut promissio Euangelij, sic Baptismus indignè, id est, ante conuersionem acceptus, pœnitentiam agentibus est ratus & salutaris, atque usus eius priùs illegitimus, nunc eis fit legitimus.*

12. *Neque impietas ministri irritum facit Baptismum, modò in promissionem & fidem Christi fiat: ac proinde etiam ab hæreticis baptizatos Ecclesia vera non rebaptizare, sed vera de Christo & de baptismo doctrina informare debet.*

13. *Ac velut semel initum fœdus cum Deo etiam post peccata deinde commissa perpetuò ratum est resipiscentibus: ita & Baptismus semel acceptus in omnem vitam resipiscentes de peccatorum remissione confirmat, ac proinde nec iterari debet, nec in finem usque vitæ differri, quasi sic demum à peccatis mundet, si nulla post eum acceptum committuntur.*

14. *Neque autem omnes qui baptizantur aqua, siue adulti, siue infantes, gratiæ Christi sunt participes. Libera enim est æterna Dei electio, & ad regnum Christi vocatio.*

15. *Neq; etiam omnes, quicunq; non baptizantur à gratia Christi excluduntur. Non.n. priuatio sed contemptus Baptismi ex fœdere Dei cum fidelib. & eorum liberis inito excludit.*

16. *Cumq;*

16. *Cumque Sacramentorum administratio sit pars ministerij Ecclesiastici, qui ad hoc non sunt vocati, ac præsertim mulieres, baptizandi potestatem sibi sumere non debent.*

17. *Ritus ab hominibus assuti Baptismo, vt aquæ consecratio, cerei, exorcismi, chrisma, sal, cruces, sputa, & si qua sunt similia, in Ecclesia Christi, tanquam Sacramenti depravatio meritò deputantur.*

DE CIRCVMCISIONE.

POsteriores quæstiones duæ de baptismo superiùs explicatę, sunt etiam doctrinę de circumcisione communes, & quæ de circumcisione dici possunt, non incommodè subiunguntur doctrinæ de baptismo. Restat igitur vt paucis explicemus quæstiones de circumcisione potissimum obseruandas. Hæ sunt,

1. *Quid sit circumcisio.*
2. *Qui sint circumcisionis fines.*
3. *Cur abolita sit.*
4. *Cur Christus circumcisus sit.*

1. *Quid sit circumcisio.*

CIrcumcisio est ritus, quo circumcidebantur omnes mares in populo Israelitico ex mandato Dei, vt isterius esset sigillum initi fœderis cum posteritate Abrahami. Aliis gentibus, non Iudęis, liberum erat circumcidi vel non circumcidi.

Notandum hic est, Triplices fuisse veteris Testamenti homines. 1. *Israelitæ*, qui ex Abrahamo progeniti erant, & omnino tenebantur ex Lege obseruare Circumcisionem & Ceremonias. 2. *Erant Proselyti*, qui ex gentibus cõuersi erant ad Iudæos, & magis ac magis, conformandę fidei suæ causa, subiiciebant se circumcisioni, & toti legi ceremoniali. 3. *Conuersi ex gentis-*

gentibus ad Iudæos : sed non obseruantes cæremonias. Nam gentibus & proselitis liberum erat seruare vel non seruare circumcisionem & cæremonias. Ditebantur & hi posteriores *Viri religiosi*, qui tantùm doctrinam & promissiones Dei amplectebantur.

Obiect. Soli mares circumcidebantur: ergo excludebantur fœminæ à fœdere gratiæ. Resp. Fœminæ comprehendebantur in marium circumcisione : & Deus parcebat infirmiori sexui. Erat iis satis ex piis prognatas esse.

2. *Qui sunt circumcisionis fines.*

INstituta fuit circumcisio 1. *Vt esset signum gratiæ Dei erga posteros Abrahami*, & quidem dupliciter : primò *quòd per Messiam venturum Deus reciperet credentes* : Secundò *quòd terram Chananæis esset daturus, & ibi certam sedem Ecclesiæ vsque ad aduentum Messiæ concessurus*. 2. *Vt esset obligatio Abrahæ eiusq; seminis ad gratitudinẽ, sine ad fidem & pœnitentiam, adeoque ad seruandam totam legem*. 3. *Vt esset distinctio populi Iudaici ab aliis gentibus & sectis*. 4. *Vt esset sacramentum initionis & receptionis in Ecclesiam*. 5. *Vt esset accusatio & significatio immunditiei*. Ritus ille docebat omnes homines esse peccatis obnoxios & immundos. 6. *Vt signum esset quòd ostenderet & significaret modum liberationis propter Christum venturum non aliundè quàm ex Abrahami sanguine nasciturum*.

3. *Cur abolita sit circumcisio.*

ABolita est circumcisio 1. *Quia res significata est exhibita*. Nam & inter alia significabat promissum patribus Messiam suo tempore tandem venturum, & nostro nomine naturam nostram assumpturum. 2. *Quia instituta erat circumcisio ad discretionem populi Iudaici ab aliis omnibus gentibus, nunc verò Ecclesiæ discrimine illo sublato ex omnibus gentibus colligitur*. Nunc verò Symbolum Baptismi nobis idem præstat quod illis circumcisio. Deinde, sicut Circumcisio erat signum receptionis in populum Dei : sic nobis Baptismus

est prima nota discernens Ecclesiam ab impijs.

15. *Cur Christus circumcisus sit.*

CIrcumcisus est Christus 1. *vt significaret se esse etiam illius circumcisi populi membrum.* 2. *Vt ostenderet se recepisse nostra peccata in sese vt pro iis satisfaceret.* 3. *Vt testaretur se integrè & perfectè nostro nomine legem implere.* 4. *Circumcisio Christi erat etiam pars humiliationis & κενωσεως.*

DE COENA DOMINI.

QVæstions præcipuæ:

1. *Quid sit Cœna Domini.*
2. *Qui sint eius fines, vel quare sit instituta.*
3. *Quid à Baptismo differat.*
4. *Quis sit sensus verborum Institutionis.*
5. *Quodnam sit discrimen inter Cœnam Domini & Missam Papistarum.*
6. *Quis sit Cœnæ legitimus vsus.*
7. *Quid in Cœna accipiant impij.*
8. *Qui ad Cœnam accedere debeant & admitti.*

1. *Quid sit Cœna Domini.*

PRimùm videbimus quibus nominibus appelletur Cœna Domini: postea quid sit paucis definiemus. Hæc actio, vel ceremonia, vel ritus à Christo institutus paulò ante mortem, vocatur *Cœna à prima eius institutione*, hoc est propter originem huius instituti ritus, vel propter tempus quo instituta est hæc ceremonia, quam temporis circumstantia Ecclesia nunc mutauit. *Vocatur item Synaxis propter conuentum ecclesiæ*, quia conueniunt aliqui siue pauci, siue multi in cœna peragenda: nam in prima actione erant discipuli, eis dicitur, *Accipite hoc, & diuidite inter vos.* Necesse est igitur ibi plures fuisse, id quod & apparet ex repe-

tita

uita ab apostolo institutione. 1. cor. 11. Quo loco ad extremum etiam subiungit, *quum conuenitis ad vescendum alius alium expectate:* & conuenire plures oportere ad celebrandam Cœnam, demonstrat satis euidenter hic cœnæ finis, quòd nimirum illa sit symbolum, atque adeo vinculum dilectionis. *Quoniam vnus panis vnum corpus multi sumus.* Vocatur denique eucharistia, quia est ritus gratiarum actionis. Postremò & *Sacrificium* vocatur, quia est commemoratio beneficij Christi propitiatorij. Tandem vocata est etiam *Missa*, ab oblatione, vel à dimissione cœtus post concionem publicam.

Luc. 21. 17

1 Cor. 11. 33

1 Cor. 10. 17

Iam ad cœnæ Dominicæ definitionem veniamus. *Cœna domini est ceremonia seu sacramentum à Christo institutum fidelibus, in ipsius memoriam, quo mihi & omnibus fidelibus, Christus certo promittit & obsignat, primo suũ corpus pro me in cruce oblatum, & fractum, & sanguinem suũ pro me effusum esse iam verè, quàm oculis meis video panem Domini mihi frangi, & calicem similiter mihi distribui: deinde se sui ipsius corpore crucifixo, atque effuso sanguine tam certo meam animam pascere ad vitam æternam, quàm certo meum corpus pascitur pane & calice Domini ex manu ministri sumptis, quæ mihi tanquam certa corporis & sanguinis Christi sigilla porriguntur.* Poterit & hoc modo breuiùs definiri. *Cœna Domini est distributio & sumptio panis vinique, mandata à Christo fidelibus, vt his symbolis testetur se ipso ipsis corpus suum morti tradidisse, & sanguinem effudisse: & dare ipsis ea edenda & bibenda vt sint ipsis cibus & potus vitæ æternæ, atque vt eo etiam testaretur se velle in ipsis habitare in æternum. Deinde vt vice versa iisdem symbolis ipsos obligaret ad mutuam dilectionem, quod Christus nobis det corpus & sanguinem suum.* Præter ipsum Christum apud Euang. id confirmat etiam Paulus, qui manifestè dicit, *Poculum benedictionis cui benedicimus, nonne est communio sanguinis Christi?*

1 Cor. 10. 16

Porrò *signa* sunt in hoc sacramento *panis & vinum:* panis fractus & manducatus: vinum distributum &

sumptum. *Res* autem *significatæ*, 1. *Fractio corporis, & sanguinis Christi effusio.* 2. *Vnio nostri cum Christo per fidem*, ita vt ex eo hauriamus vitam æternam, & participes fiamus vt ipsius Christi, sic & omnium beneficiorum, quemadmodum palmites fiunt participes vitæ vitis. Admonemur de hac cõmunione nostri cum Christo, primùm ipsa analogia, deinde & addita promissione. Ac duo potissimùm nobis proponit analogia, 1. *Sacrificium Christi.* 2. *Communionem cum Christo*, quia non tantùm panis frangitur, sed & nobis datur ad edendum. *Fractio* autem *panis* est pars ceremoniæ, cui respondet pars significatæ rei. Hoc discrimen Paulus testatur quum ait: *Hoc est meum corpus quod pro vobis frangitur.* Hic acceptio & esus est pars ritus, cui respondet significatum: videlicet esus corporis Christi. Hæc autem res diuina, nempe fractio & communicatio corporis Christi duabus de causis signatur & confirmatur per hanc ceremoniam, scilicet fractionem & sumptionem panis. 1. *quia Christus præcepit hos ritus quibus debemus non minus credere quam si Christus nobiscum loqueretur.* 2. *Quia addit promissionem, quòd seruantes hos ritus vera fide debent esse certi se habere communionem cum Christo. additur vinum*, vt perfectionem salutis in eo esse sciremus, neq; quicquam esse quod desiderari possit. Vinum distinctum est à pane, vt mortis violentiam significaret, quia sanguis eius diuulsus est à corpore.

1 Cor. 11. 24

2. *Qui sint cænæ Domini fines.*

FInes propter quos instituta est Cœna domini sunt, 1. *Vt sit confirmatio fidei, id est*, testificatio certissima communicationis & vnionis nostræ cum Christo, quia Christus nobis testatur per signa quod ipse tam verè suo corpore & sanguine nos ad vitam æternam pascat, quàm verè symbola Domini è manu ministri accipimus. Atq; hæc testificatio dirigitur ad vnumquenq; vera fide symbola percipientem: quin & symbola sic accipimus è manu Ministri, vt potiùs ea ipsa Dominus per ministros nobis porrigat. Vnde etiam

Christus

Christus dicitur plures discipulos baptizasse quàm Ioannes, quum tamen id faceret per suos Apostolos, & alios discipulos. Ioan. 4.1.
2. *Vt sit publica distinctio, seu nota discernens Ecclesiam ab aliis omnibus gentib. & sectis.* Instituit enim Cœnam suam Dominus discipulis suis, non aliis. 3. *Vt sit testificatio nostra erga Christum & totam Ecclesiam:* nempe confessio publica fidei nostræ atque obligatio solennis ad gratitudinem ac celebrationem huius beneficii, Probatur vtrumque verbis istis Christi, *Hoc facite in mei recordationem.* Luc. 22.19 Hæc recordatio sumitur primò, Pro fide in corde: deinde pro gratiarũ actione & publica confessione. 4. *vt sit vinculum congressuum Ecclesiæ:* quia est instituta Cœna, vt fiat ac celebretur in congregatione, eaque vel magna vel parua. Ideo Cœna (sicuti dictum est) vocatur *synaxis:* & manifestè Christus præcipit, *Bibite ex eo omnes.* Item Paulus, *cum conuenitis ad vescendum, alij alios expectate.* Mat. 26.27 1.Cor. 11.33 5. *Vt sit vinculum dilectionis* quoniam Cæna testatur omnes fieri membra Christi sub vno capite: quomodo & Paulus. *Quoniam vnus panis vnum corpus multi sumus: nam omnes vnius panis sumus participes.* 2.Cor. 10.17

Ex his colligimus, cœnam Domini ab vno solo non debere celebrari. 1. *Quia est Communio & Communionis symbolum.* 2. *Quia est gratiarum actio, & omnes Deo gratias agere debemus*, & per consequens qui se indignum iudicat vt Cœnę dominicę cum aliis communicet, fatetur simul se non esse ideoneum ad gratias Deo agendas. 3. *Quia Christus cum beneficiis suis nullius est proprius, sed omnium communis.* 4. *Christus conuocauit omnes domesticos suos, etiam Iudam.* 5. *Quòd quidem abstinent à Cœna fit ex malo quodam motu, quia putant se non satis dignos.* Omnes digni sunt qui credunt se morte Christi à damnatione ęterna liberatos, & in pietate proficere cupiunt. In summa, Si ab vno tantùm cœna sumitur, id fit contra vsum, appellationem, institutionem & naturam Sacramentorum.

Ob. Christus in verbis Cœnæ ponit principalem finem Cœ-

næ, Recordationem sui: Ergo Cœnæ finis principalis poni non debet confirmatio fidei. Resp. Non valet consequentia à positione totius ad negationem partis. Recordatio enim Christi totum est, quo comprehenditur tum confessio, tum obligatio solennis ad gratitudinem, tum etiam confirmatio fidei. Imo per inuersionem sic infero, quia *Recordatio* est cœnæ, ideò est confirmatio fidei: quia item Christus nobis proponit illam ceremoniam seu ritum qui nobis esse debet *Recordatio*, vtique proponit etiam confirmationem fidei, quæ nihil aliud est quàm recordatio Christi: & eius beneficiorum. *Ob. Spiritus sanctus confirmat nostram fidem, Ergo non Cœna. Resp.* A positione causæ vnius principalis ad remotionem instrumentalis, non valet consequentia,

3. *Quid à baptismo cœna differat.*

Cœna differt à baptismo 1. *Ceremoniis aut ritibus, 2. Circumstantiis institutionis & vsus, seu ceremoniarum significationibus.* Baptismus est signum initi fœderis inter Deum & fideles. Cœna signum est fœderis illius continuandi: vel, Baptismus est signum regenerationis & ingressus in Ecclesiam: Cœna signum est nutritionis, mansionis, conseruationis eorum qui semel ingressi sunt in ecclesiam. Oportet primùm nasci hominem Spiritu Christi nouum sicut naturalem: atque eius regenerationis signum est baptismus. Deinde hominem iam renatum oportet nutriri corpore & sanguine Christi, cuius nutritionis signum est Cœna. Interim vnus & idem Christus est qui nos ad vitam æternam & regenerat & nutrit. Etsi verò eadem est Christi participatio, nimirum Ablutio peccatorum per sanguinẽ Christi, quę representatur in baptismo: & Manducatio ac bibitio corporis & sanguinis Christi, quæ nobis confirmatur in cœna: tamen illa significatio obsignatur mersione corporis in aquam Baptismi. Hæc verò manducatione & pastione panis & vini depingitur & obsignatur in Cœna. Ideoque res

sacra-

sacramentorum non est diuersa, quia idem est sanguine Christi ablui & bibere sanguinem Christi. Modus autem obsignandi vnam eandemque rem est diuersus. 3. *In baptismo requiritur confessio fidei & pœnitentiæ in adultis, in infantibus satis est si nati sint in Ecclesia.* Cùm ideò nati in Ecclesia censeantur pro regeneratis, aut membris Ecclesiæ, quia habent inclinationem ad fidem & pœnitentiam. *At in cœna est addita conditio probationis sui ipsius & commemorationis mortis Domini. Hoc facite ad mei recordationem. Probet quisque seipsum.* Baptismus igitur toti Ecclesiæ debetur: infantibus, vtpote fidelium, non minus quàm adultis Christo nomen dantibus. Cœna solis credentibus & pœnitentiam agentibus debetur. 4. *Baptismus debet præcedere, cœna sequi:* vnde in veteri Ecclesia post concionem admittebantur excõmunicati, Item obsessi, & qui nondum satis intelligebant fundamenta religionis, aut qui nondum erant baptizati. Sic olim nondum circũcisi non seruabant sacrificia aut ceremonias. Quòd si verò baptizati, priusquam ediderint confessionem fidei & pœnitentiæ, nondum ad Cœnam sunt admittendi, multò minùs qui baptizati porcorum & canum instar viuunt. 5. *Baptismus non iterandus est, sed semel tantùm accipiendus: Cœnam sæpe debemus accipere.* quia baptismus est signum receptionis in Ecclesiam, & in fœdus: fœdus autem semel initum non fit irritum agentibus pœnitentiam, sed semper manet ratum. Cœna est confirmatio fidei de æterna fœderis duratione: confirmatio hæc necessaria est, ac proinde cœna sæpiùs iteranda. Hinc est quòd de Cœna dicat Apostolus: *Quotiescunq; ederitis panem hunc, & poculũ hoc biberitis, mortem Domini annuntiabitis.* De baptismo autẽ dicit *Nor quotquot baptizati sumus in Christum Iesum, in morrẽ eius esse baptizatos?* Et Christus, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, seruabitur.* Et quoniam cœna etiam ideo instituta est, vt fiat in ea publica commemoratio & annuntiatio mortis Christi, sæpius celebranda est.

Luc. 22. 19
1. Cor. 11. 18

1. Cor. 11. 26
Rom. 6. 3
Mar. 16. 16

6. *Quis sit sensus verborum institutionis cœnæ Domini.*

Hic vtraq; illa quæstio continetur admodum odiosa de sensu verborum Christi in Cœna. Metusiastæ cum Synusiastis pariter gloriantur à se Christi verba simpliciter accipi. Sed neutri præstãt id quod se vẽditant. Ea enim vera verborum est simplicitas & proprietas, cui ad iustam intelligentiam & interpretationem neque addendum, neque adimendum est quicquam, nihil etiam immutandum. Quotquot enim *cum, in, sub pane corpus Christi esse statuunt*, Christi verbis addunt & à simplicitate recedunt. Nam *si quod Christus dixit, est simpliciter retinendum*, nec admittendum est quod non dixit, *Panis est simul panis & Christi corpus* sed simpliciter ac solùm, Panis est Christi corpus. Non dixit, *corpus meum est cum, vel in, vel sub pane: vel panis simul panis & corpus meum est:* neque addit vt isti de suo addunt, *realiter, substantialiter, corporaliter*: sed nuda ista sua de pane protulit verba, *hoc est corpus meum.* Nec Metusiastæ suam sententiam è verbis Christi simpliciter acceptis habent desumptam, nempe *quòd ex pane fiat Christi corpus*, vel *panis in corpus Christi mutetur.* Etenim ipsorum commentum, hoc est. Non enim Christus dixit, Panem iam factum esse, vel fieri, vel futurum, sed simpliciter dixit *panem esse corpus suum*: vbi nulla potuit intercedere mutatio, dummodo verba Christi simpliciter accipiantur. Ergo falsò persuadent populo quòd simpliciter proprietate verborum Christi insistant, quum multipliciter & longissimè inde recedant.

Verus igitur sensus verborum diligenter considerandus est. Matth. Mar. & Luc. Institutionem cœnæ Domini præcipuè describunt, & præter hos non minus luculenter Apostolus, qui sic ait 1. Cor. 11. v. 23. 24. 25. 26. *Ego accepi à Domino quod tradidi vobis, Dominum Iesum, scilicet ea nocte qua proditus est accepisse panem, & gratiis actis fregisse ac dixisse, Accipite, edite, Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur, hoc facite ad mei recordationem. Itidem & poculum postquam cœnasset, dicendo: Hoc*

poculum

poculum est nouum illud testamentum per meum sanguinem: hoc facite quotiescunque biberitis ad mei recordationem. Quotiescunque enim ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiabitis vsque quò venerit. Hæc explicabimus breuiter, ac deinde veris ac firmis argumentis demonstrabimus.

Ea nocte. Hæc circumstantia additur, vt sciamus Christũ voluisse in vltima cœna paschali cœnam suam instituere vt ostenderet, 1. *Veteribus sacrificiis iam finem imponi, & se nouũ substituere sacramentum, quod succederet & seruaretur illo paschali abolito.* 2. *Vt idem significaretur, excepto tamen discrimine temporis.* Nam Pascha significabat futurum & immolandum Christum, cœna verò Christum immolatum. *Ob. Atqui cùm institueretur cœna, Christus erat immolandus. Resp.* Iam tunc instabat immolatio Christi: Horis enim paucis post immolatus est, & debebat cœna deinceps significare Christum immolatum. 3. *Vt maiorem attentionem causæ quare instituerit, in discipulis & in nobis excitaret, & vt admoneremur quàm seriò velit Christus nobis commendatam esse hanc cœnam: cùm nihil ante mortem nisi maximè serium egerit.* Ideo in ipso articulo ante mortem instituit: est enim veluti testamentum & extrema testatoris voluntas: vnde additur, *Ea nocte qua proditus est.*

Accepit panem, nempe panem azimum non fermentatum quo tunc vescebantur in mensa. Per accidens concurrebant institutio Cœnæ & azimus panis: non igitur præscripsit certam rationem coquendi panem cœnæ Dominicæ. Interim *panis cœnæ Dominicæ differt à pane communi*: hic enim sumitur ad nutritionem corporis: ille ad animæ nutritionẽ, id est, ad confirmationem fidei. Notandum verò, *quod panem in mensa dicatur accepisse.* Non igitur corpus accepit, nec accepit suum corpus *in pane, cum pane, sub pane.*

Gratiis actis. Agebat de peracto officio in terris (restante tamen actu vltimo) quòd patri ita hominum redemptio placuisset, vel quòd Pascha typicum esset;

esset abolitum, & significatum Pascha iam esset exhibitum, vel denique, pro admirabili collectione & conseruatione Ecclesiæ gratias egit.

Fregit. Panem scilicet, quem sustulit de mensa, & vnum inter multos distribuit, non aliud quippiam inuisibile latens in pane. Corpus non fregit, sed panem, quomodo Paulus ait, *Panis quem frangimus &c.* Vnum verò panem inter multos distribuit, quoniam vnum corpus multi sumus. At fregit hunc panem 1. *Propter passionem & separationem corporis Christi ab ipsius ani-*
1. Co. 10. 16. *ma.* Itaque fractio panis ceremonia est necessaria, tum propter significationem, tum propter confirmationem: ac proinde etiam retinenda est hæc ceremonia, idque 1. *Propter mandatum Christi.* 2. *Propter nostram consolationem,* vt sciamus corpus Christi tam certò pro nobis crucifixum, quàm certo videmus panem frangi. 3. *vt eximatur ex animis opinio de transubstantiatione, & consubstantiatione.*

Accipite. Hoc mandatum pertinet ad discipulos & ad totam Ecclesiam noui testamenti. Vnde liquet, 1. *Missam non esse Cænam Domini, sed priuatam sacrificanti.* 2. *Nos non debere otiosos esse cœnæ spectatores, sed eam accipere.* 3. *Cœnam Domini non esse celebrandam nisi in cœtu aliquo.* 4. *Cœnam esse signum ex parte Dei.*

Hoc est corpus meum. Hoc, id est hic panis. *Ob. Tunc fuisset dicendum,* ὅτος, *non* τοῦτο. *Resp.* τοῦτο, id est, res hæc quam habeo in manibus. Ita illud esse intelligendum constat ex his rationibus. 1. *Nihil Christus nisi panem accepit, panem fregit, fractum panem discipulis suis dedit mandendum.* 2. Paulus disertè dicit, *Panis quem frangimus nonne est communio corporis Christi?* 3. *De vino hoc dicitur. Hoc poculum est nouum illud testamentum.* Eodem igitur modo dicitur, *Hoc,* id est, hic panis, est corpus meum, id est, symbolū corporis mei, quod frangitur ac traditur in mortem. Absit igitur vt dicamus Christum accepisse panem visibiliter, & corpus inuisibiliter. Obseruandum est quòd non dicat, *In hoc est corpus meum:*

aut

ait hic panis est corpus meum inuisibile: sed, *Hic panis est corpus meum.*

Quod pro vobis, Discipulis meis, hoc est, in vestram salutem.

Frangitur. Obiect. Atqui Christi corpus non erat nec est fractum. Responsio. Respicit ad significationem fractionis panis. Hæc autem fractio significat dolores ac dilaniationem corporis Christi, & diuulsionem animæ & corporis in duas partes. Vt enim frangitur panis in duas partes: sic anima & corpus Christi diuulsa inter se fuerunt.

Hoc facite. scilicet congregati accipite panem, agite gratias, distribuite. Intelligit totam actionem quam præcipit, & quidem nobis credentibus, non Iudæis, qui ipsum erant crucifixuri.

Ad mei recordationem. Id est, cogitantes mea beneficia quæ vobis præstiti, & quæ vobis per hos ritus in memoriam reuocantur, ac verè etiam sentientes in corde me dare vobis hæc mea beneficia: ac proinde ea celebrantes publica confessione coram deo, Angelis, imò etiam coram hominibus: atq; ita mihi gratias agentes. *Recordatio* est totum, cuius partes sunt recordatio beneficiorum Christi: fides, qua Christum & ipsius meritum nobis applicamus: gratitudo, seu confessio publica beneficiorum Christi. Non itaque sequitur: Christus instituit cœnam ad recordationem sui: Ergo non ad confirmationem fidei. Non minus friuola est hæc obiectio, quàm si dicam. Spiritus sanctus confirmat nostram fidem. Ergo non cœna. Non enim valet consequẽtia à positione vnius principalis causæ, ad remotionem instrumentalis causæ. Ita nec valet consequutio à positione totius ad negationem partis. *Recordatio* enim cõplectitur cogitationem beneficiorum Christi, fidem & gratiarũ actionem. Nam per symbola monet nos Christus sui, & suorum beneficiorum, ac fiduciam in se nostram excitat in nobis & stabilit

ſtabilit per ſymbola. Deinde ex illa cogitatione beneficiorum Chriſti ſequi debet vt ipſi gratias agamus etiam publicè.

Hoc poculum eſt nouum illud teſtamentum, ſiue fœdus. Græce διαθήκη quod ſumitur pro Hebræo *berith*. Dicitur autem *fœdus nouum*, id eſt, renouatum, vel (vt vno verbo complectar) impletum. Atque hoc nouum fœdus eſt reconciliatio cum Deo, communio Chriſti & omnium eius beneficiorum per fidem in Chriſti ſacrificium iam peractum, ſine obſeruatione ceremoniarũ veteris Paſchæ. *Cœna vocatur omniũ fœdus*, quòd illa fœderis huius ſignum ſit & ſigillum, reconciliationem noſtri cum Deo, noſtramque cum Chriſto coniunctionem (quæ per fidem fit) nobis obſignans. *Appellando autem nouum fœdus cœnam*, primo *complectitur tum promiſſionem tum conditionem quæ in ipſa promiſſione exprimitur, fidem ſcilicet & pœnitentiam*: vnde etiam ſequitur, Cœnam ideo quoque inſtitutam, vt ſit obligatio noſtri ad vitam Chriſtianam. Deinde *facit antitheſin inter nouum fœdus, & fœdus, quod erat Paſcha, cum ſuis ritibus.* Nam *cœnæ* ſignificabat immolatum Chriſtum: *Paſchæ* Chriſtum ſignificabat immolandum. Non parua tamen eſt vtriuſque conuenientia. Nam vtrunq; noſtri cum Chriſto reconciliationem ſignificat.

Per meum ſanguinem, qui effunditur pro vobis in remiſſionem peccatorum. Effuſio ſanguinis Chriſti eſt meritum propter quod per fidem apprehenſum accipimus remiſſionem peccatorum.

Quotieſcunq; enim ederitis. Ergo cœna ſæpius eſt iteranda. 1. *Propter verba inſtitutionis.* 2. *Propter ſcopum inſtitutionis*, quia debet fieri ad *recordationem* Chriſti.

Mortem Domini annuntiate. Id eſt, credite Chriſtum mortuum eſſe & quidem pro vobis. Deinde id profitemini publicè coram omnibus.

Vſq; quò venerit. Ergo debet obſeruari vſque ad finem mundi: nec eſt expectanda alia forma externa vſque ad iudicium.

Verba

Verba institutionis hactenus explicata magis illustrari possunt ex his verbis Apostoli, *Poculum benedictionis cui benedicimus, nonne est communio sanguinis Christi? Panis quem frangimus, nonne est communio corporis Christi? Poculum benedictionis*, id est poculum gratiarũ actionis, quod scilicet in hunc finem accipitur vt agamus gratias Christo pro morte & passione. *Communio corporis*, item *communio sanguinis*, est, per fidem Christi & omnium eius beneficiorum fieri participem eodem Spiritu, qui in Christo est, in nobis existente & efficiente in nobis eadem, quæ in Christo efficit. *Panis & vinum est communio*, id est signum est communionis nostræ cum Christo. *Communio* autem (vt breuiter declarat Apostolus) *in eo consistit: Quòd vnum corpus multi simus*. Inde facillimum est colligere *communionem illam non esse manducationem corporalem*. Etenim illa tantùm fit per fidem & Spiritum sanctum. Christus est caput, nos membra: & nos omnes qui sumus membra communionem etiam habemus omnium beneficiorum Christi. Itaque commune est caput, communia beneficia, proinde communia membra sunt inter sese: vnde dilectio mutua. 1.Cor.10.16 1.Cor.10.17

Videmus iam quis sit verus sensus verborum institutionis, eorũ præcipuè de quib. maxima est controuersia, horum videlicet, *Hoc est corpus meum*: id est (vt veram sententiam paucis repetamus) Hic panis à me fractus & vobis datus, symbolum est corporis mei pro vobis dilacerati atque in mortem traditi, & certum sigillum vestræ mecum coniunctionis, ita vt qui crediderit & panem hunc ederit, ille verè & realiter suo modo edat corpus meum. Hæc nostra sententia, vel Christi potiùs, verissima est, & Euangelicæ veritati maximè consentanea. Hic in primis oppugnatur, ac summa controuersia est de verbo & de sensu.

Aduersarii siquidem illa verba accipiunt, vt ex iis consequi contendant *corporaliter adesse & comedi corpus Christi*: interim non considerant illa verba sacramentaliter

taliter esse sumenda vel esse locutionem sacramentalem, eoque non accipiendam velut propriam & simplicem, qualis esset si inde colligeretur panem commutari in corpus Christi. Signo autem tribuitur hîc nomen rei significatæ, tum propter coniunctionem rei significatæ, in vsu legitimo, cum signo, tum propter analogiam signi cum re significata.

Accedamus autem ad argumenta quibus nostram sententiam veram esse confirmemus. Ea ferè triplicia sunt, qualia & in similibus controuersiis esse solent. 1. *Quædam sumuntur ex natura rei subiectæ*, id est intelligendo locutionem vt res patitur. 2. *Quædam ex analogia articulorum fidei*, seu ex collatione locorum, partiumue doctrinæ christianæ: Spiritus enim sanctus est Veritatis Spiritus. 3. *Quædam sumuntur ex aliis locis scripturæ similibus*, vbi eadem res verbis non controuersis proponitur.

1. *Genus argumentorum, quæ sumuntur ex Sacramentorum natura.*

IPsa loquendi forma argumentum firmum suppeditat: panis est corpus Christi: atqui panis non est sua substantia corpus: (idco enim consubstantiationem confinxerunt) Ergo est figurata locutio, eiusmodi nempe quæ est vsitata sacramentis & explicata in ipsa institutione.

2. *Sacramenta nihil aliud confirmant, exhibent, promittunt, obsignant, quàm verbum: In verbo nulla promittitur manducatio corporalis vel oralis. Ergo &c.*

3. *In omnib. sacramentis, quando symbolis nomina vel proprietates rerum tribuuntur significatur nõ præsentia rei corporalis, sed primùm similitudo rerum cum signis, deinde coniunctio rerũ cum signis in vsu legitimo: sed in hoc sacramento Christus symbolo, scilicet pani, nomẽ rei, corporis sui, tribuit: Ergo &c.*

4. *Communio Christi quæ in verbo & sacramentis promittitur non est corporalis: At communio Christi quæ datur in cœna, est eadem cum ea quę datur in verbo & omnibus*

bus sacramentis. Ego spiritualis in cœna communio est.

5. Sacramentorum omnium veteris & noui testamenti eadem est significatio. Minor patet quia in omnibus promissionib. eadem beneficia nobis promittuntur quæ in sacramentis. Sacramenta sunt verbum visibile. Idem promittunt Sacramenta quod verbum. At Euan. docetur communio quæ fit per fidem. Maior exprimitur ab Apostolo, Per vnum Spiritum nos omnes in vnum corpus baptizati sumus. 1.Cor.12.13
Omnes in Mose baptizati sunt nube & mari, & omnes eandem escam spiritualem ederunt. 1.Cor.12.23
Obiect. Non est omnium sacramentorum eadem res significata. Nam in baptismo res est ablutio per sanguinem Christi: in cœna corpus & sanguis Christi. Resp. Res non est diuersa, quia idem est sanguine Christi ablui, & sanguinem Christi bibere. Modus autem significandi vnam & eandem rem est diuersus, id est, vnius & eiusdem rei est diuersa similitudo per signa, vel vna eademque res habet similitudinem seu analogiam diuersam. Ergo sicut in Baptismo, item in circumcisione & Paschate significatur & promittitur res spiritualis non corporalis: ita & hîc in cœna.

6. Natura omnium sacramentorum est vt symbola corporaliter, res autem significatæ spiritualiter intelligantur, & vtres visibiles non sint res significatæ, sed tantùm symbola ac pignora.

7. Imaginatio de corporali præsentia Christi sub pane toto genere diuersa est à ratione formali sacramenti. Ergo est repudianda. Antecedens probatur. Quia neque pro signo neque pro re signata haberi potest. Signum vel sacramentum non est, quia non incurrit in sensus. Deinde nullam habet analogiam vel similitudinem cum re, id est, cum spirituali mãducatione. Neque res signata dici potest, quum Scriptura de essentiali transfusione & commixtione reali carnis Christi cum nostris corporibus nusquam concionetur, nec vlla esse possit, nisi Eutychianorum & Schuenckfeldij deliria recipiamus. Nam Sacramenta de illis bonis tantùm testantur & obsignant quæ in Euangelij promissione continẽtur. Ergo nullius locus substantiali præsentiæ corporis in pane, tanquam prorsus

ſus inutili, relinquitur.

8. *Sacramenta ſeu ſigna debent eſſe viſibilia, adeo vt Sacramentum* (inquit Eraſmus) *dici non mereatur, quod ſigno externo non peragitur. In hunc enim vſum à Deo adhibentur vt efficaciter, velut externis noſtris ſenſibus demonſtrent quod verbo promittitur, & per ſpiritum ſanctũ in cordibus noſtris efficitur vt ſint aſpectabilia teſtimonia & pignora exhibitæ & applicatæ promiſſionis gratis.* Hinc illud Auguſtini, *Sacramentum eſt verbum viſibile. Eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma. Ergo nulla res ſiue actio inuiſibilis, inſenſibilis, & præternaturalis, ſacramenti vel rationem vel appellationem tribuere poteſt. Per conſequens, qui volunt Chriſti carnem, in ſub, vel cum pane eſſe, vel tranſubſtantiari, viſibilem nobis eam eiuſque ſenſibilem manducationem oſtendant in cœna, ne à veteribus diſſentire videantur.*

9. *Inter Signum ſeu ſacramentum & rem ſignificatam ſiue rem Sacramenti oportet eſſe analogiam. Niſi enim ſacramenta* (inquit Auguſtinus) *haberent quandam ſimilitudinem earum rerum quarum ſacramenta ſunt, vtique Sacramenta non eſſent. Iam ſi caro Chriſti quoque ſacramentum eſt, rei verè Sacramenti inuiſibilis gratia: quæ tandem erit inter hæc duo ſacramenta analogia & ſimilitudo? Cùm autem nulla eſſe poſſit, efficitur carnem Chriſti Sacramentum dici non debere, vtpote quæ tam ſit res ipſa Sacramenti quàm æterna ſalus, viſibili pane tanquam ſymbolo, analogicè ſignificata. Sacramentalis igitur, quæ ore naturaliter fit, manducatio, corpus Chriſti per ſe conſideratum, phyſico aliquo reſpectu, non attingit, cui nimirum externa duntaxat ſymbola in ſua propria natura obijciantur.*

Aug. quærens quomodo panis ſit corpus Chriſti & vinum ſanguis: *Iſta* (inquit) *fratres, ideo dicuntur Sacramenta, quia in illis, aliud videtur aliud intelligitur. Quod videtur ſpeciem habet corporalem: quod intelligitur fructum habet ſpiritualem. Corpus ergo Chriſti ſi vis intelligere, audi Apoſtolum dicentem fidelibus: Vos eſtis corpus Chriſti & membra. Si ergo vos eſtis corpus Chriſti & membra, myſterium veſtrum in menſa poſitum eſt, &c.*

Hæc

Hæc sunt *ex natura rei subiectæ deducta argumenta*, scilicet intelligendo locutionem sicuti res patitur.

2. *Genus argumentorum quæ deducuntur ex analogia fidei.*

FIrma sumuntur argumenta *ex articulo de veritate humanæ Christi naturæ. 1. Christus assumpsit naturã verè humanã: nobis per omnia similem, excepto peccato. Ea igitur nõ potest in pluribus locis esse simul vno tempore, eoq; nec esse potest in cælo simul & in pane: quia solius naturæ diuinæ est esse simul in diuersis locis. 2. Christi corpus est finitum vt pote verum corpus: est autem iam in cælo, vt probatur ex articulo de ascensione in cœlum: Ergo corpus Christi non est in pane.* Multi abutuntur hoc argumento amisso primo fundamento omnino necessario & vero: neque enim glorificatio naturæ humanæ naturam tollit. *Contrectate me & videte. nam spiritus carnem & ossa non habet, prout me conspicitis habere. Aspicientibus ipsis eleuatus est. 3. Si verum Christi corpus est infinitum, inuisibile est & insensibile. Ergo quod videbatur, patiebatur, & agebat in terra, non erat corpus verum, sed apparens: quia ne diuinitati quidem competere potest, vt simul sit finita & infinita, sensibilis & insensibilis: atque ita omnia quæ de Christo in articulis fidei dicuntur, non verè gesta fuissent, sed tantùm fuissent visa fieri, ac proinde nos adhuc essemus in morte.* Luc. 24. 39. Act. 1. 9.

2. Petuntur argumenta non infirma *ex articulo de communione sanctorum cum Christo. 1. Talis nunc est cõmunio Sanctorũ cum Christo, qualis olim erat, & post futura est: talis item est communio sanctorum sacramento vtentiũ, quasi exclusorum necessitate. At talis communio sanctorum cum Christo est spiritualis,* quemadmodum docet Apostolus. *Qui agglutinatur Domino vnus spiritus est. Per hoc cognoscimus eum in nobis habitare, & nos in ipso, qiòd de Spiritu suo dedit nobis. Ipse vitis est, nos palmites. Ipse caput, nos membra. Ipse sponsus, nos cum tota Ecclesia Christi sponsa sumus. Talis est manducatio Christi, qualis mansio ipsius in nobis: hæc autem spiritualis est.* Mansionem Christi esse spiritualem 1. Cor. 6. 17. 1. Iohn. 4. 13 Ioh. 15. 5. Eph. 5. 1. 22. & 4. 15. & 5. 30. 31. Apoc. 22. 17.

tualem, satis ex eo percipitur, *quòd eadè sit Christi in nobis mansio quæ & patris. Si quis diligit me, sermonem meum*
Ioa. 14. 23. *seruabit, & pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & apud eum manebimus.* At quomodo *pater in nobis habitat*, aut apud nos manet? Certè *per Spiritum sanctum. Ergo sic etiam Christus apud nos manet, vel in nobis habitat. 3. Christus manet in nobis perpetuò: Ergo non corporalis est illa mansio seu præsentia, quia secundùm naturam humanam di-*
Matt. 26. 11. *cit, Me non semper habebitis. Itaque non comeditur à nobis corporaliter, imò corporaliter à nobis comedi non potest, nisi sit in nobis corporaliter, & quidem perpetuò.*

3. Accedunt & argumenta *de sacrificio & de adoratione. Vbicunque Christus adest corporaliter siue modo visibili, siue inuisibili, ibi est adorandus, conuersis videlicet èo membris & gestibus. At in cœna non est adorandus. Ergo non adest in cœna corporaliter.* Minor facilè probatur. *Nam alligare*
Ioan. 4. 21. *inuocationem ad certum locum in nouo Test. nunquam licet. Venit hora quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis patrem.* Deinde, *si adorandus est Christus in cœna mentibus & gestibus ad panem conuersis, tota illa oblatio per manus sacrificulorum staret, quia nimirum offerunt Patri Filium ad impetrandam remissionem peccatorum: & sic iterranda esset crucifixio.*

3. *Genus argumentorum, quæ sumuntur ex locis scripturæ similibus. Vbi scilicet eadem res verbis non controuersis proponitur.*

1. DIsertè *damnatur corporalis esus à Spiritus sancto, spiritus est* (ait Christus) *qui viuificat, caro non prodest quicquam:* his verbis disertè damnat Christus opinionem de corporali esu suæ carnis, siue visibili, siue inuisibili.
Ioan. 6. 63.

2. *Panis quem frangimus* (inquit Apostolus) *est communio corporis Christi. Hæc autem communio est spiritualis, quia cùm eam opponit idem Apostolus communioni dæmo-*
1. Cor. 16. 16. *niorum* (*Non potestis* (*inquit*) *poculum dæmoniorum bibere, & poculum Domini: non potestis mensæ domini participes*
1. Cor. 10. 21.

pes esse, & mensæ dæmoniorum) his verbis negat Apostolus impios fieri posse participes corporis & sanguinis in Cæna. Proinde non est corporalis esus corporis & sanguinis Christi in Cæna.

3. Christus dicit panem esse corpus suum: Ergo non tenent τὸ ῥητὸν qui dicunt in pane, sub pane, cum pane esse corpus Christi.

4. Poculum est nouum testamentum, id est, poculum est signum noui testamenti: aliter enim non potest accipi. Testamentum enim nouum est sigillum promissionis, vel ipsa promissio, non autem res ipsa promissa. Item, Poculum est communio sanguinis Christi, Panis est communio corporis Christi: hæc autem communio est Spiritualis esus & potus corporis & sanguinis Christi, vt ex Apostoli verbis apparet, & spiritualis illius esus & potus signa sunt panis & vinum.

5. Apud Euangelistam, Manducare Christum, panem scilicet viuificum, qui è cœlo descendit: Item, edere carnem, Christi, & bibere eius sanguinem, significat in Christum credere: Ergo & in verbis institutionis idem significat: quia non aliter illa verba Christus exponit hic. Ioh. 6. 51. 53.

6. Sunt & similes loci Scripturæ sacramentaliter enuntiati de alijs sacramentis, qui veram quoque sententiam confirmant: vt, Circumcisio est fœdus: Agnus est transitus: Sacrificia Leuitica dicuntur expiatio peccati: Sanguis victimarum dicitur sanguis fœderis: Baptismus est lauacrum regenerationis: Ergo & ista verba, Hoc est corpus meum, pari modo sacramentaliter enuntiantur. Gen. 17. 10. Exod. 12. 11. Lenit. 4. 19. Exod. 24. 8. Tit. 3. 5.

7. Iubet celebrari Cænam, panemque & vinum edi & bibi ad sui recordationem: hæc autem recordatio præcipuè fit fide, non corporaliter. Deinde, in cuius memoriam quid agimus, id non est præsens, quia præsentium non meminimus.

8. Per vnum Spiritum nos omnes in vnum corpus baptizati sumus: siue Iudæi, siue Græci, siue serui, siue liberi: & vna potatione omnes potati sumus in vnum Spiritum. Eadem ergo ratione nos omnes eundem panem comedimus. id quod Paulus manifestè demonstrat affirmans, omnes etiam patres eandem Spiritualem escam comedisse: proinde non est 1. Cor. 12. 13.

manducatio corporalis, qua corporis & sanguinis Christi fimus participes: alioqui ante Christi aduentum patres nequaquam Christi, vtpote nondum nati, fuissent facti participes.

His argumentis ex sacra Scriptura & fidei nostræ fundamento depromptis, addantur testimonia patrũ ac purioris Ecclesiæ, ex quibus omnibus tantùm proferemus in præsens dictum illud celebre Macharii Monachi: *panis & vinum sunt correspondens exemplar carnis & sanguinis ipsius, & qui accipiunt ostensum panem, carnem Domini spiritualiter comedunt.*

Contra Transßubstantiationem.

IAm facilè videre est quid *de transubstantiatione* sentiendum sit, illam scilicet impium esse Papistarum commentum: id quod & varijs rationibus breuiter commonstrabimus.

1.Cor.10. 16.17.& 11. 26.27.28.

1. *Paulus id quod sumitur, expreßè panem nominat antè & post esum: Ergo id quod sumitur in cœna nõ est realiter corpus.*

2. *Christus fregit panem: corpus autem suum tunc non fregit: Ergo non realiter panis est corpus.*

3. *Panis non est traditus pro nobis, corpus autem Christi est traditum pro nobis. Ergo panis non est realiter corpus Christi.*

4. *Christus iubet nos hoc sacramentum sumere, panemque & vinum sumere, ad sui recordationem. Ergo panis dicitur corpus Christi, non realiter, sed quòd sit memoriale corporis: hoc est, panis admonitio est de corpore Christi, quomodo & in verbis institutionis præcipitur: Mortem Domini annunciabitis vsque quò venerit.*

5. *Analogia signi & rei, manifestè satis transubstantiationem refellit. In omni enim sacramento duo sunt, signum & res significata: periret autem signum, si panis transubstantiaretur, hoc est, si fieret mutatio panis in corpus. Nam sic esset res tantùm significata, non signum.*

Ob. Attamen manent accidentia panis, velut albedo, mollities. &c. Resp. Sed sic non erit analogia inter signum & rem significatam, quia accidentia non nutriunt. Non poteris dicere, quemadmodum accidentia panis & vini corpus nutriunt, ita Christi corpus animam nu-

tri

am alit ad vitam æternam. Quin & promissio Dei sic fieret irrita. Nam Deus promisit se daturum Messiam non ex substantia tritici aut vini, sed ex semine Dauidis. *Inst. Atqui nos non dicimus panem & vinum conuerti, sed substantiam panis & vini euanescere, & succedere substantiam corporis & sanguinis Christi. Resp.* De hoc pane dicit Christus quod sit corpus suum, & idem panis ab Apostolo ante, in, & post vsum vocatur panis. Non dicit Christus, hoc quòd est sub specie *panis*, est corpus meum, sed dicit, *hoc*, id est, hic panis *est corpus meum*. Et Paulus ait, *Panis quem frangimus est communio corporis Christi*: &, *Quoniam vnus panis vnum corpus multi sumus*. Item, *Quotiescunque panem hunc ederitis, &c.* Ac deinde *Quisquis ederit panem hunc indignè &c.* Præterea, *probet autem seipsum, & ita de pane illo edat*. Constat igitur substantiam panis & vini nec mutari, nec perire, nec sub specie latere, sed manere eundem panem, & idem vinum.

1.Cor. 10. 16. 17. 1.Cor. 11. 26. 27. 28.

Quòd autem nulla sit transsubstantiatio panis & vini, sic probatur: *Si sit transsubstantiatio, Christi institutio peruertitur: abolet enim & in nihilum redigit substantiam panis, nempe hoc ipsum, quod in hac ceremonia corpus Christi est.* Nam cùm panis sit corpus Christi, certè pane non extante, corpus Christi in cœna nõ extat, & ita Christi verba ampliùs non sunt vera, vbi dixit panem illum esse suum corpus, & vinum illud esse suum sanguinẽ. Transsubstantiatores si interrogentur quæ res sit ipsis corpus Christi in cœna: certè non respondebunt panem esse: nullum.n. panem in cœna habent, quia transubstantiatus est: sed mittent nos ad ipsam substantiam corporis Christi absolutè consideratam, tectam in elati panis accidentibus. Errant igitur omnes qui corpus Christi, per sese consideratum in propria sua materia & subiecto externis actionib. cœnæ obijciũt. Hæc & superiora arg. refellunt etiam *Consubstantiationem*: vnde nec plura aduersus eam proferemus. Tantùm quasdam obiect. Synusiastarum refutabimus.

Obiectionum pro Consubstantiatione Refutatio.

Obiect. 1. *Christus dixit, hoc est corpus meum. Christus autem est verax. Ergo ei est credendum, sepositio philosophico acumine, & per consequens, Panis non est signum corporis.* Resp. Concedemus argumentum, si probauerint Christum hanc suam sententiam ponere, nimirum, *In, sub, & cum pane* esse corpus suum. *Inst. Atqui hic est dictum, Hoc est corpus meum.* Resp. Et in alijs tales sunt locutiones: vt pascha dicitur transitus, Baptismus lauacrum regenerationis, Circumcisio fœdus. *Inst. At non dicimus panem esse corpus Christi realiter, vt Papistæ, sed illud esse in pane.* Resp. Imò hac ratione Papistæ magis τὸ ῥητὸν seruare videntur, quos tamen disertè refutat Apostolus appellans panem & ante esum, & in esu, & post esum. 2. Nusquam vel à Christo vel à Paulo dictum est *corpus Christi esse in pane, sub pane, cum pane:* & nusquam in Scripturis hoc est expressum. Vera autem sententia illorum verborum expressa est in ipso contextu. Panem scilicet esse corpus Christi symbolicè. Nam in textu manifestè dicitur, *Hoc facite ad mei recordationem.* Sic etiam Paulus *panem vocat communionem corporis Christi.* Proinde panis est corpus Christi memoriale vel symbolicum. Symbolum corporis Christi est panis, non autem corporis Christi latibulum.

Ob. 2. *Christus est omnipotens: Ergo.* Resp. A posse ad esse, non valet argumentum. Non est quæstio quid Christus possit, sed quid velit. *Inst. Quicquid est ad dexteram Dei, est vbique. Corpus Christi est ad dexteram Dei. Ergo est vbique.* Resp. Negatur Maior. Significat enim sessio ad dexteram Dei vnionem vtriusque naturæ in Christo, gubernationem, donorum excellentiam. Etsi omnia regat, tamen non necesse est vt adsit corpore. Satis est personam vbique esse & adesse dignitate. Sicut omnia sustétabat etiam in cruce pendens, nec tamen erat vbique corpus. Itaque *sedere Christum ad dexteram patris,* est Christum esse personam per quã

patet

pater mediatè omnia, præsertim Ecclesiam, regit. Huius autem *sessionis* nulla pars est *vbiquitas Christi corporis*, & satis est Christi Personam vbique esse.

Obiect. 3. *Quod nos viuificat & nutrit, id accipitur intra nos: corpus & sanguis Christi viuificant nos. Ergo &c. Resp.* Ex puris particularibus nihil sequitur. Maior est particularis: nam non omne quod nos viuificat & nutrit necesse est vt recipiatur intra nos. Illud saltem oportet recipi intra nos, quod nos viuificat & nutrit naturaliter, id est, per contractum corporis. Hic cibus non nutrit nos, nisi accrescat substantia corporis nostri: sed longè aliter de animæ nutritione, quæ spiritualis est, loquimur. Christi corpus nequaquam nutrit nos naturaliter:: non enim intra nos receptum viuificat nos, efficiendo in nobis nouas qualitates, sicut pharmacum aliquod: verùm nos nutrit & viuificat corpus Christi modo ab illa naturali nutritione diuerso, & prout modus nutriendi & viuificandi requirit, ita nos corpus Christi recipimus. *Modus ille quo Christi corpus & sanguis nos nutrit*, est 1. *ratio meriti.* Pro nobis enim Christi corpus datur, & sanguis Christi pro nobis effunditur, ac propter corpus & sanguinem Christi nos æterna vita donamur. Hoc igitur modo corpus & sanguis Christi nos viuificat vt meritum. 2. *Viuificat seu nutrit nos dum illud corporis & sanguinis meritum Christi recipimus:* id est, dum propter illud nos habituros vitam æternam credimus vera fide. Fides hæc nititur Christo pendente, non autem corporaliter in nobis habitante. 3. *Cùm idem Spiritus per fidem nos vnit Christo, & similia in nobis operatur quæ & in Christo.* Nam nisi Christo simus insiti, Deo non placemus. Ea enim lege vult nos recipere, & nobis peccata remittere, vt per fidem, Spiritus Sancti virtute, coniuncti cum Christo, & illi simus insiti. Quoniam hic est modus, quo nos corpus & sanguis Christi viuificant ac nutriunt, non requiritur illapsus corporis & sanguinis Christi in corpora.

Præterea quando alterum de altero, vt de ſubiecto dicitur, quicquid de prædicato dicitur, de ſubiecto dicatur neceſſe eſt: de pane dicitur, quòd ſit corpus Chriſti, vt de ſubiecto: ergo quicquid de corpore Chriſti prædicatur, de pane quoque prædicabitur. Sic igitur, *panis dicetur conceptus è Spiritu ſancto, natus crucifixus pro nobis, mortuus:* hæc enim omnia de corpore Chriſti prædicantur.

Obiect. 4. *Manducatio panis eſt oralis. Sed manducatio corporis eſt etiã manducatio panis. Ergo manducatio corporis eſt oralis & corporalis, cùm dicitur, Accipite & edite. Reſp.* Hæc manducatio de qua hîc agitur eſt oralis, non ſimpliciter, ſed quoad Symbolum. Eſt autem non oralis, ſed ſpiritualis, quod ad rem ſignificatam & ſpiritualem. *Inſtãtia. Hoc τὸ eſt corpus meũ, id eſt, corpus inuiſibile quod habeo in manibus, & poculum. Reſp.* Sed corpus eſt res ſignificata, alioqui nulla erit analogia inter ſymbolum & ſignificatum. Sequitur ergo, *Panis eſt corpus meum*: vt *Panis* ſit loco ſubiecti, *corpus* prædicati. In hac oratione prædicatur res de ſigno.

Obiect. 5. *Verba non ſunt mutanda. Chriſtus vſus eſt verbo eſt. Ergo non debet eius loco poni Significat. Reſp.* Non ſunt mutanda in alium ſenſum quàm deus vult. Sæpe ſunt mutanda: vt cùm dicitur, *Erue oculum &c.* Verba enim ſunt intelligenda pro natura rerũ. Deinde hanc mutationem ipſi magis faciunt. *Inſt. Eſt corpus Chriſti pro nobis fractum & crucifixũ: non ſignum corporis. Ergo panis eſt ſubſtantiale corpus Chriſti. Reſp.* Concedo: nam panis ſignificat illud corpus verum natũ ex Maria, crucifixum. &c.

QV. Cur ergo res ſignificatæ tribuuntur ſignis, ſi neq; ſunt eadem neque μετουσια ſignificetur? Reſp. Duæ afferuntur cauſæ, ſimilitudo & certitudo.

1. Similitudo ſeu analogia ſignorum & rei ſignificatæ eſt. 1. *Vt panis & vinum nutriunt corpus noſtrum, ita corpus & ſanguis Chriſti nutriunt nos ad vitam æternam.* 2. *Vt panis & vinũ percipiuntur ore, ſic corpus & ſanguis fide.*

3. *Vt*

3. Vt panis fractus manducatur, sic corpus Christi mactatum & fractum percipitur. 4. Vt in corporalibus requiritur appetitus, sic & in his fides. 5. Vt ex multis granis vnus panis conficitur, ita nos vnum corpus efficimur: propter hanc signi & rei significatæ similitudinẽ, tribuitur signis res significata.

2. Certitudo signorum similiter in causa est cur de signis dicatur, quod est rei significatæ proprium. Testantur enim signa peractum esse Christi sacrificium, & quidem in nostrum commodum, quia videlicet verè illud nobis applicatur.

Notandum est hîc ad extremum, corporis Christi manducationem complecti. 1. *fidem.* 2. *Per fidem nos participes fieri Christi,* id est, vniri nos Christo, & communionem nostram per fidem fieri: Spiritus autem sanctus est vinculum coniunctionis nostrę cum Christo. 3. *Participem fieri beneficiorum Christi, iustificationis & remissionis peccatorum.* Hoc verò consequitur ex illa vnione Christi nobiscum. 4. *Beneficium regenerationis, quo efficitur vt Christo fiamus conformes, quia Spiritus idem habitans in nobis & in Christo eadem efficit.* Hæc manducatio facilè colligitur vt ex alijs multis, ita ex hoc etiam dicto Christi, *Ego sum Panis viuificus qui de cœlo descendi: si quis ederit ex hoc pane viuet in æternũ. Et, Panis quem ego dabo pro mundi vita.* Ioan. 6. 51.

5. *Quodnam sit discrimen inter Cænam Domini & Missam Papisticam.*

NEcessaria est hæc quæstio propter errores qui irrepserunt in Ecclesiã. Alias quærirur cur missa sit abolenda. Sed hic ita quæstio cõtinetur, quia hæc discrimina seu antitheses cœnæ Domini sunt causæ cur missa sit abolenda. Primùm *de nomine Missæ* paucula dicamus. *Videtur Missa nomen habere* ab antiqua consuetudine actuum Ecclesiasticorum, in quorum fine dabatur venia abeundi Catechumenis, obsessis & excommunicatis: atq; ita *Missa videtur dicta quasi Missio:* quia scilicet erat postrema pars actionum sacrarum. Alij *à dimissione seu à dimittendi formula.* Missam denominari

minari volunt, quia his verbis dimittebantur, *Ite, Missa est:* scilicet collecta vel eleemosyna, quæ mittebatur & dabatur pauperibus Vocabulum *Missæ* deductum est ab Hebræo Masah, id est, tribuo, quod à quaque persona pendi consueuit. Vox habetur Deut. 16. 10. *Missach nidbath iadecha, oblationem spontaneam manus tuæ.* Sic autem appellatur ea oblatio, quasi annuum tributum, quod tamen spontaneũ erat. Alij interpretantur *sufficientiam*, nimirũ vt daretur quod esset satis & fortasse veriùs: quia cap. 15. Deut. *Dominus præcepit Israelitis, vt manũ suam pauperi aperiant, ac illi mutuo dent quod sufficit.* Id Chaldæus paraphrastes interpretatur *Mißah.* Hinc illi nostri *Missam dictam esse putant, quasi tributum ac spontanea oblatio quæ passim Deo in Ecclesia pro viuis & defunctis offeratur.* Sed id non est verisimile. Constat quidem Ecclesiam voces nonnullas ab Hebræis mutasse, vt *Satan, Osanna, Sabaot, Halleluia, Pascha &c.* Sed voces illæ ad Latinã Ecclesiam non venerunt nisi per Græcam, & eæ voces in nouo Testaméto, vbi primùm fuit græcè conscriptum, reperiuntur. Ideoq; nullas habemus Hebraicas voces ad nostram Ecclesiam deriuatas, quas Græca Ecclesia priùs non habuerit. Si quoque Patres Græcos excutiamus, nunquam ab eis vox *Missæ* vsurpari reperietur. Ideo *Missæ* nomẽ ab Hebræis deductum non opinor. *Mißæ* ergo nomen, quod vtiq; Latinum est, sumptum videtur ex Patribus, qui *Remißam* dixerunt, pro Remissionem, vt *Tertullianus* lib. 4. contra Marcionem: *diximus*, inquit, *de remißa peccatorum. Cyprianus de bono pœnitentiæ, Qui remissam peccatorum erat daturus, lauacro regenerationis fungi non est dedignatus.* Idem, epist. 4. lib. 3. *Qui blasphemat Spiritum Sanctum, remißam peccatorum non habet.* Proinde, cum dixerint *pro remissione remißam*, videntur etiã dixisse *loco remissionis mißam.* Quapropter, quod in Ecclesia post missionem Catechumenorum agebatur, *Missam* appellarunt. Nos abijcimus *Mißam* cũ vocabulo. *Nam Cœnæ Domini illud vocabulũ non competit*, ea siqui-

dem

dem cum nomine *Missæ* nihil habet commune, quanuis illo veteres scriptores vsi sint: deinde *nobis isto vocabulo non opus est*, habemus enim alia nomina huic negotio conuenientissima.

Iam videamus *discrimina cœnæ & Missæ*, eaq; inter se prorsus cõtraria, ac propter quæ Missa debeat aboleri.

1. *Missa Papistica est multiplex mutatio ac potius abolitio ritus instituti. Eripit enim populo calicẽ, addit multas nugas cùm tamen nulla creatura habeat potestatẽ instituendi sacramenta, seu commutandi aut abolendi constitutiones diuinas.*

2. *Transformat signum in rem signatam: negat enim esse panem & vinum, sed dicit esse Christi carnem & sanguinem substantialiter, quod repugnat cum natura cœnæ Dominicæ in specie.*

3. *In Missa constituunt Pontificij alia dona cœlestia quàm quæ habentur in verbo & alijs sacramentis, ijsq; addita promissione, vt quòd fingunt sacrificuli Missã, & facienti & alijs, ex opere operato, id est, externo ritu & actione, mereri non tantùm remissionem peccatorum, sed & sanationem ægrotantium hominum, boum, pecorum: atq; ita simul confingunt signa illa panis & vini esse sacramentum etiam extra vsum. Alia item in Missa constituunt quam sunt in omnibus sacramẽtis, illapsum scilicet corporis & mansionẽ carnalem, quod cum natura omnium sacramentorum pugnat.*

4. *Missa pugnat cum sacrificio Christi, cœna confirmat & testatur nos iustificari, propter vnicum Christi sacrificium in cruce peractum: Missa vero contra testimonia Scripturæ constituit plura ἱλαστήρια*: hæc est cõculcatio sanguinis Christi, cùm non perfectam remissionem peccatorum meruisse dicant. *Ob. Missa dicitur sacrificium à Pontificijs & similiter Cœna dicitur Sacrificiũ à patribus. Ergo Patres fuerunt Põtificij. Resp.* A pontificiis missa dicitur sacrificiũ ἱλαστήριον. A Patribus cœna sacrificiũ dicitur, id est, sed *eucharisticũ*: deinde, est sacrificiũ illud ipsũ quod Christus obtulit sic vt panis est ipsũ corpus Christi. Pont. volũt esse diuersũ sacrif. quo impetretur remissio peccatorũ. Aliud autẽ est eandem victimã sæpius offerri,

aliud

aliud vnam victimam semel offerri, & quidem sufficientem ad tollenda omnia peccata. Hoc sacrificium solum sufficit ad remissionem peccatorum, &, Hoc sacrificium cũ aliis offertur pro peccatis, sunt contradictoria. 5. *Missa pugnat cum sacerdotio Christi*, quia ipse est solus Pontifex ac sacerdos habens potestatem seſe offerendi. Papa cum suis hunc honorem impudẽtissimè ad se rapit. Fingunt.n. impostores isti cũ summa Christi contumelia, se Patri Christum rursus offerre, & quidem se solos esse dignos qui Christũ offerant patri, cum interea nullus homo, nullus Angelus, atque adeo nulla creatura sit eius dignitatis, vt possit sacrificare Filium Dei. Sacerdos enim superior est victima: qui ergo volunt esse sacerdotes offerẽtes Christum, ij se supra hunc efferunt. *Obiect. Non mactant sacrificuli, sed offerunt tantùm & exhibent filium Patri, vt propter ipsum peccata nobis remittat atque ita applicant tantùm illud vnicum sacrificium Christi.* *Resp.* Satis est quòd dicunt *se suis manibus offerre Christum:* manet.n. quòd se constituunt sacerdotes, nec refert quòd negent se mactare Christum. Offerebantur olim à sacerdotibus multa quæ non mactabantur, sed duntaxat immolabantur, vt placenta, libamina &c. Iudæi quidem mactarunt Christum, sed ipsum non sacrificarunt, ipse autem volens mactatus est, eoque se ipsum sacrificauit. *Seipsum Christus per spiritum æternum obtulit inculpatum Deo,* & quidem semel victimam se Patri pro nobis obtulit. *Christus semel sublatus est, vt peccata tolleret: altera vice absq; peccato conspicietur ijs qui ipsum expectant ad salutem. Christus vna pro peccatis oblata victima in perpetuũ sedet ad dexteram Dei.* Contra hæc manifesta script.test. Pontificij Christum volunt in Missa sæpius offerre.

Heb.6.14.

Heb.9.28.

Heb.10.12.

6. *Missa pugnat cum doctrina de gratia & iustificatione, qua docetur tantùm in hac vita esse tempus impetrandi gratiam sola fide propter vnicum Christi meritum.* Pontificij neglecta fide quam ignorant, & repudiato Christi merito, eius loco substituunt tetrũ istud & idololatri-

cum

cum commentum. Nam *propter missæ sacrificium, atq; adeo propter opus istud (vt loquuntur) operatum, contendunt mortuos etiam impetrare remissionem peccatorum.*

7. *Missa pugnat cum articulis fidei de vera humana natura in Christo: de vera in cœlum ascensione, & reditu Christi ad extremum iudicium: statuunt enim corporalem Christi præsentiam in Missa, dicentes Christum abolita panis & vini substantia, adesse inuisibiliter sub speciebus panis & vini, quotiescunque celebratur Missa.* Corporalis est Christi præsentia manentibus tantùm accidentib. signorum. *Pugnat etiam cum natura Sacramentorum,* quæ non patitur aboleri signorum substantiam, nec requirit Physicam connexionem signorum & rerum: proinde nec ista requiritur in Cœna, quæ nimirum nos deducit ad Christum crucifixum & in cœlo regnantem, atque inde sese nobis communicantem.

8. *Missa pugnat cum communione sanctorum cum Christo. Fingit enim execrabile commentum; Christi corpus in nostra corpora illabi & manere tamdiu intra corpora nostra, quamdiu manet species panis & vini. cœna verò docet, nos per Spiritum sanctum fieri membra Christi, & ipsi inseri.*

9. *Missa pugnat cum vero cultu Dei, quia statuit Christum corporaliter ibi præsentem, & per consequens ibi adorandum.* Sicut olim ante ascensionem non tantùm licebat, sed oportebat adorari Christum quocunq; erat loco, & sic discipuli semper ipsum adorarunt presentẽ vt & ascendentẽ: sed post ascensum non deinceps ad locum aliquem conuersi ipsum adorarunt. Quoniam igitur in Missa sua Pontificii alligant adorationem Christi ad rem, ad quam ipse Christus eam expresso verbo non alligauit, *profitentur se idololatras esse*, atque hic à se fieri non minùs absurdè quàm impiè, quàm si Christum adorarent ad parietem, aut si corã columna procidentes eam adorarent, idq; 1. *Quia nulla creatura potestatẽ habet alligandi adorationem ad vllam rem aut locum in quo Deus non iussit expresso verbo se adorari, & in quo Deus exaudi tionem non promisit.* Hinc manifesta est causa

causa discriminis, *cur Iudæi dirigentes orationem ad propitiatorium, simul tamen in spiritu verum Deum certè colebant, & ex promissione certi erant de exauditione: adorantes autem in Dan & in Bethel, & in excelsis, & in templo Samariæ, erant Idololatræ, nescientes quid adorarent. Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudæis est,* & huius rei causa fusiùs explicatur. 2. Regū 17. 2. *Quia in nouo testamento omnis adoratio quæ sit alligata ad certum locum in terris, omnino sublata est, ac tantum Spiritualis adoratio requiritur, excitata à Spiritu sancto, & facta ex vera fide & agnitione Dei. Venit hora quando neque in monte hoc, neque Hierosolimis adorabitis patrem.* His verbis manifestè tollit Christus alligatam adorationem certo loco in terris. Itaque tollere ac detestari quoque debemus impium istud commentum, de corporali præsentia Christi in Missa, vel in pane & vino. Posito enim quòd Christus sit corpore præsens in pane (siue id fieri dicatur μετουσία siue συνουσία stat adoratio Papistica, & vice versa tollitur præsentia corporis Christi in pane, sublata ex ipsius Domini mandato hac tetra Papistarum adoratione corporis Christi sub panis & vini speciebus eorum iudicio delitescentis. Notandum autē hoc loco est, *quid sit adorare Christum in pane*, nimirum *dirigere adorationem animo, mente, cogitatione, & quantum fieri potest, corporis gestu, ad locum in quo est panis, & ex conuerso præstare reuerentiam Christo ac si ibi magis esset præsens quàm alibi* Sic olim *adorabant Deum ad aram*, conuersi ad eam animis & quantum fieri potuit gestu.

1. Reg. 8. 33. & 12. 29. 30. 30. 31. Dan. 9. 11. Ioh. 4. 22. Ioan. 4. 23.

Obiect. 1. *Missa est applicatio sacrificij Christi, Ergo non tollenda: resp.* Nego antecedens: quia sola fide nobis applicamus meritum Christi.

Obiect. 2. *Oportet esse sacrificium perpetuum in Ecclesia, quia Esaias prædixit, Futurum sabbathum ex sabbatho. Resp.* Oportet esse perpetuum in Ecclesia sacrificium, scilicet gratiarum actionis. 1. *Quia est recordatio sacrificij Christi.* 2. *Quia eleemosynæ dabantur in primitiua Ecclesia pauperi-*

Isa. 66. 23.

pauperibus absoluta cœna, quæ erant sacrificium. 3. cœna est etiam sacrificium Eucharisticum: nam propitiatorium esse Patres nunquam somniarunt.

6. *Quis sit cœnæ legitimus vsus.*

CÆnæ legitimus vsus in tribus consistit. 1. *Quando ritus instituti à Christo retinentur & seruantur: ita tamen vt nõ seruentur ab vno & altero priuatim: sed vt in cõuentu Ecclesiæ legitimo panis frangatur, distribuatur, ac sumatur: vinum detur omnibus communicantibus, in mortis Christi memoriam,* id est, ad confirmationẽ fidei & gratitudinem prestandam. 2. *Quando ritus seruantur ab ijs personis quibus eos Christus instituit,* id est, quando distribuitur panis & vinũ, & sumitur ab alijs, à quibus Dominus fieri voluit, nempe nõ ab hostibus, sed à Discipulis suis, hoc est, à fidelibus. Obseruatio. n. ritus sine fide & pœnitentia nõ est vsus, sed abusus. 3. *Quando Cœna sumitur in finem legitimum, in commemorationem scilicet mortis Domini.*

7. *Quid in cœna accipiant impij.*

IMpij accipiunt 1. *nuda tantùm signa, panem scilicet & vinum.* 2. *Illa signa sumunt ad iudicium, vel edunt sibi iudicium. Edere autẽ iudicium, est per incredulitatem & abusum sacramenti à Christo & omnibus bonis ipsius abalienari & repelli, seu propter abusum Sacramenti sine fide & pœnitentia sumpti Deum grauiter offendere, atque ita sibi pœnas temporales & æternas attrahere, nisi resipiscant.* Cõtrà *manducare Christũ, est per fidẽ participes fieri ipsius meriti, efficaciæ & donorum. Nemo enim nõ potest simul manducare Christum, & per fidem participes fieri ipsius meriti, efficatiæ, & bonorum.* Nemo igitur potest simul manducare Christum, & edere sibi iudicium, ac proinde falsa est eorum obiectio qui sic dicunt, *Impij sibi edunt iudicium, Ergo Christum edunt. Inst. Sed cur sibi edunt impij iudicium, cùm sit bonum opus accipere Sacramenta? Resp.* Per se est bonum opus, sed non impijs. Bonum opus est sumptio Sacramentorum cum accedit vetus & legitimus vsus: alias fit non mandatum, sed opus prohibitum, quomodo Deus etiam dicit, *Qui mactat bouem*

est quasi si mactet canem. Sic Paulus, *Quòd si transgressor*
Rom.2.25. *legis fueris, Circumcisio tua facta est præputium.*

His autem de causis impij sibi comedunt vel attrahunt iudicium. 1. *Quia prophanant symbola, & per consequens rem significatam, arripiendo ea quæ non ipsis, sed discipulis Christi sunt instituta.* 2. *Quia prophanant fœdus Dei, trahendo scilicet ad se signa fœderis.* Volunt videri confœderati Deo, cùm sint confœderati Diabolo, non Deo: quem ita constituunt patrē impiorum. 3. *Quia conculcant sanguinem Christi.* Offeruntur quidem iis beneficia, sed ea non accipiunt fide, atq; ita derident deum, dum profitentur se accipere Christi beneficia, cum nihil minùs faciant aut velint, & nouum hoc addant aliis peccatis. 4. *Quia suo se iudicio condemnant:* accedentes enim profitentur se approbare hanc doctrinam, & se credere extra Cristum non esse salutem, interea tamen sunt sibi conscii quòd sint hypocritæ, atq; ita damnant se ipsos.

8. *Qui ad cœnam accedere debeant & admitti.*

HÆc quoque quæstio duas continet partes, ad quas sigillatim nos oportet respondere. In priori parte quæritur, *quinam debeant ad cœnam accedere.* In posteriore, *quinam debeant admitti.* Atque hæc posterior pars est latior & generalior, quia non tantùm pii, sed etiam hypocritæ, nondum pate facti, ad Cœnam admittendi sunt.

1. *Qui debeant accedere.* Ii tantùm accedere debent ad Cœnam, *qui viuunt in vera fide & pœnitentia, id est qui fidem & pœnitentiā habent non potentia tantùm, sed & actu.* quo refutatur hæc obiectio, *Infantes habent fidem. Ergo debent accedere. Resp.* Non debent accedere propter circumstantiam in Cœnæ institutione additam, *commemorate mortem Domini.* Item, *probet quisq; seipsum & ita de pane illo edat, & de poculo bibat.* Intelligimus igitur hic fidem actualem, quæ est notitia, fiducia,

initium

initium obedientiæ, propositum serium piè viuendi. Infantes autem habent fidem tantùm potentia, non actu: habent inclinationem duntaxat ad fidem, vel habent fidem tantùm inclinatione, non autem habent fidem actualem. Porro, *quòd impijs ad Cœnam non liceat accedere*, manifestum est: *nam sacramenta sunt institua tantùm fidelibus & conuersis, vt ijs scilicet promissionẽ obsignent & fidem confirment. Verbũ tamẽ conuersis & non conuersis est commune, vt nimirum illud audiant conuersi & confirmentur: non conuersi, & conuertantur.* Ex natura igitur & subiecto Sacramentorum sumitur hæc demonstratiua probatio. *Quòd Deus instituit suis domesticis & filijs, id non debent accipere hypocritæ & alieni ab Ecclesia:* quin & Paulus omnes impios absque vllo discrimine arcet à sacra cœna verbis authenticis: quibus nimirum præcipit, vt *quisque probet seipsum, atque ita de pane illo edat, & de poculo illo bibat. Probare autem seipsum, est explorare an habeas fidem & pœnitentiam. Vult igitur eum accedere, qui hæc in se habeat.* Vnde verò quis cognoscet hæc se habere? 1. *Ex proposito obediendi Deo secundùm omnia præcepta Dei.* 2. *Ex fiducia, & conscientiæ tranquillitate. Spes non pudefacit: nam charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* 3. *Ex effectis, vt ex initio obedientiæ internæ & externæ.* Rom. 5. Accedunt etiam generalia testimonia quibus infideles ad Cœnam accedere prohibentur. Vt, *Omitte illic munus tuum coram altari, & abi. Primùm reconcilia te fratri tuo, & tum veniens offer munus tuum.* Matt. 5. 24. Item, *qui mactat bouem, est quasi qui mactat canem.* Isai. 66. 3.

2. *Qui debeant admitti ad sacram Cœnam.*

A B Ecclesia sunt admittendi, *qui profitentur verbis & factis veram pœnitentiam: qui professionem fidei & pœnitẽtiæ etiam exprimunt actionibus vitæ, debent admitti:* non autem admittendi, quicunque simplicitur se omnia credere dicunt. nam qui dicit se credere, & nõ habet opera, mentitur, & reipsa negat quod verbis

affirmat,iuxta illud Apoſtoli,*Deum profitentur ſe ſcire ſed factis negant,cùm ſint abominandi,et rebelles,et ad omne opus bonum reprobi.* Sic & Iacobus demonſtrat,*Fidē quæ eſt abſque operibus, mortuam eſſe.* Hæ ſunt rationes cur tantùm ſint admittendi, qui tantùm confeſſione & vita fidem & pœnitentiam profitentur. 1. *Quia Eccleſia prophanaret fœdus Dei,ſi admitteret incredulos & impœnitentes:* faciens enim & conſentiens eadem lege tenentur.*Profanare fœdus Dei,* eſt venditare & agnoſcere eos pro confœderatis aut ſociis Dei,qui ſunt hoſtes Dei,ac proinde Deum talē fingere qui obligetur hypocritis & impiis. *Dupliciter autem fœdus Dei prophanatur,nempe tam communicando ſymbola fœderis iis quibus Deus nihil promittit,quàm vſurpādo ſymbola ſine fide et pœnitentia.* Si quidem non tantùm prophanant qui ſymbola fœderis impœnitentes ad ſe rapiunt, ſed ii prophanant fœdus, qui ſcientes & volentes ſymbola dant iis quos Deus à ſuo fœdere excluſit. Faciunt igitur Deum ſocium impiorum, & Diaboli Filium faciunt Filium Dei,quicunque ſymbola impiis dant.

Ob. Qui abutenti dat,is peccat. Eccleſia cœnam dat hypocritis abutentibus.Ergo peccat.Reſp. Ad maiorem, abutenti dans cœnam peccat,nempe ſi ſciens & volens id faciat:alias non peccat,ſed ij qui abutuntur cœna ſibi iudicium accerſunt.Profanationis autem profanati fœderis ab impiis pij non fiunt participes, ſi impios accedentes ignorent, nec volentes admittant impios. *Inſt. Si peccant qui cœnam dant abutenti ſcienter, etiam peccat miniſter eam diſtribuens vbi non eſt excommunicatio.Reſp.* Concedo:ſi volens id faciat: verùm ſi Eccleſia non facit,interea tamen inſtat miniſter,& officium faciat,excuſatus eſt,& peccatum erit penes alios,nempe penes Eccleſiam.2. *Non admittendi ſunt ad cœnam qui non profitentur fidem & pœnitentiam vita ſimul & confeſſione,quia ſi tales admitterentur, Eccleſia iram Dei in ſe concitaret:à quo nimirum ſciente & volente hoc fieret.* Quòd autem ſic ira Dei concitetur in

Eccle-

Ecclesiam, satis testatur Apostolus, dicens, *Propterea inter vos multi sunt debiles & inualidi & dormiunt. Etenim si nos ipsi dijudicaremus, non puniremur.* Consentientibus igitur Deus irascitur, eoque punit, quia punit ipsos impios à consentientib. admissos, ab vtrisq; enim æquè cœna profanatur. 3. *Christus mandauit vt impij non admittantur.* Quòd siquis extare mandatum neget, sententia tamen mandati facilè probabitur. Christus enim cœnã instituit suis discipulis, & iis solis dixit. *Desiderio desiderauí hoc pascha manducare vobiscum.* Luc. 22. 15. *Accipite hoc, & partimini vobis ipsis. Hoc est corpus meum quod datur pro vobis. Hoc poculum est nouum illud fœdus per sanguinem meum, qui effunditur pro vobis:* Solis ergo discipulis Christi cœna instituta est: reliqui omnes pro quibus Christus non est mortuus, excluduntur. Interim, vnà cum pijs admittendi quidem sunt ad cœnam hypocritæ nondum patefacti, vt qui confessione & factis externis fidem & resipiscentiam profitentur. Accedere verò nulli debent nisi veri fideles: nam præter hos alij omnes, etiam ipsi hypocritæ nondum patefacti, damnationem sibi ipsis edunt & bibunt, ac cœnam Domini prophanant. 1. Cor. 11. 31. 17. 19. 20.

Obiectio. Qui ergo vitant prophanationem cœnæ Dominicæ rectè faciunt: sed qui abstinent à cœna Domini propter odia aliorum, aut propter alia peccata, vitant prophanationem cœnæ, Ergo rectè faciunt: Responsio. Qui vitant prophanationem cœnæ rectè faciunt, scilicet si vitant eam eo modo quo debent, agendo nimirum pœnitentiam.

THESES DE COENA.

1. *ALterum noui Testamenti* Sacramentum *appellatur* cœna Domini: *non quòd vespertino seu cœnæ tempore in Eccl. celebrari illud oporteat, sed quod à Christo in cœna, quam cum discipulis ante mortem habuit postremam institutum sit. Mensa Domini: quia Christus in ea nos pascit,*

Sacramentum corporis & sanguinis Christi: quia hæc nobis in eo communicantur. Eucharistia, *quia in ea pro morte & beneficijs eius Christo solennes agũtur gratiæ.* Synaxis, *quia in congressibus Ecclesiæ celebrari debet.* Nominatur etiam *apud veteres* Sacrificium, *quia est sacrificij propitiatorij à Christo in cruce peracti, repræsentatio, & pro ego gratiarum actio seu sacrificium Eucharisticum. Est & tertia ratio: quia veteres ipsi solebant conferre panem: ideo dicebantur offerre, id est, conferre.*

2. *Cœna Domini est Sacramentum noui Testamenti, in eius ex mandato Christi, panis & vinum in cœtu fidelium distribuitur & sumitur ad Christi recordationem, hoc est, vt Christus nobis testetur se corpore & sanguine suo pro nobis tradito & fuso, nos ad vitam æternam pascere: & nos illi pro his beneficijs solennes gratias agamus.*

3. *Finis siue vsus Cœnæ Dominicæ primus & principalis est, vt Christus nobis testetur se pro nobis esse mortuum, & suo sanguine & corpore pascere nos ad vitam æternam, vt hac testificatione fidem nostram ac proinde pastum hunc spiritualem in nobis foueat & augeat. Secundus est gratiarum actio pro his beneficijs Christi, eorumq;, & nostri erga Christum officij, publica & solennis professio.* Tertius, *est distinctio Eccl. ab alijs sectis.* Quartus. *Vt sit vinculum dilectionis mutuæ.* Quintus. *Vt sit vinculum congressuum.*

4. *Primum illum vsum, qui est fidei nostræ in Christum confirmatio, inde habet cœna Domini, quia Christus ipse hunc panem & potum per manus ministrorum porrigit in sui memoriam: hoc est, vt nos hoc symbolo tanquam visibili verbo, admoneat se pro nobis esse mortuum, & se esse nobis cibum vitæ æternæ: dum nos sua membra facit: & quia promissionem huic ritui addidit, se edentes hunc panem in sui memoriam, velle suo corpore & sanguine pascere, cùm dixit, Hoc est corpus meum. & quia Spiritus sanctus per hoc visibile testimonium animos & corda mouet ad firmiùs credendum promissioni Euangelicæ.*

5. *Est ergo in cœna Domini duplex cibus & potus: externus, visibilis, terrenus, videlicet panis & vini: & internus.*

Duplex

Duplex item manducatio & sumptio: externa significans, quæ est sumptio panis & vini corporalis, hoc est, quæ manib. ore, & sensibus corporis peragitur: & interna, inuisibilis & significata, quæ est fruitio mortis Christi, & in Christi corpus insitio spiritualis: hoc est, quæ non manib. & ore corporis, sed Spiritu & fide peragitur. Duplex deniq; administer huius cibi & potus: Externus externi, qui est minister Eccl. manu sua præbens nobis panem & vinum: Internus interni qui est ipse Christus, corpore & sanguine suo nos pascens.

6. Non corpus & sanguis Christi, sed panis & vinũ sunt symbola quæ fidei nostræ confirmandæ seruiunt: corpus enim & sanguis Christi sumuntur, vt viuamus in æternum. Panis autem & vinũ sumuntur, vt de illa cœlesti alimonia confirmemur, & magis magisq; ea fruamur.

7. Neque panis mutatur in corpus Christi, neque vinum in sanguinem Christi: nec illis abolitis succedunt in locum eorum corpus & sanguis Christi: neque in pane, aut sub pane, aut vbi panis est substantialiter præsens, est corpus Christi: Sed in legitimo vsu cœnæ Domini. Spiritus sanctus hoc symbolo vtitur tanquam instrumento ad excitandam in nobis fidem, per quam ipse magis magisq; in nobis habitat, nos Christo inserit, & facit vt propter ipsum iusti simus, & ex eo hauriamus vitam æternam.

8. Cùm autem Christus dicit, hoc, id est, hic panis est corpus meum, & hoc poculum est sanguis meus, locutio est Sacramentalis seu metonymica, qua symbolo tribuitur nomen rei significatæ: id est, docetur panem esse sacramentum seu symbolum corporis, eum repræsentare, & testari corpus Christi pro nobis oblatum in cruce, & nobis in cibum vitæ æternæ datum, ac proinde instrumentum esse Spiritus sancti ad hunc pastum in nobis conseruandum & augendum, vt Paulus ait 1. Cor. 10. Panis est communio corporis Christi, id est, ea res per quam participes reddimur corporis Christi: & alibi, Omnes vna potione potati sumus in vnum Spiritum. Eadem sententia est cùm dicitur, panem vocari corpus Christi per similitudinem rei significatæ cum signo, quòd videlicet corpus Christi alit vitam spiritualem, sicut panis corporalem

& propter certò coniunctam perceptionem rei & signi in legitimo Sacramenti vsu. Atq; hæc est Sacramentalis vnio panis quæ per locutionem Sacramentalem indicatur: non aute illa secundùm locum coniunctio, quæ à quibusdam fingitur.

9. Vt igitur corpus Christi est & proprium, & Sacramentale quod est panis eucharisticus: sic manducatio corporis Christi duplex est: Sacramentalis, symboli videlicet panis & vini externa & corporalis sumptio: & realis seu Spiritualis: quæ est ipsius corporis Christi. Et credere in Christum fide in nobis habitantem, est vi spiritus sancti inseri ipsius corpori tanquam capiti membra, & viti palmites: atque ita fructus mortis & vitæ Christi fieri participes, vnde patet falsò accusari sic docentes, quòd in cœna Domini vel nuda signa constituant, vel solius mortis Christi, aut beneficiorum eius, aut Spiritus Sancti participationem, exclusa vera, reali & spirtuali ipsius corporis Christi communione.

10. Vsus autem cœnæ legitimus est, quando fideles ritum hunc à Christo institutum seruant ad ipsius memoriam: hoc est, ad fidem & gratitudinem suam excitandam.

2. Sicut in hoc vsu corpus Christi sacramentaliter editur: ita & extra hunc vsum, vtpote ab infidelibus, & hypocritis Sacramentaliter quidem, sed non realiter editur. hoc est, symbola quidem seu signa sacramentalia, panis & vinum, non autem ipsæ res sacramenti, Christi videlicet corpus & sanguis percipiuntur.

12. Doctrina hæc de cœna Domini plurimis firmissimis argumentis nititur. Hanc confirmant omnia loca Scripturæ quæ de cœna Domini loquuntur. Et Christus non aliquid inuisibile in pane, sed illum ipsum visibilem & fractum panem vocans corpus suum pro nobis traditum seu fractum: quod cùm propriè intelligi non posset, addit ipse declarationem, panem illum verè in sui memoriam sumi, quod perinde est ac si dixisset, Panem sui corporis esse Sacramentum. Item cum dicit esse nouum Testamentum, quod spirituale, vnum, & æternum sit. Et Paulus dicit esse communionẽ corporis & sanguinis Christi, quia omnes fideles sunt vnũ corpus in Christo: qui cum dæmoniorum cõmunione non potest consistere. Item,

eadem

eandem in corpus Christi insitionem per unum Spiritum in Baptismo & cœna sacra constituit. Confirmat eam tota doctrina & natura Sacramentorum, quæ omnia eandem Christi communionem Spiritualem per fidem accipiendam subijciunt oculis, quàm verbum seu promissio Euan. auribus nuntiat. Propterea rerum significatarum nominibus appellantur, nec ipsi in legitimo usu rerum perceptionem adiunctã habent. Confirmant eam articuli fidei, qui docent Christi corpus esse verè humanum, non simul in pluribus locis præsens: iam in cœlum sublatum, & ibi mansurum donec redeat Dominus ad iudicium: Communionem Sanctorum cum Christo fieri per Spiritum Sanctum, non per ingressum corporis Christi in corpora hominum: idcirco hanc sententiam tota purior Ecclesiæ antiquitas maximo & manifestissimo consensu profitetur.

13. Differt à Baptismo cœna Domini. 1. Ritu & significandi modo, quia mersio significat remissionem & expurgationem peccati per sanguinem & Spiritum Christi, & societatem afflictionum & glorificationis Christi. Distributio autem panis & vini significat mortem Christi nobis ad remissionem peccatorum imputari, & nos Christo insitos membra eius fieri. 2. Vsu speciali, quòd Baptismus est testimonium regenerationis, initi fœderis cum Deo, & receptionis in Ecclesiam. Cœna Domini autem testatur nos perpetuò nutriendos esse Christo in nobis manente, sempérque ratum fore nobis fœdus semel initum cum Deo, nos & mansuros in Ecclesia & corpore Christi. 3. Personis, quibus tribui debent. Baptismus omnibus datur qui pro membris Ecclesiæ sunt habendi, siue adulti, siue infantes sint. Cœna Domini non nisi ijs qui beneficia Christi intelligere, celebrare, & seipsos probare possunt. 4. Vsurpationis frequentia. Baptismus semel tantùm debet sumi, quia fœdus Dei semel initum semper est ratum pœnitentibus, cœna autem Domini sæpe, quia fœderis illius renouatio & in memoriam reuocatio frequens, est fidei nostræ necessaria. 5. Ordine vsurpationis. Quia Baptismus ante cœnam Domini, cœna autem Domini non nisi post Baptismum acceptum cuiquam dari debet.

14. *Dignè accedunt ad cœnam Domini, qui seipsos probant. id est, vera fide & pœnitentia prædití sunt. Hanc qui in se non apprehendunt, nec sine ea debent accedere, ne iudicium sibi edant & bibant, nec pœnitentiam cum qua accedant differre, ne indurationem & pœnas æternas sibi attrahant.*

15. *Admittere ad eam Ecclesia debet omnes qui fundamentum doctrinæ Christianæ se amplecti & propositum huic obediendi se habere profitentur: arcere autem eos, qui vel ab erroribus, blasphemijs, vel à manifestis contra conscientiam peccatis admoniti ab Ecclesia, & erroris convicti, nolunt desistere.*

16. *Papa malè ex ritu Cœnæ sustulit fractionem panis, & vsum poculi ademit populo: Malè item tot additis ceremonijs de quibus Apostoli non præceperunt, cœnam Domini in Missam theatricam, hoc est, in κακο ζηλίαν Iudaicam & histrionicas præstigias deformauit. Sed magis impia & idololatrica figmenta sunt: Missam esse sacrificium propitiatorium, in quo Christus à sacrificulis pro viuis & mortuis offertur Patri, & vi consecrationis substantialiter præsens sit & maneat tantisper dum species illæ maneant incorruptæ: & gratiam Dei atque alia beneficia conferat ijs pro quibus offertur, & à quibus ore corporis edatur, etiam sine bono ipsorum motu: atque etiam repositus & circumgestatus sub illis speciebus sit adorandus. Propter hæc tetra necesse est Missam in Ecclesia Christiana aboleri. Sunt autem in summa. 1. Transsubstantiatio. 2. Αρτολατρεία. 3. Sacrificium. 4. Mutilatio.*

APPENDIX.

Synusiastarum præcipua quædam argumenta aduersus sinceram de Cœna Domini doctrinam, & Sacramentarios, quos vocant: Cum refutatione.

1. *Sacramentariorũ* (inquit) *errores sunt, esse tantùm nuda signa & symbola. Resp.* Docemus res significatas vnà cum signis in vsu legitimo exhiberi & communicari, licet non corporaliter, sed eo modo qui Sacramentis competit. 2. *Adesse Christum tantummodo secundùm efficaciam.*

tiam. *Resp.* Docemus adesse & vniri nobis per Sp. sanctum, etsi corpus eius longè à nobis absit, sicut & ministerio totus adest, licet aliter secundùm alteram naturam. 3. *Adesse corpus Christi, imaginarium, figuratum, spirituale, non essentiale. Resp.* De corpore imaginario nunquam sumus locuti, sed de vera Christi carne, quæ nobis adest, etsi in cœlis maneat. Deinde dicimus nos accipere panem & corpus: sed vtrumque suo modo. 4. *Distribui verum corpus Christi quod in cruce pependit, & verum sanguinem qui pro nobis effusus est, sed spiritualiter: Accipi à dignis solummodo: indignos nihil sumere præter nuda signa ad iudicium. Resp.* Concedimus totum, vt verbo Dei, naturæ Sacramentorum, analogiæ fidei, & communioni fidelium cum Christo conueniens.

Synusiastarum argumenta, quibus nostram de Cœna Domini doctrinam euertere conantur: additis refutationib.

1. *VErba Institutionis, sunt perspicua & plana, Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Resp.* Citant ea verba contra seipsos. Dicunt enim *in, sub, cum pane accipi realiter corpus Christi:* cùm Christus dicat *ipsum panem esse suũ corpus.* Duplici ergo iniuria afficiunt Ecclesiam. 1. dum obtrudunt ei sua pro Christi verbis. 2. Dum putant eam non videre quòd diuersæ sint locutiones, *In pane est corpus:* &, *Panis est Corpus.* Accusant etiam Christum mendacij: negant enim panem ipsius esse corpus, sed id esse in pane. Videant igitur quomodo in extremo iudicio de hac blasphemia & calumina sint Christo respõsuri. Papistæ magis retinent verba Christi. Isti verò verbũ non tenent, sed sequũtur sensum. Videndum ergo vtri eam sequãtur. Nostra probabitur in fine. Inst. *Additur declaratio, Quod pro vobis datur, &, qui pro vobis effunditur. Resp.* 1. Est petitio principij. Sumunt enim pro confesso panem propriè dici corpus, quod tamen est probandum. Sacramentalis enim est locutio. 2. Per inuersionem.

Corpus

Corpus enim Christi propriè dictum est pro nobis traditum. Panis autem non est pro nobis traditus. Ergo,&c. Item sicut panis est corpus fractum, sic fractio panis est fractio corporis. Fractio autem corporis est eius crucifixio. Ergo panis fractus symbolicè est corpus fractum.

2. *Ab authore qui est verax. Resp.* Est petitio principij, debent probare quòd Christus dixerit *in, sub, cum pane esse corpus suum.* Imò potest quis figuratè loqui & tamen perspicuè. *Inst. Est etiam omnipotens. Ergo potest esse vbique & in pane. Resp.* Etsi posset id facere, vt duo contradictoria simul essent vera, tamen non vult. 2. Deus ne potest quidem contradictoria efficere, quia est verax, Velle autem contradictoria est mendacij, non ergo negamus veritatem & omnipotentiam dei, sed istorum mendacia: imò eam defendimus, dicentes Deum facere quæ dixit. Ipsi verò eam oppugnant, statuentes in deo voluntates contrarias. *Inst. Christi corpus habet multas prærogatiuas alienas à nostris corporibus, vt quòd nascitur ex virgine, ambulat super mare, semel & simul fuit in sepulchro, inferno, & paradiso: transit per ianuas. Resp.* Exempla hæc partim sunt dissimilia, partim falsa: Dissimilia, possunt etiam in creaturam cadere, *ambulare super aquas,* vt in Petrum: *transire ianuas clausas,* vt in spiritum. 2. Quia implicant contradictionem. nam dum dicitur *natus esse ex virgine,* non simul dicitur non natus esse ex virgine. Sed simul finitum & infinitum esse, implicant contradictionem. Falsum est *quòd transierit per ianuas clausas,* cùm ei cedere potuerint: item *quòd transierit per ostium sepulchri,* cùm dicitur id ab Angelo apertum: item, *quòd Christi corpus simul & semel fuerit in pluribus locis.* id ex Augustino sumpsisse videntur. Sed is dixit, *Corpus in sepulchro, animam in inferno, deitatem vbique fuisse.*

3. *A circumstantia temporis: in ea nocte in qua traditus est. Nullus loquens seriò, loquitur figuratè, Christus instituens cœnam, est seriò locutus. Ergo sine tropo. Resp.* Nego

Maiorem

Maiorem: quia alioqui nullus loquens figuratè, loqueretur seriò, quod est falsissimũ. deus in omnib. Sacram. etsi figuratè, seriò tamen loquitur. *Desiderio desideraui* (inquit Christus) *hoc pascha manducare vobiscum.* Respondeo ad Minorem, Non vtitur figuris iocosis aut obscuris. Hæc figura est perspicua, quia trita, & discipuli sic loquuntur, *vbi vis vt paremus tibi Pascha?* Vsitata est in omnibus Sacramentis. Emphatica est, quia exprimit similitudinem signi & significatæ rei, & certitudinem coniunctionis eorum in vsu legitimo. 2. Per inuersionem, imò quia Christus seriò locutus est, ideo vsus est figura rem benè declarante. *Inst. Dicit hoc poculum est nouum testamentum. In testamentis loquuntur propriè. Christus hic instituit Sacramentum. Ergo, &c. Resp.* Nego Maiorem, & inuerto: quia cùm vellet instituere Sacramentum ideo figuratè locutus est, vocans cœnam Sacramentum, quod figuratè est accipiendum. 1. Quia alioqui essent duo fœdera, alterum proprium, & alterum Cœna. 2. Alioqui excluderentur à fœdere dei qui non possent accedere ad cœnã, & omnes ea vtentes essent in fœdere. *Ob. In sanguine meo: ergo in cæna est realis Christi sanguis & ore bibitur. Resp.* Per inuersionem. Quia nouum testamentum initum est per sanguinem Christi in cruce fusum & fide nobis applicatum, non ore haustum, alioqui enim ab eo excluderentur qui ad hoc sacramentum non possent accedere. *Inst. Emphasis est in vocabulo Nouum. Quod in veteri Testamento fiebat typicè, id in nouo fit realiter. Resp.* Si addant, Ergo ore corporis: plus est in conclusione, quia nullus in veteri testamento fuit typus, qui oralem Christi manducationem significaret. 2. Per inuersionem, Non aliter manducatur Christi corpus in nouo Testamento quàm in veteri. Sed in veteri manducabatur Spiritualiter tantùm. Ergo & in nouo. *Inst. Nouum Testamentum distat à vetere, quia in eo fuerunt typi, in Nouo ipsum corpus. Heb. 9. Col. 2. Resp.* Nusquam est expressum in Scriptura hoc veteris & N. testaméti discrimen

discrimen, quod in veteri non realiter, in nouo realiter edatur Christus. In dictis Apostoli, corpus significat vmbram tantùm veteris Testamenti per Christum factam esse impletionem, quia corpus illis vmbris hic opponitur. Deinde, quia dicit *corpus esse Christi*, quæ phrasis docet à Christo factam esse typorum impletionem. 2. Per concessionem. Etsi in nouo testamento exhibitum habemus Christum, & natus sit homo, tamen idcirco hinc non sequitur corpus eius esse in pane, sed tantùm esse in nouo testamento.

4. *A consensu Euangelistarum & Pauli. Matthæus, vt Theophylactus supputat, scripsit Euangelium suum ann. 80. post ascensionem: Marcus, anno. 70. Lucas. 10. Paulus. 20. & omnes vtuntur ijsdem verbis. Oratio sæpius ijsdem verbis prolata non est tropica. Talis est locutio de cœna Domini: ergo &c. Resp.* Negatur Maior: quia quando figura aliqua est illustris, nota, & emphatica, vt hæc, retinetur. Item Euangelistæ repetunt verba Christi, quia tropicè fuerat locutus. Sæpius illud, etsi tropicum repetitur: *baptizabit Spiritu Sancto & igni.* Iohn. 1. Math. 3. Præterea, nego Minorem. 1. quia Mathæus & Marcus dicunt, *hic est sanguis noui Testamenti:* Lucas dicit, *hic calix est nouum Testamentum in mei sanguine.* 2. Matthæus & Marcus dicũt. *hoc est corpus meum.* Lucas addit, *Quod pro vobis traditur:* Paulus, *quod pro vobis frangitur.* 3. Paulus dicit *panem esse communionem corporis Christi.* Etsi autem hoc loco non agit ex professo de cœna, ad eam tamen prouocat. *Inst. Est eadem sententia. Resp.* Non iam de verborum sententia, sed de verborum identitate quæritur. 2. *Inst. Nulla vnquã fit mentio Tropi. Vbi non fit mẽtio tropi, ibi nõ est tropus: Resp.* Negatur Maior. Quia ineptũ esset, & viderentur homines ostentare suam artem, si dicerẽt se vsos esse egregia figura. Scriptura etiam sæpe loquitur tropicè, tamen non addit se tropicè loqui. Nego etiam Minorem, quia eius faciunt mentionem dum etiam declarãt, quod cõstat ex natura subiecti & prædicati. Corpus natũ est ex virgine, crucifixum, &c.

Panis

panis est è farina mixtus. Deinde, Iubet *hoc fieri in sui memoriam*: ergo panis dicitur corpus sicut memoriale. Tertiò, Matthæus, & Marcus dicunt, *Hoc est sanguis noui Testamenti*. Paulus & Lucas, *Hoc est nouum Testamentum in meo sanguine*. Nouum autem Testamentum est obligatio Dei ad recipiendos credentes & respiscentes in gratiam, & horum ad fidem & obedientiam ipsi præstandam. Quartò, Paulus dicit *Panem esse communionem corporis Christi*, quæ non est oralis manducatio. 1. quia fideles ea sunt vnum corpus in Christo. 2. Confert eam cum *communione* altaris in veteri Testamento, quæ non erat corporalis. 3. Quia solis fidelibus, non impiis, potest competere. 4. Ioannes communionem eam declarat. *Si in luce ambulamus, cõmunionẽ habemus cum eo, & sanguis Iesu Christi purgat nos ab omni peccato*. 1. Ioan. 1. 7. Imò Paulus ponit tria vocabula quæ sunt tres demonstrationes. Primùm *communio*, quę est vnio cum Christo, & fruitio omnium eius beneficiorum per fidem. Huc pertinet similitudo corporis & membrorum, vitis & palmitũ, quibus nihil cum manducatione corporali. Hæc communio omnibus piis fuit & est communis à condito orbe ad eius finem. Illi autem non potuerunt oraliter edere. *Vt crescamus in eo ex quo totum corpus coagmentatur. Qui adhæret Domino, est vnus Spiritus cum eo. Et omnes per vnum Spiritum baptizati sumus in vnũ corpus. Per hoc cognoscimus nos in eo habitare & ipsum in nobis, quòd de spiritu suo dedit nobis.* Eph. 2. 21. 1. Co. 6. 17. & 12. 13. 1. Ioa. 4. 13. Hæc igitur vnio est *communio*, quæ fit per Spiritũ sanctum. Ergo spiritualis. Panis enim non potest esse hæc communio nisi metonymicè. 3. *Inst. Qui fit reus corporis Christi. Ergo illud corporaliter edunt, Spiritualiter enim non possunt: nam si sic ederent, non fierent rei. Resp.* Nego maiorem. Is enim reus est corporis Christi, qui suis peccatis illud in crucem agit, & Christi beneficium spernit. Ad reatum autem non est opus reali manducatione, sed Christum oblatum nolle fide recipere. Sic iniuria illata Arcæ, illata dicitur Iehouæ.

4. *Inst. Qui non discernunt corpus Domini illud comedit Rei non discernunt. Ergo &c. Resp.* Per concessionem, Si maior Sacramentaliter sumatur, vt de pane, qui corpus Christi nominatur, & est, vera est: Sin propriè, falsa est. *Nam non discernere*, est non afficere honore ipsi debito, eum contemnere, imò rem significatam non accipere Sic Hebr. 10. 29. *Filium Dei conculcare, & sanguinem fœderis communem ducere dicuntur*, qui eum contemnunt.

5. *A Testimonijs Patrum & piæ antiquitatis in puriore Ecclesia. Resp.* Patrum dicta sunt Sacramentaliter vel de communione Spirituali accipienda. *Inst. Augustinus dicit, hoc capies in pane quod pependit in cruce: hoc in ulice, quod de Christi latere effusum est. Resp.* In pane tanquam in symbolo, id est, cum symbolo simul accipies rem significatam. Accipientes panem certi sumus nos Christum habere. 2. *Inst. Cyrillus super Ioannem inquit: Naturali participatione, non tantùm spiritualiter, sed etiam corporaliter: non tantùm secundùm Spiritum, sed etiã secundùm carnem corporaliter & essentialiter. Resp.* Cyrillus non loquitur de modo edendi, sed de re edenda. Docet non tantùm spiritus, sed etiam humanæ Christi naturæ nos fieri participes. Intelligit autem spiritualem *communionem*. 1. Quia de ea citat locos Ioan. 6. & 1. Cor. 10. ibi nulla fit mentio corporalis manducationis. 2. Loquitur de præsentia Christi non in pane sed in nobis. 3. Hanc mansionem Christi probat ex vsu cœnæ, non ex corporali manducatione. 4. Ita eam discribit vt dicat *duraturam esse in vita æterna*. 5. Loquitur *de communione quæ est sanctorum propria*. Hæc autem Spiritualis est, alio qui enim eitã impijs contingeret.

Effugia Synusiastarum, vt quasdam nostras (non omnes, plures etenim illis opponuntur) obiectiones eludant.

1. NOn *statuimus* (inquiunt) *Capernaiticam manducationem. Resp.* Quærimus ab eis an Christus

tus oraliter manducetur, siue crasso siue subtili modo Sed vt respondeant, in ipsa eorum opinione plus satis inest idololatriæ. Christus enim refutans Capernaitas, non distinguit sui manducationem in crassum & subtilem modum: sed simpliciter dicit, non posse suum corpus edi ore corporis: dicit enim *se ascensurum & verba quæ loquitur esse Spiritum & vitam.*

2. *Vbiquitatem non asserimus: De ea enim non extat verbum.* Resp. Notanda hic est aduersariorum de vbiquitate dissentio. Sed neque de eo extat verbum, quòd corpus Christi simul sit pluribus in locis. Deinde ex hac ipsorum opinione sequitur vbiquitas. Nam qui simul & semel est pluribus in locis, necesse est vt sit infinitus, ac proinde sit vbique.

3. *Non tollimus articulum de ascensione.* Resp. Imò in eum impingunt. Etenim dum statuunt, quoties celebratur cœna, *Christum corporaliter edi*, necesse est dicant eum inuisibiliter in terris mansisse & esse. Atqui dicitur *reliquisse mundum, ascendisse de loco inferiore in superiorem, °mansurus in cælo donec veniat ad iudicium.* Quòd nonnulli excipiunt, Christum descendere de cœlo quoties administratur cœna, iam est refutatum.

4. *Non tollimus doctrinam de proprietatibus humanæ naturæ.* Resp. Omninò tollunt: volunt enim humanam naturam talem esse quæ non videatur, nec palpetur, nec sit circumscripta. *Inst. Atqui Christus deposuit istas infirmitates, proprietates essentiales retinuit.* Resp. Imò hæ sunt essentiales proprietates, quibus sublatis tollitur veritas naturæ humanæ. Augustinus, *Tolle spatia corporibus, & nusquam erunt.*

5. *Non abolemus Doctrinam de communicatione proprietatum.* Resp. Imò verò in eum impingunt. Proprietates enim naturæ diuinæ de tota persona in concreto dictæ ipsi ad vtramque naturam applicant. *Ero vobiscum vsque ad consummationem seculi*, accipiunt de vtraque natura: quod perinde est, ac cùm dicitur Christus

Deus

deus & homo est circumcisus, si quis ita concluderet: Ergo Deitas Christi vt caro eius, circuncisa fuit. Inst. *Tantùm hoc addimus, illos articulos huc non pertinere.* Resp. Hoc modo omnes sectæ omnia Scripturæ testimonia possunt eludere. Imò verò duplici iure huc pertinet 1. Quia sunt scripti de corpore Christi. Corpus autem Christi pertinet ad cœnam. Ergo etiam isti articuli huc pertinent. Docent enim quomodo corpus Christi sit manducandum. 2. Huc pertinent, quia nullus articulus fidei pugnat cum alio. Sic huc pertinet Doctrina de iustificatione, quia in cœna non debet alia iustitia quæri, nisi per sanguinem Christi.

6. *Modus non est definiendus.* Resp. Dupliciter peccant. 1. cùm negant modum esse definiendum, & sic Scripturæ contradicunt, quæ eum definit & docet esse spiritualem, & vnionem cum Christo fieri fide per Spiritum Sanctum. 2. Ipsimet modum definiunt, vt ex eorum scriptis liquidò constat.

7. *Verum est Durandi dictum, verba audimus, motum sentimus, modum nescimus, præsentiam credimus.* Resp. Nihil facit nec pro vobis, nec contra nos, aut pro ipso, quia fuit Papista. 2. Dictum rectè intellectum possumus admittere. *Audimus verbum. Hoc est corpus meum,* non quòd in pane corpus Christi ore comedamus. *Motus sentimus*, id est, panem ingredi in os, non corpus Christi. *Modū nescimus*, scilicet perfectè, quomodo videlicet Spiritus sanctus sit vbique totus in Christo & in omnibus sanctis, & quomodo nos in Christo vniat. *Præsentiam credimus*, scilicet talem qualis est ejus, & qualis est vnio membrorum & capitis.

8. *Hoc tantùm docemus, verè, substantialiter, & naturaliter exhiberi corpus & sanguinem Christi.* Resp. Concedimus, nos verum Christi, corpus edere Sic ergo inanis est disputatio. 1. Quia fatentur nos fieri participes veri corporis Christi & quòd nō sit agendum de modo. illud autem nos concedimus. 2. Quia rationes & refutationes quas adferunt, nullius sunt momenti.

Argumenta

Argumenta, quibus probatur corpus Christi nec in, nec sub, nec ad panem cœnæ Dominicæ adesse, & sub, cum, in, ad eum corporaliter edi.

1. *Quia assumpsit naturam verè humanam.* Huc addendum quòd nõ possumus eum aliter edere quàm discipuli in prima cœna.

2. *Verè ascendit è terra in cœlum.*

3. *Talis est manducatio qualis mansio.*

4. *Omnes Sancti veteris & Noui testamenti habent eandem vnionem cum Christo.*

5. *Solus Christus potest se patri offerre.* Necesse est autem in vsu cœnæ petere à deo remissionem peccatorum Quare si ad panem adest, petendum est ab eo & sic offerimus panem. In Nouo Testamento non licet orationem ad certum dirigere locum.

6. *Bona quæ solis pijs promittuntur Spiritualia sunt.*

His & alijs suprà citatis accedit consensus veterum Patrum, Ambrosii, Athanasii, Augustini, Basilii, Bedę, Bertrami, Chrysostomi, Clementis, Alexandrini, Cõcilii Niceni, Cypriani, Cyrilli, Dionysii, Gelasii, Gregorii Magni, Gregorii Nazianzeni, Hesychii, Hieronimi, Hilarii, Irænei, Iustini, Leonis, Macharii, Origenis, Procopii, Gazæ, Tertulliani, Theodoreti, &c.

APPENDIX.

Argumenta, quibus dogma Vbiquistarum refellitur. & sanæ doctrinæ veritas confirmatur

1. *Argumentum.*

Marcionitæ & Manichæi finxerunt Christum non fuisse vero & solido corpore humano præditum, sed speciem tantùm corpore ostentasse, vt visus fuerit solum modò carnem & ossa habere, cùm reuera non haberet. Ipsam quoq; incarnationem, & omnes motus operationesque Christi in phantasia apparuisse, cùm in rei veritate nihil tale fieret. Sed Vbiquitatis & realis ideomatum communicationis dog-

ma illud Phantasticum delirium ex infernis revocat. Ergo ipsum quoque, vt Manichæum, ex Ecclesia Dei ad inferos relegandum est. Minor sic probatur. Sentiunt & docent Vbiquitistæ, Omnes Deitatis proprietates ab ipso statim conceptionis momento, fuisse à Deitate τοῦ λόγου in assumptam humanitatem Christi realiter effusas. Inde hæc absurda sequentur. 1. *Verè editus ex virgine non erit Christus, si secundùm humanitatis suæ naturam verè ac essentialiter extra vterum maternum fuit antequàm nasceretur, & post partum in illo ipso vtero non minùs vere ac substantialiter quàm antè, secundùm humanitatis naturam remansit.* 2. *Verè in sua natura humana infirmus et passionibus obnoxius non fuit Christus, si tunc etiam secundùm eandem naturam Diuinæ maiestatis et omnipotentiæ particeps fuit.* 3. *Verè mortuus non fuit, si etiam ipso mortis tempore, secundùm animam & corpus, essentialiter fuit vbique vnà cum Deitate præsens* Non enim anima omnipræsens à corpore omnipræsenti locorum spacio realiter separari, & proinde nec corpus mori potuit, nisi iuxta imaginationem. 4. *Verè non ascendit in cælum: sed tantùm & imaginarium ac phantasticum spectaculum fuisse dicetur, si corpore suo substantialiter ibi fuit, antequam visibiliter eò ascenderet substantiali eiusdem corporis præsentia non minùs verè quàm antè in terris, imò in ipsis etiam credentium corporibus mansit.* Hæc si in rei veritate non euenerunt, sequetur idem Christi corpus simul reipsa fuisse infirmum & omnipotens, humile & gloriosum, patibile & impatibile, mortuum & viuum, circumscriptum & incircumscriptum, quod horrendum est dicere. Ad vitandas prodigiosas & impias istas absurditates, excipient, *Christum corpore suo non nisi circumscriptum, infirmum, patibilem & mortalem fuisse humiliationis tempore, quia se exinanierit, & communicatam corpori maiestatem ante resurrectionem exerere noluerit.* Respondemus. Exinanitionem malè interpretantur, de occulta ad tempus assumptæ humanitatis Omni gloria & maiestate: cũ respectu diuinæ naturæ τοῦ λόγου sit accipienda quatenus

quatenus ille serui formam, id est naturæ nostræ massam assumere & homo fieri voluit. Deinde sequetur Christum carnis suæ potentiam & maiestatem communicatam exeruisse, etiam tunc quando verè fuit infirmus & corpore circumscriptus: vt cùm fusis lachrymis resuscitaret Lazarum, & à Iudæis comprehensus sanauit à Petro vulneratum Malchum. Iam quid est aliud Marcionitas ex inferis excitare, aut in re omniũ maxima impiè blasphemare, si hoc non est?

Samosateni, Arrij, & recentium Antitrinitariorum blasphemia hæc est: Hominem Christum non propriè & natura Deum esse, sed accidentali tantùm proprietatum diuinarum, maiestatis, honoris, potentiæ, & virtutis participatione. Eandem quoque Deitatis hominis Christi rationem statuunt Vbiquitistæ, dum sola hac communicatione idiomatum, qua omnipotens & omnipræsens sit effecta Christi caro, vnionem personalem definiunt. Ita vt homo ille sit & dicatur Deus, non quòd propriè & natura Deus sit, sed quia ipsi diuinitus donata sit infinita potestas, maiestas, gloria, & omnia S. S. dona sine mensura in ipsum collata. Hæc verò accidentalis Diuinitatis & omnium proprietatum collatio, Christum minimè efficit propriè & natura Deum: sed tantùm per gratiam diuinam: aut Deum impropriè dictum. Quia non est ipsa essentialis Deitas τῦ λόγυ, sed quædam eius participatio, secundùm efficaciam. Ideo autem Arrianus ab Orthodoxis fuit obiectum, quòd tollant veram & æternam Christi deitatem, cùm ipsum non natura, sed dignitatis tantùm & maiestatis participatione per gratiam Deum facerent. Ergo cùm & Vbiquitistæ Immanuelem nostrum solummodò proprietatum participatione Deo exæquãtes, veram & æternam eius Deitatem tollant, iure hanc eorum doctrinam vt blasphemam & hæreticam repudiamus & execramur. Testantur hoc ipsorum verba & sententiæ, vt Brentij in recognitione pag. 10. Iacobus. Andræas. Thes. 20. disput. Tubing. Item Thes. 25. & 26. Et Apol. Ingol. 26. Vnde statuitur eandem esse Vbiquitistarum, quæ Arrianorum & Samosat. de hominis Christi deitate sententiam: id est,

2 *Argumentum.*

Eum ab his omnibus haberi non natura Deum, sed participationis tantùm gratia, nouum, temporarium, creatum, adoptiuum. Hæc si vera sunt, Christus non erit θεανθρωπος sed θεὸς ἀνθρωπος qualis ab Vbiquistis etiam habetur, qui, vt Seruetus libr. 1. de Trinitate, sentiunt: *Deum posse homini deitatis plenitudinem communicare, dare diuinitatem, maiestatem, potestatem & gloriam suam.* At eandem vtrorumque blasphemiam execramur & detestamur.

3. *Argumentum.*

Docuit Nestorius sola æqualitatis, secundùm maiestatem, honorem, potestatem, virtutem & operationem participationem, vnionem Dei verbi ad hominem factam esse. Non ita in re, quàm in ipsis donis & gratijs à Deo in hominem collatis, discrimen inhabitationis τῦ λόγυ in homine assumpto & alijs sanctis constituit. Hoc ipsum quoque docent Vbiquitistæ, quia clamant nullum esse discrimen inter inhabitationem Deitatis in Petro & in Christo, nisi à communicatione donorum seu proprietatum Deitatis sumatur. Et contendunt hac ratione istum assumptum hominem Deum esse, quia Verbum nihil sine ipso, sed per ipsum omnia agat. Ita nihil aliud est, quàm Christum hominem tantùm constituere Deum per accidens. Est igitur Dogma Vbiquitatis prorsus Nestorianum.

Tertullianus, lib. de Trinitate, pag. 610. *Si homo tantummodo Christus, quomodo adest vbique inuocatus, cùm ea hominis natura non sit, sed Dei, vt adesse omni loco possit.* Hoc dicto refutatur naturæ humanæ in Christo vbiquitas. *Obiect. Est tamen inseparabilis vnio diuinæ & humanæ naturæ in Christo. Ergo vbicunque est diuina, etiam est humana natura. Resp.* Verum est quod dicitur, *inseparabilem esse vnionem Logos* nunquam deserit naturam semel assumptam. Sed *Logos* non est in natura humana, sicut anima inclusa est in meo corpore. Vbicunque meum corpus est, ibi animam esse necesse est, nec anima simul est extra corpus. Non autem sic est *Logos* in Christo homine: sed ita est in natura humana inseparabiliter

rabiliter & personaliter, vt simul sit etiam extra naturam humanam in omnibus mundi partib. repletiuè, in sanctis hominib. & Angelis speciali præsentia. Nam vnio personalis duarum naturarum non euertit generalem actionem præsentiæ & maiestatis, nec impedit specialem: quia *logos* est efficax in hominibus renatis.

DE CLAVIBVS REGNI Cœlorum, & Excommunicatione.

QVoniam proximè fuit ostensum *quinam admittendi sint ab Ecclesia ad Cœnam Domini*, nunc percommodè sequetur hæc doctrina *de potestate clauium*, qua præter alia præcipuè docetur, *Quomodo qui non admittendi sunt coerceri atq; excludi debeant à sacramentis, ne accedentes ea prophanent.*

Quæstiones præcipuæ.

1. *Quid sit potestas clauium Ecclesiæ datarum.*
2. *Quibus ea sit commissa.*
3. *Cur necessaria sit potestas clauium.*
4. *Quid differat illa potestas clauium Ecclesiæ demandata à potestate politica.*
5. *Quis ordo seruari debeat in exercenda clauiũ potestate.*

1. *Quid sit potestas clauium Ecclesiæ datarum.*

POtestas clauium regni cœlestis, quas Ecclesiæ Christus tradidit, est officium mandatum Ecclesiæ à Christo, per predicationem Euangelij & disciplinam Ecclesiasticam, denunciandi voluntatem diuinam, & quidẽ gratiam Dei, & remissionem peccatorum annuntiandi resipiscentibus, hoc est, ijs qui vnum in vera fide & resipiscentia: impijs verò denunciandi iram Dei, & exclusionẽ ex regno Christi, & eijciendi eos ex Ecclesia quandiu se doctrina & vita à Christo alienos ostẽderint, & vbi deinde resipuerint, eos in Ecclesiã resipiendi. Ex his apparet potestatis clauium Ecclesiæ datarum par-

tes præcipuas esse *Prædicationem Euangelij* seu ministerium verbi, *& iudicium Ecclesiasticum*, quod & vocatur *disciplina vel iurisdictio Spiritualis*. Et certè *necessariò cum verbi diuini ministerio cohæret Ecclesiastica disciplina: de ministerio* non est dubium quin omnes Prophetæ, Christus & Apostoli concionati sint. *De Ecclesiastico iudicio* similiter non est dubium, siquidem illud tum Christus ipse, tum Apostolus præceptis & exemplis confirmarunt ac stabilierunt. Vtroq; autem verbi ministerio continetur illa potestas claudendi & aperiendi, quam clauium nomine Dominus insignit, inquiens, *Dabo tibi claues regni cœlorum*: claues, id est officium vel potestatem claudendi & aperiendi regnum Dei. Metaphora sumpta est ab œconomis vel ab alia gubernatione, vt sceptrum pro regno.

Mat. 18. 15.
2. Thes. 3. 14.
1. Cor. 5. 1.
1. Tim. 1. 20.
Mat. 16. 19.

2. *Quibus commissa est potestas clauium.*

QVibus denuntiatio verbi diuini delegata est, iisdem & potestas illa clauium. Denuntiatio iræ & gratiæ Dei quæ fit in Euangelij prædicatione, ministris est cõmissa. Nam & ipsa Euangelij prædicatio solis ijs commendatur. *Quæ verò denuntiatio fit in Ecclesiastica disciplina est nexus Ecclesiæ*: ad totam enim Ecclesiam pertinet disciplina & iurisdictio spiritualis: *sed alio modo fit illa denuntiatio in verbi diuini ministerio, quàm in Ecclesiæ iudicio. In ministerio verbi* priuatim à solis ac singulis pastoribus vel verbi ministris ira Dei verbo diuino præuente denuntiatur omnib. impijs, incredulis, ac non resipiscentib. ipsos nimirum esse exactos ex regno Christi, quamdiu non resipiscunt, ac ad Euangelicæ doctrinæ præscriptum viuunt. Deinde, si resipuerint illis rursus ex Dei verbo annuntiatur ab ijsdem gratia dei & remissio peccatorum. *Ob. Ergo homines habent potestatem condemnandi. Resp.* Habent potestatem ministerialem, id est, officium denuntiandi iuxta verbum Dei, quòd Deus remittat peccata vel non remittat: & sic hoc dupliciter. Primò & generaliter, *quum in præ-*

cæteris

catione Euangelij denuntiant, Omnes credentes saluari, omnes non credentes condemnari. Secundò *cum priuatim ergà singulos & vnumquemq; vtuntur hoc officio denuntiandi:* vt cum certæ personæ pœnitenti promittitur remissio peccatorum: certæ item personæ non agenti pœnitentiam denuntiatur ira Dei, quantisper talis manet. Sic dicebatur ad Simonem, *Non est tibi pars neque sors in hoc negotio.* Idem omnibus nominatim dicendum est quoties necessitas requirit, nec quidem nostro arbitratu, sed iuxta Dei verbum. Atq; hæc est potestas clauium pastoribus concessa, & verbi ministerio annexa. Denuntiationem verò exequi est solius Dei. *In Ecclesiastico iudicio* gratiæ & iræ Dei non fit denuntiatio ab vno aliquo priuatim, sed à tota Ecclesia, aut nomine totius Ecclesiæ ab iis qui ad hoc delecti sunt communi omnium consensu,& ad certas personas, adhibita etiam exclusione ab vsu sacramentorum, quando necessitas postulat. Act. 8. 23.

3. *Cur necessaria sit potestas clauium.*

NEcessaria est potestas clauium. 1. *Propter mandatum. Quòd si Ecclesiam audire neglexerit, sit tibi velut quispiam Ethnicus, & veluti quispiam publicanus.* Tali autem Dominus non vult sacramenta communicare, quæ solis fidelibus instituit. *Eiusmodi tradatur Satanæ ad interitum carnis, vt spiritus saluus sit die illo Domini Iesu. Probet quisque seipsum, & ita de pane illo edat, & de poculo illo bibat.* Quum & Christus non nisi fidelibus instituat sacramenta, ideo *nec possumus esse participes Mensæ Domini & dæmoniorum: quæ enim communio Christi cum Belial?* Atqui omnes malam doctrinam profitentes, & in flagitiis perseuerantes sunt in mensa dæmoniorum. *Omitte illic munus tuum coram altari, & abi primùm, & reconcilia te fratri tuo & tum veniens offer munus tuum.* Ergo vult vt subiiciant se Deo secundùm omnia præcepta antequam accedant ad vllum sacramentum. *Altaris* nomine quælibet Mat. 18. 17. 1. Cor. 5. 5. 1. Co. 11. 28. 1. Co. 10. 21. 2. Cor. 6. 15. Mat. 5. 24.

sacramenta hoc loco intelliguntur. *Quoniam aduersus*
Num. 15.31. *Dominum rebellis fuit, peribit de populo suo. Qui autem su-*
Deut. 17.12. *perbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore mi-*
nistrat domino suo, ex decreto iudicis morietur ille, & auferes
malum de Israel. Duobus istis locis Deus tolli vult contumaces contra legem suam, & quidem ex politia, nec eos esse membra populi sui permittit: multò minùs ergo illos vult haberi pro membris Ecclesiæ visibilis. Forensis quidem lex sublata est, sicut & ceremoniæ, sed præcipuum illud discrimen ciuium Ecclesiæ & aliorũ non est sublatũ. Vnde Christus (quem locum ante citauimus) *neminem vult offerre munus suum, priusquam patri suo reconciliatus fuerit:* atque ita manifestè declarat se non velle vt ij qui non resipiscunt ad se sacramenta rapiant solis resipiscentibus & fidelibus propria: quomodo simul maximum discrimen constituit inter fideles & incredulos, contumaces & resipiscentes. Ita Petrus etiam conspecta hypocrisi & impietate Simonis magi, eum à fidelibus apertè distinguit, Denuntians
Act. 8.21. *non esse ei partem & sortem in hoc negotio,* in doctrina scilicet Euangelij, quam Petrus docebat.

2. *Propter gloriam Dei opus est clauium potestate.* nam Deus afficitur contumelia, si sine discrimine pro filiis ipsius habentur impij & blasphemi.

3. *Ne prophanentur sacramenta,* & quod impiis negatur in verbo, iis detur in cœna.

4. *Propter salutem Ecclesiæ,* quæ punietur si sciens & volens sacramenta prophanet.

5. *Propter salutem peccantium,* vt ij sæpius moniti resipiscant ad pœnitentiam.

6. *Propter vitationem scandali in Ecclesiam, ne alij corrumpantur. An nescitis paululo fermenti totam massam fermentari?*

7. *Propter vitationem scandali extra Ecclesiam, ne qui nondum sunt Ecclesiæ membra ad eam non accedant.*

1. Cor. 5.6. 8. *Ne apud alios nomen Dei blasphemetur, & factus ipse eius afficiatur contumelia.*

9. Vi

9. *Vt ab ipsis peccantibus auertatur pœna, siquidem impij accedentes iudicium sibi sumunt.* Hoc igitur ne fiat Ecclesia tenetur cauere, vt istiusmodi non accedant.

10. *Qui negant fidem & doctrinam, excludendi sunt ab Ecclesia, & ab vsu sacramentorum.* Non enim confunden di sunt fideles aut Christiani cum iis qui non sunt Ecclesiæ membra, vt cum palam impiis, blasphemis, deficientibus ad Arrianismum, Mahumetismum &c. Atqui negantes se pœnitentiã acturos negant fidem & doctrinam. *Deum profitentur se scire, sed factis negant.* Qui verò fidem abnegat est infidelibus deterior. Ergo perseuerantes in sceleribus, & negantes se pœnitentiam acturos excludendi sunt ab Ecclesia, nec admittendi ad vsum sacramentorum. Atq; hîc locum habet illud Christi, *Nolite sanctum obijcere canibus*: nec igitur admittendi sunt ad sacramenta canes, isti scilicet qui perseuerant in sceleribus, & Dei verbum derident. Si enim Christus hoc de verbo audibili dicit, quod alioquin instítutum est conuersis & nõ conuersis, vel conuertendis: multò magis hoc dicetur de verbo visibili, nimirum de sacramentis, quæ tantùm conuersis instituta sunt.

Tit. 1. 16.

Mat. 7. 6.

11. *Palàm Blasphemi non debent baptizari.* Non enim baptizari debent qui non credunt toto corde. Vnde Philippus Eunucho dicit, *Si credis toto corde, licet tibi baptizari.* Sic & Iohannes *nullos Baptizabat nisi cõfitẽtes peccata sua,* Porrò si blasphemi & increduli nõ sunt baptizandi, consequitur eos esse excludendos ab Ecclesia, nec admittendos ad vsum sacramentorum. Qui non debent baptizari, ij nec ad cœnam debent admitti: eadem enim vtrobique ratio est.

Act. 8. 37.

Mat. 3. 6.

12. *Nondum baptizati ad Cœnam non sunt admittendi,* atqui deficientibus à suo Baptismo, Baptismus nõ est Baptismus, iuxta illud Apostoli, *Circumcisio tua facta est præputiũ, si transgressor legis fueris.* Ergo deficientes à suo Baptismo non sunt admittendi ad Cœnam. *Obiect. Ergo qui à suo baptismo defecerunt etiam rebaptizandi sunt*

Rom. 2. 25.

post

post receptionem. Resp. Receptio per Baptismum rata est agentibus pœnitentiam etiam sine iteratione signi. Baptismus autem cùm sit ingressus in Ecclesiam, qui ab eo deficiunt non sunt in Ecclesia, ideoq; quandiu tales manent, nec ad Ecclesiam, nec ad Cœnam sunt admittendi.

13. *Ad quos promissio gratiæ non pertinet, ad eos non debet extendi signum gratiæ*, alias Ecclesia esset falsaria, admittens quos Deus excludit, & pugnaret secum: nam verbo visibili absolueret, verbo audibili damnaret. Quos igitur Deus reiicit & gratia sua priuauit, non sunt admittendi ad sacramenta, quæ sunt signa gratiæ diuinæ.

14. *Institutio sacramentorum vel conditio qua accedendum est ad sacramenta postulat pœnitentiam. Ergo non agentes pœnitentiam non debent admitti.* Valet hoc argumentum per contrapositionem: Habentes pœnitentiam & fidem sunt admittendi. Ergo non habentes fidem & pœnitentiam, non sunt admittendi.

4. *Quid differat potestas clauium Ecclesiæ delegata, à potestate politica.*

1. *POtestas clauium Ecclesiæ comissa, nititur verbo Dei, politica potestas armata est gladio.*

2. *In Ecclesia iudicatur secundùm leges diuinas: in politia iudicium fit secundùm leges politicas.*

3. *Ecclesia punit contumaces solo Dei verbo, ita tamen vt ista pœna penetret ad conscientias vsq;: politia punit contumaces pœna tantùm corporali.* Verbo punit Ecclesia, cùm denuntiat iram Dei infidelibus & non agentibus pœnitentiam.

4. *Sæpe locum habet Ecclesiasticum iudicium, vbi nullus est politici iudicij locus*, vt cum Ecclesia ex cœtu suo eiicit, nec ampliùs habet pro suis membris non agentes pœnitentiam. *E contrario sæpe locum habet politia, vbi nullus locus Ecclesiæ relinquitur:* vt cum magistratus pœna capitali punit adulteros, latrones, fures, eosque non ampliùs agnoscit pro membris Reip. siue resipiscant

cant, siue maneant contumaces, quos tamen Eccl. simul ac exceperit, pro suis membris retinere tenetur.

5. *Ecclesiæ iudicium habet gradus admonitionum: oportet enim prius tentari pœnitentiam antè quàm veniatur ad pœnam: at Iudicium politicum procedit ad pœnam, siue is qui peccauit pœnitentiam promittat, siue non.*

6. *Ecclesiæ scopus est, vt is qui peccauit resipiscat, & in æternũ seruetur: scopus magistratus est vt is qui peccauit puniatur, atq; ita pax & externa disciplina conseruetur in Rep.*

7. *Ecclesia tenetur retractare suum iudicium & pœnam, si interueniat resipiscentia. At magistratus non tenetur iudicium & pœnam retractare, neq; etiam illud aliquando potest.* Manifestum est igitur discrimen politiæ, & Ecclesiasticæ potestatis, seu clauium à Christo Ecclesiæ traditarum. Atque hæc sine illa potestate facilè potest consistere. Nam Ecclesia agnoscit pro suo membro, quem magistratus non agnoscit nec tolerat.

5. *Quis ordo seruari debeat in exercenda clauiũ potestate.*

Quum quis admiserit priuatum aliquod delictum, is primùm ab vno humaniter admoneri debet, iuxta mandatum Christi, *Si peccauerit frater tuus, veni & argue eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum.* Deinde, *si ab vno admonitus nondum resipiscat, assumpto vno & altero rursum admoneri priuatim debet.* Atq; admonitiones eiusmodi fieri debent secundùm Dei verbum, & cum significatione beneuolentiæ, nec non iustis, grauib. & necessarijs de causis. *Quòd si verò nec sic admonitus ab vno atque altero resipuerit, à tota Eccl. corrigendus est.* Id quod etiam Christus præcepit, inquiens: *quòd si neglexerit eos audire, dic Ecclesiæ.* Mat. 18. 15.

Quum autẽ quis palàm peccauerit cũ offensione totius Eccl. is etiam publicè ab Eccl. corrigi debet pro modo delicti: si nondũ resipiscere velit, etiam admonitus & castigatus ab Eccl. siue is qui priuatim commisit peccatum, siue is qui delictũ admisit publicum, tandem excomm. velut extremum remedium ad corrigendos impœnitentes, ab Eccl. adhiberi debet: quemadmodum & Christus iubet his verbis loco proximè Mat. 18. 17.

citato

citato subiunctis. *Quòd si Ecclesiam audire neglexerit, sit tibi veluti quispiam Ethnicus aut publicanus.* His verbis disertè Christus mandat, omnes quicunq; hoc modo ab Ecclesia moniti nolunt resipiscere, cõmuni Ecclesiæ consensu excõmunicandos esse, donec resipiscant.

Iam *quid sit excommunicatio*, restat vt videamus. *Excommunicatio, est facinorosi, vel palàm impij, & contumacis eiectio è societate fidelium iudicio presbyterij, Ecclesiæ cõsensu, autoritate Christi ac sacræ Scripturæ.* Cùm igitur Ecclesia pronuntiat de singulis, quòd non sunt pij, excommunicare eos debet nec admittere ad sacramenta. Quicunque autem excommunicantur, iidem profitentes, & factis ostendentes emendationem, eodem prorsus modo recipiuntur in Ecclesiam, quo eiecti sunt, scilicet iudicio presbyterij, consensu Ecclesiæ, autoritate Christi, & Scripturæ. Porrò *principalis pars in excommunicatione est denunciatio*, qua denuntiatur eum qui negat fidem & pœnitentiam non esse membrum Ecclesiæ, quamdiu talis manet, etiamsi glorietur de nomine Christianorum, quia Scriptura non agnoscit eum pro Christiano, qui licet verbo dicit se esse Christianum tamen factis ostendit diuersum. Atq; hæc *denuntiatio qua quis excommunicatur, non est penes ministrum Ecclesiæ, sed penes ipsam Ecclesiam & eius nomine fit*, quia mandatũ hoc à Christo datũ est Ecclesiæ. Nam ipse ait expressè, *dic Ecclesiæ*, & quidem hoc mandatum Ecclesiæ dedit non ad destructionem peccatoris excommunicandi, sed ad eius ædificatonem vel salutem. Neq; verò frustrà hæc Ecclesiæ denuntiatio debet vsurpari: de quibus enim Ecclesia denuntiat quòd non sunt pij, excommunicare eos, nec admittere ad vsum Sacramentorum tenetur. *Qui sint excommunicandi satis ex præcedentibus cognoscitur, nempe qui aut negant aliquem articulum fidei, aut ostendunt se nolle pœnitentiam agere, aut non subijciunt sese voluntati Dei secundùm eius præcepta, neque dubitant in manifestis sceleribus contumaciter perseuerare.* Omnes ifiiusmodi non admittendi sunt ad Ecclesiam

quod

quòd si sint ad Ecclesiam admissi in baptismo, non tamen est ad pergendum in exhibitione sacræ Cænæ: contrà verò qui profitentur fidem & pœnitentiam, eos Ecclesia tenetur admittere.

Super sunt obiectiones aduersariorum ad quas paucis respondebimus.

Obiect. 1. *Nusquam est mandatum officium clauium. Ergo illud non est in Ecclesia instituendum, & per consequens nemo debet à sacramentis excludi. Resp.* Nego antecedens quia passim extant in Scriptura huiusmodi mandati testimonia manifesta. *Tibi dabo claues regni cælorum, & quicquid ligaueris in terra, erit ligatum in cælis: et quicquid solueris in terra, erit solutum in cælis.* Mat. 16. 19. Hic disertis verbis exprimitur potestas clauium omnib. verbi ministris delegata.

Quodnam sit officium clauium Ecclesiæ demandatarum et quomodo Ecclesia fungi hoc officio debeat, similiter Christus disertè præcipit & explicat, *Quòd si neglexerit eos audire, dic Ecclesiæ: quòd si Ecclesiam audire neglexerit, sit tibi veluti quispiam Ethnicus & Publicanus. Amen dico vobis, quæcunq; ligaueritis in terra erunt ligata in cælo: quæcunque solueritis in terra erunt soluta in cælo.* Mat. 18. 17. & 18. Hæc à Christo præcepta, Paulus reipsa confirmat: *Huiusmodi tradatur Satanæ ad interitum carnis, vt spiritus saluus sit die illo Domini Iesu. Quum conuenitis in vnum, hoc non est Dominicam Cœnam edere.* 1. Cor. 5. 5. 1. Cor. 11. 20 *Quòd si quis non auscultat nostro per epistolam sermoni, hunc notate, & ne commercium habete cum eo, vt eum pudeat. Ex quibus Alexander & Hymenæus, quos ego tradidi Satanæ vt discant non blasphemare.* 2. The 3. 14. 1. Tim. 1. 20. In Prophetis etiam manifesta sunt testimonia, in quibus hoc à Deo mandatum esse constat. *Quò mihi victimarum vestrarum multitudinem dicit Dominus? Plenus sum holocaustis arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, agnorũ, & hircorum nolui &c. Qui immolat bouem, quasi qui interficiat virum; qui mactat pecus, quasi qui iugulet canem: qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillũ offerat: qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo* Isai. 1. 2. Isai. 60. 3.

non

Ier.7.21. *Non ſiam loquutus cum patribus veſtris & non præcepi eis in die qua deduxi eos de terra Aegypti, de verbo holocauſtomatum & victimarum.* Peccatori autem dixit Deus, Pſal.50.17. *Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* Hinc & Chriſtus ait, Mat.5.24. *Omitte illic munus tuum coram altari et abi, et reconciliator fratri tuo primùm, & tum veniens offer munus tuum.* Præter hos & alij ſunt Scripturæ loci quibus mãdatum eſt, vt omnes palàm impij excludantur ab Eccleſia & vſu Sacramẽtorum, velut vbicunque reprehenditur ſacramentorum illegitimus vſus, item vbicunq; iubentur miniſtri pro membris Eccleſiæ recipere tantùm profitentes fidem & pœnitentiam. *Inſt. Deus quidem impios ad ſacramenta accedere vetat, ſed non præcipit vt Eccleſia eos prohibeat. Reſp.* Quæ Deus prohibet in Eccleſia fieri ea vult Eccleſiæ iudicio vitari, & quòd præcepit Dominus Eccleſiæ vt prohiberet, & excluderet palam impios, ex locis citatis manifeſtè euincitur.

Obiect.2. Homines non poſſunt diſcernere dignos ab indignis, non poſſunt ſcire quinam verè reſipiſcant, & qui in impietate perſeuerent, nec poſſunt aliquẽ in gehennam abijcere. Non igitur Eccleſiæ mandatum eſt illud iudicium quo pij diſtinguantur ab impijs. Reſp. Eccleſia non iudicat de arcanis aut occultis, ſed de manifeſtis, de ijs nempe qui ſe declarant externa vita & profeſſione, idque cùm de ijs iudicio Dei ſubſcribit, id eſt, cùm de ijs iudicat ſecundùm verbi Dei præſcriptum: vt cùm ex verbo dei condemnatos eſſe pronuntiat contumaces quam diu tales manent, & quum ex verbo Dei pœnitentiã profitentes abſoluit. Occultos autem ab alijs diſcernere, ſicut non poteſt Eccleſia, ſic nec ſibi tribuit.

Obiect.3. Chriſtus ait in illa parabola de zizanijs. Sinite Mat.13.30. *ſimul creſcere vtraque uſq; ad meſſem. Ergo nullus debet excludi. Reſp.*1. Loquitur ibi de hypocritis, qui non poſſunt diſcerni ſemper à verè pijs. Itaque ſenſus eſt, non debere tolli vel ſegregari hypocritas ab Eccl. quos videlicet nos non nouimus: ſed id facturos Angelos

in

in nouissimo die. 2. Discernit ibidem officium magistratus & ministrorum: sinite crescere, id est ne interficiatis alienos ab Ecclesia. Ministri siquidem nõ debent quenquam afficere vi corporali sicut Magistratus. Hoc autem discrimine non tollitur discrimen inter Ecclesiam & regnum Diaboli.

Ob. 4. Homines cogendi sunt ad bona opera. Sacramentorum vsus est bonum opus. Ergo cogendi sunt ad vsum sacramentorum. Resp. 1. Minor non est vera nisi intelligatur de vsu qui fit in fidelibus: alias cùm à fidelibus vsurpantur sacramenta, eorum vsus non est bonum opus. Vsus sacramentorum est bonum opus, quando hunc vsum præcedunt opera moralia. Ac tunc re vera vsus dicitur sacramentorũ, alias potiùs est abusus, & prophanatio sacramentorum. Nam quum impij sumunt sacramenta, abutuntur ijs, vnde Christus disertè dehortatur impios ab hoc opere bono, cũ ait, *omitte illic munus tuum coram altari, & abi &c.* 2. Maior est distinguẽda. Homines ad bona opera sunt cogendi, scilicet suo ordine, it vt præcedat coactio ad moralia opera, sequatur deinde coactio ad ceremonialia: & sic intelligi debet quod ait Christus, *Compellite eos intrare.* Luc. 14. 23.

Ob. 5. Non habemus exempla. Prophetæ, Apost. & Ioan. neminem excluserunt, imò Ioan. baptizauit progeniem viperarum. Resp. Prophetæ, etiam si non potuerunt excludere à sacrificijs & sacramentis impios, tamen illa scelera damnarunt, & habuerunt sæpe longas conciones tum contra impios qui accedebant, tum contra Ecclesiam, quæ illos admittebat ad sacrificia. Apost. exclusisse vel vnus Paulus exẽplo suo (sicuti vidimus antea) satis ostendit. Ioan. tantùm eos baptizauit qui promittebant fidem & pœnitentiam: baptizauit viperarum progeniem quum iam pœnitentiam egerat. Licet igitur erant ex viperarum genere quos baptizauit Ioan. non tamen amplius erant viperæ quum baptizabantur. *Baptizabat.* n. Ioan. non nisi *confitentes peccata sua, prædicabat itẽ baptismũ resipis. in remis. pec. &c* Marc. 1. 5. Luc. 3. 3.

Obiect.

*Obiect.6.Si sunt admittendi ad sacramenta profitentes fidem & pœnitentiam,atque excludendi infideles & impœ., id eodem modo fieri licebit quo factum est à Ioanne.At Ioannes profitentes fidem & pœnitentiam ad Baptismum admittebat solus,& contrà solus impœnitentes reiiciebat: Ergo & vni ministro licebit vel admittere profitentes doctrinam & pœnitentiam,vel contumaces reiicere.Resp.*Est dissimilitudo. Ioannes enim erat præditus autoritate Prophetica & Apostolica. Deinde agebatur de collectione nouæ Ecclesiæ,non de exclusione eorum qui fuerant in Ecclesia,& ab ea defecerant.

Solutiones Argumentorum quibus nonnulli excommunicationem expugnare conati sunt.

1. *VBi rectè debent administrari verbum & Sacramenta,ibi debet vigere officium disciplinæ. Sed in primitiua Ecclesia, & hodie in Ecclesiis benè constitutis non viget officium disciplinæ. Ergo non rectè administrata sunt verbum & Sacramenta. Atqui hoc est absurdum: Ergo & illud.Resp.* Rectè administrari est ambiguum. *Administrare rectè* significat sic administrare, vt administratio prorsus congruat cum præscripto Domini. Administrare non secundũ κατορθωμα, sed ita vt administratio placeat Deo & sit salutaris Ecclesiæ.In hoc toto mundo non rectè administrantur Sacramenta secundùm priorem significationem: secundùm alteram verò non item. Etsi enim aliqui sint næui, qui propter imbecillitatem Ecclesiæ subitò corrigi nequeant,tamen administratio placere Deo potest & salutaris esse Ecclesiæ: interim debent defectus agnosci & deplorari. *Beati enim qui esuriunt & sitiunt iustitiam.*Hæc nisi concedantur, nulla erit pura Ecclesia in mundo. Hæc solutio sufficeret, sed negatur etiam minor.Nam in primitiua Ecclesia fuit & mãsit,& manebit in malè constituta Eccl.sed cum magno abusu, vt in Papatu. *Inst.In nostris & Helueticis Eccl.non viget Excõmunicatio.Ergo minor vera est Resp.*Etsi in aliquib.

non

non fit, tamen non fit malè interim: nihilominus minor infringitur. Quia in illis Ecclesiis verbum & sacramenta rectè administrantur secundum alteram significationem. *Chrysostomus. Si quis flagitiosus veniat ad mensam Domini, ne porrigas illi Sacramentum Domini: corpus & sanguinem Domini si nolit credere, indica mihi, sanguinem potius fundam, quàm illum admisero.* Viguit ergo excommunicatio multis post Christum annis.

2. *Doctrina quæ caret verbo Dei & exemplis, non est Ecclesiæ obtrudenda. Sed hæc doctrina caret vtroq;. Ergo, &c. Resp.* Verbum extat, Matt. 18. 17. *Si verò Ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus.* 1. Cor. 5. *Huiusmodi homo tradatur Satanæ, &c. Inst.* Mat. 18. *non fit mentio presbyterij, neque excommunicationis. Ergo illud verbum non probat. Resp.* Nego antecedens. Etsi enim non habentur verba formalia, tamen sententia continetur. *Inst. Haberi pro Ethnico, & excommunicatum esse, non sunt idem. Ergo non continetur ibi verbum per æquipollentiam. Sic autē probatur antecedens. Sit tibi vt Ethnicus & publicanus. Ibi non loquitur de iudicio Ecclesiæ. Ergo non est à tota Eccl. excommunicandus qui habetur Ethnicus à priuatis. Responsio.* Quem singuli habent pro Ethnico eum tota Ecclesia habet. *Inst. Atqui non habetur quem tota Ecclesia habet pro Ethnico: sed qui verbum non audit, eum habeas pro ethnico. Ergo non habeas eum ex Ecclesiæ iudicio, sed ex tuo. Resp.* Ideo habeo, quia Ecclesiam non audit. Verùm, non audire Ecclesiam, est esse publicanum & ab Ecclesia alienum. ista nonne sunt idem? Sed addo alterum minus disputabile. Non dicit tantùm priuatis singulis, sed *toti Ecclesiæ.* Nam *tibi & Ecclesiæ* æquipollent. Quia cùm Christus iubet aliquem haberi à me pro publicano & ethnico, an illum propterea iubet ab Ecclesia haberi pro Christiano? Non: quia vellet contraria iudicia de eodem homine fieri. Ab Ecclesia autem haberi pro publicano & ethnico est excommunicari & esse extra communionē Ecclesiæ. Stat igitur ista mentionē excommunicationis, & eam mandari,

& haberi ab vno pro publicano, est haberi ab omnibus. Et si non in specie fieret illa denunciatio, nullus posset haberi pro publicano. De altero membro presbyterij, respondeo quòd fiat sub Ecclesia.

3. *Ecclesia non est presbyterium. Iubet autem indicationem fieri apud Ecclesiam, & admonitionem per Ecclesiam: Ergo, &c. Resp.* Nego Maiorem: quamuis etiam potest concedi totum argumẽtum, videlicet quòd Christus non intelligat presbyterium, sed propriè sumat vocabulum Ecclesiæ, ante Christum Iudaicæ, post Christum Christianæ. Sed in Ecclesiæ iurisdictione oportet aliquem esse ordinem: aliquos oportet esse constitutos ab Ecclesia, alioquin esset ἀταξία. Itaque per Ecclesiam continetur presbyterium, & per consequens, intelligitur de Synedrio. Non potest obseruari id quod Christus dicit sine circumstantiarum determinatione. *Inst. Verum quidem est non posse indicationem fieri apud totam Ecclesiam, sed apud Synedrion, quod tamen est politicum. Dic Ecclesiæ, id est, senatui vrbis. Responsa.* Iam fatentur non posse ordinem fieri apud totam Ecclesiam, sed apud aliquod Synedrion, quod tamen sit politicum, non Ecclesiasticum. Quæstio igitur est an illud sit intelligendum de Synedrio politico? Hoc ipsi debent probare. Probant igitur Synedrion esse politicum.

4. *Christus iubet indicari apud Synedrion. Ergo Politicum. Hic probant maiorem. Synedrion quod afficit pœnis corporalibus, est politicum. Synedrion illud, quod dabat Paulo potestatem interficiendi Christianos, afficit pœnis corporalibus. Ergo fuit politicum. Resp.* Ad maiorem, Quod afficit, scilicet iure. Illi autem afficiebant, sed iniuria: quia non habebant ius: rapiebant ad se. Sic etiam de Stephani morte, quia fiebat per tumultum: deinde ipsis quidem Sacerdotibus volentibus, sed malè. *Inst. Ex Augustino. Iudæi mentiebantur cùm dicerent, Non licet nobis quempiam interficere. Resp.* Sic habent verba Augustini, tractatu 114. In Ioannem.

nem. *An non interficiebant quem interficiendum offerebant? Propter festum non licebat illum interficere. Inst. Ex Chrysostomo. Non licet nobis, scilicet propter vicinitatem festi: Resp.* Non verum est (bona venia Chrysostomi) quia historia testatur leges illis fuisse ereptas ab Herode Magno, & Iosephus scribit totum Synedrion fuisse ab illo interfectum, excepto vno. Ergo volunt Iudæi dicere: Tu habes vim gladij, nobis non licet interficere quenquam. *Inst. In Euangelio dicitur: sumite eum vos, & secundùm legem vestram iudicate eum. Resp.* Intelligit Legem Mosis: Vt obruatur lapidibus, me concedente. *Inst. Iosephus lib. 19. dicit, Leges illis fuisse à Claudio concessas Resp.* Ergo antea non habuerunt eas. Deinde concessit illis Leges, id est, αὐτονομίαν religionis. *Inst. Fuit illis ademptum ab Herode Magno. Ergo prius habuerunt ius Politicum, & tum, quum Christus iuberet eos Synedrio indicare. Per consequens debuit indicari Senatui politico: nullum enim aliud Synedrion erat nisi politicum. Erant tria Synedria. 1. Totius regni, vt in Anglia Parliamentum. 2. Minus, quòd erat vrbis Ierosolymæ Senatus: isque erat Politicus & Ecclesiasticus simul. 3. Triumuiratus. Hæc omnia erant politica. Synedrion erat politicum. Christus mittit ad Synedrion: ergo ad Senatum politicum. Resp.* Ad Maiorem, erat politicum, sed non solùm: nam habebat potestatem Ecclesiasticam, quia tractabat causas Religionis. Constabat ex Pharisæis & legum peritis: ex Theologis & Iurisconsultis. Habebant enim leges morales & forenses.

Iam est quæstio, *An iubeat Synedrio indicari vt Politicam verò vt Ecclesiastico.* Tanquam Eccl. probatur ex textu. 1. *Quia iubemur excommunicatum habere pro ethnico & publicano*, id est, alieno à regno Christi. Publicanum autem aliquem declarare & alienum à regno Christi, est magistratus Ecclesiastici, non politici: quia publicanus & ethnicus potest esse membrum ciuitatis, sed non Eccl. Christi. 2. Addit *Amen amen dico vobis, quicquid ligaueritis, &c.* Hîc occurrit Christus ob-

iectioni, Quia potest excommunicatus obijcere, quid mea refert, & si me Ecclesia habeat pro infideli, pro ethnico & publicano, nihilominus comedam interea & bibam. Respondet igitur, iudicium istud non erit irritum: ego enim ero executor illius. Suprà quidem, cap. 16. *Dabo tibi claues regni Cælorum:* sed ibi loquitur de communi autoritate ministerij: hîc nominatim agit de ministerij autoritate in hac causa. ligare igitur & soluere non est politici magistratus, sed Ecclesiæ.

5. *Scelerati possint haberi pro Ethnicis & publicanis etiam sine excommunicatione. Ergo publicanus & excommunicatus non sunt idem Resp.* Nego antecedens: quia habere aliquem extra communionem Ecclesiæ & excommunicare, sunt idem. *Inst. Sed possunt aliquem habere, id est, in animo sentire quòd sit talis Resp.* Si Ecclesiam non audiat, oportet te illud scire, non quid de illo Ecclesia sentiat in animo, sed quid de eo statuat, an possis habere pro ethnico & publicano. Deinde Paulus alibi vetat cum scelerato capere cibum & potum. Ergo non est tantùm cognitio in animo.

Contra exempla.

Paulus iubet incestuosum eijci ex medio Eccl. Corinthiacæ 1. Cor. 5. 13. id est, vult eum declarari non esse membrum Ecclesiæ. Ergo ista eiectio non est tantùm cogitare, sed etiam pronuntiare & excommunicare. Aduersarij contra argumentantur eo modo.

6. *Seipsum explicat Apostolus. 2. Cor. 2. 6. Sufficit istiusmodi homini ista obiurgatio à pluribus profecta. Ergo habete eum pro ethnico & publicano, & tollite eum ex vobis, significat ἐπιτιμίαν. Resp.* Est fallacia consequentis, quia non ex vno exemplo constituitur regula. Hîc enim opus fuit *epitimia*, quia resipuit. Ergo semper non sequitur. *Inst. Quod isti fecerunt, Paulus iussit. Sed hi tantùm reprehenderunt. Ergo Paulus iussit tantùm reprehendere, dum iussit è medio tollere. Resp.* Ad Maiorẽ, Paulus iussit, sed non solùm: quia iussit vt reijcerent eum si non resipisceret. Si autem resipisceret, satis esset *epitimia*. Nõ igitur sequi-

tur, Illi tantùm reprehenderunt. Ergo Paulus iussit tantùm reprehendere. Hæc est vera solutio: sed clara alia est. Quia *epitimia* non tantùm significat obiurgationem, sed etiam excommunicationem, quæ tantùm fit verbis. Sic accipi non tantùm potest, sed etiam oportet, quia dicit, *vt è contrario potius ei condonetis*: Ergo iam excommunicatus & nondum receptus, sed recipiendus: nec fuit tantùm obiurgatus, sed etiam eiectus. Quum etiam dicat *à pluribus*, hîc confirmatur nomine *Ecclesiæ* cuius meminit Christus. Mat. 18. non intelligit plebeculam, sed Ecclesiæ primores. Item, *In hoc scripsi* (inquit Apostolus) *vt cognoscerem vos obedientes*. Laudat igitur quòd obsecuti sunt. Propterea ante resipiscentiam vetat, *ne commisceantur cum illo eiecto*.

7. *Quem Paulus iusserat per Epistolam notari, iubet haberi pro fratre: ergo non vult eum excommunicari*. Maior sic probatur, *Contraria non possunt simul poni: Hæc sunt contraria. Ergo &c.* Minor probatur. *Excommunicare non est pro fratre habere: Ergo idem erunt habere & non habere pro fratre. Resp.* Ambiguitas est in verbo habere pro fratre. Non ergo valet contrarietas. Nam omnes homines sunt fratres, & Christiani & Turcæ. Interim Christiani etsi Turcas habeant pro fratribus & proximis, & salutem eorum expetant, tamen non habent eos pro fratribus Christianis. Si igitur Turcas, multò magis illos pro fratribus haberi & eorum saluti studere debent, qui priùs fuerunt fratres, id est, Christiani. Illa *epitimia* non tantùm est improbatio facti, sed significat etiam excommunicationem, quæ fit verbo. Oportet in hunc sensum eam accipi quia addit Apost. *è contrario potius vos ei condonetis, eumque consolemini, ne quo modo redundanti tristitia absorbeatur vir huiusmodi. Quapropter precor vos vt vratam faciatis in illum charitatem*: κυρῶσαι est publica sententia aliquid dicere. Sic sumitur. Galat. 3. κεκυρωμένην διαθήκην id est publica autoritate sancitum Testamentum: vult

igitur publico testimonio dilectionem declarari erga ipsum. Ergo *condonare* erat excommunicatum recipere in gratiam: idque sæpius repetit. Fuit autem interuallum aliquod, inter scriptionem prioris & posterioris Epistolæ ad Corinthios. Ergo fuit excommunicatus. In prima epistola dicit *se audire aliquot scleratos versari in grege*: illos iubet excommunicari: veri simile est huic Corinthios obtemperasse, excommunicando eos, & scripsisse Paulo quòd obtemperarint, quia in 2. Epist. cap. 2. laudat eorum obedientiam, & iubet incestuosum recipi, si resipuerit.

8. *Quod fecit Paulus, non est nobis imitandum. Paulus excommunicauit Hymenæum & Alexandrum, sine consensu Ecclesiæ. 1. Tim. 1. 20. Ergo nemo est excommunicandus.* Negatur maior vniuersaliter sumpta. Probatur sic. *Quod fecit Paulus autoritate Apostolica. Minor probatur. Tradidi* (inquit) *Satanæ Hymenæum & Alexandrum. Nostri autem ministri & pastores Ecclesiarum id non possunt. Ergo oportet Paulum peculiari quadam autoritate id fecisse.* Resp. Concedo argumentum. Non debemus imitari, si fecit solus. Non autem sequitur, Ergo non licet excommunicare. est enim plus in conclusione. Potest autem negari minor, quia in textu tantùm dicitur quod Paulus fecerit, non quomodo fecerit.

APPENDEX.

Qui abusus cauendi, id est, quæ cautiones in excommunicatione seruandæ sunt.

1. Non negligantur gradus. Ne à summis gradibus incipiatur, sed primò humaniter admoneatur qui deliquit. Mat. 18. 17.

2. Eo modo fiat quo debet, videlicet secundùm verbum Dei & significationem beneuolentiæ.

3. Fiat iustis, grauibus, & necessariis de causis, non propter iniustas, incertas, aut non satis graues

causas

cauſas, temerè, ex quauis ſuſpicione.

4. Attentè expendatur à toto presbyterio, probetur ab Eccleſia, non ſuſcipiatur priuata autoritate, ne miniſterium Eccleſiæ conuertatur in olygarchiam & tyrannidem.

5. Ne excitentur ſchiſmata & ſcandala in Eccleſia, ſi videant boni multos diſſentire inter ſe, ſequi mala maiora, ſcindi Eccleſiam. Tunc non debent ſoli procedere, ſed priuatim monere & hortari: Si nihil proficiant, ipſi excuſati ſunt: cæteri pœnas ſuæ pertinaciæ dabunt.

6. Iudicium Eccleſiæ debet antecedere. 1. *Propter Dei mandatũ.* 2. *Vt nemini fiat iniuria.* 3. *vt monitio aliquid habeat autoritatis.* 4. *Et iuſtior ſit damnatio pertinacium,* non propter quiduis, non quolibet modo, non à quouis: ſed propter illa quæ pugnant cum fundamento, & vbi apparet contumacia. 5. *præeant gradus à Chriſto inſtituti, quorum* primus *eſt fraterna charitas:* ſecundus, *admonitio per plures:* tertius, *Iudiciũ Eccl. quod ſequitur executio:* quartus, *vt iuſtior ſit damnatio,* nõ tantùm propter ordinem Chriſti, qui non debet violari: ſed etiam quia alioqui non poſſunt diſcerni contumaces qui ſunt excommunicandi: denique, *quia de certis rebus debet fieri iudicium Eccleſiaſticum.*

TERTIA PARS.

DE HOMINIS GRATITVDINE.

Cum ab omnibus peccatis & miserijs, sine vllo nostro merito, sola Dei misericordia propter Christum liberati sumus, quid est cur bona opera facimus?

QVIA postquam nos Christus suo sanguine redemit, renouat nos quoq; suo Spiritu ad imaginem sui, vt tantis beneficiis affecti, in omni vita nos erga Deum gratos declaremus [a], & ipse per nos celebretur [b]. Deinde vt nos quoque, ex fructibus, de sua quisq; fide certi simus [c]. Postremò, vt vitæ nostræ integritate alios Christo lucrifaciamus [d].

a Rom. 6. 13. & 12. 1. 2. 1. Pet. 2. 5. 9. 10. 1. Cor. 6. 20.
b Mat. 5. 16. 1. Pet. 2. 12.
c 2. Pet. 1. 10. Matt. 7. 17. Gal. 5. 6. 22.
d 1. Pet. 3. 1. 2. Rom. 14. 19.

Non possunt igitur illi seruari, qui ingrati, & in peccatis securè persistentes, à sua prauitate ad Deum non conuertuntur?

Nullo modo. Nam, vt Scriptura testatur, nec impudici, nec idololatræ, nec adulteri, nec fures, nec auari, nec ebriosi, nec conuiciato-

ciatores, nec raptores, hæreditatem regni Dei consequentur[a].

Quibus partibus constat conuersio hominis ad Deum?

Mortificatione veteris[b], & viuificatione noui hominis.

Quid est mortificatio veteris hominis?

Verè & ex animo dolere quòd peccatis tuis Deum offenderis, eaq; magis ac magis odisse & fugere[c].

Quid est viuificatio noui hominis?

Vera lętitia in Deo per Christū[d], & seriū ac promptū studiū instituendi vitam ex voluntate Dei, omniaq; bona opera exercēdi[e].

Quæ sunt bona opera?

Tantùm ea quæ ex vera fide[f], secundùm legem Dei fiunt[g], & ad eius solius gloriam referuntur[h]: Non ea autem quæ à nobis opinione recti conficta, aut ab hominibus tradita sunt[i].

Quæ est Lex Dei?

Loquutus est Deus omnia verba hæc[k].

1. *Ego sum dominus Deus tuus, qui eduxi te ex Ægypto, domo seruitutis, Nō habebis alienos Deos in conspectu meo.*

2. *Ne sculpes tibi simulacrū, nec vllam imaginem effinges eorū, quæ aut suprà sunt in cœlo, aut infrà in terra, aut in aquis sub terra, neq; incurues te illis, neque coles ea. Ego enim sum Dominus, Deus tuus, fortis, Zelotes, vindicans peccata*

a 1.Cor.6. 9.10. Eph.5.5.6. 1.Ioa.3.14.
b Rom.6.4. 5.6. Ephes.4.22. 23.24. Col.3.5.6. 8.9.10. 1.Cor.5.7. 2.Cor.7.11.
c Rom.8.13. Ioel.2.13. Hose.6.1.
d Rom.5.1. & 14.17. Isa 57.15.
e Rom.6. 10.11. Gal.2.20.
f Rom.14. 23.
g 1.Sam.15. 22. Eph.2.10. & 6.17.
h 1.Cor.10. 31.
i Deut.12.31 Ezec.20.18. 19. Ies.29.13. Mat.15.9.
k Exod.20. Deuter.5.

cata patrum in filijs, idque in tertia & quarta progenie eorum qui oderunt me, & misericordia vtens in millesimam eorum qui diligunt me, & obseruant præcepta mea.

3. *Ne vsurpes nomen Domini Dei tui temerè. Neq; enim Dominus dimittet eum impunitum, qui nomen eius vanè vsurpauerit.*

4. *Memento, vt diem Sabbathi sanctifices: Sex diebus operaberis, & facies omne opus tuum: At septimo die Sabbathum erit Domino Deo tuo: non facies vllum opus, nec filius tuus, nec filia tua, nec seruus tuus, nec ancilla tua, nec iumentum tuum, nec aduena qui est intra portas tuas. Nam diebus sex fecit Deus cœlũ, terram, mare, & quæcunq; in ijs sunt, & requieuit die septimo: ideoque benedixit diei Sabbathi, & sanctificauit eum.*

5. *Honora Patrem tuum & Matrem tuam, vt diu viuas in terra, quam tibi Dominus Deus tuus daturus est.*

6. *Non occides.*

7. *Non committes adulterium.*

8. *Non furaberis.*

9. *Non dices contra proximum tuum falsum testimonium.*

10. *Non concupisces domum proximi tui, nec concupisces vxorẽ proximi tui, nec seruum eius, nec ancillam, nec bouem, nec asinũ, nec quicquam eorum quæ sunt proximi tui.*

Quomodo diuiduntur hæc præcepta?

In duas tabulas[a] quarũ prior quatuor præ-

ceptis

ceptis tradit, quo pacto nos erga Deũ geramus: Posterior, sex præceptis, quę officia proximo debeamus[a].

Quid postulat Deus in primo præcepto?

Vt, quàm mihi chara est salus animę meę, tam studiosè vitẽ & fugiam omnem idolatriam[b], magiam, incantationẽ, superstitionem[c]: inuocationem sanctorũ, aut cętera rum creaturarũ[d]: vnicũ autem & verũ Deum rectè agnoscã[e], ipsi soli fidam[f], summa humilitate[g] & patientia me illi subiiciam[h], ab eo solo omnia bona expectem[i]: deniq; intimo cordis affectu ipsum amem[k], reuerear[l], venerer[m], adeò vt omnibus potiùs creaturis renunciem, quàm vt vel minimũ contra eius voluntatem committam[n].

Quid est idololatria?

Est loco vnius Dei, aut pręter vnum illũ & verum Deum, qui se in suo verbo patefecit, aliud quippiam fingere aut habere, in quo reponas spem[o].

Quid postulat secundum præceptum?

Ne Deũ vlla imagine aut figura exprimamus[p], neue vlla alia ratione eum colamus, quàm qua se suo verbo coli pręcepit[q].

An vllæ ergo prorsus fingendæ sunt imagines aut simulachra?

Deus nec vlla ratione effingi debet nec potest: Creaturas autẽ, etsi exprimere quidẽ licet vetat

a Mat. 22. 38. 39.
b 1. Cor. 6. 9. 10. & 10. 7. 14
c. Leu. 19. 31. Deu. 18. 11.
d Mat. 4. 10. Apoc. 19. 10. & 22. 8. 9.
e Iob. 17. 3.
f Ier. 17. 5.
g 1 Pe. 5. 5. 6.
h He. 10. 36. Col. 1. 11. Ro. 5. 3. 4. 1. Cor. 10. 10. 5. Phi. 2. 14.
i Ps. 104. 27. 28. 29. 30. Is. 45. 7. Iac. 1 17.
k Deut. 6. 5. Mat. 22. 37.
l Deu. 6. 2. Ps. 111. 10. Prou. 1. 7.
Mat. 10. 28.
m Mat. 4. 10.
n De 10. 20. Mat. 5. 29. 30. & 10. 37 Act. 5. 29.
o Eph. 5. 5. 1. Para. 16. 26. Phi. 3. 19. Gal 4. 8. Eph. 2. 12. 1. Io. 9. Io. 5. 23.
p Deut. 4. 15. &c. Ies. 40. 18. Ro. 1. 23. Act. 17. 29.
q 1. Sam. 15. 23. Deut 12. 30. Mat. 15. 9

vetat tamen Deus earũ imagines fingi, aut haberi, quo vel ipſas, vel Deũ per ipſas celebremus, aut honoremus [a].

a Exod. 33. 24. & 34. 13. Num. 33. 52 Deut. 7, 5. & 12, 3. 16. 22. 2. Reg. 18. 4.

An autem in templis, imagines tolerari non poſſunt, quæ pro libris ſint imperitæ multitudini?

Minimè: neq; enim decet nos ſapientiores eſſe Deo, qui ſuam Eccleſiã non mutis ſimulacris [b]: ſed viua prædicatione verbi ſui vult erudiri [c].

b Iere. 10. 8. Heb. 21. 18. 19.

c 2 Tim. 3. 16. 17. 2. Pet. 1. 19.

Quid ſancit Deus tertio præcepto?

Vt non ſolùm execrando, aut peierãdo [d], verumetiã temerè iurando, nomẽ Dei contumelioſè, aut irreuerenter ne vſurpemus: neue tacẽdo aut cõniuendo, horrẽdis illis ſceleribus cõmunicemus: Sed ſacroſancto Dei nomine nõ niſi ſumma religione & veneratione vtamur [e], vt vera & cõſtanti confeſſione [f], inuocatione, omnib. deniq; verbis & actionibus noſtris ipſe [g] celebretur.

d Leuit. 24. 13. &c. Leui 19. 12. e Mat. 5. 37. Iac. 5. 12. f Iſa. 45. 23. Matt. 10. 32. 2. Tim. 2. 8. g Rom 2. 24. 1. Tim. 6. 1. Col. 3. 16.

Eſtne igitur adeò graue peccatum iurando, aut dira imprecando, nomen Dei temerare, vt Deus etiam iis ſuccenſeat, qui quantum in ſe eſt, illud non prohibent aut impediunt?

Certè grauiſsimum [h]: Neq; enim vllum eſt peccatum maius, quod Deum grauius offendat, quàm ſacri ipſius nominis cõtumelia. Quocirca etiam id ſcelus morte multari voluit [i].

h Leuit. 5. 1.

i Leuit. 24. 15. 16.

Poteſtne quis etiã piè per nomen Dei iurare?

Poteſt, cũ vel magiſtratus id exigit vel alioqui

qui necessitas hoc pacto fidem firmari & veritatē stabiliri postulat: quò & gloria Dei illustretur, & aliorum saluti cōsulatur. Nam eius generis iusiurandum, verbo Dei sanctitur [a], ideóque etiam à sanctis in veteri & nouo fœdere, rectè est vsurpatum [b].

Estne licitum iurare per Sanctos aut alias creaturas?

Non: Nam legitimum iuramētum, est inuocatio Dei, qua petitur vt is tanquā vnicus cordiū inspector, testimoniū det veritati, & iurantem puniat, si sciens fallat [b]. Porro hic honos nulli creaturæ conuenit [c].

Quid præcipit Deus in quarto præcepto?

Primùm vt Ministeriū Euangelij & Scholæ cōseruentur [d]: vtque ego cū alijs tū præcipuè festis diebus, studiosè cœtus diuinos frequētem [e], verbū Dei diligenter audiam [f], vtar sacramētis [g], precib. publicis meas quoque preces adiungā [h], pro facultatibus aliquid conferam in pauperes [i]. Deinde vt in omni vita à prauis actionibus vacē. Domino cōcedens: vt per Spiritū Sanctum in me suum opus faciat, atque ita sempiternum illud Sabbathum in hac vita exordiar [k].

Quid nobis iniungit Deus in quinto præcepto?

Vt parentibus, atq; adeò omnib. qui nobis præsunt, debitū honorem, amorē & fidem præstemus, nosq; ipsorū fidelibus præceptis

a Deut. 6. 13. and 10. 20. Iesa. 48. 1. Heb. 6. 16.
b Gen. 21. 24. and 31. 53. Ios. 9. 15. 19. 1. Sam. 24. 23. 2. Sam. 3. 35. 1. Reg. 1. 29. Ro. 1. 9.
c 2. Cor. 1. 23.
d Mat. 5. 34. 35. 36. Iac. 5. 12. Tit. 1. 5. 1. Ti. 3. 1. co. 9. 11. 13. 14. 2. Tim. 2. 2. & 3. 15. 1. Tim. 4. 1. & 5. 17.
e Ps. 68. 27. & 40. 10. 11. Act. 2. 42. 46. 1. Co. 14. 19. 29. 32.
g 1. Co. 11. 33
h 1. Ti. 2. 1. 2. 3. 8. 9. 1. Co. 14. 16.
i 1. Cor. 16. 2.
k Iesa. 66. 23.

ceptis & castigationibus ea, qua par est obedientia submittamus[a]: Tum etiam vt eorum vitia & mores nostra patientia toleremus[b], illud semper cogitantes: Deum nos illorum manu velle ducere ac regere[c].

Quid flagitat Deus in sexto præcepto?

Vt proximum neq; cogitatione, neq; gestibus, nedum factis: vel per me vel per alium contumelia afficiam, aut oderim, aut lædam aut occidam[d]: sed omnem vindictæ cupiditatem abijciam[e]. Ad hæc ne me ipsum lædam, aut sciens in aliquod periculū conijciam[f]: Quocirca etiam ne cædes fierent, Magistratum gladio armauit[g].

Atqui hoc præceptum solam cædem prohibere videtur.

At cædem prohibendo, docet Deus seminicem & originem cædis, iram scilicet[h], inuidiam[i], odium[k] & vindictæ cupiditatem odisse, atque ea omnia pro cæde ducere[l].

An verò id satis est, nos neminem eo, quod ictum est modo, occidere?

Non est satis: dū enim Deus iram, inuidiam, odiū damnat, postulat vt proximū æquè ac nos ipsos diligamus[m], & vt humanitate[n], lenitate, māsuetudine, patiētia & misericordia[o] erga eū vtamur, quodq; ei damno esse possit, quantū in nobis est, auertamus[p]: ad summā, ita animo affecti simus, vt ne inimicis quidē benefacere dubitemus[q].

Qui

a Eph. 6.6. 2.5.&c. Col.3.18.20 22 23.25. Eph.5.22. Pro.18.& 41.& 15.20. & 20.20 Exod.21.17. Rom.13.
b pro 23.22. Gen.9.25. 1.Pet.2.18.
c Eph.6.4. 6.Col.3.19. 21 Ro.13. Mat.22.21.
d Mat.5.21. 22.Gen.9.6. Mat.26.52.
e Eph.4.26. Ro.12.19. Mat.5.25 & 18.35.
f Ro.13.14. Col.2.23. Syrac.3.27. Mat.4.7.
g Gen.9.6. Exo.21 14. Mat.26.52. Ro.13 4.
h Iac.1.20. Gal.5.20.
i Rom.1.29.
k 1.Io.2.9.11
l 1.Io.3.15.
m Mat 12. 39.& 7.12.
n Ro.12.10.
o Eph.4.2. Gal.6.1.2. Mat.5.5. Rom.12.18.
p Mat.5.7. Luc.6 36.
q Ex.23.5.

Quæ est sententia septimi præcepti?

Deũ omnẽ turpitudinẽ execrari[a] ideoq́; nos eã penitus odisse & detestari debere[b] cõtraq́; tẽperãter, modestè & castè[c], siue in sacro cõiugio, siue in vita cœlibe viuere oportere[d].

Nihilne amplius prohibet Deus hoc præcepto, quàm adulterium, & id genus turpitudines?

Cùm corpus & animus noster tẽpla sint S. S. vult Deus vt vtrunq; purè sancteq; posideamus. Itaq; facta, gestus, sermones[e], cogitationes, cupiditates[f] fœdas, & quicquid hominẽ ad ista allicit, id vniuersũ prohibet[g].

Quid vetat Deus in octauo præcepto?

Non solùm ea furta[h] & rapinas[i] quas magistratus punit: sed furti nomine comprehendit, quidquid est malarũ artium & aucupiorum, quibus aliena captamus, & ad nos vi aut specie recti trãsferre[k] studemus: qualia sunt, iniquum pondus[l], iniusta vlna, inæqualis mensura[m], fucosa merx, fallax moneta, vsura[n] aut alia quæuis ratio aut modus rem faciendi à Deo interdictus. His adde omnem auaritiam[o], & multiplicẽ diuinorum donorũ profusionem & abusum[p].

Quæ sunt ea quæ Deus hîc iubet?

Vt commoda & vtilitates proximi, quãtum possim, adiuuem & augeam: cum eo sic agam, vt mecum agi cuperem[p] sedulò & fideliter opus faciam, vt aliorum quoque egestati ac calamitati subuenire queam[q].

Quid

1 Mat. 5. 4. 45. Ro. 12. 20. 21.
a Leuit. 18. 27. 28.
b Iudæ 23.
c 1. The 4. 3. 4. 5.
d. Heb. 13. 4. 1. Cor. 7.
e Eph. 5. 3. 4. 1. Co. 6. 18. 19. 20.
f Mat. 5. 28.
g Ep. 5. 18. 1. Cor. 15. 33.
h 1. Cor. 6. 10.
i 1. Co. 5. 10.
k. Luc. 3. 14. 1. Thes. 4. 6.
l Prou. 11. 1. 16. 11.
m Eze. 45. 9 &c.
n Deu. 25. 13. &c. Ps. 15. 5. Luc. 6. 35.
o 1. Cor. 6. 10.
p Pro. 5. 16. Mat. 7. 12.
q Eph. 4 28.

Quid exigit nonum præceptum?

Ne aduersus quempiã dicã falsum testimoniũ [a] nullius verba calumnier [b] nulli obtrectem, aut cõuitiũ faciam [c], neminẽ temerè vel indicta causa cõdemnẽ [d]: Verùm omnis generis mẽdacia, fraudes, vt opera diaboli propria [e], nisi in me grauissimam iram Dei cõcitare velim, omni cura fugiam [f]: In iudicijs cæterisq; negotijs veritatẽ sectet, & id quod res est, liberè & cõstanter profitear [g]: Ad hęc famam aliorũ & existimationẽ quantum queam defendam & augeam [h].

a Prou. 19. 9.9 & 21.28.
b Psa. 15.3.
c Ro. 1. 18. 30.
d Mat. 7. 1. &c. Luc. 6. 37.
e Io. 8. 44.
f Prou. 12. 22. & 13. 5. 1. Cor. 13. 6.
g Eph. 4. 25.
h 1 Pet. 4. 8.

Quid prohibet decimum præceptum?

Ne vel minima cupiditate, aut cogitatione, aduersus vllum Dei præceptum, corda nostra vnquã solicitentur: sed vt perpetuò, & ex animo omne peccatum detestemur, contraque omni iustitia delectemur [i].

i Rom. 7. 8.

Possuntne autem illi, qui ad Deum conuersi sunt hæc præcepta perfectè seruare?

Minimè: verùm etiam sanctissimi quique, quandiu viuunt, habent tantùm exigua initia huius obedientiæ [k]. Sic tamen, vt serio ac non simulato studio, nõ secundùm aliqua tantùm, sed secundùm omnia Dei præcepta viuere incipiant [l].

k Ioan. 1. 8. Ro. 7. 14. 15. &c. Eccl. 7. 21.
l Rom. 7. 22. Iac. 2. 10.

Cur igitur vult Deus legem suam adeò exactè & seuerè prædicari, cùm nemo sit in hac vita, qui eam seruare possit?

Primùm, vt in omni vita, magis magisque agnoscamus

agnoſcamus[a] quanta ſit naturæ noſtræ ad peccandum propenſio, tantoque auidiùs remiſsionẽ peccatorũ & iuſtitiam in Chriſto expetamus[b]: Deinde vt hęc perpetuò agamus, illud ſemper meditemur & gratiã Sp. ſancti à Patre imploremus, quò indies magis ac magis ad imaginem Dei renouemur, donec aliquando tandem, poſtquam ex hac vita deceſſerimus, propoſitam nobis perfectionem læti aſſequamur[c].

a 1.Ioa.1.9. Pſa.22.5.

b Rom.7.24. 25.

c 1.Cor.6.24. Phil.3.11.12. 13.14.

DE PRECATIONE.

Quare Chriſtianis neceſſaria eſt precatio?

Quia pręcipua pars eſt eius quam Deus à nobis poſtulat gratitudinis[d]. Tum quia illis tantùm ſuam gratiam & ſpiritum ſanctum deus largitur, qui veris gemitibus cõtinẽter hęc ab eo petũt, & pro ijs ipſi gratias agũt[e].

d Pſal.50.14. 15.

e Matth.7. Luc.11.9.13. Mat.13.12. Pſal.50.15.

Quæ ad eam precationem requiruntur quæ Deo placeat, quæque ab ipſo exaudiatur?

Vt à ſolo vero Deo, qui ſe in verbo ſuo patefecit[f], omnia, quæ à ſe peti iuſsit, vero cordis affectu petamus[g], ex intimo noſtræ indigentiæ ac miſeriæ ſenſu[h], nos in conſpectu diuinæ Maieſtatis, ſupplices abijciamus[i], huic firmo fundamento innitamur[k], nos à Deo, quanquam indignos, propter Chriſtum tamen certò exaudiri[l], quemadmodum nobis in ſuo verbo promiſit[m].

f Io.5.14.

g Rom.8.26. Ioa.4.23.24. Pſal.145.18.

h 2.Par.20. 12.

i Pſal.2.11.& 34.19. Ieſ.66.2.

k Rom.10.14. & 8.15. Iac.1.6.

l Ioa.14.13. 15.&15.16. & 16.23. Da.9.17.18.

m Mat.7.8. Pſa.143.1.

Quæ ſunt ea quæ à ſe peti iubet?

a Iac.1.17. Mat.6.33. Mat.6.90. Luc.11.2. &c.

Omnia tũ animæ tũ corpori neceſſaria[a] quę Dominus noſter Ieſus Chriſtus ea precatione, quã nos ipſe docuit, cõplexus eſt.

Quæ eſt illa precatio?

b Mat.7.9. 10.11. Luc.11.12.13.

PAter noſter[b], qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuum: Veniat regnum tuum: Fiat voluntas tua, quemadmodum in cœlo, ſic etiam in terra: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris: & ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. Quia tũ eſt regnũ, & potẽtia, & gloria, in ſecula. Amẽ.

Cur præcepit Chriſtus, vt ita Deum compellemus, Pater noſter?

Vt ſtatim in ipſo precationis exordio, cõuenientem Dei filijs reuerentiam & fiduciam erga Deum in nobis excitet, quæ noſtræ precationis fundamentum eſſe debet: nimirum, Deum propter Chriſtũ nobis patrem factũ eſſe, & quę vera fide ab eo petimus nobis multò minùs negare, quàm parẽtes noſtri, nobis bona terrena denegãt.

c Ier.23.23. 24. Act.17.24. 25.27.

Cur additur: Qui es in cœlis?

Ne de cœleſti maieſtate Dei humile quippiam aut terrenũ cogitemus[d]: ſimul etiam, vt ab eius omnipotentia, quæcunq; animo & corpori ſunt neceſſaria, expectemus[e].

d Rom.10.12.

e Ioa.17.3. Ier.9.23.24. & 31.33.34. Mat.16.17. Iac.1.5. Pſ.105.119.

Quæ eſt prima petitio?

Sanctificetur nomen tuũ, hoc eſt, Da principio vt te rectè agnoſcamus[f], & lucentem in omnibus

omnibus operibus tuis omnipotētiā, ſapientiam, bonitatē, iuſtitiam, miſericordiam, & veritatē tuam veneremur, prædicemus, & celebremus[a]: Deinde vt vniuerſam vitam noſtrā, cogitationes, ſermones & actiones eò ſemper dirigamus: ne ſanctiſsimū nomen tuū propter nos cōtumelia afficiatur, ſed honore potiùs & laudibus illuſtretur[b].

Quæ eſt ſecunda petitio?

Veniat regnum tuum, hoc eſt, regas nos ita verbo & Spiritu tuo, vt nos tibi magis magiſq; ſubijciamus: conſerua & auge Eccleſiā tuam[d], deſtrue opera diaboli, omnemq; potentiā ſe aduerſus maieſtatē tuā efferētem, irrita fac omnia cōſilia, quæ cōtra verbum tuū capiuntur[e], quoad plenè tandē ac perfectè regnes[f] cùm eris omnia in omnibus[g].

Quæ eſt tertia petitio?

Fiat voluntas tua, quēadmodū in cælo, ſic etiā in terra, hoc eſt, Da vt nos & omnes homines, volūtati proprię renunciātes[h], tuæ volūtati, quę ſola eſt ſancta, prōptè & ſine vllo murmure pareamus[i]: atq; ita ſinguli mādatū nobis munus fideliter & alacriter exequamur[k] quēadmodū faciūt angeli in cœlo.

Quæ eſt quarta petitio?

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. hoc eſt, ſuppedita nobis omnia, quę ſunt ad hāc vitā neceſſaria[l], vt per ea agnoſcamus, te vnicum fontem eſſe, ex quo omnia bona

a Luc. 1. 46. 68. &c. Pſa. 145. 8. 9. 17. Exo. 34. 67. Pſa. 143. 1. 2 5. 10. 11. 12. Iere. 31. 3. 32. 18. 19. 40. 41. & 33. 11. 20. Matth. 19. 17. Ro. 3. 3. 4. & 11. 22. 33. 1. Tim. 2. 19.

b Pſa. 115. 1. 71. 8.

c Matt. 6. 33. Pſal. 119. 5. & 143. 10.

d Pſal. 51. 20. & 122. 6. 1.

e Ioa. 3. 8. Rom. 16. 20.

f Apo. 22. 17. 20.

Ro. 8. 22. 23.

g 1. Co. 15. 82

h Mat. 16. 24. Tit. 2. 12.

i Luc. 22. 42.

k 1. Cor. 7. 24.

l Pſa. 103. 20. 21.

m Pſa. 145. 15 & 104. 27. &c Mat. 6. 25. &c.

emanant ac nisi tu benedicas, omnẽ nostrã curam & industriã, atq; adeò tua ipsius dona, nobis infælicia & noxia esse[a]. Quapropter da vt fiduciam nostram, ab omnibus creaturis auersam, in te solo collocemus[b].

a 1.Cor.15.8. Deut.8.3. Psa.27.16.37
b Psa.6.11.& 55.23.

Quæ est quinta petitio?

Remitte nobis debita nostra sicut & nos remittimus debitoribus nostris, hoc est, nobis miserrimis peccatorib. omnia peccata nostra, atque eã etiã prauitatẽ, quę in nobis etiamnũ hæret, propter Christi sanguinẽ ne imputes [c]quemadmod. nos quoq; hoc tuę gratiæ testimoniũ in cordib. nostris sentimus, quòd firmiter nobis propositũ habemus omnib. qui nos offenderunt, ex animo ignoscere[d].

c Ps.51.1.&c & 143.2. 1.Ioa.2.1.2.
d Mat.6.14. 15.

Quæ est sexta petitio?

Ne nos inducas in tentationem: sed libera nos à malo: hoc est, quoniã ipsi natura adeò debiles & infirmi sumus, Vt ne momẽto quidẽ subsistere possimus: [e]infensissimi autem hostes nostri, satan[f], mundus[g], ac nostra ipsorũ caro[h], nos cõtinẽter oppugnãt: tu nos sustentes, & spiritus tui robore firmes, ne in hoc spirituali certamine succumbamus[i], sed tãtisper illis fortiter resistamus, donec integram tandem victoriam obtineamus[k].

e Ioa.15.5. Psal.103.14.
f 1.Pet.5.8. Ephe.6.12.
g Ioa.15.16.
h Rom.7.23. Gal.5.17.
i Mat.26.41. Marc.13.33.
k 1.Thess.3. 13.& 5.23.

Quomodo concludis precationem tuam?

Quia tuũ est regnum, & potentia, & gloria in secula, hoc est omnia hęc à te petimus, quia cùm & rex nostẽr, & omnipotẽs sis: omnia

nobis

nobis & vis & potes largiri[b]. Atq; hæc quidē ideo petimus, vt ex iis, nō ad nos, sed ad sanctū nomen tuum omnis gloria redeat[b]. *Quid sibi vult particula. Amen.*

Rem certam ac ratam esse. Nā precatio mea multò certiùs à Deo est exaudita, quàm ego in corde meo sentio, me illud ex animo cupere[c].

a Ro. 10. 11. 18. 2. Pet. 2. 9.
b Io. 14. 13. Psal. 115. 1. Ier. 33. 8. 9.
c 2. Cor. 1. 20. 2. Tim. 2. 13.

EX varia & multiplici doctrina Partis vtriusque præcedentis didicimus, nos nullo nostro merito sed ex mera Dei gratia per, & propter Christum redemptos esse à peccato & morte, atque adeo ab omnibus malis culpæ scilicet & pœnæ. Inde consequitur nos debere gratos esse pro hoc summo beneficio nobis per Christum collato. Cæterùm nos gratos Deo probare non possumus nisi simus verè conuersi. Primùm ergo quæ *de conuersione* dicuntur paucis explicanda sunt. Sequitur deinde locus *de bonis operibus:* iis enim gratitudinem nostram erga Deum declaramus, & vera conuersio nequit absque bonis operibus consistere. Postea subiungitur *doctrina de Lege*, ex qua nimirum opera bona cognoscuntur: nam verè bona opera, quibus Deum rectè colamus, & nos esse gratos ostendamus, illa demum sunt, quæ ex fide ad legis diuinæ duntaxat præscriptum fiunt. Quia verò Deus principaliter à nobis coli vult, & celebrari inuocatione, ac proinde gratitudinem potissimùm declaramus precibus, & gratiarum actione, tandem ad extremum subiicietur locus *de precatione*. Hæc breuiter & ordine deinceps explicanda suscipimus.

DE CONVERSIONE.



Væstiones præcipuæ.

1. *Quid sit conuersio.*
2. *Quid piorum conuersio differat ab impiorum pœnitentia.*
3. *Quæ sint conuersiones partes.*
4. *Quæ eius causæ.*
5. *Qui sint effectus conuersionis.*

1. *Quid sit conuersio.*

PRimò de ipsa Conuersionis voce nonnihil dicendum. *Conuersio vel est generale nomen*, sicut & mutatio, *vel specialiter sumptum.* Latinis idem est quòd Græcis *metanoia*, quemadmodum & Hebræum *Teschuua*. Porrò *metanoian* optimè etiam Latini interpretantur *resipiscentiam*, cùm sit vtriusque nominis eadem ratio. Nam vt Resipiscentia deriuatur à resipisco, id est post factũ sapere incipio: sic μετανοία à μετανοέω hoc est, post factum sapio, retracto sententiam, & malum consilium immuto. A nonnullis *metanoia* vertitur & pœnitẽtia: ac *dicitur pœnitentia, vel à pœnitet, vel à pœna*, quòd dolor in pœnitentia sit quasi pœna. Verùm *Pœnitentiæ nomen est obscurius nomine Conuersionis.* Nam *Pœnitentia* non complectitur totum terminum, A quo & ad quem. *Conuersio* autem totum complectitur, vt quæ addit mutationem, quam inchoatio nouæ vitæ sequitur. *Pœnitentia* vero tantùm significat dolorem post factum vel peccatum. Deinde *latiùs patet nomen pœnitentiæ, quàm Conuersionis.* Nam *Conuersio tantùm dicitur de pijs*, qui nimirum soli ad Deum conuertuntur, atque eadem ratione *metanoia* seu resipiscentia de pijs tantùm dicitur, quia tribus hisce nominibus significatur noua piorum vita. Verùm *pœnitentia de impijs etiam dicitur*, vt de Iuda, quem quidem pœnituit sui sceleris, at non est conuersus: quia impij dolentes non conuertuntur deinceps, aut corriguntur. Vnde etiam patet quàm necessaria sit conuersio pijs, aut iustificandis

candis, ac proinde quòd in hortatione ad resipiscentiam, seu conuersionem, fundamentum sit iaciendum de Conuersionis ipsius absoluta in iustificandis omnibus necessitate.

Iam quid sit conuersio videamus. *Conuersio est. 1. Dolor propter agnitum peccatum. 2. Odium & fuga peccati. 3. Lætitia propter Deum placatum per Mediatorem, & serium studium obtemperandi Deo in omnibus.* Hæc definitio est partialis, quæ integrè ponitur in Actis Apostolorum. *Vt aperias* (inquit Apostolus) *oculos eorum vt se conuertant à tenebris ad lucem, & à potestate Satanæ ad Deum. Vt remissionem peccatorum, & sortem inter sanctos accipiant per fidem quæ est in me.* Definitur & hoc modo, *Conuersio est mortificatio veteris, & viuificatio noui hominis, vel est mutatio Animi, vitæ, ac voluntatis pravæ in bonam, excitata à S. S. per prædicationem Legis & Euangelij in Electis, quam consequuntur bona opera, seu vita secundùm omnia præcepta Dei.* Hæc definitio est causalis, & essentialis, eamque confirmant varia Scripturæ testimonia, vt, *Lauamini & mundi estote. Sed abluti estis, & sanctificati. Desiste à malo, & fac bonum.* Act. 26. 18. Isai. 1. 16. 1. Cor. 6. 11. Psal. 34. 14.

2. *Quid piorũ conuersio differat ab impiorum pœnitentia.*

DIscrimen conuersionis piorum, & impiorum pœnitentiæ consistit. 1. *In dolore.* Impij tantùm propter pœnam, & cruciatũ venturum dolent, non propter offensionem Dei. Ita Cain dolebat tantùm propter cruciatum. *Maior est iniquitas mea* (iniquitatis meæ pœna) *quàm vt eam ferre possim. Ecce eijcis me hodie à facie terræ*, &c. Gen. 4. 13. Pij verò oderunt quidem pœnam etiam, sed dolent propter offensum Deum & peccatum principaliter. Ita Dauid. *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Peccatum meum contra me est semper.* Boni virtutis amore oderunt peccare, mali formidine pœnæ. Sic in Petro dolor est propter Deum offensum: in Iuda propter cruciatum sequentem, non propter ipsum peccatum. Psal. 51. 4.

2. *In causa pœnitentiæ.* Impij agunt pœnitentiam

ex desperatione, ac diffidentia, ita vt magis ruant in desperationem, fremitum, atque odium aduersus Deum. Pij verò resipiscunt ex fide gratiæ, Dei & reconciliationis, atq; ita consolantur & erigunt se rursus in Mediatore: confidunt Deo, & in eo acquiescunt cum Dauide, *Asperges me Domine hyssopo & mundabor.*

Psalm. 51. 8.

3. *In effectu.* In impiis pœnitentiam non sequitur noua obedientia, sed illi pergunt in peccatis: mortificantur quidē ipsi ac destruuntur, sed naturæ vetustas id est peccatum, in ipsis non mortificatur: & quantò magis agunt pœnitentiam, tantò magis in ipsis est odium Dei, fremitus, fuga, atque auersio à Deo, & accessus ad Diabolum: In piis verò resipiscentiam sequitur noua obedientia: & quantò magis illi resipiscunt, tantò magis in iis homo vetus emoritur, & iustitiæ ac piè viuendi studiū tantò magis in iis augetur. Piorum enim conuersio est reuersio ad Deum à Diabolo, à peccatis, & á natura veteri.

Quæ sint Conuersionis partes.

PArtes *Conuersionis duæ sunt*, quemadmodum docet Apostolus: *Mortificatio veteris hominis, & viuificatio noui hominis.* Ita meliùs loquimur cum Apostolo, quàm si sequeremur eos qui *Contritionem & Fidem* partes Conuersionis constituunt. Per *contritionem* autem intelligunt & mortificationem: per *fidem* intelligunt lætitiam sequentem studium iustitiæ & nouam obedientiam: quæ quidem sunt effectus fidei, sed non ipsa fides: & contritio conuersionem præcedit, nec est ipsa Conuersio, nec etiam pars illius, sed tantùm preparatio ad Conuersionem, & quidem in solis electis, non in aliis. Atque hæc est ratio, cur incipiant Resipiscentiæ concionem à Lege, deinde accedant ad Euangelium, tum rursus ad Legem veniant. *Vetus homo* qui mortificatur, est peccator tantùm, nempe corrupta nostra natura. *Nouus homo*, qui viuificatur, est qui incipit cessare à peccatis, nimirum quatenus est natura nostra regenerata. Mortificatio continet. 1.

Ro. 6. 4. 5. 6.

Agnitio-

Agnitionem peccati. 2. *Dolorem propter peccatum, & propter offensum Deum.* 3. *Fugam peccati.* Hîc apparet valde impropriè tribui conuersionem siue Mortificationem impijs, in quibus videlicet non est odium vel fuga peccati, neque dolor propter peccatum, quæ omnia mortificatio complectitur. Porrò, *præcedit Agnitio peccati dolorem illum verum, & ex animo proficiscentem, qui mortificatio continet:* quia affectus cordis sequuntur ex cognitione. Proinde cognitio, vel agnitio pars erit, vel saltem causa reliquarum duarũ partiũ in vtraque parte conuersionis. *Dolor in impijs* pœnitentiam agentibus est dolor mali futuri, vel etiam præsentis, nempe pœnæ. *Dolor* autem *in pijs resipiscentibus est*, 1. *Dolor tum propter peccatum præteritum ac præsens, qui dicitur tristitia, tum propter futurum, qui dicitur Metus.* 2. *Odium peccati cõmissi, præsentis, & futuri.* 3. *Auersio a peccato commisso, præsenti & futuro.* 4. *Fuga peccati futuri. Dolor* est in corde. *Fuga* est in voluntate, quod nolimus in posterũ committere peccatum. *Auersio* est in corde & voluntate, estque auersio ad aliquid: auersio scilicet á malo ad bonum. Pars ista prior Conuersionis dicitur Mortificatio. 1. *Quia sicut mortuus non potest edere actiones hominis viui, Sic natura nostra abolita corruptione eius non amplius exercet suas actiones*, id est, non amplius actualia peccata producit represso peccato originali. νέκρωσις γὰρ οὐ δ' ἀκνεῖ. Quia non sine dolore & luctu fit mortificatio. *Caro concupiscit aduersus Spiritum:* & ob hanc causam mortificatio etiam appellatur crucifixio. Gal. 5. 17.

Viuificatio complectitur mortificationi contraria, & quidem. 1. *Agnitionem misericordiæ Dei, & applicationem eius in Christo.* 2. *Lætitiam inde oriam*, quippe quę est de Deo placato, ac de obedientia inchoata & perficienda. 3. *Ardens studium non amplius peccandi, proficiscens ex gratitudine, & quia ob pacatum Deum lætamur, etiam studium iustitiæ, & retinendi amoris Dei.* Studium illud ardens tum non peccandi, tum iustitiæ, & amoris Dei retinendi, est ipsa noua obedientia. *Hæc poste-*

rior

rior pars conuersionis dicitur viuificatio ratione prorsus contraria, atq; prior pars mortificatio vocatur. *Quia sicut homo viuus agit actiones hominis viui, sic viuificatio est accensio nouarum facultatum & qualitatum operandi in nobis.* Accenditur enim in nobis dilectio Dei, & datur nobis S. S. per quem agimus bona opera. Natura non renati sunt mortui, quòd ad bona opera. Renati incipiunt operari bonum. 2. *Propter lætitiam in Deo, quæ est res suauissima.* Hæc lætitia in Deo pars altera nimirum viuificationis inde proficiscitur, quòd sciamus Deum iam nobis pacatum, & quòd possimus præstare Legem, & conformes esse Legi ac Deo.

4. *Quæ sint conuersionis causæ.*

Luc.6.21. *Efficiens* principalis causa Conuersionis est, Sp.S. *Conuerte nos & conuertemur. Instrumentales* causæ seu mediæ sunt, primò *Lex*, deinde *Euangelium: & post Euangelij doctrinam rursum doctrina Legis.* Præcedit enim concio Legis præparans nos ad concionem Euang. quia sine Lege non est agnitio peccati, eoq; nec dolor de peccato. Euangelij concio deinde sequitur, quia sine Euangelio non est fides: ac post concionem Euangelij sequitur iterum in Ecclesia concio legis, vt ea sit norma actionum nostrarum: Sic Prophetæ primùm accusant, minantur, & hortantur, deinde promittunt: ad extremum hortantur iterum. Talis fuit quoque concio Ioannis Baptistæ. Ac talis est concio pœnitentiæ: quæ Legem, & Euangelium complectitur. Causa *proximè instrumentalis* est fides, quia sine Fide non est dilectio Dei, & nisi sciamus, quæ sit voluntas Dei, nimirum quòd nobis velis remittere peccata per & propter Christum, nunquam inchoabitur in nobis conuersio, tum quòd ad eius partem primam nempe mortificationem, tum quòd ad secundam partem scilicet viuificationem, quia *fide purificantur corda:* sine fide non est vera lætitia in Deo: sine fide non possumus amare Deũ, & *quicquid non est ex fide, peccatum*

Rom.14.23.

est: omnia bona opera ex fide tanquam ex fonte pro- Rom. 5. 1.
manant. *Iustificati fide, pacem habemus erga Deum. Adiuuantes causæ conuersionis sunt, Crux, castigationes:* Item, *pœne, beneficia, & exempla aliorum. Subiectum* seu materia conuersionis, in qua est mens, voluntas, & cor. 1. *In mente & intellectu rectum iudicium de Deo, deque voluntate & operibus Dei.* 2. *In voluntate serium ac promptum studium & propositum obediendi Deo, secundùm omnia præcepta.* 3. *In corde boni & recti affectus. Obiectum* est 1. *Peccatum,* vel inobedientia, nempe terminus ad quē. *Forma* Conuersionis est ipsa conuersio, & cōuersionis accidentia. *Finis* conuersionis præcipuus est gloria Dei. Finis autem proximus & subordinatus est bonum nostrum, beatitudo scilicet nostra & fruitio sempiternæ vitæ. Est & alius conuersionis finis minùs principalis, Conuersio videlicet aliorum. *Tu conuersus, confirma fratres. Sic luceat lux vestra coram hominibus.* Luc, 22. 32. Mat. 5. 6.

5. *Qui sint conuersionis effectus.*

Effectus conuersionis sunt omnia bona opera, ac serium studium tum obediendi Deo secundùm omnia eius præcepta sine vlla exceptione, tum alios etiam conuertendi, atq; in viam reuocandi. Peccant quidem sæpe conuersi, seu fideles, verùm non defendunt peccata sed student ea magis magisque vitare.

DE BONIS OPERIBVS.

Quæstiones præcipuæ.

1. *Quid sint bona opera.*
2. *Quomodo possint fieri.*
3. *An sanctorum opera sint perfectè bona.*
4. *Quomodo opera nostra, licet non perfectè bona, Deo placeant.*
5. *Quare facienda sint bona opera.*

6. *An*

6. *An bona opera mereantur aliquid coram Deo.*

1. *Quid sint bona opera.*

BOna opera sunt quæ fiunt ad Legis diuinæ præscriptum, vera fide, ad solius Dei gloriam. Tria hic considerandi sunt. 1. *Conditiones bonorũ operum.* 2. *Discrimen operis renatorum, & non renatorum.* 3. *Quatenus opera moralia impiorum sint peccata.*

1. Vt opus aliquod sit bonum requiruntur hæ conditiones. 1. *Vt sit mandatum à Deo. Frustrà me colunt mandatis hominum.* Nulla creatura habet ius, aut sapientiam instituendi cultum Dei. Bona autem opera, (loquimur de bono morali) & cultus Dei sunt idem: Primùm interea *morale bonum differt à naturali bono*, siquidem omnes actus, quatenus illi quidem sunt actus etiam malorum, sunt boni, scilicet naturaliter: sed non omnes actus boni sunt moraliter, id est, congruentes cum iustitia Dei. Excluditur ita commentum de bona intentione, quum scilicet homines malaiciunt, vt eueniant bona: item quum ipsi confingunt opera, quæ Deo pro cultu obtrudant. Neque sufficit aliquod opus non esse prohibitum, sed & oportet illud esse præceptum, vt illud sit cultus Dei.

Isai. 29. 13.
Mat. 15. 9.

2. *Vt sit ex vera fide*, quæ videlicet nitatur merito & intercessione Mediatoris, & ex qua sciat personam, & opus placere Deo propter Mediatorem. *Sine fide enim fieri non potest vt quis Deo placeat.* nec sufficit fides, qua certus sit Deum hoc velle, vel opus hoc à Deo mandatum esse. Sic enim etiam impij facerent, quod Deus vult, sed non ex vera fide. Longius igitur fides vera seu iustificans extenditur, quippe quæ & comprehendit fidem historicam, & (quod præcipium est) quæ promissionem Euangelij nobis applicat. De hac vera fide dicuntur ista. *Quicquid non fit ex fide, peccatum est. Sine fide nemo potest placere Deo.* Et rationes huius vtriusque dicti non sunt obscuræ, quia sine fide non est dilectio Dei, & per consequens nec dilectio proximi. Omne autem opus quod non ex dilectione Dei proficiscitur

Rom. 14. 23.
Heb. 11. 6.

citur, est hypocrisis.

3. *Vt referatur principaliter ad gloriam solius Dei:* aliâs ex tui dilectione non ex dilectione Dei illud proficiscetur. Quando facis aliquid, non curandum, quid homines dicant, siue te laudent, siue non, modò scias id placere Deo. Veram interim gloriam possumus & legitimè expetere, iuxta illud, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.*

Excluduntur his conditionibus omnia opera, 1. *quæ sunt peccata per se, & pugnantia cum lege Dei, atq; eius voluntate in lege patefacta.* 2. *Quæ quidem non pugnant cũ Lege, nec per se mala, vel bona sunt, aut mala.* Per accidens mala fiunt, seu peccata, opera cum Lege non pugnantia, dum ea non à Deo præcepta, sed ab hominibus mandata fiunt opinione cultus Dei. 3. *Quæ sunt per se bona, & præcepta à Deo, per accidens tamen fiunt peccata quòd illegitimè facta sint,* videlicet non profecta ex legitimis causis impulsiuis & finalib. id est, quòd non ex fide fiant, nec hoc fine principali, vt Deus celebretur.

2. *Differunt opera renatorum, & non renatorum, quia non renatorum opera bona,* 1. *non fiunt ex fide.* 2. *Non sunt coniuncta cum interna obedientia,* ac proinde fiunt simulatè & mera est hypocrisis. 3. *Sicut non promanant ex recta causa, sic non referuntur ad finem principalem, scilicet ad gloriam Dei.*

3. Hæc in operibus piorum, & impiorum differentia confirmat etiam ipsa *impiorum opera moralia esse peccata,* non tamen talia, qualia sunt, quæ sua natura pugnant cum Lege diuina. Hæc enim per se & suo genere peccata sunt: illa tantùm per accidens, nempe propter defectum, quia neque ex fide, neque propter gloriam Dei fiunt. Non valet igitur consequentia, Omnia opera impiorum & Ethnicorum sunt peccata: Ergo sunt fugienda.

2. *Quomodo bona opera possint fieri.*

Possibilia sunt bona opera per gratiam, vel auxilium dũtaxat Spiritus sancti, & *quidem solis renatis,* quorum nempe

nempe cor regeneratum est per Euangelium à Spiritu sancto, idque non tantùm prima conuersione, & regeneratione, sed etiam perpetua & continua gubernatione Spiritus sancti tum efficientis in ipsis agnitionem peccati, fidem, & nouam obedientiam: tum in dies magis eadem in ipsis dona augentis & confirmãtis. Huic dogmati subscribit & Hieronymus: *Anathema sit* (inquit) *qui dicit legem posibilem sine gratia Sp. sancti.* Hac ergo docemur doctrina homines non renatos nihil boni posse, quin & sanctissimos etiam peccare, nisi regenerationis beneficium continuetur. Id videre est in Petro, & Dauide. Sine regeneratione ne quidem
Isai.61.6. inchoari potest vlla pars boni operis: quia *Omnes iustitiæ nostræ sunt velut pannus menstruatæ.* Quo dicto Propheta etiam comprehendit seipsum, & sanctissimos quosque. Si in sanctis corã Deo nihil aliud reperitur quid in non renatis? Quid hi præstare valeant, videmus in Epist. Ad Rom. primo & secundo capitibus. Vt autem per nos ipsos nõ possumus inchoare bona opera: sic nec ipsi vllum opus bonum perficere possimus.
Phil.2.13. *Deus enim est qui dat, & qui efficit in nobis, & vt velimus & vt perficiamus pro gratuita sua beneuolẽtia.* Sine imputata iustitia nos omnes coram Deo sumus ἔνοχοι & ὀφειλέται. At iustitia Christi nob. nõ imputatur ante cõuersionem. Ergo impossibile est ante conuersionẽ aut nos aut opus nostrũ placere Deo. Fides est causa bonorum operum. Fides est à Deo. Ergo & effectus fidei erit à Deo, neque ille prior erit sua causa: ac proinde bona opera non possunt esse ante conuersionem.

3. *An sanctorum opera sint perfectè bona.*

OPera sanctorum non sunt perfectè bona, seu pura 1. *Quia à Sanctis qui faciunt bona opera fiunt multa peccata per se*, propter quæ digni sunt, vt abijciantur in pœnas æternas. *Maledictus qui non permanserit in omnib.*
Deut.27.26. Etiam sanctissimi quique multa opera mala faciunt, committunt multa peccata & opera per se mala. Tale

fuit

fuit peccatum Petri ter Christum abnegantis, item Gal.3.10.
Dauidis Vriam occidentis, adulterium committentis volentis illud tegere, numerantis populum. 2. *Quia non est is bonorum operum à sanctis profectorum gradus, qui debebat esse.* Bona opera non sunt tam pura ac tam bona, quàm requirit Deus. Etiam quando sancti faciunt opera sanctissima, tamen ea non sunt perfecta sed habet semper in hac vita defectus, & inquinata sunt peccatis. Nam fides ac dilectio Dei & proximi, ex qua bona opera proficiscuntur, imperfectè sunt in nobis in hac vita. Perfectus ergo non erit effectus, quia causa non est perfecta. Nam non perfectè agnoscimus & diligimus Deum & proximum: ideoque nec tam alacri- Rom.7.23.
ter & perfectè, quàm oportet, præstamus opera Deo & proximo. *Video aliam Legem in membris meis rebellantem Legi mentis meæ.* Atque hæc est causa cur opera piorum consistere non possint in iudicio.

4. *Quomodo opera nostra, licet non perfectè bona, Deo placeant.*

ETsi non fiant opera nostra secundùm legem, sed ex aduerso sint multis modis cõtaminata, Deo tamen illa placent per fidem, & propter meritum atque interces sionem Christi Mediatoris etiam nunc pro nobis apud Patrem intercedentis. Vnde *Christus dicitur Pontifex*, per quem offeruntur nostra opera: dicitur *& altare* cui opera nostra imposita placent Deo, cùm aliâs fœterent in conspectu Dei. Opera personæ placentis Deo, sic Deo placent, sicut & ipsa persona. Placet autem persona imputatione iustitiæ, & sanctificationis, vel satisfactionis Christi, induta videlicet iustitia, puritate & sanctificatione Christi. id est, persona Deo placet propter Mediatorem, ac proinde opera etiam personæ propter Mediatorem Deo placent. Deus non examinat iustitiam nostram imperfectam & opera nostra, qualia ipsa sunt in sese secundũ rigorem Legis, secundùm quem potiùs illa damnaret sed respicit & considerat ea in Filio: vnde sequitur

nos

nos veluti ſarcire nunc defectum noſtrum perfectione ſatisfactionis Chriſti.

5. *Quare facienda ſint bona opera.*

EX doctrina de gratuita ſatisfactione humana ratio ſic argumentatur: *pro quo alius ſatisfecit non tenetur ipſe ſatisfacere. Chriſtus pro nobis ſatisfecit. Ergo non eſt opus vt nos bona opera faciamus.* Reſp. Plus eſt in concluſione, quàm in præmiſſis. Hoc tantùm ſequi debebat. Ergo *non tenemur ipſi ſatisfacere:* atque id concedi tur, 1. *Propter iuſtitiam Dei, quæ non exigit duas ſolutiones.* 2. *Propter noſtram ſalutem, quæ alioqui nulla eſſet.* Inſ. *Satisfactio eſt perfecta obedientia. Non obligamur ad ſatisfactionem. Ergo nec ad obedientiam perfectam, ne in æterna quidem vita. Nam pro quo alius ſatisfecit, is non cogitur ipſe ſatisfacere. Sed obedientia Chriſti eſt plena ſatisfactio pro peccatis noſtris. Ergo &c.* Reſp. Plus adhuc concluditur: ſequi enim debet, nullo vnquam tempore obedientiam præſtandam eſſe, vt ea ſatisfaciamus pro peccatis admiſſis, vel admittendis ad finem vſque. Sed inde non ſequitur quòd non oporteat nos in vita æterna fieri perfectos. Nam & tunc obligabimur ad obedientiam perfectam, ſimiles erimus Angelis, & opera noſtra erunt perfectè bona, licet illa obedientia perfecta tunc debita nec erit nec eſſe poſſit ſatisfactio, ſeu λύτρον pro peccatis noſtris, pro omiſſa ſcilicet obedientia in hac vita, & tamen debita. Neque enim qui debet florenos viginti, debitum ſoluit expoſitis decem florenis. Ambiguitas igitur eſt in maiore, quæ vera eſt hoc ſenſu: Pro quo alius ſatisfecit is non tenetur ſatisfacere, ſcilicet pro ijs, pro quibus antè ſatisfactum eſt. Sic nos non tenemur ſatisfacere pro peccatis, quæ iam committimus. Nam Chriſtus pro peccatis noſtris omnibus Patri ſuo perfectè ſatisfecit, & noſtro nomine perfectam Legi obedientiam præſtitit, quam nos alioqui Legi diuinæ debuiſſemus in hac vita præſtare, & quam nos in hac vita omittimus

& nullo modo præstare possumus. In hunc verò finem Christus pro nobis satisfecit, & sanguine suo nos redemit, vt tandé in vita æterna peccare desistamus, & ipsi præstemus obedientiam, quæ tunc nobis præstãda erit. Vnde nequaquam tamen sequitur, Deum postulare á nobis duplicem obedientiam vel satisfactionem. Exigit enim Deus obedientiam nostram deinceps, vt gratitudinem præstemus, non autem vt ea satisfaciamus pro peccatis, quæ in hac vita committimus: obedientia siquidem quam debemus, non possumus vnquam satisfacere pro ijs, quia non præstamus: nec alia præter Christi satisfactionem pro obedientia à nobis hic non præstita, requiritur: hæc satisfactio Christi ad omnia nostra peccata expianda sufficit. Interim & hanc nostram obedientiam, quantumuis inchoatam, Deus hic à nobis postulat. Cùm enim Deus tantopere peccatum oderit, vt ipsi pro peccato non potuerit satisfieri, nisi morte vnigeniti filij, nos vtiq; illud etiam debemus odisse: sicut ipse quoq; ; nos illud fugere ex animo, præcipit. Et Christus nos non propterea gratis redemit, vt nobis liceret peccatis indulgere, sed *vt à peccatis liberati, in posterũ incipiamus illi soliuiuere.* Hic finis redẽptionis nostrę causa est satisiufficiens, ob quam nos omnes facere bona opera necessariò debemus, quia nimirũ testimonia sunt & effecta nouæ illius vitæ post hanc demũ vitã perficiendæ.

Præter hanc causam, sunt & aliæ multæ similiter grauissimæ, quas paucis explicabimus. *Facienda bona opera sunt, Dei, nostri, et proximi causa.* Dei causa. 1. *propter mandatum Dei: Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera, glorificentque patrem vestrum qui est in cœlis.* Deus initium requirit obedientiæ in hac vita, perfectionem in altera. Bonis operibus ergo studeamus necesse est, vt obedientiam debitam præstemus Deo, qui illam à nobis exigit. *Hoc est præceptum meum vt diligatis alij alios. Liberati à peccato mancipati estis iustitiæ. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* 2.

Mat. 5. 16.

Io. 15. 12.
Ro. 6. 18.
1. Thes. 4. 3.

Propter gloriam Dei. Illustratio gloriæ Dei præcipuus est finis in quem Deus mandat, & à nobis fieri vult bona opera: vt nimirum & ijs nos Deum celebremus, & ea videntes alij glorificent patrem nostrum cœlestem, sicut nos etiam docet illud dictum Christi paulò ante citatum ex Matthæo. 3. *Propter gratitudinem, quam renati debent.* Iustum est vt qui nos redemit, & à quo summa, eaque omnis generis beneficia accipimus, ipsum amemus, celebremus, colamus, reueremur, amoremque nostrum erga illum, & gratitudinē bonis operib. & obedientia nostra declaremus. Rom. 12. 1. *Rogo vos fratres per miserationes Dei, vt sistatis corpora vestra hostiam viuam, sanctam, acceptam Deo, rationalem illum cultum vestrum. Sacerdotium sanctum ad offerendum spirituales hostias acceptas Deo per Iesum Christum.* 2. Pet. 2. 5.

Nostri causa. 1. *vt ex operibus certi simus de fide nostra. Arbor bona non nisi bonos fructus profert: Fides illa, quæ est absque operibus, mortua est. Pleni fructibus iustitiæ, qui sunt vobis per Iesum Christum ad gloriam, et laudem Dei.* Mat. 7. 17. Iac. 2. 20. Phi. 1. 11. Ex operibus agnoscamus necesse est nos habere veram fidem, quia effectus non est sine causa sua, & hanc ex effectu proprio cognoscere oportet. Quando igitur bona opera seu nouam obedientiam in nobis non sentimus, sumus hypocritæ, nec habemus fidem, sed malam conscientiam. Fides. n. vera (quæ nunquam fructibus omnib. suis caret) sola, velut arbor quædam fructifera, profert bona opera, obedientiam, respiscentiam: rursus hæc discernunt veram fidem ab historica, temporali, atque adeo ab ipsa hypocrisi. 2. *Vt certi simus nobis impetratam per Christum remissionem peccatorum: nos esse propter Christum iustificatos.* Iustificatio siquidem, & regeneratio sunt coniuncta beneficia, quæ sic inter se cohærent, & quidem necessariò, vt nunquam separari possint. Christus enim impetrauit nobis vtrumq; simul, nempe & peccatorum remissionem & Spiritum Sanctum, qui per fidem bonorum operum studium ac nouam obedientiam in nobis excitat,

citat. 3. *Vt certi simus de electione, atque salute nostra. Studete vocationem vestram & electionem firmam efficere.* Hæc ex proximè præcedente causa proueniũt. Solos enim iustificatos propter meritum Filij sui Deus ab æterno ex vera misericordia sua elegit. *Quos prædestinauit eos etiam vocauit, eos etiam iustificauit.* Iustificationem verò (quæ nunquam Electis datur sine sanctificatione) nos esse consecutos à Christo, cognoscimus ex fide. Fide nos esse præditos, ex operibus fidei, ex noua obedientia & resipiscentia vera percipimus. 4. *Vt bonis operibus fides nostra exerceatur, alatur, corroboretur, & proueheatur.* Nam qui indulgent prauis cupiditatibus contra conscientiam in ijs non potest esse fides, eoque nec bona conscientia, nec fiducia in Deo sibi pacato ac beneuolo. Sensum enim fauoris erga eos diuini, & pacatam conscientiam habemus ex vera duntaxat fide. *Si secundum carnem vixeritis, futurum est vt moriamini. Suggero tibi vt exuscites donum Dei, quod est in te per impositionem manuum mearum.* 5. *Vt bonis operibus ornemus & honestemus vitam nostram, & vocationem. Precor vt ambuletis ita vt dignum est vocatione, qua vocati estis.* 6. *Vt vitemus pœnas temporales, & æternas. Quæcunque arbor non fert fructum bonum, exciditur & in ignem conijcitur. Si secundum carnem vixeritis, futurum est vt moriamini.* 7. *Vt consequamur præmia corporalia, & spiritualia, quæ ex promissione comitantur bona opera. Pietas ad omnia vtilis est, vt quæ promissionem habeat vitæ præsentis ac futuræ.* Nisi deus vellet spem præmiorum & metum pœnarum esse causas impulsiuas bonorum operum, non veteretur ijs in admonitionibus.

1. Pet. 1. 10. Rom. 8. 30. Rom. 8. 13. 2. Tim. 1. 6. Eph. 4. 1. Mat. 7. 19. Rom. 8. 13. 1. Tim. 4. 8.

Proximi causa fieri bona opera debent. 1. *Vt simus vtiles proximo bonis exemplis, atque ita eos ædificemus. Hæc omnia propter vos, vt gratia illa copiosissima pluribus gratiam agentibus redundet in gloriam Dei. Permanere in carne magis necessarium est propter vos &c.* 2. *vt vitentur scandala. Væ homini per quem veniunt scandala. Dei nomen propter vos blasphematur inter gentes.* 3. *Vt lucrifaciamus*

2. Cor. 4. 15. Phil. 1. 24. Mat. 18. 7. Rom. 2. 24.

infideles, eósque sermone, & factis, aut exemplo nostro conuertamus ad Christum. *Tu aliquando conuersus*
Luc. 22. 32. *confirma fratres tuos.*

Iam videmus, quæ sint causæ propter quas bona opera nobis facienda sint: item quomodo, seu quatenus opera nostra nobis ad salutem dicuntur esse necessaria, nimirum, non vt causa nostræ salutis, sed tanquam medium, sine quo non. Dici quidem eadem ratione potest, *Bona opera ad iustitiam, vel ad iustificationem, vel in iustificandis esse necessaria*, nempe tanquam consequens iustificationis, cum qua regeneratio inseparabiliter est coniuncta. Verùm his loquendi formis non vterer. 1. *Quia sunt ambiguæ.* 2. *Quia pariunt contentiones, & præbent aduersarijs ansam cauillandi.* 3. *Quia ijs non vtitur Scriptura, cum qua nobis est loquendum.*

6. *An opera bona mereantur aliquid coram Deo.*

EX quinta quæstione oritur sexta, sicut quarta ex tertia: quum enim audiunt homines nos consequi præmia nostris operibus, statim concludunt nos ijs aliquid mereri. Sciendum est igitur, opera quidem bona necessaria esse, eoq; facienda etiã propter præmia consequentia, veruntamen *illa non mereri vel minimum donorum Dei, siue corporalium, siue spiritualium.* Rationes verissimæ sunt & euidentissimæ. 1. *Imperfecta sunt opera nostra: nihil ergo illis mereri possumus. Caro concupiscit aduersus Spiritum. Spiritus autem aduersus carnem:*
Gal. 5. 17. *hæc autem inter se opposita sunt, vt non quæcunq; volueritis ea faciatis.* 2. *Opera bona, quæ vnquam facere possumus, de-*
Luc. 17. 10. *bita sunt omnia. Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite vos esse seruos inutiles.* 3. *Impura & vitiosa sunt opera nostra quantumlibet præstantissima videantur. Facti sumus vt immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ*
Isai. 64. 6. *iustitiæ nostræ. Duco omnia damnum esse propter eminentiam cognitionis Christi Iesu Domini mei: propter quem omnib.*
Phil. 3. 8. *istis meipsum multaui, eaque duco pro stercorib. vt Christum lucrifaciam.* 4. *Si quæ bona opera facimus, ea non nostra,*

sed

sed solius Dei sunt. Deus is est qui efficit in nobis, & vt velis, & vt efficiatis pro gratuita sua beneuolentia. Quid habes, quod non acceperis. Nos sumus malæ arbores: si quid ergo boni præstemus, id à solo Deo proficiscatur necesse est. *An non licet mihi facere de meo quod volo?* Impudens fuerit qui cùm centũ florenos dono acceperit à Diuite, putet se mereri mille alios, accipiendo centum illos, cùm ipse potiùs hoc accepto dono obligetur diuiti, non diues ipsi. 5. *Nulla creatura faciens etiam perfectissima opera potest quicquam mereri de Deo, aut Deum sibi obligare, vt secundùm ordinem iustitiæ sibi aliquid det.* Huius rationem reddit Apostolus, *Quis prior dedit ei?* Non meremur magis conseruationem, quàm meruimus creationem. Creaturis non debuit, ita nec nobis debet conseruationem, neque quicquam vt nobis det. Nos creatori nullum beneficium conferre possumus: imò licet nunquam peccaremus, non tamen possemus gratitudinem nostram satis declarare Deo. 6. *Nulla est proportio inter opera nostra penitus imperfecta, & præstantiam summorum beneficiorum, quæ nobis in Filio suo gratis Pater donat.* 7. *Qui gloriatur, in Domino glorietur. At si meremur operibus nostris remissionem peccatorum, haberet homo de quo gloriaretur, nec Deo gloria tribueretur. Si Abraham ex operib. iustificatus fuit, haberet de quo gloriaretur, at non apud Deum.* 8. *Iusti sumus antequam faciamus bona opera. Nondum natis Esau & Iacobo, cùm nihil fecissent boni, vel mali, vt propositum Dei (quod est secundùm ipsius Electionem, id est, non ex operibus, sed ex vocante) firmum maneret, Dictum est ei, maior seruiet minori: sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau verò odio habui.* 9. *Qui volunt operibus iustificari, non habent firmam conscientiam. Ex fide est hæreditas, vt sit per gratiam, vt sit firma promissio toti semini.* 10. *Si nostris operibus consequeremur iustitiam, fieret irrita. Nam in Abrahamo benedicentur omnes gentes: frustra quoque Christus esset mortuus.* 11. *Non esset eadem ratio salutis, si deberet admitti doctrina de meritis operũ,* Abrahã & Iatro in cruce aliter iustificati

Phil. 2. 13. 1. Cor. 4. 7. Mat. 20. 15. Rom. 11. 35. 1. Cor. 1. 31. Rom. 4. 2. Rom. 9. 11. 12. 13. Rom. 4. 16.

 fuissent,

fuissent, quàm nos iustificamur. Atqui, vna est via
1. Tim. 2. 5. nos ad salutem perducens. *Ego sum via, veritas & vi-*
Eph. 4. 5. *ta. Vnus est Mediator Dei & hominum. Vnus est Dominus,*
Heb. 13. 8. *vna fides, vnum baptisma. Iesus Christus heri, hodie, & in*
Act. 4. 12. *secula. Non est aliud nomen datum sub Cœlo in quo oporteat*
nos saluos fieri. Ergo non salui fiemus bonis operib. aut
propter opera nostra bona. 12. *Christus non largiretur*
nobis omnem salutem & perfectam, eoque nec perfectus esset
seruator, si à nobis aliquid ad iustitiam adhuc requireretur.
Atqui perfectus est saluator noster. Nam (vt Paulus
Eph. 1. 6. 7. testatur) *Deus glorioſa ſua gratia nos gratis effecit sibi gra-*
tos in illo dilecto, in quo habemus redemptionem per sangui-
nem ipsius, remissionem inquam peccatorum, ex diuite ipsius
gratia. Gratia estis seruati per fidem, idque non ex vobis: Dei
Eph. 2. 8. *donum est.*

Ob. 1. *Bona opera non habentes, non possunt seruari. Ergo*
bona opera necessaria sunt ad salutem. Resp. Sine quo non
possumus seruari, necessarium est ad salutem, scilicet
tanquam pars salutis, aut tanquam salutis accidens,
non tanquam causa salutis.

Ob. 2. *Deus vocat præmia & mercedem illa bona, quæ pro-*
mittit facientibus bona opera. Merces autem præsupponit
meritum. Resp. Scilicet inter creaturas aliquando, sed
nunquam apud Deum. Præmia autem seu merces di-
cuntur opera nostra respectu Dei, siquidem ipse com-
pensat plenissimè quæ nos facimus: non tamen de-
bita est illa compensatio. Ex nobis enim nihil com-
modi Deo potest accedere, ac proinde non obligatur
Deus ad compensationem vllam quantumuis mini-
mam. Nam qui nullo modo nostris operibus indiget,
& cui illa nihil quicquam possunt addere, de ipso cer-
tè nihil quicquam poterimus mereri. Imò verò nobis
accedit bonum ex bonis operibus. Nam bona opera
quæ facimus sunt conformatio cum Deo, eoque sunt
& beneficium Dei, quo ipso beneficio nos obligamur
Deo, non autem Deus nobis. Non minùs igitur ab-
surdum est dicere nos bonis operibus mereri de Deo
salutem,

salutem, quàm si quis diceret tu dedisti mihi centum florenos. Ergo & mille florenos mihi dare debes.

Ob. 3. Sed vnde certi sumus nos habere bona opera? Resp. 1. Ex pace conscientiæ 2. Ex conuersione. 3. Ex fructibus conuersionis.

DE LEGE DIVINA, SEV de Decalogo.



Væstiones præcipuæ.

1. *Quid sit Lex in genere.*
2. *Quæ sint partes Legis.*
3. *Quis sit vsus Legis.*
4. *Quid Lex differat ab Euangelio*
5. *Quatenus Lex abrogata sit.*
6. *Quomodo diuidatur Decalogus.*
7. *Quæ sit sententia Decalogi, & singulorum eiusdem præceptorum.*

1. *Quid sit Lex in genere.*

LEx in genere est sententia præcipiens honesta, obligans creaturam rationalem ad obedientiam cum promissione præmij, & comminatione pœnarum. Est *sententia præcipiens honesta*, alioqui non est Lex. *Obligat creaturam rationalem.* Non enim Lex illis est lata, qui non obligantur ad obedientiam. *Cum promissione præmij*: Lex gratis bona promittit præstantib. obedientiam: quia nulla obedientia potest esse meritoria apud Deum. *Obiect. Atqui Euangeliũ etiam promittit gratis bona. Ergo Lex ab Euan, nihil differt. Responsio.* Aliter Lex, aliter Euangelium promittit gratis. *Lex gratis promittit ex pacto obedientiæ nostræ. Euangelium* autem *promittit gratis*, sine operib. Legis, ex pacto Fidei, non ex pacto obedientiæ nostræ. Non quidem sine omni conditione gratis Euangelium bona promittit, sed sine tali quali nobis bona promittit Lex. *Et comminatio pœnarum.* Alioqui

Lex esset inanis sonitus,& nihil efficeret. Dicitur porrò *Lex à legendo*,id est,à publicatione, vel à legendo,id est, diligendo. Cum priori etymo conuenit vox Hebræa,cum altero autem Græca. Græcis enim Lex dicitur νομος, a distributione, quòd singulis officia distribuat. Hebræis autem Lex vocatur *thorab*, id est, doctrina, quia Leges ideo publicantur omnibus, vt singuli eas discant. Hinc est quòd ignorantia Legis aut iuris non excusset,imò qui ignorant Leges ad se pertinentes, eo ipso peccant.

2. *Quæ sint partes Legis.*

Leges aliæ sunt diuinæ,aliæ humanæ.Humanæ leges ectos homines obligant ad certas actiones externas de quibus neq; præceptū, neq; diuina prohibitio est expressa cum promissione præmij, & comminatione pœnarum corporalium & temporaliū. Omnes autem leges humanæ huc debent spectare, vt leges diuinæ faciliùs & rectiùs seruari queant: cumq; earum causæ pro ratione temporum, locorum, personarum, aliarumq; circumstantiarum mutentur, etiam leges illæ ab hominibus mutari possunt. Atque hæ etiam *leges Humanæ sunt aut Politicæ,aut Ecclesiasticæ:Politicæ*, quales Leges positiuæ, quæ à magistratibus aut tota aliqua communitate feruntur certo de ordine actionum seruando in politia, in contractibus, in iudicijs, & pœnis. *Ecclesiasticæ, siue Ceremoniales*, quæ Ecclesiæ consensu feruntur de ordine actionum in ministerio Ecclesiæ, quæ sunt determinationes circumstantiarum seruientes Legi diuinæ.

Diuinæ Leges partim ad Angelos, partim ad homines, pertinent. Hæ non tantùm ad externas obligant actiones, verumetiam internas qualitates, actiones, & motus requirunt: nec tantùm corporalia,& temporalia, sed etiam æterna, & spiritualia præmia ac pœnas proponunt, & sunt fines humanarum Legum. *Diuinæ Leges* aliæ sunt æternæ, & immutabiles, aliæ mutabi-

mutabiles quidem, sed tamen non nisi à Deo ipso, à quo sunt latæ, mutari possunt.

Per Legem intelligitur etiam sæpenumero naturæ series, & ordo à Deo institutus. Ita Lex, id est, ordo naturæ, postulat, vt ex arbore nascatur fructus. Hoc modo quidem catachresticè per legem intelligitur ordo naturæ: sed & magis catachresticè *Legem peccati* vocat Apostolus peccatum originale, quod videlicet instar Legis cogit nos ad peccandum. Rom. 7. 29.

Iam legibus humanis, & aliis rebus quæ denotantur Legis nomine, relictis, *de Lege diuina* deinceps agemus, vt quæ hic sola locum habet, & hæc est fons omnium aliarum Legum bonarum quæ dignæ sunt nomine Legis. Est autem *Lex diuina doctrina à Deo lata in creatione, siue per Angelos, siue per homines, & postea repetita per Mosen & Prophetas, docens quid facere debeamus, & omittere, obligans creaturam rationalem semper perfectè præstantibus obedientiam promittens vitam æternam, in æternum damnans eos qui non præstant obedientiam, nisi fiat remissio propter Mediatorem.*

Partes legis diuinæ sunt tres: Lex Moralis, Cæremonialis, & Forensis, aut Iudicialis.

Moralis, est doctrina congruens cum æterna, & immortali sapientia, & iustitia in Deo, discernens recta, & non recta, natura nota, & insita creaturis rationalibus in Creatione, & postea repetita, ac declarata voce diuina per Mosē, Prophetas ac Apostolos docens quòd sit deus, & qualis sit, quidque facere & omittere debeamus, obligans omnes creaturas rationales ad perfectam obedientiam internam, & externam, promittens fauorem Dei, & vitam æternam præstantibus obedientiam perfectam, ac denuncians iram Dei, & pœnas æternas iis, qui non perfectè illi conformes sint, nisi fiat remissio peccati, & reconciliatio propter Filium Dei Mediatorem.

Esse in hac legis parte expressam Dei naturam & iusticiam, docet imago Dei, ad quam homo est conditus. Hęc enim *cùm in iustitia & sanctitate vera consistat.* Eph. 4. *iustitia autem, & sanctitas illa in lege descripta & com-*

prehensa

prehensa sit. Deut. 12. Ezech. 20. sequitur eam esse & imaginem Dei cui homo conformis esse debet, quę in lege exprimitur. Docent idem plurima Scripturæ testimonia, quæ Deum delectari hac iustitia, quam in lege præcipit, & ipsum talia facere qualis illa est, & odisse contraria affirmant.

Esse hanc legem æternam, inde constat, quia ab initio vsque ad finem mundi manet eadem & ideo redempti sumus per Christum, & regenerati per Spiritum sanctum, vt hanc legem in vita æterna seruemus. 1. Ioan. *Nouam doctrinam non scribo vobis, sed doctrinam veterem, quam habuistis ab initio, &c.* Gal. 5. *Qui talia agunt, regni Dei non erunt hæredes.*

Leges morales eo respectu sese habent ad Decalogum vt non tantùm illæ cõgruant cum Decalogo, neque tantùm necessaria consequentia ex eo deducantur, sed etiam decalogus ipse sit summa Legum moralium: quo fit vt qui Leges morales violat, & violasse Decalogum dicatur.

Neque obstat huic sententiæ, *quòd quædam præcepta specialia, ad res huius vitæ pertinentia cessarunt:* manebunt enim nihilominus generalia. Non opus erit ministerio, vel certo tempore quod ministerio tribuatur in vita æterna, quia erit sabbathum perpetuum, id est omnis æternitas tribuetur contemplationi rerum diuinarum ac celebrationi Dei. Non opus erit legibus de coniugio, quia non erit vsus coniugii: interea tamen castitas Angelica erit in hominibus.

Natura & ex ipsa creatione nota est: quia homines & Angeli ad imaginẽ Dei sunt conditi. Et Paulus etiam de reliquiis illius lucis dicit, Rom. 2. *Gentes ostendunt opus Legis scriptum in cordibus suis, &c.*

Etiã Angelos obligat: quia & illi ad imaginẽ Dei sunt conditi, & Christus dicit Matth. 22. *sanctos in vita æterna fore sicut Angelos Dei:* & docuit nos orare, *Fiat voluntas tua in terra, sicut in cœlo.*

Perfectam obedientiam requirit: Deut. 5. *Diliges Dominum*

rum Deum tuum ex tota anima tua, &c. Gal. 3. *Execrabilis quisquis non manserit in omnib. quæ scripta sunt in libro legis vt faciat ea.* Quòd autem Christi intercessionem lex non tollat, ex Euangelio constat, quod docet cum iustitia & lege Dei congruere, vt peccatores intercedente satisfactione sufficiente & ipsorum cõuersione, in gratiam recipiantur. Non enim pugnat Deus secũ in doctrina Legis & Euangelij.

Ceremoniales sunt Leges à Deo latæ per Mosen de ceremonijs, obligantes populum Iudaicum vsq; ad aduentum Messiæ, vt discernerent hunc populum & Eccl. ab alijs, & essent signa, symbola, typi, vel vmbræ rerum spiritualium in Nouo testamento per Christum implendarum. Hæc definitio vt intelligatur, sciendum est *quid sint ceremoniæ*, videlicet *actiones externæ, solennes*, id est, sæpe eodem modo & iisdem circumstantiis repetendæ, *institutæ à Deo vel ab hominib. etiam, vt adhibeantur in Dei cultu, ordinis vel significationis causa.* Latæ autem à Deo ceremoniæ, sunt simpliciter cultus. Ab hominibus latæ, vel institutæ Ceremoniæ, si bonæ sint, cultus tantùm sunt seruientes cultui diuino.

Iudiciales, sunt Leges de ordine Politico, seu gubernatione politica, hoc est, de officijs magistratuum, iudiciorum, pœnarum, contractuum, ac de distinctione dominiorum, latæ à Deo per Mosen ad constitutionem, & conseruationem politiæ Iudaicæ, obligantes omnes posteros Abrahami, vsque ad aduentum Messiæ, idque vt essent neruus conseruationis & gubernationis istius Politiæ Mosaicæ vsque ad exhibitum Messiam, & certæ notæ, quibus populus iste obligatus discerneretur ab omnibus alijs, & simul contineretur honesta disciplina, atq; ordine decoro: item vt typi essent ordinis in regno Christi, id est, Spiritualis gubernationis Messiæ. Cerem. & Forenses leges, siue eæ diuinæ sint, siue humanæ (modò bonæ) congruunt quidem cum Decalogo. Sed tantùm necessaria consequentia ducuntur ex eo, & subseruiunt ei, tanquã determinationes quædam circũstantiarũ. Hinc optimè cõspicitur discrimen harũ legũ quòd

quod tamen varium est, quia non eadem est gubernatio politiæ, & Ecclesiæ: nec idem est harum omnium legum finis: nec denique eodem modo omnes hæ leges abrogantur.

Præcipuum autem harum Legum discrimen sumitur ex obligatione, tempore, & notitia, seu patefactione.

1. *Moralia præcepta sunt natura nota: Ceremonialia & forensia non sunt natura nota,* sed pro diuersitate causarum & circumstantiarum instituuntur.

2. *Moralia omnes homines & ipsos etiam angelos obligant: Ceremonialia & forensia tantùm populo Israelitico præscripta fuerunt.* Ideoque Iob, Iethro, Naaman Syrus, & alij qui nominantur viri religiosi, hoc est, ex Ethnicis nati & inter eos viuentes, sed tamen colentes Deum in populo Israelitico patefactum, non seruabant ceremonias Leuiticas, & tamen placebant Deo. Et ostendunt ipsa præcepta de ceremoniis & forma politiæ, quòd tantùm posteros Abrahami obligent, quos Deus ab aliis gentibus hac forma politiæ & cultus voluit discernere.

3. *Leges Decalogi sunt perpetuæ in hac vita & post hanc vitam: Ceremoniales & forenses certo tempore demum sunt latæ à Deo, & rursus abolitæ.*

4. *Leges morales loquuntur de obedientia interna & externa: Ceremoniales & forenses tantùm de externa: etsi hæc sine interna & morali obedientia non placeat Deo.*

5. *Leges morales non sunt certis circumstantijs definitæ, sed sunt generales,* vt tempus aliquod esse dandum ministerio, & ministerium esse conseruandum: adulteros & fures puniendos: *Leges verò ceremoniales & forenses sunt speciales,* siue circumstantiarum determinatio, quæ obseruandæ sint in ritibus vel actionibus externis Ecclesiasticis & Politicis: vt, septimum diem esse tribuendum ministerio: decimas & primitias esse dandas sacerdotibus: adulteros lapidibus obruendos: fures quadruplo mulctandos esse.

6. Cer-

6. *Ceremoniales atque etiam politicæ leges sunt typi vel imagines aliarum rerum, quarum causa institutæ sunt: Morales nihil significant, sed significantur per ceremonias & ritus.*

7. *Morales sunt finis aliarum legum seu cultus Dei principalis: Ceremoniales & forenses seruiunt moralibus præceptis*, vt his ritè præstari possit obedientia: vt certum tempus & certi ritus seruantur in ministerio publico Ecclesiæ, vt ministerium ipsum seruari possit.

8. *Ceremonialia cedunt moralibus: Moralia non cedunt ceremonialibus.*

Lex Moralis, Naturalis, ac Decalogus differunt. Decalogus est summa legum moralium, quæ in scriptura tota veteris ac N. Testamenti sunt sparsæ. *Naturalis lex* à morali non differt in natura integra: in natura autem corrupta legis naturalis bona pars obfuscata est per peccata, & particula tantùm de obedientia Dei post lapsum reliqua mansit. Qua etiam de causa Deus in Ecclesia repetiuit & declarauit integram suæ legis sententiam. Distinctiones harum legum tenendæ sunt, tum propter earundem discrimina, tum propter earum abrogationem, tum denique propter vsus earum cognoscendos.

3. *Quis sit vsus Legis.*

Ceremoniarum & iudiciorum Mosaicorum primus & præcipuus vsus fuit pædagogia ad Christum & ipsius regnum, hoc est, significatio rerum spiritualium ac cœlestium in Christi regno, Christi videlicet beneficia erga Ecclesiam, & Ecclesiæ officium erga Deum & Christum. Galat. 3. *Lex pædagogus noster fuit in Christum.* Hoc Paulus de tota lege Mosis pronuntiat. De cultus autem & politiæ forma, id verum esse propter typum & significationem regni Christi, ex professo docet Epistola ad Hebr. ab initio cap. 4. vsque ad finem decimi, & omnia Scripturæ loca, quæ ceremonias & regnum veteris populi ad Christum referunt

vt

vt Col. 2. *Sumus circumciſi circumciſione non manu facta.* 2 Cor. 5. *Paſcha noſtrum pro nobis ſacrificatum eſt Chriſtus.* Pſa. 110. *Tu es ſacerdos in æternum.* Dan. 9. *Vngetur Sanctus S.* &c. Ac de forenſibus dicitur. Ezech. 44. *In controuerſia ſacerdotes ſtabunt ad iudicandum, iuxta iudicia mea iudicabunt eam.* Ierem. 23. *Ecce dies veniunt, dicit Iehoua, & ſuſcitabo Dauidi germen iuſtum & regnabit rex, & proſperè aget, & faciet iudicium & iuſtitiam in terra.* Cùm autem non omnium legum allegoriæ in ſpecie ſint verbo Dei expreſſæ: primùm *nulla eſt fingenda aut recipienda, niſi quæ fidei & dilectioni analoga ſit:* deinde *pro certis hæ tantùm habendæ ſunt, quæ Scriptura probare poſſunt.* Quæ verò vel diſerta expoſitione, vel modis loquendi in ſcriptura non docentur, poſſunt quidem vt aliæ ſimilitudines, quæ docendi cauſa adhibentur, tolerari, ſed tanquam certæ & dogmatum probationes recipi non debent: Atq; in ijs, quæ in ſpecie declarata non ſunt, ſatis eſt in generali ſignificatione ſubſiſtere.

Secundò *his tanquam viſibilibus notis & illuſtri diſcrimine, volebat Deus populum ſuum, apud quem verus Dei cultus, vt promiſſio de Meſſia erat depoſita, ab omnibus aliis gentibus diſcerni: idque propter ſuam gloriam,* vt verus deus & vera religio ab idolis & hominum commentis diſcerneretur, & *propter hominum ſalutem,* vt inquirentes Eccleſiam in mundo, inuenire & conſpicere eam poſſent. Deu. 4. *Cuſtodite ergo & facite, quia hæc eſt ſapientia veſtra & intelligentia in oculis populorum* &c. Et cap. 12. *Caue ne dicas, Quomodo colebant gentes illæ deos ſuos, ſic etiam ego faciam. Nō facies ſic Iehouæ Deo tuo: quia omnem abominationem Iehouæ, quam odit, fecerunt diis ſuis,* &c. Eph. 2. *Qui vtraque fecit vnum, intergerini parietis ſeptum ſoluit, inimicitijs, id eſt, mandatorum, quæ in ritibus poſita eſt, per carnem ſuam obolitis.*

Tertius vſus eſt *obedientia ſiue executio præceptorum moralium.* Quia enim lex moralis non tantùm internam, ſed etiam externam obedientiam requirit, cu-

ius

ius partes non postremæ sunt vsus ministerij Ecclesiæ & ordo politicus: hæc duo vt conseruari possint, necessaria est multarum circumstantiarum determinatio, sine quarum æquabili forma & obseruatione, ordo in Ecclesia & politia seruari non potest. vt igitur in nouo testamento huic ordini conseruando necessarias constitutiones in ministerio & politia Deus reliquit liberas: ita in veteri testamento quæ obseruari voluit, ipse ordinauit. Morale enim est, vt sit publica & solennis Dei inuocatio & celebratio: Huius administrandi & formã voluit esse ceremonias à se præscriptas. Morale est, vt sit iustus ordo iudiciorum, contractuum, pœnarum in politia: Hunc ordinem præscripsit populo Iudaico legibus forensibus. *sunt* itaque *ceremoniæ appendix primæ, leges forenses appendix secundæ tabulæ*: quia illæ de externa forma ministerij Ecclesiæ siue cultus diuini, hæ de officijs magistratuum & ciuium illius politiæ erga magistratus & erga se inuicem præcipiunt.

Quartò, *fuit etiam illa multiplex ceremoniarum & rituum obseruatio exercitium, & testificatio obedientiæ erga Deum.* Qui enim onerosa & ingrata libenter & studiosè exequitur, si id Deo placere intelligat, is demum se diligere Deum, eique prompto animo parere ostendit. Sic Abrahamo volenti mactare filium, Deus: *Nunc cognoui quòd times Deum, &c. Sic ceremonialia & forensia veteris testamenti vocantur iugum.* Act. 15. *& seruitus.* Gal. 4.

Quintò, *ceremonijs plerisque, videlicet beneficia Christi significantibus, erat peculiaris obsignatio fœderis diuini siue confirmatio fidei.* Hoc enim est *esse signa fœderis* Gen. 17. Ro. 4. Ex. 31. Ezec. 20. videlicet significare ac testari, quæ beneficia Deus per Messiam daret credentibus.

Sextò, *Forenses leges*, quandoquidem erant ipsa politiæ Mosaicæ forma, *conseruationi politiæ & regni illius seruiebant vsque ad Messiæ aduentum.*

Septimò *etsi iam leges ceremoniales & forenses ita sint abolitæ,*

abolitæ, vt non requiratur earum obseruatio, quantum ad typos attinet, tamen perpetuæ sunt res, per eas significatæ. Ac proinde sunt noui testamenti confirmatio, non secus ac veteris testamenti oracula de Messia & eius regno. Sunt enim typi visibiles promissiones. Cum igitur in Christo, quæ vaticinijs de ipso prædicta & veteribus typis adumbrata fuerunt, impleta esse videmus: & exhibitum esse, &, hunc Iesum in quem credimus, Messiam illum quondam promissum esse, nobis cõfirmatur. Quamuis item ad ritus eosdem seruandos non obligamur, tamen ex illis picturis veterib. quam spiritualem obedientiam, sanctitatem, & cultum Deo in Ecclesia sua perpetuò requirat, cognoscimus. Hinc dicitur Oseæ. 14. *Reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Hebr. 13. *Per ipsum assiduè offeramus deo sacrificium laudis id est, fructum labiorum confitentium nomini eius.* 2. Pet. 2. *Ipsi quoque veluti viui lapides, ædificemini, &c.* Hæc ad Anabaptistas & similes, qui vetus testamentum ex Ecclesia Christiana explodunt, refutandos, sufficiunt.

Porro legis moralis, cùm in ea propriè Dei cultus consistat, & propter eam aliæ leges latæ sint, alij & maiores vsus sunt. De his præcipuè quærunt mentes, cùm audiunt genus humanum sic in peccatũ esse demersum, & reprobi ne incoare quidẽ possint obedientiam deo placentem: electi verò in hac vita perfectionem illius assequi nullo modo queant: & tamẽ Deum velle tam renatis quàm non renatis prædicari legem. Mirantur enim quorsum vrgeatur lex, cùm obedientia præstari non possit. Hic naturam hominum coruptam ab integra discerni necesse est. In natura enim nondum per peccatum deprauata, fuerunt, & in natura perfectè restituta, erunt hi duo vsus legis diuinæ præcipui: quorum prior est integra hominis conformatio cum Deo. Lucebat enim & lucebit in mente hominis, perfecta Dei & voluntatis diuinæ agnitio, eaque efficiebat & efficiet omnium inclinationum & actionum congruentiam cum hoc

ordine

ordine diuino, hoc est, iustitiam perfectam coram Deo. Mens enim rectè iudicans, cor & voluntatem contumacia non deprauatam rectè gubernat. Quòd autem & fuerit integra legis notitia in natura hominum non lapsa, & integram cum Deo conformitatẽ in ea effecerit, doctrina de imagine Dei testatur, ad quam homo erat conditus, & quæ per Christum in nobis restituitur. Alter vsus legis in natura integra est bona conscientia siue certa fiducia beneuolentiæ diuinæ, & certa spes vitæ æternæ. Quia enim lex & obedientiam perfectam præcipit, & eam præstantib. vitam æternam promittit: idcirco in natura non corrupta, sicut obedientiam perfectam, sic etiam præmij certam expectationem efficit, secundùm dicta Leui. 18. Ro. 10. Gal. 3. *Qui fecerit ea, viuet in eis.* Mat. 19. *Si vis in vitam ingredi, serua mandata.*

Sed in natura corrupta alij sunt effectus siue vsus legis, partim accidentarij, partim reliqui ex proprijs effectibus, quos habet in natura integra: partim in renatis, partim in non renatis. Vt igitur est tota Lex pædagogia ad Christum, sic & moralis: idque. 1. *quia est conseruatrix, & custos doctrinæ, ac disciplinæ, & quidem disciplinam quoque conseruat extra Ecclesiam*, arcens videlicet manifesta scelera, quæ oportet remoueri ante regenerationem. Deus conseruauit partem legis in hominibus post lapsum, tum vt manerent reliquiæ imaginis Dei, nec homines omnino essent bestiæ; tum vt coercerentur scelera manifesta quæ pugnant cum iudicio rectæ rationis etiam in non renatis. Item, Quia nos docet desperare de nobis & quærere iustitiam extra nos in Christo, ad quem nos hac occasione perducit.

2. *Agnitio & accusatio peccati in renatis, & non renatis. Per legem agnitio peccati. Peccatum non cognoui nisi per Legem. Nam etiam cupiditatem non nossem, nisi Lex dixisset: Non concupisces.* Ro. 3. 20. Rom. 7. 7. Ad omnes pertinet hic vsus, etsi duplicem habet effectum, scilicet odium Dei, &

incrementū peccati in non renatis: at in Electis præparationem ad conuersionem, seu regenerationem.

Etsi autem multi impij securitate obcæcati, peccatum ad tempus non agnoscant: omnes tamen accusat lex, & tandem eos conscientiæ terrores & cruciatus opprimunt. Renatis etiam, etsi nec damnationi sint obnoxij, nec absque peccati agnitione & deploratione viuant, necessaria tamen est legis concio & meditatio, vt reliquias peccati magis ac magis agnoscentes in vera pœnit. contineantur & proficiant.

De vtroque autem vsu, nempe *de conseruatione et disciplina et de agnitione peccati*, dictum est, *legem esse pædagogum ad Christum*. Neq; n. doceri possunt homines de Deo, neque S. S. efficit fidem & conuersionem in cordibus, nisi vitentur manifesta flagitia & non persequeretur in sceleribus contra conscientiam. Iesa. 66. *Respiciam ad pauperem et contritum spiritu, &c.* Rom. 8. *Si actiones carnis spiritu mortificabitis, viuetis: sin secundum carnem vixeritis, moriemini*. Neq; seriò liberationem à peccato & morte quærunt & expetunt, qui magnitudinē peccati non verè agnoscunt. Ioh. 9. *Si cæci essetis non haberetis peccatum: nunc verò dicitis, videmus: ideoque peccatum vestrum manet.*

Tertius vsus legis moralis est renatorum proprius, videlicet *informatio ad veros cultus*. Ea verò fit per doctrinam legis docendo & hortando. Quia enim & ignorantia & dubitatio multiplex & inclinationes prauæ sunt in sanctis reliquæ: non solùm continuo ductu verbi diuini, sed etiam stimulis hortationum, ac meditatione voluntatis diuinæ assidua indigent, ne vel errent consilio, vel etiam videntes quod rectum est, in transuersum agantur. Psal. 1. *In lege Domini voluptas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.* Psal. 19. *Lex Domini perfecta, conuertens animam, testimonium Domini fidele, sapientem efficiens paruulum. Præcepta Domini recta, lætificantia cor: præceptum Domini purum, illuminans oculos: Etiam seruus admonetur per ea, in custodiendis*

endo eo merces multa est. Psal. 119. Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, & lumen semitis meis. Ier. 31. Daba legem meam in medio eorum & in corde eorum describã eam. Idcirco videmus etiam Christum & Apostolos non tam profanis & impijs, quàm renatis & pijs legis præcepta & explicationem proponere. In non renatis est etiam regula actionum ante conuersionem: at non regula gratitudinis erga Deum sicut in renatis. Contra hunc vsum legis nonnulli obijciũt locum Rom. 7. *Mortificati estis legi in corpore Christi, vt essetis alterius, qui ex mortuis excitatus est, vt fructum feramus Deo. Et Gal. 2. Ego per legem legi mortuus sum, vt Deo viuerem: vna cum Christo crucifixus sum: viuo autem non amplius ego, sed viuit in me Christus, & vitam quam nunc viuo in carne, viuo per fidem Filij Dei, &c. Si igitur mortui sumus legi, & Christi sumus, qui in nobis viuit, non iam legis magisterio, sed à solo Christo vita nostra regitur.* Sed cum ipse Apostolus dicat Rom. 3. *per fidem non inanem reddi, sed stabiliri legem:* hæc phrasis, *mori legi,* non significat eximi à legis obedientia, sed à condẽnatione liberari, & ab irritatione peccati, quam lex efficit in non renatis, dum Christo inniti, habemus in ipso & plenam satisfactionem pro peccatis, propter quæ lex condemnabat nos, & Spiritum regenerationis flectentem corda, non ad odium legis quo prius ardebant, sed ad obedientiæ & iustitiæ studium. Idcirco addit Rom. 7. *Vt essetis alterius qui excitatus est ex mortuis, vt fructum feramus Deo.* Item: *Liberi sumus à lege, mortuo eo in quo detinebamur, vt seruiamus in nouitate Spiritus, ac non in vetustate literæ.* Gal. 2. *Per legem,* scilicet accusantem peccata & terrentem conscientias, *legi mortuus sum,* id est, desij in lege, & cæpi in Christo iustitiam quærere: hoc n. est quod addit, *vna cũ Christo crucifixus sum,* nimirũ participatione mortis Christi, & mortificatione peccati, *vt Deo viuerem.* i. secundum voluntatem Dei in lege expressam. *Is enim Deo viuit,* qui Deo obtemperat, & sua obedientia eum honore afficit. Hoc autem in natura corrupta non

efficit legis concio, nisi à lege ad Christum transeatur per fidem, vt ille in nobis viuat, & nos in eo, id est, sit in nobis efficax per S. S. primùm *dicendo in cordibus consolationem de remissione peccatorum*, deinde *nos sibi conformes faciendo per regenerationem*, vt non ampliùs lex nos condemnet & iram operetur: sed *delectemur lege Dei, quod ad interiorem hominem*. Rom. 7. Sic igitur à lege liberamur, & legi morimur, sic viuit in nobis Christus, vt incipiamus delectari lege, & iuxta eius præscriptum vitam instituere. Non enim aliam iustitiam aut aliam imaginem Dei Christus per Spiritum suum in nobis restituit, quàm quæ in natura condita, quæ per peccatum obscurata & in lege descripta est: nec alius est Spiritus, legis diuinæ author, & effector conformitatis cum deo in natura integra & restituta.

Citant & dictum Ier. 31. *Feriam cum domo Israel fœdus nouum, non secundum fœdus quod pepigi cum patribus eorum &c. Hic* aiunt *non antiquum fœdus, quod est iterum renouaturum, sed nouum se percussurum dicit, quod est Euangelium. Non igitur lex, sed tantùm Euangelium in Ecclesia Christiana docendum est.* Sed constat, *fœdus nouum* non quod ad substantiales, sed tantùm quod ad accidentales partes siue conditiones & circumstantias, diuersum esse à veteri. Etsi enim veteres umbræ ac typi obscuri sunt sublati, & clarissima concio, et impletis per Christum oraculis & figuris, successit, & gratia S. sancti largiùs in homines effusa est in nouo quàm in veteri testamento: tamen & salutis consequendæ & Spiritualis Dei cultus eadem fuit olim ratio quæ nunc est. Testantur hoc ipsa Ieremiæ verba. *Legem meam*, non sanè aliam, sed eandem, quam olim eis dedi, *inscribam in corda eorum. Ego ero illis deus, & ipsi erunt mihi populus: propitius ero iniquitati eorum, & peccati eorum non recordabor ampliùs.* Hæ enim conditiones fœderis tam in veteri quàm in nouo reperiuntur: imò quòd hæc non sunt legis sed Euangelij propria beneficia, quas duas veteris & noui testamenti partes hic

inter se opponit Propheta, *Legem antiquum, Euangeliũ, nouum fœdus*, tanquam principalem partem fœderis appellans: ideoque nouo fœderi ascribit hæc bona, quia ex eo pendebat quicquid gratiæ Dei contingebat veteri Ecclesiæ, & in eo pleniùs patefacta & exhibita sunt per Christum, quæ etiam in veteri propter eum promittebantur & dabantur. Si igitur legem priùs inscriptam tabulis lapideis, inscribere vult Deus in nouo fœdere hominum cordib. non abolet, sed confirmat eam per prædicationem Euangelij, qua regenerantur corda, vt obedire legi incipiant: ac proinde discrimen legis & Euang. tradens, ita nouum fœdus antiquo substituit, vt partem fœderis eam quæ est lex moralis, retinendam & cordibus inscribendam dicat.

Sin autem vrgeant illa verba: *Non docebit quisquam proximum suum: omnes enim cognoscent me, &c.* Vt colligant, *non esse iubendos homines in nouo testamento, vt agnoscant Deum: vltrò enim agnituros eum & obtemperaturos ei*: nimis crassè hallucinantur propter effectum in nouo testamento maiorem & pleniorem remouentes causam instrumentalem. Vt enim agnoscant Deum & sponte ipsi obtemperent homines, efficit Spiritus S. per legis & Euangelij doctrinam. Neque sequitur *eos non obligari, aut hortationum stimulis vrgendos esse, quia vltrò faciant officium*: longè enim aliud est obligatio & hortatio, quàm coactio. *Duplici igitur ratione locum habet lex in erudiendis renatis*, vt videlicet ex ea voluntatem Dei discant, & per eam ad voluntariè obtemperandum Deo magis ac magis incitentur.

4. *Testimonium de Deo ostendens quòd sit Deus, item quis ille sit, & qualis.* Hic vsus legis est minus principalis, vt etiam sequentes: qui verò præcedunt sunt principales Legis vsus. 5. *Testimonium monstrans Ecclesiam*: quia in sola Ecclesia Lex est integra, extra eam corrupta. 6. *Testimonium de præstantia humanæ naturæ ante lapsum, & futura in vita æterna*, id est, commonefactio de imagine Dei in homine. 7. *Testimonium de vita æterna.* Seruari

enim à nobis debet Lex, vt quæ nobis non est frustra lata. Cum igitur in hac vita Lex finem suam non assequatur in nobis, aliam vitam post hanc restare necesse est, in qua secundum Legis præscriptum sit viuendum, vt ita tandem aliquando Lex à nobis impleatur.

4. *Quid Lex differat ab Euangelio.*

LEx ab Euangelio differt 1. *Patefactione:* Lex naturâ nota est: Euangelium diuinitus patefactum. 2. *Subiecto seu doctrina.* Lex docet quales esse debeamus & quid præstare: Euangelium autem quomodo tales euadere possimus: in Christo scilicet. 3. *Promissionibus.* Lex promittit vitam æternam & omnia bona cum cõditione propriæ & perfectæ iustitiæ, atque obedientiæ in nobis: Euangelium illa promittit cum conditione fidei in Christũ, qua obedientiam alienam pro nobis præstitam, Christi videlicet, amplectimur. Cum hac autem conditione fidei coniuncta est indissolubili nexu conditio nouæ obedientiæ.

5. *Quatenus Lex abrogata sit.*

TOta lex abrogata est credentibus 1. *Quod ad iustificationem:* quia iudicium non fertur secundum Legem (illud enim iudicium nos damnaret, ac perderet) sed secundum Euangelium. 2. *Quod ad coactionem.* Nos sumus sub gratia, ideo Spiritu Christi excitamur ad præstandam Legi obedientiam voluntariam: quia verò tota Lex credentibus est abrogata, vtiq; & Lex moralis ijs abrogata est, eodemq; respectu, nempe quod ad iustificationem, seu damnationem, & quod ad coactionem violentam. Non enim obedientiam amplius extorquet tanquam tyrannus, aut herus seruum nequam cogens ad obedientiam. Quia Christus obedientiam spontaneam Spiritu suo in nobis inchoat. *Lex & Prophetæ vsq; ad Ioannem. Si ergo tum primùm lex moralis abrogata fuit, quod ad condemnationem, quam Chri-*

stus

ſtus fuit manifeſtatus in carne, ſequitur eos fuiſſe ſub condemnatione, qui ante aduentum Chriſti vixerunt. Reſp. Fuit abrogata Lex quod ad condemnationem, tam in veteri Teſtamento credentib. quàm his, qui in Nouo ſunt: Illis qui in veteri vixerunt, quod ad efficaciam: his in Nouo, quod ad impletionem & exhibitionem.

Leges Ceremoniales & Forenſes prorſus abrogatæ ſunt quod ad obedientiam, vt non neceſſe ſit eas ampliùs ſeruari. 1. *quia debebant durare tantùm vſque ad aduentum Meſſiæ. Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus eſt. Et poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt: Et ciuitatem & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo: & finis eius vaſtitas, & poſt finẽ belli ſtatuta deſolatio. Ipſe eſt pax noſtra, qui vtraque fecit vnum, & integerrimũ parietis ſeptum ſoluit, inimicitiis, id eſt, legẽ mandatorum, quæ in ritibus poſita eſt, per carnem ſuam abolitis.* Ceremoniales ergo leges per Chriſtum, cuius erant typus, ſunt ſublatæ: id quod etiam Stephanus oratione ſua demonſtrat: item autor Epiſtolæ ad Hebræos. 2. *Quia exhibito Meſſia typi ceſſant, quales erant leges illæ ceremoniales. Quæ ſunt vmbra rerum futurarum, at corpus eſt Chriſti.* Ceremoniales autem dicuntur perpetuæ, *quia duraturæ erat vſque ad aduentum Meſſiæ. Item quia earum ſignificata ſunt æterna.*

Gen. 49. 10. Deut. 9. 26. Eph. 2. 14. Act. 7. 7. Heb. 1. 1. & 9. Col. 2. 17.

De politicis legibus hoc obiicitur: *Optima & iuſtiſſima politiæ forma eſt ſequẽda. Sed melior aut iuſtior eſſe nulla poteſt ea quàm Deus ipſe in populo ſuo conſtituit. Ergo eſt retinenda.* Reſponſio. Huius argumenti vel Maior diſtingui, vel Minor negari poteſt addita declaratione. Quod enim in legibus poſitiuis, hoc eſt, determinantibus circumſtantias officij, magiſtratuum ac ſubditorum ac ciuium erga ſe inuicem, vnoquoque loco ac tempore eſt iuſtiſſimum, id ſequi debent legum latores. At in forma politiæ Moſaicæ multa ſunt ad illius gentis, regionis, temporis & cultus ceremonialis rationem accommodata, quorum obſeruatio iam neque

iusta neq; vtilis futura esset, quia causæ cur illæ leges tunc ferrentur Iudæis, sublatæ aut mutatæ sunt, vt de *libello repudij, de ducendis viduis cognatorum.* Non igitur vult Deus omnes gentes atq; ætates, ad eas leges alligari. Cuius rei argumentum est, quod etiam eo ipso tempore, quo leges istas volebat seruari, non omnes gentes, sed tantùm posteros Abrahami ad eas adstrinxit, & tamen iuxta aliarum quoq; gentium leges politicas non impias, viuentes ipsi placuerunt, vt Naaman Syrus, & quicunq; ex gentib. cõuertebantur, nec tamen seruabant ceremonias & leges forenses Iudæorum. Et Paulus Ro. 13. non tantum iuxta leges Mosaicas imperantibus, sed etiam aliis magistratibus sub quorum imperio viuimus, *tanquã ordinationi diuinæ temperandum esse dicit*, quatenus nihil Dei præcepto repugnans præcipiunt. Et ipse vtebatur legibus Romanis, cùm *appellaret Cæsarem, & ciuem Romanum damnatum vinciri ac cædi nefas esse diceret.*

Quod si hinc aliquis inferat: *Quandoquidem aliarum politiarum, vt Atticæ, Romanæ, &c. legibus vti licet, multo magis licere ac decere illius politiæ formam imitari, quæ ab ipso Deo immediatè constituta fuit:* facilè cõcedimus magistratus ac legis latores prudentes non minùs ex eis quàm ex aliis politiis posse sumere, si quid suis subditis & temporibus sit conueniens, modò absit necessitatis opinio, hoc est, non eò præcipiatur aut retineatur, quòd per Mosen hoc præceptum sit populo Iudaico: sed quia rationes probabiles sint, quare nunc etiam sic agatur, & causæ si mutentur, has etiã leges authoritate publica mutandi libertas retineatur.

Porro licet Ceremoniales, & Politicæ leges penitus abrogatæ sunt etiam quod ad obedientiam, non tamen eodem modo Moralis lex est abrogata. Hæc siquidem exhibito Christo desiit quidem *quod ad maledictionem, & coactionem, sed minimè quod ad obedientiam.*

Rationes firmæ & illustres sunt. Primò *Filius Dei non ideo est factus Mediator, assumpsit formam serui, factus*

est obediens Patri vsq; ad mortem crucis, & nos ab execratione legis redemit, vt in peccatis & inimicitia cum Deo perseueremus, sed vt nos à peccato liberaret, cum Deo reconciliaret, & nos rursus Deo conformes & templum Dei faceret. Si igitur hunc finem habuit, propter quem liberaret nos à maledictione legis, non simul sustulit obligationem ad obedientiam. Hoc enim est Mediatoris officium, expiare peccata admissa, & facere, ne in posterum offendatur pars offensa, ab ea parte quæ offenderat.

Secundò, *quò plura & maiora sunt erga nos Dei beneficia, tantò magis obligamur ad præstandam ipsi gratitudinem,* hoc est, ad viuendum secundùm ipsius voluntatem & legem. Iustificati autem & renati per fidem in Christũ acceperunt plura & maiora beneficia à Deo quã alij. Hæc enim accedunt ad creationem, sustentationem, & beneficia piis & impiis communia. Ergo magis pòst quàm ante regenerationem & iustificationem obligamur ad obedientiam legi diuinæ præstandam. Idẽ confirmant multa testimonia, vt Mat. 5. *Ne existimate me venisse vt dissoluam legem & Prophetas: non veni vt dissoluam, sed vt impleam*, Hoc de omnibus partibus legis dicitur, sed præcipuè de morali. *Implet enim Christus totam legem quatuor modis.* Primò sua ipsius iustitia. Solus enim Christus perfectè obedientiam, qualem lex requirit, præstitit: & quia Dei filius & de Spir. S. conceptus est, & quia non poterat pro nobis satisfacere, nisi ipse careret omni labe peccati: Hebr. 7. *Talis nos decebat pontifex, pius innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, &c.* Secundò, *per solutione pœnæ sufficientis pro nostris peccatis.* Rom. 8. *Cum enim legis impotentia nihil posset in carne, Deus suo ipsius filio misso, conformato carni peccato obnoxiæ, idque pro peccato, condemnauit peccatum in carne, vt illud ius legis cõpleatur in nobis, qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm Spiritum.* 2. Cor. 5. *Fecit vt qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum esset, vt nos efficeremur iustitia Dei in eo.* Atque hæc typorum legalium impletio, & pœnæ, quam nos debebamus, perso-

lutio

lutio, est ea ipsa, de qua dictum est, legis abrogatio. Tertiò autem *implet Christus legem in nobis suo spiritu, per eum reformans ad imaginem Dei*, vt nos etiam in hac vita inchoemus obedientiam internam & externam, quam lex à nobis requirit, eamque integram præstemus in vita æterna. Vtrumq; horum, videlicet pœnam pro nobis à Christo persolutam, & iustitiam in nobis inchoatam, intelligit Paulus cum dicit, *ius siue iustitiam legis compleri in nobis secundùm spiritum ambulantibus*: Et de donatione Spiritus sancti & regeneratione, quæ fit per & propter Christum, ex professo agit Paulus Rom. 6. & 7. Quartò, *implet legem docendo*, hoc est repurgando ab erroribus & corruptelis, & restituendo veram eius doctrinam & intelligentiam, id quod facit Mat. 5. 6. & 7. Si igitur & docet & restituit Christus obedientiam legis in nobis: non abolet legem, quantum ad obedientiam attinet. Idem Paulus docet Rom. 3. *Legem igitur inanem reddimus per fidem? Absit: imò legem stabilimus. Per fidem autem, siue iustitiam fidei stabilitur lex, non solùm cõfessione siue æpprobatione iudicij & accusatione legis aduersus nos*, quod videlicet non præstemus debitam obedientiam legi, siquidem iustitiam extra nos in Christo quærimus: *& satisfactione*, quia fide applicatur nobis Christi satisfactio, æquipollens pœnæ æternæ, quam lex nobis non præstantibus integram obedientiã irrogabat: per hanc igitur fidem fit vt sine lege quidem, hoc est, non propria obedientia, sed tamen non contra legem, hoc est, non sine alterius pro nobis perfecta satisfactione, iustificemur coram Deo: *sed stabilitur etiã inchoatione nouæ obedientiæ in hac vita, & eius perfectione in vita cœlesti. Act. 15. Fide purificans corda eorum. Gal. 5. Nos spiritu ex fide spem iustitiæ expectamus.*

Hæ & similes asseuerationes, quòd Decalogus in nouo testamento sit docendus, & præcepta Christi & Apostolorum cum Decalogo congruentia, euidentissimè refutant impietatem Antinomorum, Libertinorum & similium, qui legem in Ecclesia Christiana non docen-

docendam esse contendunt. Colligitur idem ex doctr. de vsu legis diuinæ, qui cùm perpetuus sit in Eccl. ipsã quoque legem perpetuam esse consequitur. Quod vt manifestius sit, præcipuæ obiectiones considerentur.

Prima: *Christus non est legis lator: sicut dicitur, Lex per Mosen data est: Gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Ergo nec ipse, nec ministri Euangelij debent docere legẽ.* Resp. ad antecedens. *Non est legis lator*, quod ad principale officium Mediatoris attinet. Hoc enim est proferre Euan. è sinu Patris, intercedere & fieri victimam pro nobis, & dato S. S. nos Deo reconciliare. Sed tamen pars huius officij est, monstrare ac tollere errores, quib. lex corrumpitur, & puram eius doctrinam proponere hoc fine, vt animi ad audiendam concionem Euan. quæ Messiæ propria est, præparentur, & conuersi doceantur, quam gratitudinem pro redemptionis beneficio Deus ab ipsis requirat. *Est igitur legis lator Christus*, quatenus est Deus, & autor legis cum Patre: quatenus autem est Mediator, non est quidem legis lator, quia non promulgat legem, vt 1. Io. 2. dicitur: sed tamen est legis repurgator & instaurator: idq; non principaliter, sed vt principale Mediatoris officium, videlicet reconciliationem & saluationem possit efficere. Eadem de ministris Euan. est responsio, siquidem illi non aliam, quàm Christus tradidit, doctrinam Ecclesiæ proponere debent.

Obiect. 2. Qui legi per pœnam satisfacit, non obligatur ad obedientiam: quia aut ad pœnam, aut ad obedientiam lex obligat, non autem simul ad vtrumque. At nos per Christi pœnam satisfecimus legi. Ergo non obligamur ad obedientiam. Resp. Maior distinguitur. Primò. *qui pœnam sufficientem passus est, non obligatur ad obedientiam*, scilicet eandem illam, propter cuius omissionem pœnas luit: sed postquam pro peccato admisso per pœnam est satisfactum, nihilominùs obligatur deinceps ad obediendum legi, aut ad nouam pœnam ferendam, si noua inobedientia legem violarit.

Secundò

Secundò, qui per pœnam non propriam, sed alienam satisfecit, & in gratiam sine sua ipsius satisfactione receptus est, is etiamsi non ad satisfactionem pro peccatis, tamen ad gratitudinem præstandam obedire legi, hoc est, ad voluntatem illius, per quem redemptus, & à quo in gratiam receptus est, vitam instituere debet. Non enim ideò quisquam punitur propter peccatum admissum aut ab eius culpa liberatur, vt in eo persistat, sed vt desinat in posterum peccare, & offendere eum cui reconciliatus est. Sic igitur & nos, quia Christus pro peccatis nostris satisfecit, non ad præteriti, sed ad futuri temporis obedientiam præstandam obligamur. Atque hanc ipsam non ad peccatorum quæ admisimus, vel admittimus, vel admissuri sumus, expiationem siue compensationé, sed ad gratitudinem pro Christi beneficio, quo à peccato & morte liberati sumus. Hoc Paulus docet, Rom. 6. *Qui mortuus est, liber est à peccato.* Item: *Ita etiam vos colligite, vos ipsos, tum mortuos esse peccato, tum verò viuere Deo, per Christum Iesum Dominum nostrum. &c.*

Ob. 3. *Christiani non reguntur lege, sed spiritu regenerationis, iuxta dicta, Non estis sub lege, sed sub gratia.* Item: *Iusto non est lex posita. Ergo non est docenda in Ecclesia Christiana,* Respond. ad antecedens. Non reguntur, id est, non coguntur lege & metu pœnæ ad qualemcunque disciplinam sicut impij: sed tamen lege diuina docentur, qui cultus deo placeant, & S. S. voce legis ad docendos ipsos & flectendos ad obedientiam non coactam aut hypocriticam, sed veram & spontaneam, vtitur, ita vt non tantùm lex imperet eis quid faciendum sit, sed etiam spiritus gratiæ obediendi facultatem ipsis suggerat. Hoc enim est, *non esse sub lege, & iusto non positam esse legem.* Manet autem obligatio & doctrina, etiamsi condemnatio & coactio tollatur. Nam ad hoc ipsum obligamur, vt quàm maximè spontanea sit obedientia. Rom. 8. *Debitores sumus non carni, vt secundùm carnem viuamus, &c.*

Obiect. 4.

Obiect. 4. Lex non est necessaria ad salutem. Ergo non est docenda in Ecclesia. Responsio. Est fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Etsi enim non est ad hoc necessaria, vt obedientia nostra erga illam seruemur: tamen ad alia est necessaria, vt in doctrina de vsu legis dicendum est.

Ob. 5. Col. 2. In Christo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ recondíti. Item: *In ipso estis consummati. Ergo non est opus lege in Ecclesia Christi.* Responsio. Est fallacia consequentis, quia proceditur à positione totius ad negationem partis. Tota sapientia & scientia, id est, doctrina Christi nobis ab ipso tradita est sufficiens & necessaria Ecclesiæ. At pars illius doctrinæ est etiam lex moralis: quia non tantùm fidem, verùm & pœnitentiam in nomine suo prædicari Christus iussit & ipse legem tradidit atq; explicauit. Consummatio igitur sapientiæ & salutis nostræ quam habemus in Christo, non excludit legis doctrinam, sed eam includit potiùs atque comprehendit.

Quomodo diuidatur Decalogus.

COnseruãda est diuisio Decalogi, quia facit ad intellectum præceptorum. Nam 1. *Docet in alijs præcipi mediatum cultum, in alijs immediatũ. 2. Admonet de gradibus obedientiæ, ac docet cultum primæ tabulæ esse præcipuum.* Cæterum, *triplici ratione Decalogus diuiditur.*

1. *Diuiditur Decalogus in duas tabulas à Mose & Christo: quarum prior complectitur officia erga Deum immediatè.* Hæc diuisio nititur eo quòd Christus & Paulus referunt totam Legem ad dilectionem Dei & proximi: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota cogitatione tua. Istud est primum, & magnum mandatum Secundum autem simile est huic, Diliges proximum tuum vt teipsum.* Mat. 22. 23. 38. 39.

2. *Diuiditur Decalogus in præcepta decem, quorum quatuor primæ, sex autem reliquæ secundæ Tabulæ tribuuntur.* Huius diuisionis confirmationem vide in Defensione Catechismi Heidelbergensis. Oppugnant autem hãc diuisionem,

diuisionem, qui primum & secundum præceptum conantur in vnum contrahere, ac præceptum decimum contrà diuidere in duo. Istorum errorem vt refutemus, iam præcipuas rationes proferemus in medium quibus hæc diuisio confirmatur. *Distincta sunt præcepta, quæ distinguuntur sententijs, vel quorum distinctæ sunt ac diuersæ sententiæ.* Primum & secundum præceptum differunt seu distinguuntur sententijs. Ergo sunt præcepta diuersa. *Primum* tradit quis sit colendus, nempe solus verus Deus: *secundum* docet quomodo sit colendus Deus, nempe non hominum inuentis. Ita et aduerso, *decimum præceptum non potest in duo præcepta diuidi.* Nam quæ illic dicuntur de concupiscentia, vnam atque eandem habent sententiam: ideoq; scriptura vno etiam nomine illa complectitur. *Non cõcupisces. Cupiditatem non nossem, nisi Lex dixisset, non concupisces.* Quòd si propterea decimum præceptum diuidi deberet in duo diuersa præcepta, quia diuersarum rerum nõ concupiscendarum illud facit mentionem, sequeretur tot esse præcepta numeranda quot in singulis præceptis recensentur species.

2. *Præcepta, quæ differunt inter se versibus & periodis, etiam differunt, & à Mose distincta sunt.* Primum igitur præceptum differt à secundo, quia Moses hæc duo præcepta versibus & periodis distinxit. Contrà, quæ traduntur à Mose in decimo præcepto, vna periodo comprehenduntur: proinde illa omnia quoq; ad vnũ præceptum coniunctim referenda sunt. 3. *Moses verba decimi præcepti* (quæ aduersarij diuidere conantur in duo præcepta, in nonum & decimum) *transponit in Exodo & Deuteronomio.* Nam primo loco dicitur in Ex. *Non concupisces domum proximi tui*, deinde sequitur, *Non domum &c.* Si velint igitur aduersarij hoc decimum in duo diuidere præcepta, nescient vtrum debeat esse nonum, vtrum verò dicimum: imò hac ratione Mosen, atq; Deum ipsum loquentem per Mosen, accusabunt leuitatis, quasi secum ipse pugnet.

Hac

Hac igitur verborum transpositione, satis per Mosen spiritus sanctus declarat, se velle vnum duntaxat esse præceptum quæcunque vna periodo coniunctim cõprehensa in decimo præcepto leguntur. 4. *Authoritas admodum locuples est, qua hæc decalogi diuisio confirmatur.* Iudæi enim eruditissimi, Philo & Iosephus, ita partiuntur decalogum. Eodem modo decalogum diuidunt Græci scriptores Ecclesiastici. vt Zonaras, Origenes, Athanasius, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus, & Nicephorus. Huic eidem sententiæ subscribunt & Ecclesiastici scriptores Latini, vt Hieronymus, Ambrosius, Sulpitius Seuerus, & Augustinus. Ergo à nobis restitutio est facta, non immutatio Decalogi.

3. *Diuiditur decalogus secundum res ipsas, quæ iubentur aut prohibentur in Decalogo.* Porrò generaliter in Decalogo præcipitur cultus Dei: contrarium diuino cultui vetatur. *Cultus Dei est vel immediatus*, cùm opera moralia immediatè Deo præstantur: *vel mediatus*, cùm opera moralia proximo præstãtur propter Deum. *Immediatus Dei cultus est vel internus, vel externus. Internus* in eo consistit, *partim vt verum Deum colamus, ac vero Deo præstetur*, quod sancitur in præcepto primo: *partim vt modus, seu forma cultuum legitima sit, siue fuerint cultus interni, siue externi.* Hæc forma in secũdo præcepto docetur. *Externus est aut priuatus, aut publicus. Priuatus continet opera moralia singulorum priuata, quæ ab vnoquoq; semper præstari debent*: & cultus hic priuatus in tertio præcepto traditur. *Publicus cõsistit in sanctificatione Sabbathi*, & traditur in quarto præcepto. *Mediatus Dei cultus, qui continet officia erga homines vel proximos, traditur in secunda tabula: atque hic similiter est vel externus, vel internus.*

Mediatus cultus externus consistit partim in officijs superiorum erga inferiores, & contrà: de quibus officijs (vt de ordine etiã politico sub ijs comprehenso) agitur in quinto præcepto: *partim in officijs proximorum*

erga

erga proximos, quæ in reliquis præceptis ſtabiliuntur, *eaque ſunt vel vitæ & ſalutis hominum conſeruatio*, quæ in præcepto ſexto: *vel conſeruatio caſtitatis, & coniugiorum*, quæ in ſeptimo: *vel rerum ſeu poſſeſſionũ*, quæ in octauo: *vel veritatis conſeruatio*, quæ in nono præcepto continetur. *Mediatus cultus internus, vel interna officia cultus mediati conſiſtunt in interna cordis affectione: nam ea ſunt ipſa affectionum hominum erga proximum rectitudo*, quæ includenda eſt omnibus præceptis præcedentibus: ac præcipitur in decimo præcepto.

7. *Quæ ſit ſententia Decalogi, & ſingulorum eiuſdem præceptorum.*

DVæ ſunt hic partes. 1. *De ſententia Decalogi in genere.* 2. *De ſententia ſingulorum præceptorum in ſpecie.*

Regulæ de ſententia decalogi in genere.

1. *Lex moralis vel Decalogus eſt intelligendus ſecundum interpretationem Scripturæ*, hoc eſt, ſecundum declarationem Prophetarum, Chriſti, & Apoſtolorum: non autem ſecundum iudicium humanum, aut philoſophicum tantùm. Coniungenda eſt explicatio paſſim ſparſa in Scripturis, non autem eſt hærendum in brevibus illis præceptis: nec philoſophia moralis ſufficit ad interpretationem, cum non contineat illa niſi particulam Legis. at hocq; eſt vnum diſcrimen philoſophiæ ac doctrinæ Euangelij, quæ traditur in Eccleſia.

Deu. 27. 29. Gal. 3. 10.

2. *Decalogus poſtulat in omnibus præceptis obedientiam internam & externam perfectam, non tantùm partibus, ſed etiam gradibus*, id eſt, vt nõ tantùm in omnibus officijs, ſed etiam in officiorum gradibus deo obtemperemus: *maledictus qui non manſerit in omnibus.*

Primum præceptum debet includi reliquis omnibus, id eſt obedientia primi præcepti debet eſſe cauſa impulſiua & finalis obedientiæ erga reliqua præcepta, alioqui non eſt cultus Dei, ſed hypocriſis, quicquid agamus: omnia ſiquidem quæ traduntur, ac præcipiuntur in reliquis præceptis agere debemus propter dilectionem Dei. Hac nempe ſola de cauſa, quia Deum amamus,

&

& quia agimus omnia, vt ipsum celebremus. Præcere igitur primum Decalogi præceptum cæteris omnibus tam secundæ quàm primæ tabulæ, & quasi in illis includi oportet. Hanc regulam Paulus tradit. 1. Cor. 11. *Siue igitur editis, siue bibitis, siue quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Ex his duabus regulis multa fiunt manifesta: videlicet, quòd *nemo in hac vita præstet integram obedientiam legi: quòd virtutes non renatorum sint peccata coram Deo*, quia neque cum interna obedientia coniunctæ sunt, nec ex primi præcepti obedientia proficiscuntur & ad illud referuntur, cùm verum Deum non agnoscant, ac proinde sunt vmbra obedientiæ & hypocrisis quam Deus seueriſſimè condemnat. Ies. 29. *Propterea quòd populus iste appropinquat ore suo, & labijs suis honorat me, cor autem suum longè facit à me, Ego addo vt mira faciam in populo isto*. Roma. 14. *Quicquid non est ex fide, peccatum est*. Item. quòd *vera obedientia non possit inchoari nisi per fidem, agnito Mediatore & dato S.S.* Act. 15. *Fide purificans corda eorum*. Gal. 2. *Vitam quam nunc viuo in carne, viuo per fidem Filij Dei*. Non enim verè agnoscitur aut diligitur Deus sine fide in Christum. Ioan. 5. *Qui non honorat Filium, non honorat Patrem*. Item: quòd *obedientia nostra in hac vita, cùm tantùm sit inchoata, non possit placere Deo, nisi propter imputatam nobis Christi satisfactionem*. Eph. 1. *Gratis effecit nos sibi gratos in illo dilecto*. Deniq; quòd *in vera conuersione inchoetur obedientia secundum omnia præcepta*. Qui enim verè diligit Deum, is sine exceptione omnibus ipsius præceptis sese subijcit. 1. Ioan. 3. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit*.

4. *Vt rectè iudicemus de sententia cuiusque præcepti, seu legis, oportet ante omnia scopum aut finem eius considerare*. Finis enim Legis ostendit eius sententiam, atq; ex fine de medio rectè & facilè iudicabimus. Regula hæc etiam de legibus humanis valet.

Intelligendum est autẽ hoc de fine legis proximo: Non. n. quæ ad vltimos aut remotos, sed quæ ab subordinatos

ordinatos & proximos fines consequendos necessaria sunt, in legis vnius sententia comprehẽdi debẽt quod nisi obseruetur, aut omnium, aut multarum legum sententia in vnam conferretur. Vltimus, ac proinde totius legis finis, est celebratio nominis Dei, totam igitur obedientiam legis requirit. Secundæ tabulæ finis est, societatis humanæ conseruatio: hæc omnia secundæ tabulæ officia requirit. Quinti præcepti finis est, ordinis politici conseruatio: complectitur ergo superiorum erga inferiores, & inferiorum erga superiores officia: quia sine his ordo politicus conseruari non potest.

5. *Eadem virtus sæpe diuerso respectu in diuersis præceptis præcipitur*, id est, eadem virtus requiritur ad obedientiam erga multa præcepta. Hoc tenendum ne nos frustra torqueamus in distinguendis, & collocandis virtutibus, vt fortitudo est virtus sexti præcepti, quinti præcepti: quia requiritur in magistratu suscepturo defensionem aliorum.

6. *In affirmatiuo præcepto negatiuum, & contra, in negatiuo affirmatiuũ complectitur legislator*: id est in præceptione virtutum, vitiorum contrariorum prohibitio continetur: & vice versa.

7. *Cauendum ne nimis anguste accipiamus præcepta.* Sic enim accipienda sunt præcepta, vt in genere contineantur omnes species: in specie præcipua cognatæ species: in effectu causæ: in vno correlatorum & alterum. Ita cùm castitas præcipitur, præcipitur etiam temperantia, sine qua non est iste effectus. Quum relatiuum, subiectio, præcipitur, etiam præcipitur eius correlatum, nempe magistratus.

8. *Obedientia seu præcepta secundæ tabulæ cedunt obedientiæ vel præceptis primæ tabulæ. Obiect. Atqui secundum præceptum simile est primo. Resp. Est simile quod ad genus cultus moralis. 2. Quod ad genus pœnæ. 3 Quod ad coherentiam*: quia cohæret vtriusque obedientia necessariò. Hinc etiam ad illud respondeti potest: *Secunda tabula cedet*

cedere debet primæ: Ceremoniæ igitur, quæ sunt officia primæ tabulæ, præferendæ sunt officijs dilectionis erga proximum: Cedit n. secunda primæ, in moralibus, non autem in ceremonialibus. Si igitur necessitas & salus proximi omissionem ceremoniæ postulet, cercmonia potiùs omittenda, quàm salus proximi negligenda est. Os. 6. Matt. 9. *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Matt. 15. *Deus mandauit, Honora patrem & matrem, & qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur: vos autem dicitis, Quicunq; dixerit patri aut matri, Donum quodcunque à me erit, tibi proderit etiamsi nequaquam honorauit patrem suum aut matrem suam, insons erit: Et irritum fecistis mandatum Dei per traditionem vestram.* Oblationes & sacrificia erant præcepta à Deo: sed si fiant neglectis parentũ & cognatorum necessitatib. non obseruationem, sed violationem præcepti diuini eas esse dicit Christus: Sic laudatur factum Dauidis, *qui panes propositionis contra legem ceremonialem edit potiùs, quàm contra legem moralem se & suos fame conficeret.* Est igitur hæc etiam regula ad rectè intelligendam legem necessaria.

THESES DE DECALOGO.

1. PRima Tabula præcipit de officijs erga Deum. Secunda de officijs erga homines. Sic tamen, vt illa immediatè, hæc mediatè ad Deum referatur.

2. Primum præceptum cùm iubeat nos solum verum Deum, & in Ecclesia patefactum Deum pro nostro habere, cultum Dei internum præcipuè complectitur, qui in mente, voluntate, & corde consistit.

3. Huius cultus præcipuæ partes siue capita sunt, vera Dei agnitio, fides, spes, dilectio Dei, timor Dei, humilitas coram Deo, & patientia.

4. Cognosci potest à creaturis rationalibus, quatenus ipsarum vnicuique ipse vult se patefacere.

5. Cognitionis Dei alia est simpliciter & absolutè perfecta,

qua solus Deus seipsum. i. æternus Pater, Filius & Spiritus sanctus seipsos & inuicem cognoscunt infinitam essentiam, & modum existendi vniuscuiusque personæ totaliter & perfectissimè intelligunt. Infiniti.n.cognitionem perfectam non nisi infinitus intellectus capit. Alia est creaturarum, qua Angeli & homines totam quidem & integram, vtpote simplicissimam, Dei naturam & maiestatem cognoscant, sed non totaliter, id est, eatenus tantùm intelligunt, quatenus ipse illa reuelat.

6. Quæ in creaturis est cognitio, si ad eam qua Deus se ipsum intelligit, conferatur, imperfecta dicenda est. Sin autem gradus ipsius spectentur, etiam alia perfecta, alia imperfecta est, non tantùm simpliciter, sed collatione, id est respectu gradus inferioris & superioris. Perfecta est, qua beati Angeli & homines in vita cœlesti Deum illustri mentis intuitu cognoscunt, quantum ad conformitatem rationalis creaturæ satis est: Imperfecta, qua homines in hac vita Deum cognoscunt minùs quàm in creationis beneficio poterant, ac præterea ex mandato diuino debeant.

7. Imperfecta est duplex: Christiana seu Theologica, & Philosophica. Illa est quæ ex Doctrina Prophetarum & Apostolorum accipitur. Hæc, quæ ex principijs naturæ rationis & inspectione operum Dei in rerum natura.

8. Christiana est duplex: Spiritualis seu vera, viua, efficax, salutaris: & Literalis. Spiritualis est notitia de Deo & eius voluntate mentibus à Spiritu Sancto secundum verbum & per verbum accensa, efficiens in voluntate & corde inclinationem & studium ea magis magisque agnoscendi & faciendi quæ Deus ita fieri iubet. Literalis, est notitia de Deo siue ex creatione, siue deinceps per verbum à S.S. effecta in mentibus, quam non comitatur studium ad mandata conformandi.

9. Spiritualis autem & literalis alia est immediata, quæ fit per instinctum Spiritus Sancti sine medijs ordinarijs. Alia mediata, quæ fit à S.S. per vocem Doctrinæ cœlitus auditam, lectam, & cogitatam.

10. Ordinarius Deum cognoscendi modus, & nobis à

Deo

Deo præscriptus est per Doctrinæ cœlestis studium & meditationem. Proinde ad Dei cognitionem hac via debemus contendere, neque à Deo extraordinariam & immediatam illuminationem postulare & expectare, nisi hanc vltrò ipse nobis offerat, & testimonijs certis confirmet.

11. Etsi autem quantum de se in hac vita constare nobis deus voluit in verbo suo satis exposuit: tamen testimonia naturalia de Deo minimè superuacanea sunt, quia reproborum impietatem coarguunt, electorum autem pietatem confirmant, idcoq; ab ipso Deo passim in Scriptura commendantur, & à nobis consideranda sunt.

12. Sed hoc de illis tenendum est, quòd vera quidem & cum verbo Dei congruentia sint: sed ad veram Dei cognitionem non sufficiant.

13. Præterea, licet naturalia testimonia nihil falsi de Deo doceant, tamen homines sine accedente luce verbi Dei non nisi falsas opiniones de Deo ex illis concipiunt: tum quia hæc testimonia non tantum ostendunt, quantum verbo traditum est: tum quia illa etiam quæ naturali iudicio intelligi possunt, homines propter innatam ipsis cæcitatem & prauitatem, perperam accipiunt & interpretantur, ac variè corrumpunt.

14. Prohibetur itaque & damnatur primo Decalogi præcepto ignorantia eorum quæ Deus de se cognoscenda nobis in suo verbo & operibus suis tam creationis quàm redemptionis Ecclesiæ proposuit. Omnes item errores fingentium, vel nullum esse Deum, vt Epicureorum: vel plures esse Deos, vt Ethnicorum, Manichæorum, inuocantium Angelos, homines mortuos, aut alias Creaturas: superstitiosorum fiducia cæterarum creaturarum nitentium, vel diuersorum ab eo qui se patefecit in Ecclesia, vt Iudæorum, Mahumetistarum, Sabellij, Samosateni, Arrij, Pneumatomachorum & similium, qui Deum agnoscunt, quòd sit Pater æternus cum Filio & Spiritu Sancto coæterno.

Iam dicendum est de sententia decalogi in Specie, hoc est, de singulorum præceptorum sententia.

PRIMVM PRÆCEPTVM.



Go ſum Iehoua Deus tuus, qui te eduxi è terra Ægypti, è domo ſeruitutis. Non habebis Deos alienos coram me.

Huius præcepti primùm duæ ſunt partes. Præfatio, & præceptũ. Præfatio præcedit, his verbis comprehẽſa, *Ego ſum Deus tuus qui te eduxi, &c.* Præfatio hæc pertinet ad totum decalogum: quippe quæ deſcribit ac diſcernit Deum legiſlatorem ab omnibus creaturis, legiſlatoribus, & fictitijs numinibus: & continet rationes tres, cur & primi, & ſequẽtium præceptorum obedientia erga ipſum præſtanda ſit. 1. *Dicit ſe eſſe Iehouam*, quo ſe verum Deum diſcernat ab omnibus creaturis, vt ſe ſummum ius imperandi habere oſtendat. *Ego ſum Iehoua.* Hoc eſt, Ego quem audis loquentem, & ferentem tibi legem, ſum verus Deus, qui à ſe, atque per ſe eſt & exiſtit, & alijs dat ſuum eſſe, Creator omnium, æternus, omnipotens, autor & conſeruator omnium bonorum. Ergo mihi obedias. 2. *Dicit ſe eſſe Deum populi ſui*, vt promiſſione beneficentiæ nos ad obtemperandum alliciat. *Deus quidem omnium creaturarum Deus eſt*, tum creatione, tum cõſeruatione, tum gubernatione: *ſed Eccleſiæ Deus eſt* communicatione ſui & patefactione. Deus ergo Deus eſt noſter, quando eum agnoſcimus talem, qualem ſe nobis in verbo patefecit: nempe qui ad ſalutem noſtram conferat omnipotentiam, iuſtitiam, ſapientiam, & miſericordiam ſuam: vel qui nos peculiari fauore proſequatur in Filio. Deus enim illorum Deus eſſe dicitur quos præcæteris diligit. Vnde etiã Dauid *fœlicem prædicat eam gentem quæ Dominum habeat pro Deo ſuo, & populum illum quem ipſe ſibi delegerit in hæreditatem.* 3. Dicit *Qui te eduxi de terra Ægypti.* quaſi dicat, Ego ſum is qui patefeci me tibi, & omnia tibi beneficia præſtiti.

Hoc

Hoc addit vt commemoratione recentis, & insignis beneficij eos ad gratitudinem & obedientiam obligatos esse ostendat, & admoneat. Pertinet hoc etiam ad nos, quia Synecdochicè complectitur omnes Ecclesiæ liberationes, vnius illustris beneficij mentione. Deinde etiã hoc typus fuit mirandæ liberationis per Christum factæ. Cùm autem dicit *se Iehouam esse hunc Deum & liberatorem Ecclesiæ*, opponit se & creaturis omnibus & Idolis, sibi vni obedientiam vendicans.

Præceptum sequitur, *Non habebis Deos alienos coram me.* Finis huius præcepti est cultus dei internus, id est vt Deo tribuatur honor debitus in mente, voluntate, & corde hominis. Porrò præceptum hoc ita negatiuum est, vt etiam contineat affirmationem. *Non habebis Deos alienos. Ergo me Iehouam illum patefactum in Ecclesia solum habebis Deum. Habere autem Deum est.* 1. *Agnoscere Deum, nempè quòd sit Deus: quòd sit vnus Deus: quòd talis sit deus, qualem se patefecit, primum in se, deinde erga nos.* 2. *Soli deo fidere.* 3. *Summa humilitate, & patientia Deo se subijcere.* 4. *A solo Deo omnia bona expectare.* 5. *Amare deum.* 6. *deum reuereri, ac colere.*

Non habebis Deos alienos, Præter me solum verum Deum. *Coram me.* vel in conspectu meo, ac proinde nec deos habebis alienos in arcano cordis tui, quod videlicet coram facie mea non est occultum, sed mihi cordium & renum scrutatori totum patet, ac prorsus est manifestum.

Facillima ratio explicandi singula præcepta est distributio obedientiæ cuiusq; præcepti in suas virtutes tanquam partes, adiunctis deinde vitiis, quæ virtutib. iisdem sunt opposita. Narrantur autem hîc in primo præcepto virtutes septem, *Agnitio dei, fides, humilitas, patientia, spes, dilectio Dei, timor Dei.* Has virtutes vt obedientiæ partes primi præcepti paucis explicabimus.

1. *Agnitio dei* est, ita sentire de Deo sicut se patefacit verbo & operib. & ea cognitione ad fiduciam, dilecti-

onem, timorem, & cultum illius veri Dei moueri, atque excitari. *Quomodo credent ei de quo non audierint?* Rom. 10. 14. *Hæc est vita æterna, vt te solum cognoscant esse verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Ioan. 17. 3.

2. *Fides* est certa persuasio, qua assentimur omni verbo Dei nobis tradito, & qua statuimus promissionem gratuitæ misericordiæ Dei propter Christum ad nos pertinere, & est fiducia accipiens hoc beneficium Dei, & in eo acquiescens, accensa in mentibus, voluntate & corde, à S. S. per verbum, & in illis efficiens lætitiam in Deo, inuocationem Dei, & obedientiam secundùm omnia præcepta. 2. Pa. 20. 20. *Credite in Dominum Deum vestrum, & securi eritis.*

3. *Humilitas* est agnoscere, quòd bona omnia, quæ in nobis sunt & per nos fiunt, non ex dignitate, aut facultate aliqua nostra, sed ex gratuita Dei bonitate existant: atque ita ex Agnitione Maiestatis diuinæ, & nostræ infirmitatis, ac indignitatis, se Deo subiicere, ipsi soli tribuere gloriam omnium bonorum, quæ nobis sunt, vere Deum timere, & agnoscere, ac deplorare suos defectus ac vitia, non appetere altiorem locum, nec suis donis, sed solo Dei auxilio confisum intra vocationem suam se continere, non despicere alios præ se, nec impedire eos in ipsorum officio faciendo, sed agnoscere alios etiam esse & fieri posse organa Dei salutaria, ideoque locum & honorem ipsis cedere, non tribuere sibi maiora suis viribus, non affectare excellentiam supra alios: sed contentum esse donis à Deo concessis, & omnia dona ac studia conferre ad gloriam Dei, & salutem proximorum etiam inferiorum, & indigniorum, nec fremere aduersis si fallamur spe, aut contemnamur, sed Deo sapientiæ iustitiæque laudem in omnibus tribuere. 1. Cor. 4. 6. *Hæc figuræ quadam transtuli ad meipsum & Apollo propter vos: vt in nobis discatis supra id quod scriptum est non sapere vt ne alius pro alio inflemini aduersus alium. Quis n. te discernit? quòd si etiam accepisti quid gloriaris vt qui non acceperis?*

peris? *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* 1.Pet.5.7.
Submittite igitur vos ipsos potenti manui Dei, vt vos in Mat. 18.4.
tempore extollat. Quisquis demiserit seipsum sicut est puer- Phil.2.3.
ulus iste, is est maximus in regno cœlorum. Nihil gerite per contentionem, aut per inanem gloriam, sed ex modestia alium quisque se præstantiorem existimet.

4. *Patientia* est Agnitio diuinæ sapientiæ, iustitiæ, bonitatis, ex fiducia diuinarum promissionum, eoq; & auxilij diuini & liberationis, obedire Deo in perferendis malis, ac rebus aduersis, quas ipse nobis immittit, & ferre iubet, neque propter dolorem fremere contra Deum, aut facere aliquid contra eius mandatum, sed in dolore fiduciam & spem auxilij diuini retinere & ab ipso liberationem petere, & hac agnitione & fiducia diuinæ voluntatis dolorem mitigare. *Humilitas & Patientia* pertinent ad primũ præceptum, non solùm quia partes sunt obedientiæ internæ, quam erga se Deus immediatè postulat: sed etiam quia veram Dei agnitionem, fiduciam, dilectionem, ac timorem tanquam effectus necessarij consequuntur.

5. *Spes* est expectatio certa vitæ æternæ gratis dandæ propter Christum, & mitigationis præsentium malorum, & liberationis ab iisdem huius vitæ malis, & omnium bonorum ad salutem necessariorum, iuxta consilium & voluntatem Dei. Oritur autem spes ex fide: Quia certus de præsenti Dei erga se voluntate, certas etiam de futuro habet promissiones: nam *Deus non mutatur, ac dona & vocatio Dei eiusmodi sunt, vt* Rom.11.29.
eorum pœnitere non possit. Differunt porrò Fides & Spes *Fides amplectitur præsentia Dei beneficia, & voluntatem eius erga nos. Spes amplectitur illius præsentis & perpetuæ* Heb.11.1.
voluntatis diuinæ effectus futuros. Fides est illud quod facit Rom.8.24.
vt extent quæ sperantur, & quod demonstrat quæ non videntur. Spes, si cernatur, non est Spes: quod enim quis cernit, cur speret?

6. *Dilectio* Dei est deum agnoscere summè bonum

&

& ſummè beneficum ac miſericordem non ſolùm in ſeipſo ſed etiam in nobis & erga nos, eòque ipſum potentiam, ſapientiam, iuſtitiam, miſericordiam, bonitatem ſuam ad ſalutem noſtram conferre: atq; ita ex agnitione huius infinitæ bonitatis diuinæ deum ſic amare, vt magis expetamus coniunctionem, & conformitatem cum ipſo, & voluntatis ipſius executionem, quàm alias omnes res: & malimus omnia potiùs relinquere, quàm ipſius communione carere, aut eum vlla in re offendere, & parati ſimus ad alia omnia, quæ amamus, propter ipſum amittenda, & nihil magis nobis curæ ſit, quàm vt ipſi faciamus grata.

7. *Timor* Dei eſt, agnoſcere iram Dei immenſam aduerſus peccatum, ſummam eius potentiam peccatum puniendi, ſapientiã, ac iuſtitiam eius, & ius quod habet in omnes creaturas, & ex aduerſo ſuæ naturæ vanitatem, & infirmitatem, atque ideo ſe ſubiicere Deo ſecundùm omnia præcepta, pro ſummo malo ducere offenſionem Dei, ſummè odiſſe ac deteſtari omne peccatum, & ad omnia mala ferenda potiùs paratum eſſe quàm velle Deum in re vlla offendere. *Timebis Dominum Deum tuum, quia ego ſum Dominus.* Leui. 14. 19. *Quis non timebit te O Rex gentium? Tuum eſt enim decus inter cunctos ſapientes gentium, & in vniuerſis regnis illorum nullus eſt ſimilis tui.* Iere. 10. 7.

Timor & dilectio Dei differunt. Nam *dilectio Dei oritur ex agnitione bonitatis Dei: Timor Dei oritur ex agnitione diuinæ iuſtitiæ, ac potentiæ puniendi peccata, & iuris quod Deus habet in omnes creaturas.* Deinde, *dilectio ſequitur bonum, Deum, ſcilicet ac coniunctionem cum ipſo*: vnde dilectio Dei eſt, nolle Deo ſummo nimirum bono priuari. *Timor autem auerſatur malum, ſcilicet offenſam, & iram Dei, atque auulſionem ab ipſo.* Vnde etiam timor Dei eſt cauere ne Deum offendamus. Differt item timor dei qui erat in integra hominis natura ab eo qui nunc eſt in renatis in hac vita, & qui eſt in beatis Angelis & hominibus in vita æterna. *Timor Dei in beatis in vita*

æterna

æterna est auersio summa peccati & pœnarum sine dolore, quia neque peccatum in ipsis est, nec pœna peccati, & certi sunt fore vt nunquam peccent, aut puniantur. *Præcipitabit mortem in sempiternum, & auferet deus lachrymam ab omni facie. Timor dei in renatis in hac vita* est agnitio peccati & iræ Dei, & dolor serius propter admissa peccata, propter offensionem Dei, & propter calamitates, quas ob peccata nos & alij sustinemus, & metus futurorum peccatorum, & pœnarum, & ardens studium effugiendi hæc mala propter agnitionẽ misericordiæ nobis per Christum præstitæ. Ne timete vobis ab iis, *qui trucidant corpus, animam autem non possunt trucidare: sed timete potiùs eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehenna. Ne deum quidẽ times, quòd in eadem sis damnatione?* Hic *timor* vsitatè vocatur *filialis*, quia talis est qualis filiorum erga parentes, qui dolent propter iram, & offensionẽ patris, & metuunt ne porro offendant eum, & puniantur, & tamen de amore, & animo patris erga se perpetuò persuasi sunt, ideoque amant eum, & propter hunc amorem illius quem offenderunt acriùs dolent. Sic de Petro scribitur, *Et egressus extra, fleuit amarè*. Differt hic timor filialis à seruili: quia *filialis hic oritur ex fiducia & amore Dei*, ideoq; principaliter auersatur offensionem Dei, & certus est de vita æterna.

Isa. 25.7. Apo. 7.18. 21.4.

Mat. 10.18.

Luc. 23.40.

Mat. 26.75.

Seruilis oritur ex agnitione & accusatione peccati, ac sensu iudicij atque iræ diuinæ aduersus peccatum, & est fuga ac odium Dei, & pœnarum non peccati, & tantò est maior quantò certior est expectatio æternæ damnationis, & quantò maior est desperatio de gratia & misericordia Dei.

Hic timor Dei est in diabolis & in impiis, estq; initium æternæ mortis, quod impij sentiunt in hac vita. Gen. 3. *Vocem tuam audiui in horto, & timui, &c.* Iacob. 2. *Dæmones credunt & contremiscunt.* Ies. 57. *Non est pax impijs.* Cumq; non peccati, sed Dei sit odium & auersatio & pugnet cum fide & dilectione Dei, non præcipitur, sed

sed prohibetur in hoc præcepto. 1. Ioan. 4. *Metus non est in charitate: exspleta charitas foras eijcit metum, quoniam metus cruciatum habet. Qui autem metuit, non est perfectus in charitate.* Quia verò in Sanctis in hac vita nec fides nec dilectio perfecta est, sed multis tentationibus & dubitationibus subinde concutitur: etsi in illis timor filialis incoatur, nunquam tamen ea est puritate, quin aliquis timor seruilis ei sit admixtus. Exempla sunt passim in Psalmis & in libro Iob. Psal. 32. *Quoniam tacui contabuerunt ossa mea, dum rugirem tota die, &c.* Psal. 38. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me, cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum non est mecum.* Iob. 13. *Quare faciem tuam abscondis, & reputas me inimicum tibi, &c.*

Obseruandum hoc loco, sæpe in Scriptura *dilectionem Dei ac timorem Dei sumi pro toto Dei cultu*, siue obedientia vniuersali, secundum omnia Dei præcepta: vt *Timor Domini principium sapientiæ. Finis mandati est charitas ex corde puro, & conscientia bona, & fide non simulata. Per hoc cognoscimus nos diligere filios Dei, quum nos Deum diligimus, & mandata eius seruamus.* Ratio autem hæc est, quia Agnitio Dei, Timor, ac Dilectio Dei, item fides, sunt causæ totius obedientiæ: & qui verè diligunt ac timent Deum, nolunt eum vlla in re offendere, & student omnia ipsi grata facere.

Prou. 1. 7.
1. Tim. 1. 7.
1. Ioan. 5. 2.

Vitia virtutibus huius primi præcepti contraria.

NOn habere verum Deum, aut plures, aut alium quàm patefactum, aut Deum non agnoscere talẽ erga se qualis sit patefactus. Item, *non fidere Deo, non sese Deo subijcere vera humilitate & patientia, nõ ab ipso solo omnia bona sperare, non ipsum amare, ac reuereri.* Huius impietatis partes sunt vitia virtutibus enumeratis repugnantia.

Agnitioni Dei repugnant. 1. *Ignorantia veri Dei, & voluntatis eius*, quæ est non scire de Deo, aut de illis dubi-

tare

tare quæ ex creationis beneficio, & patefactionibus scire debemus. *Hæc ignorantia est aut innata*, eorum scilicet quæ propter naturæ prauitatem ignoramus, aut intelligere non possumus: *aut affectata*: eorum quæ cõscientia dictat esse inquirenda, nec tamen serio studio inquiruntur, nempe studio discendi & obtemperandi Deo. De hac ignorantia dicitur. *Non est qui intelligat, non est qui exquirat Deum.* Psa. 13.3.

2. *Errores de Deo seu falsæ de ipso sententiæ aut opiniones* vt cùm alij fingunt nullum esse Deum, alij plures esse Deos comminiscuntur, aut si id non profitentur, tamẽ reipsa plures faciunt, dum solius Dei propria creaturis tribuant, vt qui Angelos, aut mortuos inuocãt. Inuocatio enim tribuit ei qui inuocatur infinitam sapientiam, & potentiã. vnde Paulus eos qui inuocant creaturas ait, *Mutare gloriam inuisibilis Dei in efformatam imaginem hominis mortalis, & volucrum, & quadrupedum & reptilium.* Sic nec Angelus à Ioanne vult adorari, & hanc affert rationem, *quia conseruus tuus sum, vnus ex fratribus tuis qui habent testimonium Jesu: Deum adora.* Ro. 1. 23. Apoc. 19. 10. Pari modo & *falsas de Deo fingunt opiniones, qui deum quidem cognoscunt vnum, sed nõ verum, vt Mahumetani. Item qui cognoscunt quidem vnum, & verum Deum, sed eum negligunt, & non promouentur ad eum colendum, ei fidendum, eumque amandum.* Neque enim sufficit sola bonorum dogmatum scientia, alioqui & Diabolus haberet hanc virtutem, sed oportet accedere illam permotionem.

3. *Magia*, quæ inprimis pugnat cum agnitione Dei. *Est enim fœdus, aut pactum cum Diabolo hoste Dei, adhibitis certis verbis, aut ceremonijs, vt hoc vel illud facientes, & dicentes, accipiant à Diabolo promissa, eaq; quæ à solo Deo petenda sunt, & accipienda, vt nimirum illius ope cognoscant, aut efficiant res non necessarias vel ad explendas malas cupiditates, vel ad ostentationem, vel ad vitæ commoditatẽ spectantes.* In istis autem ceremonijs & verbis quibus vtuntur, nulla est efficacia, sed Diabolus ipse promissa perficit

perficit hoc fine vt deficiant à Deo ad diabolum. *Magus* vox est persica, Philosophum seu doctorem significans. Sed homines videntes suam ignorantiam accersiuerunt operam Diaboli, atque ita nomina hæserunt in vituperio: vnde & *Magia* vsurpari cœpit pro eo quod Germani dicunt *Zaubereÿ*. Quemadmodum verò Magi, sic & illi damnantur hoc præcepto quicunque magorum opera vtuntur. Ad Magiam pertinent *incantationes* quæ sunt vsurpatio verborum, vel ceremoniarum ex pacto cum Diabolo, quibus factis & dictis Diabolus efficiat quod incantatores petunt.

Leu. 20. 6.
Deu. 18. 10.

4. *Superstitio*, quæ est certis rebus aut obseruationibus gestuum seu verborum tribuere effectus, qui neque rationibus Physicis, aut politicis, neque verbo Dei nituntur, & vel non sequuntur, vel à Diabolis, & alijs causis fiunt, quàm existimabantur. Sub hoc vitio superstitionis comprehenduntur *augurÿa, obseruationes somniorum, diuinationes, signa, ac prædictiones aliorum*: quæ omnia disertis verbis in Scriptura damnantur.

Leu. 19. 26.
Ies. 44. 25.
& 47. 13.

5. *Omnis fiducia in creaturis collocata*. Nam hæc veræ vnius Dei agnitioni fideiq;, & spei manifestè repugnat. Fiducia siquidem est honor soli Deo debitus, quem qui transfert ad creaturas, reipsa plures Deos fingit. Vnde deus in verbo suo prorsùs eos damnat, *qui fiduciam suam collocant in rebus creatis, velut in hominibus. Item in suis operibus & diuitÿs*: quod fit ab omnibus auaris, atque ita huius vitij nomine reprehenditur & Auaritia.

Psal. 46. 2.
Ier. 17. 5.
Mat. 6. 24.
Eph. 5. 5.

6. *Idololatria*, quæ pugnat maximè cum vera Dei agnitione, & fide. *Sunt autem duæ species Idololatriæ. 1. Cùm colitur alius, quàm vnus verus Deus.* Hæc species prior ad primum præceptum propriè pertinet. *2. Cùm verus quidem deus colitur, sed alio modo, quàm in secundo præcepto, atq; adeo passim in verbo suo Deus præscripsit, siue cultu interno siue cultu externo, vel externis ceremonÿs.* Hæc tamẽ altera species prohibetur in secundo præcepto.

7. Con-

7. *Contemptus Dei*, qui est cognita quidem habere de Deo quæ sunt vera, sed ijs ad ipsum diligendum non permoueri.

Fidei repugnant in defectu. 1. *Incredulitas*, quæ auditis, & cognitis sententijs de Deo non assentitur. 2. *Dubitatio*, quæ neque assentitur firmiter doctrinæ de Deo, neq; ei repugnat omnino, sed fluctuans, nunc in vnam, nunc in alteram partem languidè inclinat. 3. *Diffidentia*, quæ notitias de Deo, & promissiones diuinas sibi non applicat, ac metu desertionis diuinæ ab officio recedit. 4. *Fides hypocritica*. 5. *Fides temporaria siue defectio à fide*, quæ est assentiri doctrinæ Ecclesiæ eiusque cognitione lætari, & amplecti eam ad tempus, sed sine applicatione & fiducia promissionis gratiæ diuinæ, & sine regeneratione: ac propterea tentationibus vel alijs causis vinci, & illum assensum & professionem pietatis rursus abijcere. Matt. decimotertio. *Qui in petrosa semen excepit, is est, qui sermonem audit, & eum statim cum gaudio accipit. nō habet autem radicem in sese, sed temporarius est: ortaque oppressione vel persecutione propter sermonem, statim offenditur.* Act. 8. *Etiam Simon credidit & baptizatus est.* Heb. 6. *Fieri non potest, vt qui semel illustrati fuerint, &c.*

In excessu fidei sunt extrema. 1. *Tentatio Dei*: quæ est ex incredulitate aut diffidentia, aut contemptu Dei, & fiducia aut studio propriæ sapientiæ, iustitiæ, aut potentiæ, aut gloriæ, discedere à verbo & ordine diuino, atque ita experimentum capere diuinæ veritatis aut potentiæ, ac Deum contumaciter & superbè ad iram prouocare. Deut. 6. Matt. 4. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Exod. 17. *Dixit eis Moses, cur expostulatis mecum? Quare tentatis Iehouam?* 1. Cor. 10. *An prouocamus ad iram Dominum?* 2. *Securitas carnalis.*

Humilitari opposita est in excessu, *Superbia*, vel arrogantia, quę est dona sua non Deo, sed propriæ dignitati aut facultati, accepta ferre, ideoq; se, suaq; dona admirari, non verè timere Deum, nec agnoscere,

ac deplorare suos defectus,& subinde altiorem locũ appetere,ac non Deo,sed suis donis fisum, sibi tribuere etiam quæ non habet,tentare maiora viribus, & aliena à vocatione, alios præ se contemnere ac deprimere,nulli cedere,sed velle supra alios eminere, dona sua, ac consilia principaliter ad suam gloriam transferre, Deo atque hominibus irasci atque contra Deum fremere, cùm impediuntur cupiditates & consilia,accusare etiam Deum erroris, & iniustitiæ, si ipsius consilia cum iudicijs & affectibus humanis non conueniunt.

In defectu, *Simulatio modestiæ, vel humilitatis*, qua est duplex superbia:eam Arist.appellat φαυλοπαμψυχία, estque venari laudem humilitatis, negatione eorum quæ quis in animo sibi tribuit,seu verè seu falsò,& recusatione eorum quæ maximè expetit, & consequi clam conatur.

Patientiæ contraria est in defectu *Impatientia*, qua est ex ignoratione, ac diffidentia diuinæ sapientiæ, prouidentiæ, iustitiæ, & bonitatis : Nolle obedire Deo in perferendis aduersis,quæ ipse iubet perferre, ac propter dolorem fremere contra Deum, aut facere aliquid contra eius mandatum,nec petere,aut expectare à Deo consilium, & liberationem, nec agnitione & fiducia diuinæ voluntatis moderari dolorem sed ei indulgere, & eo fractum pelli, & sollicitari ad desperationem.

In Excessu,*Temeritas*,quæ est ex stultitia ignorante,aut non considerante pericula, vel vocationem suam,siue voluntatem Dei, aut ex fiducia sui adire pericula sine necessitate. Qui amat periculum, in illo peribit.

Spei repugnant 1. *Desperatio* quæ est peccata sua maiora æstimare quàm meritum Filij Dei,& misericordiam Dei in Filio mediatore oblatam repudiare: ideoque non expectare beneficia credentibus promissa, sed horribili sensu iræ Dei,& metu futuræ abiectionis

iectionis in pœnas æternas cruciari, ac Deum tanquã crudelem, & tyrannum exhorreſcere atque odiſſe. 2. *Dubitare de futuris beneficijs* expreſſis in verbo, vt de vita æterna, deque perſeuerantia finali. Hæc duo vitia cum ſpe pugnant in defectu. Dubitatio autẽ de præſentibus Dei beneficijs pugnat cum fide. 3. *Securitas carnalis*, quæ eſt viuere ſine cogitatione de deo, & ipſius voluntate, deq; infirmitate ſua ac periculis ſuis, & ſine agnitione peccati, ac deploratione eius, & ſine timore Dei, & tamẽ impunitatẽ peccatorum, atq; immunitatem ab ira Dei, & à pœnis extra fidẽ & pœnitentiã ſibi promittere. Hoc vitium cum ſpe pugnat in exceſſu, & varijs locis in Scrip. damnatur. Ex aduerſo *ſecuritas ſpiritualis* maximè commendatur & abomnibus pijs requiritur, quæ nimirum nos aduerſus omnes cõſcientiæ pauores confirmat. *Securitas hæc ſpiritualis* eſt fides & ſpes, atq; coniuncta cum vera reſipiſcentia ſine peccato & metu caſtigationum non metuit deſertionem, aut abiectionem à Deo, propter certitudinẽ de immutabili dei voluntate & fauore erga ſe.

Mat. 24. 37.
Luc. 21. 34.
Rom. 2. 4.
Rom. 8. 33.

Dilectioni Dei repugnant. 1. *Abiectio amoris Dei*, ſeu *cõtemptus & odium Dei*, quòd eſt propter naturæ auerſionem à deo, & iuſtitia dei, & propter inclinationẽ ad peccandum, fugere deum accuſantem & punientem peccatum. 2. *Amor ſui, & creaturarum inordinatus, qui eſt* ſuas cupiditates, aut voluptates, aut vitam, aut gloriam, aut alias res anteferre Deo, & ipſius voluntati, & gloriæ, ac malle ipſum negligere, ac offendere, quàm res illas quas amamus, amittere. 3. *Simulatio amoris dei* quia hic etiam peccatur. In exceſſu autem hic peccari non poteſt, quia nunquam tam valde diligimus deum quam debemus.

Timori Dei repugnant. 1. In defectu *Profanitas*, ſecuritas carnalis, Non timere deum. 2. In exceſſu, *Timor ſeruilis*, qui eſt fugere pœnas ſine fide, ac ſine deſiderio ac ſtudio mutandi vitam, cum deſperatione, ac fuga dei, & auulſione ab ipſo.

Notandum est hoc loco sæpe eadem vitia multis & diuersis virtutibus opponi. Sic *cum fide, spe, timore dei, pugnat Securitas carnalis:* cum spe, patientia, dilectione ac timore dei pugnat desperatio. Idem & in aliorum præceptorum virtutib. ac vitijs videre est: ac pari ratione in hoc præcepto etiam cum fide, spe, dilectione dei, humilitate, & patientia, pugnat *Tentatio Dei*, orta ex incredulitate, aut diffidentia, aut contemptu dei & ex fiducia aut studio propriæ sapientiæ, aut iustitiæ aut potentiæ, aut gloriæ discedere à verbo diuino, atque ita experimentum capere diuinæ veritatis & potentiæ, ac Deum contumaciter ac superbè ad iram prouocare.

SECVNDVM PRÆCEPTVM



On sculpes tibi simulachrum, neque. maginẽ vllã effinges eorũ quæ aut cœlo sunt sursum, aut deorsum in ter aut in aquis sub terra. Nõ adorabis neq; coles ea. Ego enim sum Iehouah us tuus, fortis zelotipus, qui vin iniquitatem patrum in filios, &c.

Duo hic continentur, *præceptum, & hortatio ad obedientiam.* Hortatio præcepto addita quinque Dei attributis constat, quæ nos ad obedientiam dei excitare debent. 1. *Deum nostrum se vocat*, id est conditorem, & seruatorem nostrum, & bonorum omnium autorem. Ita monet quàm execrandæ ingratitudinis sit ab eius vero cultu deficere ad Idololatriam. 2. *Deum fortem* se nominat, id est, qui potentia polleat, tam ad puniendos contumaces, quàm ad benefaciendum obsequentib. 3. *Zelotem* se prædicat, id est acerrimum sui honoris defensorem horribiliter irascentem deficientibus ab ipso, aut honorem & cultum ipsius violantibus. Cùm autem zelus siue indignatio propter iniuriam,

vel

vel turpitudinem oriatur ex amore eius qui læditur, simul indicat se ardenter suos amare. 4. *Deum se appellat, qui visitet iniquitatem patrum in filios, vsque in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt.* Exaggerat iræ & pœnarum grauitatem, dum etiam filijs & nepotibus & abnepotibus hostium suorum minatur, ad vindicanda in illis maiorum peccata, nempe si maiorum peccatis ipsi communicent.

Huic autem comminationi aduersari videtur dictũ Ezech. 18. *Anima quæ peccauerit, morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, neq; pater portabit iniquitatem filij:* sed addita est eodem in loco conciliatio: *Si impius genuerit filium qui viderit omnia peccata patris sui, & non fecerit similia, hic non morietur propter iniquitatem patris, sed viuendo viuet.* Minatur itaq; se puniturũ peccata maiorum in posteris, scilicet perseuerantibus in maiorũ peccatis, quos & pœnarum participes esse iustum est.

Si dicat aliquis: *hoc modo posteros tantùm sua, non autem peccata maiorum luere.* Negamus consequentiam. Possunt enim esse, & sæpissimè sunt vnius effectus plures causæ impulsiuæ, & vnius pœnæ causa sunt plura peccata tam diuersorum, quàm eorundem hominum.

Si vrgeat: *non vindicari peccata maiorum in posteris, quia sensus pœnarum, quas patiuntur posteri, non peruenit ad maiores:* Respondetur primò, posteros esse partem maiorum, ex quibus sunt propagati. Sentiri igitur ab ipsis tanquam in parte aliqua ipsorum, quod posteri patiuntur. Secundò, cruciari maiores, cùm intelligunt aut vident in hac & in futura vita sobolem suam affligi. Tertiò, præter sensum aut societatem doloris, pertinere ad ipsos pœnam posterorum, relatione: quandoquidem Deus pronuntiat, se hanc ideo posteris infligere, vt testetur, quantopere & ipsorum & maiorum peccatis irascatur. 5. Deum se esse dicit, qui *misericordia vtatur erga millesimam quoque generationem eorum qui ipsum diligant, & præcepta ipsius obseruent.*

Extendit autem pœnas in quartam generationem, misericordiam

miſericordiam in milleſimam, vt ſignificet ſe magis velle exerere miſericordiam quàm iram, atque hoc etiam nomine ad ſe diligendum nos alliciat.

Sed huic promiſſioni opponuntur plurima exempla piorum, quorum ſoboles malè perierit. Reſpondet Deus Ezec. 18. *ſe benefacturum poſteris piorum, ſi in pietate maiorum perſeuerent: ſin ab ea deficiant, eos puniturum.* Si quæratur, *cur autem non omnes ipſorum poſteros conuertat, cùm ſine ipſius miſericordia pietatem parentum non poſſint imitari.* Reſpondetur primò, quia promiſſio hæc non vniuerſalis, ſed indefinita eſt, ideoq; in ea Deus non aſtringit ſuam miſericordiam ad omnia indiuidua poſteritatis piorum, ſed liberam ſibi relinquit ſuam electionem, vt ſicut ex impiorum poſteris aliquos conuertit & ſeruat, ſic ex piorum poſteris aliquos reliquat in prauitate naturali & in exitio, quod nam omnes merentur: idque vt miſericordiam ſuam gratuitam eſſe, tam in piorum, quàm in impiorum poſteris eligendis oſtendat. Secundò, quia non addidem vel omnia beneficia omnibus piorum poſteris præſtanda ſe aſtringit. Satisfacit igitur huic promiſſioni, etiam cùm beneficijs corporalibus dignatur impiam & reprobam piorum poſteritatem. Tertiò, quia promittit hanc poſterorum fœlicitatem diligentibus ipſum & mandata ipſius ſeruantibus, id eſt, verè pijs. Quia verò dilectio dei & obedientia etiam in ſanctiſſimis eſt imperfecta, etiam præmium ei promiſſum eſt imperfectum, & cum cruce & caſtigationibus coniunctum, inter quas non poſtrema eſt ſobolis prauitas & infœlicitas, vt in Dauide, Solomone & Ioſia videre eſt.

Ob. Qui præcepta Dei ſeruant, miſericordiam conſequuntur. Ergo de Deo quid meremur. Reſp. Dicit faciam ijs miſericordiam. Ergo non ex merito. Eſt igitur fallacia à non cauſa ad cauſam. Quum hanc addit promiſſionem *ſe miſericordiam facturum nepotibus milleſimis eorum qui ipſum diligant, & mandata ipſius obſeruent*, oſtendit ſe

se malle exercere misericordiam, quàm iram vt ita nos alliciat ad se diligendum.

Hæc promissio, & comminatio ad totius quidem Decalogi obedientiam pertinet, sed huic præcepto potissimùm est annexa, tum vt sciamus primum & secundum præceptum esse aliorum omnium fundamentum, tum vt ostendat Deus se præcipuè cultus sui deprauatoribus iratsci, & contrà posteritati quoque religionem puram, seu verum Dei cultum diligenter tuentibus & custodientibus benefacere.

Verus autem *Dei cultus est opus factum à nobis in fide Mediatoris, hoc fine, vt Deus glorificetur.* Et Deum colere est deum ita colere, quemadmodum se in verbo suo velle coli patefecit. Ista de hortatione præcepto subiuncta sufficiant, iam quæ ad ipsum præceptum pertinent explicabimus.

In hoc præcepto secundo prohibetur, cultus omnis fictitius. Præcipitur autem verus Dei cultus. Atque is est huius præcepti finis aut scopus, vt solus ille verus deus, qui coli in primo præcepto iubetur, à nobis rectè colatur, eo nimirum cultu quo iustum est ipsum coli à creaturis intelligentibus, quique ipsi placet. Præscribit ergo Deus in hoc præcepto verorum cultuum diuinorum regulam. Non tantùm creaturas, aut statuas non haberi, & coli pro deo, sed etiam sese coli per statuas, & ad statuas prohibet, & cùm damnat speciem falsorum cultuum præcipuam, crassissimam, ac maximè conspicuam, scilicet cultum dei ad statuas, manifestum est ipsum & species alias falsi cultus prohibere, cùm hæc sit fons aliarum omnium. Omnes ergo cultus quicunque non à deo sed ab hominibus instituti sunt, & in quibus eadem prohibitionis causa reperitur, hac crassissima specie nominata prohibentur, & simul regula sancitur vt intra metas à deo præscriptas sanctè & religiosè nos contineamus, neq; cultui diuinitùs instituto quicquam addamus, aut eundem vel minima in parte mutile-

mus, id quod & alijs locis diſertè nobis à dominoiu-
iungitur.

Differt autem hoc præceptum ab alijs, quòd in cæteris ipſæ cultus diuini partes ſiue ſpecies recenſentur: in hoc autem omnis additio, mutilatio & mutatio earum prohibetur, & regula ſancitur, vt intra metas à Deo præſcriptas ſanctè & religiosè nos contineamus. Eſtque hoc ſtudium & cura, Deum eo modo, quo iuſſit colendi, propria huius præcepti obedientia, quæ in his dictis requiritur, Deut. 4. *Non addetis ad verbum quod ego præcipio vobis, neque detrahetis quicquam ex eo vt cuſtodiatis præcepta Iehouæ Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis.* Deut. 12. *Quicquid ego præcipio vobis, cuſtodietis ut faciatis: non addes ad illud, neque detrahes ex eo.*

Ad verba præcepti quòd attinet, obſeruandum eſt, duas huius præcepti ſecundi partes eſſe: *prior vetat fieri simulachra fieri. 2. Altera vetat ea diuino honore coli.* De priori priùs agemus.

Prior pars præcepti ſecundi: vbi de Imaginibus.

Quæſtiones de imaginibus præcipuæ.

1. *Quatenus faciendæ ſint imagines, vel ſtatuæ.*
2. *Quare ſint in Chriſtianis templis abolendæ.*
3. *Quomodo ſint abolendæ.*

1. *Quatenus faciendæ ſint ſtatuæ, vel Imagines.*

Hic non ſimpliciter ſimulachra, ſtatuas, vel imagines fieri prohibetur, quia fundendi, fingendi, ſculpendi & pingendi ſcientia recenſetur inter artes quæ vtiles ſunt vtiles, ac dei dona. Nec obſcura eſt ratio: quia ſcriptura & pictura ad memoriam rei geſtæ ad ornatum, & oblectationem vitæ liberalem pertinent. Vetat ergo lex non vſum imaginum ſed earum abuſum: nempe prohibet imagines fieri ad deum per eas repræſentandum, aut colendum. Neque enim deum vel pingere, vel ſculpere, vel repræſentare vllo modo debemus, aut poſſumus, & multò minùs ad ſtatuas & ſimulachra

Exod. 31. 3. & 35. 30. Sycr. 38. 28.

ſimulachra alligare cultum Dei nos oportet. Hanc ſententiam finis præcepti oſtendit, qui eſt incorrupti cultus Dei conſeruatio. Et quia Deus eſt incorporeus & infinitus, impoſſibile eſt ipſũ corporea & finita imagine exprimi, aut repræſentari, ſine diuinæ maieſtatis diminutione. *Cui ſimilẽ feciſtis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?* Deinde, quemadmodum Deus non vult ſe ſculpi, vel pingi, vel vllam ſui imaginem effingi: ſic etiam nihil quicquam nobis hoc prodeſt, vt quòd cauſa & occaſio ſit Idololatriæ. Eſai. 40. 18. Rom. 1. 23. Deut. 4. 15.

2. *Cur imagines in Chriſtianorum templis abolendæ ſint.*

1. PRopter *mandatum Dei*, qui aboleri vult Idola, & omnes veri cultus Dei, & veræ doctrinæ corruptelas, vt ira ſua aduerſus Idololatriam teſtatur. Atque hinc eſt quod propter Idola ablata & abolita laudantur in Scriptura Iehu, Ezechias, & Ioſias. Exo. 23. 24. & 34. 13. Num. 33. 25. Deu. 7. 5. 1. Re. 15. 13. 2. Re. 10. 30. 2. Reg. 18. 4.

2. *Propter confeſſionem ſynceri cultus Dei, & odij aduerſus Idololatriam.* Hæc confeſſio, qua nos non Idololatras eſſe profitemur, , non in verbis tantùm conſiſtit, ſed etiam in actionibus ſpecie & ſignis externis. Deut. 17. 2. 3. &c. 1. Co. 10. 20. 1. Io. 5. 21.

3. *Propter vitationem ſcandali & ſuperſtitionis*, nec videlicet veteribus ſtatuis retentis vel nouis ſubſtitutis & additis idem periculum creetur Eccleſiæ, & rudi populo, quod olim ex hac re extitiſſe cernimus, & hoſtes Eccleſiæ hoc ſpectaculo magnam Idololatriæ ſpeciem habente ab Eccleſia magis abalienentur, vt veritatem diuinam afficiant contumelia. Sic Iudæi quia vident imagines in templis profitentium Chriſtianiſmum, maximè offenduntur. Et videmus nunquam ſimulachra rectè iis ceſſiſſe qui ea habuerunt: imò populum Dei ſeduxerunt, vt paſſim videre eſt in hiſtoria ſacra maximè in lib. Iudicum & Regum, & in Prophetis. Tam eſt procliuis noſtra natura ad hoc malum, quod deinde ſequuntur pœnæ grauiſſimæ, cuiuſmodi ſunt quæ per Moſen Dominus præter plures alias recenſet: *Deſtruam* inquit *excelſa* Leu. 26. 30.

uestra & simulachra uestra confringam. Cadetis inter ruinas
Leu. 26. 30. *idolorum uestrorum.* Similiter & Angelus Domini exprobrans Israelitis quod cum Cananæis Idololatris
Iud. 2. 3. fœdus fecerint, inquit: *Quamobrẽ nolui delere à facie uestra, ut haberetis hostes, & dij ipsorum sint uobis in ruinam.* Non igitur est Ceremonia abolere simulachra uel imagines, quippe quæ sint instrumenta, signa, causæ atque occasiones idololatriæ. Neq; huius præcepti causæ sunt vllo modo vel mutatæ, vel diminutæ, vt scilicet gloria Dei aduersus Idololatras & hostes Ecclesiæ vindicetur, nec tentetur Deus obiiciendo hominibus sponte sua ad Idololatriã propendentibus, occasionẽ ad superstitionem, & malas de dei cultu cogitationes cõcipiendi. Hoc ergo præceptum de tollendis & abolendis imaginibus ad repræsentandum Deum, vel ad cultum diuinum factis, morale est & perpetuum.

3. *Quomodo sint imagines abolendæ.*

IN abolendis imaginibus duo obseruanda sunt. 1. *Ut præmittatur doctrina de vero Dei cultu ante Idolorum abolitionem.* Sic legimus feciſſe Iosiam. Præcedat ergo do-
2. Reg. 23. 2. ctrina, & Idola concident. 2. *Statuæ, & earum altaria, & similia Idololatriæ instrumenta tolli debent non à priuatis, sed autoritate publica.* Sic enim præcepit deus Israelitis: sic item à piis regibus factum est: sic etiam Paulus improbans Idola Athenienſium atque Ephesiorum, non tamen illa aboleuit.

Obiectiones Papistarum.

1. *NOn statuas, sed Deum, cuius illa signa sunt, veneramur, nulla igitur causa est cur aboleri debeant imagines, & ex templis tolli.* Resp. Signa per quæ deus verè significari non potest neq; debet, statuere nefas est. Et quamuis essent signa per quæ Deus verè significari posset, ea tamen statuere in nullius creaturæ est potestate, sed in solius Dei arbitrio.

2. *Libri*

2. *Libri laicorum vel idiotarum sunt vtiles. Statuæ vel imagines libri sunt Idiotarum. Ergo vtiles. Resp.* 1. Ad maiorem, libri laicorum sunt vtiles, nempe qui traditi sunt iis à Deo. 2. Nego minorem. Nam longè aliter docent Prophetæ: vt, *Sculptile doctor mẽdacij. Simulachra locuta sunt vanitatem. Hinc ita licet argumentari: De Deo nec vana loqui, nec mentiri debemus vel verbis vel gestibus. Ligna autẽ vel Sculptilia sunt mendacium de Deo, quia non possunt Deum repræsentare, imò quia tantum discedunt & simul nos auertunt à Deo, quantum à Deo abest eorum figuræ & per consequens faciunt vt nos de Deo mentiamur: modò igitur nolimus mentiri de deo, imagines aut Sculptilia nec faciamus, nec habeamus necesse est.* Habacuc. 2. 18. Zac. 10. 2. Nã vt Ieremias ait, *Lignum est eruditio vanitatum.* Ier. 10. 8. Atqui hoc modo concedemus statuas & imagines esse libros Idiotarum, nempe partim quia falsum de Deo docent & significant: partim quia rei significatæ & loci reuerentia, quando in templis & alibi prostant, facillimè ad superstitionem alios rapiunt, & populum docent Idololatriam, sicut ipsa experientia satis testatur. 3. Nego consequens: licet enim imagines docerent Idiotas, non tamen sequeretur eas in templis esse retinendas vt libros vtiles. Nam Deus Ecclesiam suam non sic, sed per verbum & Sacramenta doceri vult.

3. *Sciptura Deo humana membra tribuens ipsius naturam & proprietatem significat. Ergo & per simulachra naturam & proprietatem Dei significari licet. Resp.* 1. Est dissimilitudo inter metaphoras verborum & statuas: quia illis in verbo addita est declaratio, quæ errorem prohibet. 2. Cùm per *anthropopatheian* humana membra tribuantur deo, nequaquam dei cultus iis alligari solet. 3. Item hæc per anthropopatheian ad succurrendum infirmitati nostræ Deus pronuntiauit, illa prohibuit.

4. *Deus olim se specie humana videndum præbuit. Ergo nobis eadem signa licet imitari. Responsio.* Deus quidem certis rationib. id fecit, at nobis istius rei imitationem inter-

interdixit. Siquidem Deo licet seſe manifestare quocunque modo ipſi placet, nulli autem licet creaturæ Deum ſigno, quo non iuſſit, repræſentare. Et ſpecies illæ viſibiles Deum ad mandandum, promittendum, & audiendum eos quibus ſe patefaciebat præſentem habebant: quod de ſimulachris eas imitantibus dici non poteſt ſine manifeſta idololatria: ideoque ad illas ſiue in illis Deum tanquam ſingulari modo præſentem rectiſſimè adorabant ſancti: quod in his facere impium & idololatricum eſt, cum ſine mandato & promiſſione diuina ex audacia & leuitate humana fiat. Denique illæ ſpecies tantiſper manebant, donec illis ad patefactionem ſui Deus vti volebat: ideoq; ad idololatriam rapi non poterant: Statuæ verò & picturæ, quas homines ad patefactiones diuinas repræſentandas faciunt, neque ad patefactionem Dei, neque repræſentationem patefactionum à Deo ordinatarum proinde obiectum & occaſio ſunt idololatriæ.

5. *Licebat Iſraelitis habere figuras, Cherubim, Seraphim, palmas, & picturas varias in templo Solomonis. Ergo Chriſtianis etiam licet in ſuis templis imagines habere.* 1. Reg. 6. 23. Iſai. 6. 2. 1. Re. 6. 29. *Reſp.* 1. Figuræ variarum rerum, atq; animalium, vt boum, leonum, palmarum, Cherubinorum, & ſimilium in Solomonis templo picta nitebantur verbo Dei. At ſtatuis & imaginibus, quas habent in ſuis templis Papiſtæ, verbum Dei prorſus aduerſatur. 2. Imagines in Solomonis templo depictæ tales erant, quæ à nemine in abuſum rapi facilè poterant. 3. Cauſam Deus hanc habuit ob quã volebat imagines illas in templo pingi, vt videlicet eſſent illæ rerum ſpiritualium typi: hæc autem cauſa nunc eſt per Chriſtum ſublata.

Altera pars præcepti ſecundi.

Hæc exhiberi cultum imaginibus vetat, non tantùm qui ad creaturas, ſed etiam qui ad verum Deum referatur.

Obiect. 1. *Honor ſigni eſt rei ſignatæ honor. Imagines ſunt ſigna*

signum Dei. Ergo honor imaginibus exhibitus exhibetur etiam Deo. Resp. Ad Maiorem, honor signi est etiam honor rei signatæ, nempe quando signum reuera est signum, hoc est ab eo institutum qui potestatem habet illud instituendi, & quando is honor signo præbetur, quem legitimus autor eius signo haberi præcipit. Honoris.n. regula non est voluntas honorantis, sed honorandi. Iam verò sibi statuas fieri Deus vetuit: ac proinde statuæ, vel imagines reuera non sunt Dei signa.

Obiect. 2. Contumelia illata signo redundat in Deum, etiã sine mandato. Ergo & honor signo exhibitus redundat in Deum, licet illum honorem signo exhiberi non sit mandatũ. Resp. Nego consequens, quia contraria tunc rectè tribuuntur contrariis, cum contrarietas prædicatorum pendet ex eo secundùm quod opponitur subiectum, non autem pendet ex alio aliquo. Sic fatemur contumeliam Dei sequi quidem contumeliam signi, licet à Deo non instituti: verùm non simpliciter propter ipsũ signum contumelia affectum, sed propter eius prauam voluntatem, qui afficiendo contumelia signum, quod Deum repræsentare putatur cogitat, & vult ipse Deo contumeliam inferre. Nam ad afficiendum Deum cõtumelia sufficit quæuis intentio ab ipsius mandato discedendi. Quod si studio vitandæ Idololatriæ simulachra, & alia falsò reputata signa Dei detestamur & abolemus, hac signis illis illata contumelia promouemus potius dei gloriã. Honor autem dei non sequitur honorem signi, nisi à Deo, & honor, & signum ordinatum sit.

Obiect. 3. Si licet præstantium hominum imagines habere, multo magis Angelorum, & sanctorum. Resp. 1. Licere præstantium hominum imagines habere, iisq; honorem deferre cautè & dextrè est intelligendum. 2. Imagines aut monumenta præstantium hominum debent esse talia, quæ in Idololatriam non possint rapi. 3. Cum antecedens hoc sensu accipitur quo concedi potest, conseq. etiam de similib. monimentis, aut simili honore,

concedi

concedi poterit. Sed si ad statuas, & honorem superstitiosum in propositionis consequente transfertur, quod in antecedente rectè intellectum poterit concedi: consequentia propter ambiguitatem, & dissimilitudinem honoris & monimentorum, est neganda. Honor monimentorum est licitus, qui est grata, & honorifica memoria eorum, quorum sunt monimenta. Deinde qui confertur in vsum in quem ipsi voluerint non autem ad cultum eorum, vel ad cultum dei per illorum monimenta. Atqui eiusmodi monimenta licita, quæque non trahi possunt ad Idololatriam, non debemus corrumpere studio contumelia afficiendi eos quorum sunt monimenta.

Obedientia huius præcepti secundi consistit (vt vidimus) in vero Dei cultu.

Pugnantia cum hoc secundo præcepto vitia sunt. 1. *Idololatria*, quæ est cultus numinis fictitius aut superstitiosus. Sunt autem Idololatriæ species præcipuæ duæ. 1. *Cùm fictitium numen colitur*, id est, cùm loco veri Dei, aut præter illum alicui rei vel fictæ, vel existenti honor aut cultus tribuitur qui soli vero Deo competit. Hæc species in primo præcepto potissimùm prohibetur: deinde & ex aliqua parte in præcepto tertio. 2. *Cùm erratur in genere cultus*, id est, cùm vero Deo cultus seu honor fingitur præstari aliquo opere quod ipse non præcepit. Hæc species propriè in hoc secundo damnatur, & *ethelothreskia* siue superstitio nominatur. Superstitiosi sunt quicunque præceptis diuinis addunt inuenta humana.

2. *Hypocrisis*, quæ est simulatio veræ pietatis & cultus Dei, faciens externa opera à deo præcepta, siue moralia, siue ceremonialia, sine vera fide & conuersione. Hoc vitium depingitur his verbis apud Isaiam, *Populus iste appropinquat ore suo, & labijs suis glorificat me cor autem eius longè est à me, & timuerunt me mandatis hominum & doctrinis.* Isdem verbis, & sequentibus, atque etiam passim per totam Scripturam hypocrisis à domino

Isai. 29. 13.

mino damnatur.

3. *Prophanitas*, quæ est totius religionis & cultus dei interni & externi, aut etiam alicuius partis diuini cultus remissio voluntatia, seu contemptus. Pugnat etiam ista prophanitas cum toto dei cultu in prima & secũda tabula. Nunc paulò plura *de superstitione*. *Ethelothreskia*, multis scripturæ locis reprehenditur à Domino. Sic per Mosen, *Non facietis ibi quæ nos hic facimus hodie, singuli quod sibi rectum videtur.* Et ibidem non multò post, *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito domino, nec addas quicquam, nec minuas*. Reprehenditur & per Isaiam, cuius verba ante citata proferuntur & ab ipso Christo ad damnandum superstitionem, vel *ethelothreskian*. Eadem damnatur & per Paulum, *Videte ne quis sit qui vos deprædetur per Philosophiam & inanem deceptionem, secundùm elementa mundi et non secũdùm Christum. Obiect. Talia dicta loquuntur de mandatis hominum impijs, deque ceremonijs Mosaicis & Judaicis. Resp.* Hoc esse falsum additæ quibusdam locis demonstrationes declarant, quæ & reijciunt illas leges humanas, quæ aliquid gratia cultus diuini præcipiunt quòd à Deo mandatum non est, licet illud sit res genere suo non à Deo prohibita. Sic reijcit Christus traditionem Iudæorum *de manibus lauandis*, de qua dicit: *Non quod ingreditur in os, polluit hominem, sed quod egreditur ex homine, hoc polluit hominem. Huc referri poterit & illud: Væ vobis, Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quoniam purgatis exterierem poculi patinæque partem, intus autem illa plena sunt rapina, & intemperantia.* Hæc & similia pijs extra opinionem superstitionis esse licita docet varijs locis Apostolus. *Qui curat diem, Domino curat: & qui non curat diem, Domino non curat: & qui edit Domino edit, gratias enim agit Deo: & qui non edit, Domino non edit, & gratias agit Deo.* Item, *Quicquid in macello venditur edite, nihil interrogantes propter conscientiam. Domini enim est terra & plenitudo eius.* Non igitur ita damnantur simpliciter, quatenus præcipiuntur vt diuini cultus. Eodem respectu

Deut. 12. 8. & 32.

Isai. 29. 13. Mat. 15. 8. Mar. 7. 17. Col. 2. 8.

Mat. 15. 11.

Mat. 23. 25.

Rom. 14. 6. 5.

1. Cor. 10. 25. & 26.

ſpectu damnatur & cœlibatus, maximè cùm ſit ille non niſi continentiæ dono præditis, res indifferens, iuxta illud Chriſti: *Quicunque poteſt capere, capiat: nemo non omnes* (vt ibid. Chriſtus) *capiunt hunc ſermonem, ſed*
Mat. 19. 12. *quibus datum eſt.*

Atque hæc eſt differentia inter res medias, & inter illas res quæ propriè ſunt cultus Dei. Oportet autem nos hanc differentiam diligenter obſeruare: 1. Quia cùm fingunt *homines cultus Dei, in his fingunt aliam voluntatem Dei, quod eſt fingere alium Deum.* 2. Quia *confuſis cultibus, confunditur verus Deus cum Idolis*, quæ humanitus excogitatis cultibus coluntur. 3. *Quicquid ex fide non eſt, peccatum eſt.* Cùm autem aliquis colendi Dei cau-
Rom. 14. 23. quid facit, neſciente conſcientia an Deus hoc modo coli velit, is non agit ex fide, ſed ignorans an placeat an verò diſpliceat illud opus ſuum Deo.

De Traditionibus.

VT porrò manifeſtum planè ſit *illud diſcrimen inter Diuini, & rerum indifferentium*, notabimus quatuor eſſe genera eorum quæ homines præcipiunt.

1. *Præcepta diuina. Quæ vult quidem deus vt homines proponant aliis obſeruanda: verùm non ſuo, ſed ipſius Dei nomine, nempe tanquam miniſtri & internuncij, non tanquam authoris.* Sic miniſtri doctrinam cœleſtem pro-
Deu. 17. 10. Prou. 6. 20. Mat. 18. 18. Luc. 10. 10. 1. Theſſ. 4. 2. 2. Theſſ. 3. 8. ponunt auditoribus & Eccleſiæ, parentes liberis, præceptores diſcipulis, magiſtratus præcepta decalogi ſubditis. Horum præceptorum obedientia, eſt & appellatur cultus dei, quia ſunt præcepta non humana, ſed diuina, quib. obedire neceſſe eſt, etſi nullius creaturæ authoritas, vel iuſſio intercederet, imò etiamſi omnes creaturæ præciperent contraria.

2. *Præcepta humana politica, quæ ſunt demonſtrationes circumſtantiarum neceſſariæ & vtiles ad ſeruanda præcepta moralia ſecundæ tabulæ.* Tales ſunt Leges poſitiuæ magiſtratuum

gistratuum,parentum,præceptorum. *Hærum Legum obedientia,quod ad genus attinet,est cultus Dei* : quia genus ipsius est morale,& præceptum Dei,scilicet obedientia erga magistratus & alios qui præsunt. *Quòd autem ad speciem facti,quod legibus istis præcipitur,id quidem non est cultus Dei:* quia cultus Dei sint illa opera, quæ oportet mandatum Dei facere,necesse est. Nisi verò tale quodpiam factum a gubernatore , vel magistratu præceptum esset, fieri aut omitti sine offensione Dei idipsum posset: veruntamen conscientiam obligant eiusmodi præcepta politica magistratuum aliorumque gubernatorum : id est,illa necessariò debemus exequi, nec sine offensione Dei negliguntur eoque propter hæc ipsa mandata magistratuum, obligamur & ad opera nobis iniuncta mandatis ijs etiam extra causã scandali (modò puram saluamque retinere velimus obedientiam) præstanda.Sic gestare arma per se non est cultus Dei, sed fit cultus Dei per accidens, quando magistratus illud præcipit. *Nam obedientia, quæ debetur magistratui, est cultus Dei.* Per accidens igitur hæ species fiunt cultus Dei , propter mandatum scilicet magistratus.

3. *Præcepta hominum Ecclesiastica seu ceremonialia, quæ sunt determinationes circumstantiarum necessariæ, vel vtiles ad seruanda præcepta moralia primæ tabulæ. Pertinent enim vel ad ordinem & decorum seruandum in congressibus Ecclesiæ, & in vsu ministerij Ecclesiastici, vel ad exercitia pietatis externa,siue publica siue priuata, vel ad vitandum scandalum infirmorum, & ad ducendos eos ad Ecclesiam & agnitionem veritatis.*cuius generis sunt,tempus, locus, forma,series concionum & precum, ieiunia, modus colligendi eleemosynas.*Harum quidem legum genus est morale ac proinde cultus Dei*,vt,cultus dei est audire verbum Dei, Deum tam publicè cum fidelium cœtu quàm priuatim precari,fratribus egenis eleemosinas conferre,participare sacramenta.*Ipsæ verò ceremoniæ non modò cultus Dei non sunt, sed etiam conscientias non*

obligant

obligant, neque, extra casum scandali, necessaria est earum obseruatio. Sic non est cultus Dei, sed res indifferens, & non obligans conscientias, hac vel illa forma preces concipere, hoc vel illo tempore, hac vel illa hora, hoc vel illo loco audire verbum dei, precari, administrare sacramenta &c. Nec tantùm Ecclesia potestatem habet constituendi, abrogandi vel mutandi sua autoritate hæc præcepta, prout communi ædificationi sui expedire iudicat: sed singulorum etiam conscientiæ hãc libertatẽ retinent, vt sine offensione Dei hæc omittere aut aliter facere possint, si scandalum non accedat, hoc est, si neque ex cõtemptu aut neglectu ministerij neque ex petulantia, aut ambitione, aut contentione nouitatisue studio, neq; cum offensione, infirmorum faciant. Ratio est, *quia tum rectè seruantur leges cum intra legis latoris mentem & scopum seruantur.* Debet autem Ecclesia de rebus medijs statuta nõ propter suam autoritatem aut iussionem, sed tantùm propter ordinem & decori conseruationem & scandalorum vitationem obseruari velle. Dum igitur decorum aut ordo non violantur, & scandalum non præbetur, liberam cuique conscientiam relinquit. Non enim propter mandatum Ecclesiæ vel ministrorum, sed propter iustas mandandi causas facere aliquando aut omittere res adiaphoras necesse est: ac non mandati alicuius humani, sicut in politicis, sed causarum neglectu conscientia violatur. Huc pertinet præceptum Pauli 1. Cor. 10. *Quòd si quis infidelis vos vocat, et vultis ire, quicquid apponitur vobis, edite, nihil interrogantes propter conscientiam. At si quis dixerit: Hoc idolis mactatũ est, ne edite propter illum, qui indicauit, & propter conscientiam. Domini enim est terra & plenitudo eius. Conscientiam autem dico, non tuam, sed alterius. Cur enim libertas mea damnatur ab alia conscientia? Et si ego per gratiam cibum participo, cur ob id impium iudicor, pro quo ego gratias ago?* Item, *decretum synodi Apostolicæ* Act. 15. *de idolothytis, sanguine & suffocato.* Item, *præceptum de velandis mulieribus.* 1. Cor. 11. *Item dies*

Dominj

Dominicus ab Ecclesia substitutus sabbatho in vsum ministerij &c.

Ob. Si edicta Magistratuum obligant conscientias, cur nõ etiam traditiones Ecclesiasticæ? Resp. Deus hanc potestatem, & authoritatem condendi leges politicas dedit magistratui, eamque hoc vinculo muniuit, vt minetur iram suam leges illas violantibus. Ecclesiæ autem vel ministris talem authoritatem non dedit. Verùm Leges, & constitutiones, quas ministri & Ecclesia sua authoritate præcipiunt, obseruari etiam Deus voluit, non quidem ex necessitate obediendi præceptis istis ab Ecclesia legibus, sed ex regula charitatis, id est, studio vitandi scandalum. Hæc responsio tradita est in his dictis Matt. 20. *Scitis, principes gentium in eas dominari, & qui magni sunt, licentia vti in eas: verùm non ita erit inter vos: sed quicunque voluerit inter vos magnus fieri, sit vester minister, &c.* 1. Pet. 5. *Neq; vt dominantes cleris, sed vt qui sitis exemplaria gregis.* Colos. 2. *Nemo vos damnet ob cibum vel potum, aut respectu diei festi, aut nouilunij, aut Sabbathi. &c.* Gal. 5. *In libertate, qua Christus vos liberauit, perstate.* Nec obscuræ sunt causæ, cur Deus hoc discrimen sanxerit: nimirum *vt conspicuum sit discrimẽ inter magistratũ politicum, cuius est imperare subditis, & vi corporali coercere non obtemporantes, & ministros Ecclesiæ, quibus imperium & potestas talis non est concessa,* sed mandatum est officium docendi homines de voluntate Dei. Item, *quia violatione legum Ecclesiasticarum sine scãdalo, non violatur prima tabula decalogi, cui seruire debent: at violatione legum politicarum etiã extra scandalum, violatur secunda tabula*, quia vel reipublicæ aliquid detrahitur, & societas politica læditur, vel aliqua eam lædendi occasio præbetur. Nec valet instantia: *Maiori siue digniori officio deberi maiorem obedientiam. Itaque ministrorum Ecclesiæ constitutiones nõ minùs necessariò seruãdas esse, quàm magistratus politici.* Debetur enim digniori maior obedientia in ijs quæ sunt ipsius officij propria Iam verò *propriũ magistratus politici officiũ est* condere

leges propter ipsum mandatum obseruandas: *Ministerij Ecclesiæ proprium est*, sonare præcepta diuina: Et *Ecclesiæ proprium est*, ordinare ceremonialia, quæ seruentur non propter mandatum humanum, sed propter vitanda scandala.

4. *Præcepta humana, pugnantia cum præceptis diuinis.* His obtemperari Deus prohibet, siue à Magistratu politico, siue ab Ecclesia aut ministris Ecclesiæ præcipiantur. Act. 5. *Oportet Deo magis obedire quàm hominibus.* Mat. 15. *Quare transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?*

His quatuor generibus eorum, quæ ab hominibus præcipiuntur, consideratis, facile est respondere ad obiectionem: *Iubet Deus obedire præceptis hominum*, primò *bonis, hoc est, non pugnantibus cum verbo Dei*. secundò, *à se præceptis per homines, vt ipsi præstetur cultus*: tertiò, *præceptis ex authoritate hominum pendentibus, paucis, non quidem cultus diuini causa, tamen propter conscientiam*: quartò Ecclesiasticis *siue ceremonialibus, non cultus, neq; conscientiæ, sed scandali vitandi causa.*

Ob. 2. Quæ instinctu Spiritus sancti præcipit Ecclesia, vt cum Ecclesia, sunt præcepta diuina ad cultum Dei pertinentia. Bonas autem & vtiles constitutiones Ecclesia sancit, gubernante Spiritu sancto. Ergo bonæ constitutiones ab Ecclesia sancitæ pertinent ad cultum Dei. Act. 15. 28. 1. C. 7. 40. *Resp.* Ad Maiorem. Genus quidem mandatorum, quæ instinctu Spiritus Sancti præcipit Ecclesia, pertinet ad cultum Dei. Genus hoc complectitur, Leges diuinas de non violanda charitate. De vitanda offensione. De seruando ordine, ac decoro in Ecclesia. Ac respectu huius generis constitutiones, instinctu Spiritus sancti sancitæ ab Ecclesia, sunt etiam diuinæ, seu dei constitutiones, quatenus nimirum sunt pars istarum Legum diuinarum, quarum cura & obseruatio nobis ab ipso Deo in verbo suo commendantur. Humanæ verò vel hominum sunt illæ constitutiones Ecclesiasticæ bonæ, quatenus specialiter designant, quod in genere diuinis

istis legibus fuit indicatum magis quàm expositum. Proinde non sunt cultus Dei quæ ad alendam mutuam inter nos charitatem & ordinem, decorumque seruandum, seu quæ ad vitanda scandala consulit, statuit, recipit, aut mandat Eccl. etiamsi in his eligendis, & constituendis ductu S. S. regitur. Dictat enim Eccl. S.S. vtrumq;, tum quid sit vtile ad vitanda scandala, tum quòd ea quæ vitandi scandali causa præcipiuntur, neque cultus Dei sunt, neque extra causam scandali obseruatu necessaria, eoq; quòd Ecclesia retineat libertatem de ijs deliberandi, aut illa mutandi, aut id extra scandalum omittendi.

Ob. 3. Quæ ad gloriam Dei fiunt, ijs colitur Deus. Determinata ab Eccl. fiunt ad gloriam Dei. Ergo hæc etiam sunt cultus Dei. Resp. Ad Maiorem: quæ ad gloriam Dei fiunt, scilicet per se. i. quæ ab ipso deo præcepta sunt, in hunc finem vt obedientiam nostram erga ipsum his operib. declaremus, ea sunt cultus dei: non autẽ quæ peraccidens seruiunt gloriæ dei. i. quæ ijs præstandis, quæ sunt à deo præcepta, seruiunt aliquando propter causas accidentales, quæ si non occurrant, honore deus affici potest, tam à facientibus ea, quàm ab omittentibus modò fiant vel omittantur ex fide.

Ob. 4. Exempla eorũ qui deum coluerunt absq; mandato confirmant hominib. esse permissũ colere deum cultu à semetipsis instituto. Res. Samuelis factum sacrificantis in Ramoth stabilire nequaquã poterit *ethelothreskian*. Nam quod ad sacrificia attinet erant cultus dei, quia erant à Deo præcepta: deinde quòd ad loca attinet destinata sacrificijs, erant libera, cùm nondũ arcæ fœderis erat destinatus locus. Vnde Samuel oppidũ vbi habitabat sacrificijs destinabat tanquam maximè commodum. Nouerat optimè. S. Propheta in hac circumst. loci, libera pijs relicta ante conditum à Solomone templum non positum fuisse cultũ dei. Deniq; quòd attinet ad personas, etsi Prophetæ non essent ex familia Aaronis tamen habebant propter officiũ extraord. sacrificandi 1. Sam. 7. 17.

facultatem. Manoath porrò vel ipse non sacrificauit, sed Angelo, quem Prophetam esse putabat, sacrificium offerendum tradidit: vel ipse iussum Angeli obtulit, atque ita nihil præter legem diuinam egit. Iud. 13. 19.

Sic etiam ad alia exempla quæ congerunt, facilis est responsio. *Abel & Noa* Gen. 4. & 8. *sacrificant*: sed non sine mandato Dei, quia sacrificarunt ex fide, Heb. 11. Fides autem sine verbo Dei nulla esse potest, Rom. 10. *Rechabitæ Ieremiæ 35. abstinent vino & agricultura ex præcepto patris sui Ionadabi, & propterea laudantur à Deo*: Sed Ionadabus non voluit nouum Dei cultum instituere, verùm præcepto politico à posteris luxum & peccata ac pœnas luxum comitantes auertere. Sic Dan. 10. *ieiunium Danielis*, & Ionæ. 3. *ieiunium Ninevitarum*, non erat cultus Dei, sed exercitium, seruiens precationi & pœnitentiæ excitandæ, quæ erant cultus Dei, qui in locis illis commendatur. Matt. 3. *in Iohanne Baptista*, non species victus & vestitus, sed sobrietas ac temperantia laudatur, & cultus Dei est. Heb. 11. non amictus ex ouillis & caprinis pellibus, oberratio in montibus, & speluncis, sed fides & patientia in calamitatibus, tanquam cultus Dei, celebratur.

Obiect. 5. Quicquid ex fide fit, ac Deo placet, est cultus dei: Hæc opera, sponte licet ab hominibus suscepta, ex fide tamen fiunt, & placent Deo. Hæc igitur opera ab hominibus suscepta sponte, sunt cultus dei. Resp. Ad cultum dei definiendum hoc non sufficit: aliter enim cultus Dei, aliter actiones adiaphoræ Deo placent. Cultus dei sic Deo placet, vt eius oppositum ipsi displiceat: ac proinde ex fide non possit fieri. Quæ autem per se Adiaphora sunt, sic probantur Deo, vt eorum opposita ipsi non improbentur.

TERTIVM

TERTIVM PRÆCEPTVM.

NOn vsurpabis nomen Domini Dei tui frustrà. Nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.

In primo & secundo præcepto formauit Deus mentes & corda, nunc format etiam externas actiones, idque in hoc & quarto.

Duæ sunt partes huius tertij præcepti. Prohibitio, & Comminatio. Prohibetur autem vsus nominis diuini temerarius, id est, in quacunque re falsa, vana, aut leui, quæ vel ad ignominiam, vel saltem non ad gloriam Dei spectat.

Nomen Dei significat 1. *Attributa Dei, vt, Cur quæris nomen meum, quod est mirabile? Hæc dices filijs Israel, Dominus* Gen. 32.29. *Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, & Deus Isaac, &* Exod. 3.15. *Deus Iacob misit me ad vos: hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generatione & generationem. Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius.* 2. *Ipsum* Exod. 15.4. *Deum: vt, Calicem salutis accipiam, & nomen Domini inuocabo.* id est, inuocabo Dominum. *Qui diligunt nomen tuum.* i. qui te diligunt. *Psallam nomini Domini altissimi. Im-* Psal. 116.4. Psal. 5.14. Psal. 7.18. *molabisq; Phase Domino Deo tuo de ouib. & de bobus, in loco* Deut. 16.2. *quem elegerit dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi. Cogito ædificare templum nomini Domini dei mei.* 3. *Voluntatem siue mandatum Dei,* idq; *vel patefactum & verum,* vel *simulatum ab hominibus. Ego venio ad te in nomine Domini* 1.Reg. 5.5. Deut. 18.19. &c. 1.Sa. 17.45. *exercituum.* 4. *Cultum Dei, fiduciam, inuocationem, celebrationem, professionem. Omnes populi ambulabunt vnusquisq; in* Mic. 4.5. *nomine Domini Dei nostri. Baptizantes eos in nomine Patris,* Mat. 28.19. *Filij, & Spiritus Sancti. Ego non solùm vinciri, sed etiam mori paratus sum in Hierusalem pro nomine Domini Iesu.* Act. 21.13.

Assumere nomen Domini, seu nominare, vel vsurpare nomen Domini, non quidem deus prohibet, sed vetat illud falsò aut leuiter vsurpari. Prohibitio igitur in hoc

præcepto est, *Non vsurpabis nomen Dei in vanum*: id est, non tantùm non peierabis, sed nec facies mentionem Dei inhonorificam. Sicut contra vel præter honorem ipsi debitum, nec etiam leuiter, nec sine iusta causa. Sicut autem in hoc præcepto prohibetur abusus nominis diuini: sic in eodem vice versa mandatur legitimus vsus diuini nominis. Itaque mandatum huius præcepti est, honorificè vsurpabis Nomen Domini, quo mandato non nisi honorificam & maiestatis sua dignam sui mentionem à nobis omnibus fieri, iubet: atq; vt in primo præcepto cultum sui externū sibi soli deferendum postulat, ita hîc externum sui cultum qui in vera ipsius confessione, & celebratione positus est, ab vnoquoque nostrum & publicè, quandocunque id exigitur ad illustrandam ipsius gloriam, & priuatim præstandum requirit.

Comminatio est adiecta, vt ostendat deus hanc etiam doctrinæ partem ex ijs esse, quarum violationem præcipuè detestatur ac puniat. Cùm enim celebratio dei sit vltimus & principalis finis ad quē conditus est homo, cumque summum bonum sit in homine celebratio Dei, consequitur summum malum esse, deum afficere contumelia, ideoq; summam pœnam huic malo deberi.

Virtus huius præcepti consistit in legitima, atque honorifica nominis diuini vsurpatione: cuius hæ sunt partes. 1. *Propagatio veræ doctrinæ*, non quidem illa, quæ fit publicè per ministerium, quæque pertinet ad officium docendi in Ecclesia, & de qua dicitur in quarto præcepto: sed hæc veræ doctrinæ propagatio est institutio pertinens ad singulos, quia priuatim quisq; debet alios ad cognitionē & celebrationem dei adducere, suo loco. *Docebis ea filios, ac nepotes tuos. Cùm interrogauerit te filius tuus cras dicens, Quid sibi volunt testimonia hæc & ceremoniæ, atque iudicia, quæ præcepit Dominus Deus noster nobis? Dices ei, serui eramus Pharaonis in Ægypto, & eduxit nos Dominus ex Ægypto in manu forti. Do-*

Deut. 20.
Deut. 6. 21.

cete filios vestros, vt illa meditentur, quando sederis in domo tua, & ambulaueris in via, & accubueris, atque surrexeris. Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Sermo Christi inhabitet in vobis copiosè, cùm omni sapientia, docendo & commonefaciendo vos mutuò Psalmis, hymnis, & cantionibus spiritualibus. Adhortamini alij alios, & ædificate singuli singulos. Deut. 11. 19. Luc. 22. 32. Col. 3. 16. 1. Thes. 5. 11.

2. *Prædicatio & celebratio Dei*, quæ est cõmemoratio operum, & proprietatum diuinarum, coniuncta cum earum approbatione & admiratione coram Deo & creaturis, eo fine vt significemus approbationem nostram, & reuerentiam erga Deum, vt Deus supra omnia emineat, & nostra subiectio ostendatur. Ideo *illi qui execrantur, peccant contra hoc præceptũ*, quia peccant contra celebrationem Dei, quum dicant impia de Deo, quasi ille esset eorum carnifex in vlciscenda eorum vindicta priuata, & peccant contra inuocationem, cum petant à Deo pugnantia contra ipsius verbum. Aliquis obijciet. *Quibus Deus mala imprecatur eis etiam nobis licet. Resp. 1. Imprecationes quæ fiunt cum conditione absoluta sine prophetia & singulari reuelatione, sunt peccata. 2. Fieri debent sine priuato odio & cupiditate vindictæ. 3. Respectu solius gloriæ Dei & conseruationis veræ Ecclesiæ. 4. Non est imprecandum, quatenus malum est*, id est destructio eorum aduersus quos fit imprecatio. Ps. 22. 23. 63 & 104. 116. 119. &c.

3. *Confessio veritatis de Deo cognitæ*, quæ est ostensio nostræ sententiæ, de Deo & eius voluntate, ex verbo Dei certò cognitæ: quia pro ratione officij nostri, nostram sententiam significamus & ostendimus, ad illustrandam Dei gloriam, & promouendam aliorum salutem. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Estote semper parati ad respondendum cuilibet petenti rationem eius spei, quæ in vobis est, cum lenitate & reuerentia.* Et hinc patet, *agentes vitam vitiosam contra hoc præceptũ peccare, quia peccant contra confessionem:* cùm glorientur se esse Christianos, atq; aliud vita & moribus declarent. Hæ tres iam propositæ partes, aut Rom. 10. 10. 1. Pet. 3. 15.

virtutes legitimi vsus nominis diuini, eo conueniunt quòd sint commemoratio veræ sententiæ de deo: rursus eo differunt, quòd *doctrina, seu veræ doctrinæ propagatio* spectat aliorum instructionem. *Celebratio* Dei nostram approbationem & subiectionem. *Confessio cognitæ veritatis* certitudinem nostræ sententiæ.

Num. 25. 9. 1. Re. 19. 10. 4 *Zelus Dei*, qui est ardens amor Dei, & dolor propter ipsius contumeliam & contemptum, & conatus depellendi illam contumeliam à nomine Dei, & vitandi ab aliis. A singulis requitur hic zelus ad gloriam Dei suo loco & pro officij sui ratione vindicandam.

5. *Inuocatio Dei*, quæ est petitio, qua petimus à vero Deo non alia bona, quàm quæ Deus à se solo peti iussit, profecta ex desiderio beneficentiæ diuinæ, facta in vera conuersione, & fiducia promissionum diuinorum propter Mediatorem. *Confitemini Domino, & inuocate nomen eius. Petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Hæc est fiducia quam apud Deum habemus, ipsum, si quid petierimus secundum voluntatem eius, nos audire.*

Psa. 105. 1. Mat. 7. 3. 1. Ioa. 5. 14.

6. *Gratiarum actio*, quæ est agnoscere, & fateri, quæ & quanta beneficia à Deo acceperimus, & ad quam obedientiam Deo propter illa obligati ad parendum simus: ideoque velle illi ex animo obedientiam præstare quoad possumus. *Quicquid egeritis sermone aut facto, in nomine Domini Iesu facite, gratias agentes Deo & Patri per eum. In omnibus gratias agite. Hæc enim est voluntas Dei per Christum Iesum ergo vos. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius.*

Col. 3. 17. 1. Thes. 5. 10. Psal. 107. 1.

7. *Iuramentum legitimum, quod est species inuocationis.*

De Iuramento quæstiones præcipuæ.

1. *Quid sit Iuramentum.*
2. *Per quem suscipiendum.*
3. *De quibus rebus iurandum sit.*
4. *An omnia iuramenta sint seruanda.*
5. *An legitimum iuramentum Christiano sit licitum.*

1. *Quid*

Quid sit Iuramentum.

IVramentum est inuocatio Dei, qua petitur vt Deus qui est cordium inspector, sit testis iurantis quòd non velit fallere ea in re de qua iurat, & puniat iurantem si fallat. Hac definitione quatuor reliquæ quæstiones etiam comprehenduntur. *Sancitum porrò iuramentum est à Deo vt sit vinculum veritatis inter homines, ac testimonium quòd Deus sit autor ac defensor veritatis.* Iuramentum sæpe pro toto cultu diuino vsurpatur, quia per quem quis iurat eum profitetur sese habere pro Deo. 2.Ram.2.31. 2.Cor.1.23. Deut.10.20.

2. *Per quem sit iurandum.*

PEr *solum Deum est iurandum.* 1. Quia *Deus præcepit vt per se solum iuretur*, sicut & ipse solus est timendus & colendus. 2. *Deus inuocationem sibi vult soli tribui.* Ergo & per se solum vult iurari, cùm iusiurandum sit inuocatio dei. 3. *Iuramentum tribuit ei, per quem iuratur, inspectionem cordium, exauditionem, atque infinitam sapientiam, & scientiã.* Solus autem deus est inspector cordium, *Ipse sciebat quid esset in homine.* 4. *Per quẽ iuratur, ei tribuitur executio pœnæ, atque omnipotentia, qua nimirum defendat veritatem, puniat mentientem:* atqui solus Deus est omnipotens, atq; executor pœnæ. *Ne timete vobis ab ijs qui trucidant corpus, animam autem non possunt trucidare, sed timete potiùs eum qui potest & corpus & animam perdere in gehenna.* Iurandum igitur est non nisi per solum Deum, ac proinde iuramenta per sanctos idololatrica sunt, & à Deo prohibita. Deut.10.20. Ioan.2.28. Mat.10.28.

Obiect. Atqui Iosephus iurauit per salutem seu vitam Pharaonis: Ergo etiam per homines seu creaturas licet iurare. Resp. Aliqui concedunt eum peccasse, scilicet errasse Ethnicorum more, qui per reges solebant iurare, vt celaret fratres quis esset: sed possumus aliter etiam respondere, nempe non fuisse iuramentum propriè, sed asseuerationem duntaxat euidentiæ causa factam cum collatione alicuius rei certæ: vt sit sententia talium asseuerationum, ea quæ asseuerantur tam esse certa, quàm certo homo ille, quem (vtpote notum adhuc & viuum Gen.42.15. Heb.6.16. Ier.5.6.

& viuum) nominat iurans, viuat, aut quàm certò optat iurans illum hominem viuere. sic etiam asseuerationis Iosephi sensus erit, viuit Pharao, id est, quàm verè Pharao viuit, aut saluus est, vel quam verè ego eum viuere, & saluum esse opto, tam verè hæc dico. Idem sensus est similium.

1.Sam.12. 26.& 17.56.

3. *De quibus rebus iurandum sit.*

IVrandum est. 1. *de rebus veris*, quia qui de falsis iurat, facit Deum mendacij testem. 2. *De certis.* qui.n. iurat de incertis, iurat mala conscientia, & cum Dei contemptu, cùm audeat Deum facere eius rei testem, quam nescit an sit veritas, an verò mendacium: & qui sic iurat, ei perinde est, siue mendacij, siue veritatis testem constituat Deum, & simul petit vt Deus vel testimonium det mendacio, vel si non velit haberi testis mendacij, ipse iurantem puniat. 3. *De licitis*: nam qui de rebus illicitis iurat, facit Deum & fautorem, & illius quod lege prohibuit approbatorem, atq; ita Deum facit sibi contradicentem: quia petit vt deus ipsũ puniat, si faciat quod præcipit: deinde, aut propositum habet faciendi contra Dei mandatum: aut si non iurat seriò allegat deum mendacij testem. Quæ non debemus facere deo prohibente, eadem nec iurare quisque debet. 4. *De possibilib.* quoniam de impossibilib. qui iurat, is vel insanit, vel hipocriticè iurat, eoq; iurat de mendacio: nempe se facturum iurat id quod nec vult nec fiet. 5. *De rebus grauib. necessarijs, vtilib. dignis tali at tanta confirmatione, eamq; per iuramentum confirmationem, postulantib. propter gloriam Dei, & proximi salutem.* Quia qui leuiter iurat non ostendit reuerentiam deo, & qui facilè iurat facilè peierat. Principalis autem causa iuramenti debet esse gloria Dei primùm, deinde salus proximorum tam priuata, quam publica.

Ob. Futura sunt incerta: de futuris ergo non est iurandum.

Resp. De euentu non est iurandum, qui videlicet non est in nostra potestate: sed de voluntate nostra præsenti, ac de quo nunquam non quis potest esse certus,

certus, iurare licitum est.

4. *An omnia iuramenta sint seruanda.*

Iuramenta de rebus licitis, veris, certis, grauib. & possibilibus rectè concepta necessariò sunt seruanda. Si. n. semel cognoueris & testatus fueris te iustè obligari ad seruanda promissa, Deumq; appellaris testem, vbi deinceps sciens ac volens fidem fallis, obligationem iustã violas. *Iuramenta autem de rebus illicitis facta siue per errorem, siue per ignorantiam, siue per infirmitatem, siue contra conscientiam, peccatum est seruare.* ac proinde iuramẽta istiusmodi retractanda sunt, ne videlicet peccata peccatis addantur. Nam *qui seruat iuramentum de rebus illicitijs, peccatum peccato cumulat, tum quòd iurauit, atque ita voluntatem habet peccandi, tum quòd iurata efficere conatur*, atque ita iuramento voluntatem illam peccati confirmat: quæ enim Deus prohibet, ea nec iurata vult seruari, & quæ promittere vetat aut iurare, ea tantò magis facere prohibet, quanto facere quàm promittere grauius est. Seruantes igitur id quod malè iurarunt, peccatum peccato cumulant, vt Herodes interficiens Baptistam prætextu iurisiurandi: item seruantes vota monastica, quibus iurarunt idololatriam & impium cœlibatum. Nec valet argumentum, *iusiurandum necesse est seruare: Hæc autem illi iurarunt: Ergo debent seruare.* Maior. n. vera est de iuramento licito. De re autem à deo prohibita factum iuramentum non est seruandum, quia non est iuramentum legitimum, quod pœnitentiam agendo, & à malo proposito desistendo, non autem in eo persistendo, & illud exequendo, corrigitur, iuxta dictum. Ep. 4. *Qui furabatur, non amplius furetur, &c.* & iuxta exemplum & doctrinam Dauidis. 1. Sa. 25. qui Nabalem iurat se perditurũ vnà cum familia, dicens: *Sic faciat deus inimicis Dauidis, & sic addat, si reliquero ex omnib. quæ habet, vsq; manè, mingentẽ ad parietem:* Audita verò Abigaele, gratias agit deo, quòd impedita sit per eam executio iuramenti, & nouo iuramento confirmat, hoc esse beneficium Psal. 15. 6.

beneficium diuinum, inquiens: *Benedictus Iehoua Deus Israelis qui misit te hodie in occursum mei, & benedictũ eloquium tuũ, & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie ne venirem in sanguines, & seruaret manus mea me. Et certè viuit Iehoua Deus Israelis, qui prohibuit me ne malè facerem tibi.*

Obiect. 1. *Qui iurat se aliquid facturum quod potest, nec facit, is constituit Deũ testem mendacij.* Resp. Qui iurat, scilicet licium quidpiam quod potest, nec id facit, constituit Deum testem mendacij: mali enim retractatio bona est.

Obiect. 2. *Seruatum est Gibeonitis iuramentum de pace, contra mandatum Domini. Licet igitur iuramentum de rebus illicitis factum seruare.* Resp. 1. Non excludebantur à pace pacem petentes, & religionem suscipientes. 2. Non ideo seruatur Gibeonitis iuramentum, quòd ad illud obstringantur, sed. 1. *Propter vitationem scandali,* quo deformari poterat nomen Dei non seruato iuramento. 2. *Quia etiam sine iuramento licebat seruare pacem petentibus & religionem admittentibus.*

Ex his, quæ *de seruando legitimo iuramento,* dicta sunt, respondetur ad quæstionẽ, *An extorta sint seruanda, seruanda* sunt extorta, *si nõ continent aliquid quod sit illicitũ aut si habent cõditiones suprà positas,* etiamsi sint nobis inutilia ac detrimentosa. *Ad impia verò iuranda nemo debet adigi; nec extorqueri quidem debent vllis torturis impia iuramenta, sed potius est moriendum. Si quæ tamen impia iuramenta facta sint ex metu, vel infirmitate contra conscientiã, illa non obligant, & sunt retractanda, quia quod impium est actu, est & impium iuratu: neq; peccatum peccatis est cumulandum. Extorta autem iuramenta, sed non impia, de rebus nimirum licitis & possibilibus, etiamsi damnosis, ac difficilibus, sunt seruanda. Si verò postea impossibilitas accedit, non obligant de rebus licitis extorta iuramenta: quòd si nõ accedit impossibilitas, omnino sunt seruanda, quia minus malũ tenetur lege diuina elegere.* Si iustũ est facere quod coactus promisisti, iustũ est etiam iuramento te id facturũ promittere. Nã quod facere licet, hoc licet etiam promittere iura-

iuramento præstandum. vt, in latronem incidēs, si latro postulet summam pecuniæ pro vitæ redemptione, certè non tantùm licet ei, sed etiam debet, si possit, præstare quod latro postulat, Quòd si hoc iustè præstatur latroni, etiam iustè hoc eidem iuramento promittitur. Similiter, & licet eidem latroni silentium iureiurando promittere, ac tale iuramentum de promisso latroni silentio factum, & licet, & debet seruari.

Obiect. *Quod est damnosum Reipublicæ, non est promittendum, aut si promissum fuit, non seruandum: tale silētium latroni promissum est damnosum Reipublicæ: non igitur promittendum, aut si promissum fuit, non seruandum.* Resp. 1. Ad maiorem, quod damnosum est Reipublicæ, non est promittendum, scilicet si possemus id facere sine periculo vitæ nostræ. Deinde si eo ipso temporis articulo, quo quis in tali vitæ discrimine constitutus est, non propriæ illi saluti potiùs sit consulendum, quàm tale iudicium faciendum. 2. Nego Minorem, quia Reip. potiùs est vtile, silentium latroni promittere, promissumque seruare: ipse enim, qui silentium latroni iuramento promisit, hac ratione seruatur. Imò verò quòd si latroni mortē minitanti non promitteret iuramento silentium, nec sibi consuleretur, nec Reip. Silentium igitur iureiurando latroni promittere cùm minus malum sit, est eligendum.

5. *An legitimum iuramentum Christiano sit licitum.*

IVramentum *Christiano licitum esse*, præterquam quòd necessariò colligitur ex ijs, quæ iam de iuramento dicta sunt, etiam varijs rationibus cōfirmatur. 1. *A fine iuramenti. Est enim iuramentum confirmatio fidei, & veritatis, decisio litium, vinculum politici ordinis, laudemque & veritatis vindicationem Deo tribuit.* Iuramentum ergo Christianis est licitum & necessarium, quia confirmatio fidei ac veritatis, ac decisio litium omnibus est vtilis, licita, necessaria, Deoque glorioſa. 2. *A definitione*

Exo. 22. 11. Heb. 6. 16.

finitione iuramenti, quia iuramentum est testificatio veritatis, est & inuocatio Dei, qua petimus à deo, quæ ipsius naturæ, ac voluntari in verbo patefactæ conueniunt, scilicet vt testimonium det veritati, Hæc autem inuocatio dei est licita: licitum igitur est iuramentum Inuocatio est cultus dei. Ergo & iuramentum censeatur cultus dei necesse est. 3. *A mandato diuino. Dominum deum tuum timebis, & illi soli seruies: ac per nomen illius iurabis. Qui iurat in terra iurabit in Deo, Amen. Et erit, si eruditi didicerint vias populi mei, vt iurent in nomine meo, viuit Dominus,*

Deu. 6. 13.
Deu. 10. 20.
Isai. 6. 19.
Ier. 12. 16.

Huc referuntur inprimis ij Scripturæ loci, quibus iuramentum pro vero Dei cultu sumitur. 4. *Ab exemplis sanctorum* quorum iuramenta in Scripturis approbantur. Neque tantùm piorum Patrum, & Prophetarum, probant iusiurandum legitimum pijs esse licitum: sed & idem cofirmant Apostoli suo exemplo, præcipuè verò Paulus, qui pluribus locis iuramento interposito verissima esse quæ profero euincit. Vt quando dicit præter alia multa, *Testis enim mihi est Deus, cui seruio Spiritu meo in Euangelio filij ipsius, quòd &c. Ego verò Testem Deum inuoco in animam meam, me idcirco nondum venisse. Veritatem dico per Christum, non mentior, attestante mihi simul conscientia mea per S. S. Inuoco deum testem in animam meam* id est, inuoco Deum in caput meum, siue vitæ meæ periculo, tanquam vindicem vindicantem iniuriam si mentiar. *Testis enim mihi est Deus quàm propensè amem vos. Vos testes estis & Deus, quomodo sanctè, & iustè, & inculpatè vobiscum, qui creditis, vixerimus.*

Isa. 45. 23. & 48. 1.
Psa. 63. 10.
Iere. 4. 2.
Gen. 21. 23. &c.
Roma. 9. 1.
2. Co. 1. 23.
Rom. 9. 1.

Hæc & similia exempla satis demonstrant *iurare legitimè de rebus licitis omninò Christianis esse concessum.* Proinde *omnia dicta quæ videntur prohibere iuramenta prohibent temeraria, vel non habentia illas legitimas iuramenti causas & conditiones*, id quod patet ex collatione locorum veteris ac Noui Testamenti atque ex scopo Christi, qui voluit vindicare Legẽ à corruptelis Pharisæorum. Vide apud Matthęum, cap. 5. temeraria, & non necessaria iuramenta prohibentur: atque hoc

Phil. 1. 8.
1. The. 2. 10.

ita esse constat, tum ex aliorum locorum collatione, tum ex scopo Christi, qui veram (vti dictum est) sententiam Legis à Pharisæorum corruptelis vindicans, omnia iuramenta, superflua, ac non necessaria, eaque non tantùm directa, in quibus ipsum Dei nomen exprimitur, sed etiam indirecta, seu obliqua, in quibus Dei nomen dissimulatum creaturis nominatis intelligitur, tertio præcepto damnari docet. Atque ita taxat hypocrisin Pharisæorum, qui in directas aut obliquas iurandi formulas excusabant, quasi non viderentur temerè iurando nomen Dei prophanare, si iurantes deum non nominarent: & quasi non essent periuri, si in iuramento nomen Dei non exprimentes postea fidem indirecta illa iurandi formula datam fallerent: At Christus ostendit *etiam tunc iurari per nomen Dei, cùm Cœlum, & terra nominatur*, quia nulla est pars mundi cui non insculpserit Deus gloriæ suæ notam. Et cùm per cœlum & terram iuratur, ipsius opificis intuitu, non in creaturis subsistit iurisiurandi religio, sed Deus ipse solus aduocatur in testem, productis in medium gloriæ eius Symbolis. Neque Deus hæret in verbis, verùm potiùs in sententia, quàm in Symbolis, honor aut contumelia diuini nominis consistit: quemadmodum & Christus hoc ipsum disertis verbis docet Matt. 23. quæ cum hoc loco nunc explicato conferenda sunt. *Ob. Atqui Christus dicit, Ne iuretis omnino. Resp. Omnino* refertur ad varias iurandi formulas, non ad ipsum verbum iurandi: quasi diceret, falsò, vel temerè non iuretis omnino. nempe nec directè, nec indirectè. *Qui enim per templum, per cœlum, per terram iurat*, is tam vera esse dicit, quæ asseuerat quàm verè templum est domus dei, cœlum sedes dei, terra scabellum pedum, &c. Hoc autem perinde est, ac si per vitam Dei iuret. Prouocat enim deum ad honorem suum tuendum, puniendo iurantem, si fallat. *Obiect. Iuramentum pertinet ad Iusiurandum publicum nõ ad priuatum. Resp.* Negatur ista restrictio, quia quæ de

iuramento

iuramento tradit Scriptura, neque restringuntur ad publicum duntaxat iuramentum: imò magnam partem illa euincunt, *legitimum iuramentum non minus licitum esse Christianis priuatim, quàm publicè*, quemadmodum id ipsa sacræ Scripturæ testimonia satis demonstrant. 2. *Exempla sanctorum* priuato iuramento veritatem confirmantium, atque alijs dantium priuatim fidem, similiter declarant manifestè priuatum quoque iuramentum legitimè conceptum pijs & Christianis esse licitum. 3. Idem probatur & *à fine iuramenti*: huius enim finis, confirmatio scilicet fidei & veritatis, ac decisio litium ad omnes Christianos etiam priuatim spectat, ac proinde ipsum quoque iuramentum, quo fidem & veritatem confirmamus.

Isa. 65. 16. Iere. 4. 2. Heb. 6. 15. Gen. 31. 53. Ruth. 3. 13.

His obedientiæ partibus opposita sunt peccata, quibus vel recta vsurpatio nominis diuini omittitur, vel mala vsurpatio committitur.

Propagationi doctrinæ de deo, opponitur *omissio siue neglectus occasionum et facultatis erudiendi alios, et ad veritatis agnitionem perducendi*, præsertim liberos aut alios, qui fidei & curæ nostræ sunt commissi. Huc pertinet parabola de seruis negotiantibus. Mat. 25.

Item, *tædium seu fuga colloquiorum de Deo et rebus diuinis*. Psal. 119, *Statutis tuis delectabor, non obliuiscar verborum tuorum*. Ibidem: *Longè est ab impijs salus, quia statuta tua non inquirunt*.

Item, *corruptelæ religionis & doctrinæ cælestis*, quib. falsum aliquid de Deo, & ipsius voluntate, aut operibus asseueratur, aut spargitur. Ierem. 14. *Falsum vates vaticinantur eis in nomine meo, &c. Gladio & fame consumetur vates illi, &c.*

Prædicationi & celebrationi Dei repugnant 1. *Contemptus Dei*, & omissio celebrationis eius. 2. *Contumelia Dei siue blasphemia*, quæ est de Deo pugnantia cum ipsius natura, proprietatibus & voluntate dicere, siue ex ignorantia siue ex odio veritatis: & ipsius Dei: ac puniri illum à Deo, qui peccatum illud ex odio veritatis,

Leu. 24. 16.

aut

aut etiam Dei, committit, ita vt non agat postea pœnitentiam.

Distinguit autem Scriptura blasphemiam in Deum, id est, quicquid contumeliosè in Deum dicitur, siue ex ignorantia, siue contra conscientiam, vt 1. Timoth. 1. *Qui prius eram blasphemus, & persecutor, & iniuriosus, sed mei misertus est. Mam ignorans id faciebã fidei expers &c.* à blasphemia in S.S. quæ est contra conscientiam oppugnare agnitam veritatem diuinam, de qua testimonio spiritus sancti mentes conuictæ sunt: quod peccatum qui committunt, à Deo cæcitate puniuntur, vt pœnitentiam non agant, neq; remissionẽ consequantur. Matth, duodecimo. *Quoduis peccatum et blasphemia remittetur hominibus: blasphemia verò in spiritum, non remittetur hominibus.*

Confessioni veritatis aduersantur .1. *Negatio veritatis propter metum odij, vel crucis, vel ignominiæ.* Hæc duplex est: *prior est vniuersalis, & propria improborum ac blasphemorum, defectio scilicet à veritate, destinato consilio eam abijciens.* Hæc si fiat contra veritatem certò agnitam, est peccatum in S.S. *Altera est particularis, negatio scilicet infirmorum*, quæ fit aut ex errore non voluntario, nec affectato, aut ex metu crucis, manente in corde inclinatione, & dolore illam infirmitatem, & negationem auersante, aliquo proposito ex ea eluctandi, atque obtemperandi deo, applicando sibi promissionem gratiæ. Mat. 12. 24. 1. Ioa. 5. 16. Heb. 6. 6.

.2. *Dissimulatio veritatis, vbi gloria dei et salus proximi confessionem veritatis postulat: tum autem postulat illam cùm falsæ opiniones de Deo, deq; ipsius voluntate, aut verbo, vel de Ecclesia in animis nostro silentio confirmari videntur*, seu *cùm ea manent occulta, quæ ad vindicandam dei gloriam ab obtrectationibus impiorum ad conuincendos pertinaces, atq; ad erudiendos dociles, Deus vult esse nota*, seu denique, *quando silentium nos de approbatione malorum suspectos facit.* Petrus *iubet nos esse semper paratos aut instructos ad respondendum* de summa & fundamentis Euangelicæ doctrinæ: ita tamẽ vt apud quosuis omnia non 1. Pet. 3. 15.

necesse sit exponere, sed apud eos omnes qui postu-
lant rationem fidei nostræ, scilicet eius vel discendæ,
vel cognoscendæ causa. Quos verò videmus verâ do-
ctrinam ipsis expositam, & confirmatâ deridere, sti
fidei nostræ rationem in super petentibus nequaqu
respondere nos oportet, iuxta illud Christi, *Ne date sa-*
Mat. 7. 6. *ctum canibus, nec proiicite margaritas porcis:* id quod & ip
se Christus comprobat exemplo suo. *Obiect.* Nos vi-
demus quinam sint porci & canes: omnibus igitur pro-
Mat. 16. 63. *reddenda est fidei nostræ ratio.* Resp. 1. Christus non omn
Luc. 23. 9. impios vocat porcos aut canes, sed eos demum q
probatam doctrinam, eamque auditam & ipsis ex
sitam contemnunt ac derident. 2. Christus non nos
nos iudicare de canibus, aut porcis, & arcanis cor
um, sed ex dictis & factis eorum.

Si rursus instetur, *In rebus difficilibus iudicatu, nis
ta & exacta regula iudicandi & agendi traditur, dubia re
linquuntur conscientiæ. At si etiam de externa specie porci
& canum agatur, difficile est pronuntiare, qui sint pro
& canibus habendi. Ergo in dubio relinquuntur conscien
apud quos & quando sit edenda confessio.* Minor negan
Non enim, nisi manifestam contumaciam dictis &
ctis ostendentes. Christus vult pro porcis & canib
haberi, de quibus ex verbo Dei non difficile est iud
re. Item, promittitur petentibus Spiritus sanctus, q
iudicia & actiones ipsorum gubernentur, vt nó erre
Ac denique cùm legis diuinæ perfectioné in hac v
ta neq; in alijs neq; in hac parte assequamur, qui pe
tionem diuinæ gubernationis cum serio gloriæ De
studio, & proximi dilectione coniungũt, certi esse po
sunt & debent, aut sic regi sua consilia à spiritu sanc
vt non errent, aut si errent condonari sibi errorem.
que hæc certitudo ad retinendam bonam conscient
am sufficit. Si postremò obijciatur, *Tyrannos & malos
magistratus persequentes Ecclesiam esse porcos & canes. Er
go secundum Christi præceptum, interrogantibus illis ra
esse respondendum de religione*, Respondetur, Esse fallac-

am

am accidentis. Interrogantibus enim magistratibus, vel alijs ipsorum iussu ac nomine, cùm propter ipsorum officium, cui obediẽtia debetur, tum propter Dei gloriam necesse est responderi de nostra confessione, iuxta dictum Christi, Marc. 8. *Quemcunque puduerit mei ac meorum sermonum in natione ista adultera & peccatrice, filium etiam hominis pudebit eius, quando venerit in gloria Patris sui cum sanctis angelis.* & Mat.10.& Luc.12. *Cum adduxerint vos ad synagogas,& magistratus ac potestates,ne soliciti estote, quomodo, aut quid pro defensione allaturi, aut quid dicturi sitis. Spiritus enim S. docebit vos eo ipso momento, quæ oporteat dicere,&c.* 4.*Abusus libertatis Christianæ*,seu scandalum datum in rebus adiaphoris,quod est vsu adiaphororum, errores in animis aduersariorũ aut infirmorum confirmare, aut eos à vera religione abalienare, aut exemplo ad imitationem cum mala conscientia coniunctam prouocare. Rom. 14. *Ne vestrum bonum blasphemator. Videte ne potestas vestra offendiculo sit ijs,qui infirmi sunt.*

5. *Omnia scandala in moribus,* cùm scilicet impij & blasphemi,quiq; vitam agunt flagitiosam, de Deo sine fide garriunt. *dei nomẽ propter vos blasphematur inter gentes.* Peccatori autem dixit deus,*quare tu enarras iustitias meas & assumis testamentum meum per os tuum? tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum.* Isai.52.5. Rom.2.24. Psal.50.17.

Zelo pro Dei gloria opponitur 1. In defectu, *Ignauia seu lentitudo in asseueranda Dei gloria,* quæ est, *vel nõ affici dolore propter contumeliam Dei,* atque ita gloriam dei non curare: *vel non habere, & ostendere dictis & factis studium prohibendi cõtumeliam Dei pro officij sui ratione,* vel gloriæ diuinæ zelum simulare. In hoc vitium incurrunt qui non prohibent iuramenta temeraria & blasphemias, quia non ducuntur zelo propter gloriam Dei,quo improbent & prohibeant (secundum gradus tamen officiorum)id quod Deus improbat,& prohibet. 2. In excessu,*Zelus errans,*aut zelus erroris, qui est irasci dictis ac factis,quibus gloria Dei lædi falsò existimatur.

Rom. 10. 3. Hoc autem fit, cùm *aut id quod gloria Dei non est, nec defendi debet, existimamus esse gloriam Dei, ac defendere conamur:* aut, *id quod non est gloriæ diuinæ læsio, nec debet ullo modo depelli, arbitramur esse læsionem gloriæ Dei, & depellere studemus:* deinde, *cùm vel gloria Dei alio modo defenditur, quàm debebat illa defendi, vel gloriæ diuinæ læsio propulsatur alio modo, quàm quo debebat propulsari.*

Gratiarum actioni contraria sunt 1. *Omissio gratiarum actionis, aut ingratitudo,* quæ vel nunquam vel raro cogitat & celebrat beneficia Dei, vel si cogitat, id fac frigidè. 2. *Gratitudo hypocritica,* qua dissimulamus magnitudinem beneficiorum Dei, nec ea æstimamus tanta, quanta sunt reuera. 3. *Beneficiorum Dei negatio, vel extenuatio,* vel seipsum, & alios eorum autores fingere. *Quid habes, quod non accepisti? quòd si etiam accepisti, quid gloriaris, vt qui non acceperis?* 4. *Neglectus donorum Dei,* quando scilicet illa non ad gloriam Dei, sed ad

1. Cor. 4. 7. Eze. 16. 15. Ose. 2. 8. ipsus & ignominiam dei conferuntur.

Iuramento legitimo opponuntur. 1. *Iuramenti legitimi recusatio,* quando quis detrectat facere iuramentum, quod gloria dei & salus proximi postulant. 2. *Quando sciens & volens, aliquis per iuramentum fallit, siue in testimonio dicendo,* siue in promissione de sua voluntate. 3. *Iuramentum Idololatricum,* quod per aliud fit præter quam per verum deum. 4. *Iuramentum de re illicita,* vt Herodis. 5. *Iuramentum temerarium.* Et hæc breuiter complectar. Aduersatur legitimo iuramẽto iuramentum quodlibet illegitimum, ac deinde Iuramenti legitimi detrectatio.

Inuocationi Dei repugnant. 1. *Neglectus siue omissio inuocationis,* quæ tanquam totius impietatis fons reprehenditur. Ea est nec petere à deo, nec expetere beneficia nobis necessaria. 2. *Inuocatio omnis illegitima,* in qua nimirum desideratur aliqua conditio earum rerum quæ ad legitimam ac veram Dei inuocationẽ requiruntur. *Huius inuocationis illegitimæ species præcipuæ sunt*

Mat. 6. 7. *Battologia & Petitio earum rerum à Deo, quæ diuinæ*

voluntati

voluntati & legi repugnant. 3. *Preces conceptæ sine vero cordis affectu,* sine desiderio diuinæ beneficentiæ, tantùm verbis, aut gestu corporis, vel sine subiectione voluntatis nostræ voluntati diuinæ, sine vera pœnitentia, sine fide exauditionis, sine cogitatione diuinarum promissionum, sine fiducia solius Mediatoris, & sine agnitione indignitatis nostræ. Iac. 4. 3. Mat. 6. 15. Iac. 1. 6. Mat. 7. 7. Ioa. 16. 23. 4. *Inuocatio Idololatrica.* Sicut enim in primo præcepto vetat Deus sibi honorem debitum, animo seu cogitatione ad alios transferre: vt in secundo præcepto vetat alium, præter eum quem ipse instituit cultum sui nominis exerceri: sic in hoc præcepto tertio vtriusque rei, (nempe tum alterius præter verum Deum, tum alieni cultus vero Dei cultu neglecto) professionem vetat, ac proinde talem adorationem damnat. *Idololatrica inuocatio est Ethnicorum, item inuocantium Angelos, aut mortuos sanctos, quia tribuunt illis honorem soli Deo debitum.*

Obiectiones Papistarum sanctos demortuos inuocantium.

1. *DEo debetur cultus* λατρειας, *quæ nimirum* λατρεια *Deo tribuit vniuersalem potentiam: sanctis autem debetur cultus* δουλείας *quæ nimirum* δουλεια *est veneratio, qua sanctos propter ipsorum sanctitatem veneramur. Resp.* Venerationem sanctis non detrahimus, quæ est agnitio & celebratio fidei ipsorum: sed inuocantes exaudire non nisi solus Deus potest, ac proinde soli Deo tribui debet hic honor, quòd inuocantes exaudiat.

2. *Quos Deus honorat, eosdem debemus & nos honorare. Sanctos Deus honorat. Ergo &c. Resp.* Concedimus hoc de honore quem sanctis Deus tribuit: in eo siquidem non comprehenditur inuocatio, quæ videlicet est honor tribuendus vni Deo apud Isaiam dicenti, *se gloriam suam alteri non daturum.* Isai. 42. 8.

3. *Exaudit Deus virtute propria: sancti gratia duntaxat exaudiunt. Resp.* Deus non communicat istas proprietates alijs, per quas ipse à creaturis vult discerni. 1. Re. 18. 24. 2. Par. 6. 30. Act. 1. 24. & 15. 8.

4. *Gratia Dei ediderunt sancti miracula, quibus etiam*

Deus discernitur à creaturis. Ergo Deus aliquas prærogatiuas communicauit sanctis, & per consequens etiam notitiam affectuum. Resp. Non valet consequentia à genere particulariter posito ad certam speciem. 2. Neque valet ratio quia miraculorum dono præditi sunt sancti, pollent & affectuum notitia. Non enim transfunditur in sanctos vis edendi miracula: neq; propria virtute, sed vt ministri, miracula faciunt sancti. Proinde dicuntur ea facere metonymicè, quum eos Deus tanquam præsentiæ, potentiæ, & voluntatis suæ signum ad miraculi effectionem adhibet.

1.Reg.1.4. 2.Reg.16.12 Act.5.3. 5. *Ahias sciuit cogitationes vxoris Ieroboami. Eliseus regis Syriæ cogitationes, & Petrus cogitationes Ananiæ & Sapphiræ. Resp.* 1. Exempla pauca non constituunt regulam. 2. Sciebant illi hæc ex dono Prophetiæ, non tamen semper, nec ex aliqua sibi indita facultate, sed ex reuelatione diuina, & quidem eo tantùm tempore, quo id postulabat vtilitas Ecclesiæ. Hoc ergo cum non sit opus in vita æterna, non sequitur sanctos ista dono Prophetiæ præditos esse.

Luc.15.10. 6. *Christus dicit, Angelos Dei gaudere super vno peccatore resipiscente. Igitur Angeli intuentur corda hominum. Idem de Angelis probatur ex Dan. cap.9. & 10. Resp.* Male colligitur ex effectu causa, quum potest ille effectus ex alijs causis existere. Non necesse est Angelos per cordium inspectionem scire quæ vel ex effectibus, vel è signis, vel ex diuino testimonio & patefactione possunt cognoscere. Non enim Angelis tantùm, sed omnibus etiam pijs in terra competit, gaudere de peccatoris vnius conuersione, nec tamen inspiciunt corda hominum.

Luc.16.23. & 25. 7. *Anima diuitis ex inferno vidit Abrahamum, quem & Abrahamus exaudiuit. Resp.* 1. Est Allegoria, & parabola, qua vult Christus exprimere cogitationes, cruciatus, affectus & status impiorum in pœnis. 2. Etsi ita hæc gesta essent, tamen nihil probant cum ex sermone eas preces accepisse dicatur Abraham.

8. *Christus*

8. *Christus secundùm humanam naturam cognoscit omnia. Ergo & sancti. Resp.* Est dissimilitudo. Mens humana Christi omnia scit per vnionem personalem. i. reuelante natura diuina, & propter officium Mediatoris.

9. *In diuinæ Essentia omnium rerum imagines elucent. Angeli, & sancti homines intuentur diuinam Essentiam:* Mat. 18. 10. *iuxta illud, Angeli eorum in cœlis, per omne tempus vident faciem Patris mei qui est in Cœlis. Resp.* 1. Incerta est maior, neque ex Scriptura probatur. 2. Nec est firma minor: *nam Deum nemo vidit vnquam.* Et quamuis illustri cognitione fruantur, tamen fingendum non est eos omnia naturaliter perspicere, quæcunque in Deo sunt: sic enim eorum sapientia infinita esset. Constat autem Deum pro sua voluntate patefacere vnicuiq; quantum vult.

10. *Tanta est amicitia sanctorũ cum Christo, vt negare illis non possit patefactionem eorum quæ petimus. Resp.* Non est causa sufficiens: consistit enim hæc amicitia, etiamsi non omnia illis pro libito patefaciat. Heb. 5. 9. 7. 27. Ioa. 17. 9. &

11. *Christus est Redemptionis Mediator: sancti sunt Mediatores intercessionis. Resp.* Distinctio hæc negatur, quia Scriptura docet Mediatorem non tantùm semel moriendo nos redimisse, sed etiam semper apparere pro nobis, & intercedere in conspectu Patris. Roma. 8. 34. Heb. 7. 25. 9. 24. 1. Ioa. 2.

12. *Christus est solus Mediator virtute meriti, & intercessionis propriæ: sancti verò virtute Christi sunt Mediatores aut intercessores, id est, intercessio valet propter meritum & intercessionem Christi. Ergo non transfertur ad ipsos quod Christi proprium est. Responsio.* Christo æquè sunt iniurij qui hoc obiiciunt: non enim in antecedente est sufficiens enumeratio earum rationum quib. Christi honor ad alios transfertur. Quandoquidem non solum qui propria virtute ac dignitate, sed etiam qui Christi virtute nobis merentur apud Deum bona propter solius Christi meritum promissa, in Christi locum substituuntur. Deinde si placent, & audiuntur à Deo preces sanctorũ virtute meriti, & intercessionis Christi,

non possunt nobis impetrare propter suam ipsorum sanctitatem, & meritum, sicuti tradunt Papistæ.

13. *Orant sancti pro nobis in vita cœlesti. Si verò pro nobis orant, etiam sunt inuocandi. Resp.* Nego consequentiam, quia precatio alicuius pro altero, non est sufficiens causa propter quam inuocandus sit alius qui pro nobis oret. Quinetiam licet sancti optent Ecclesiæ militantis salutem, non tamen concedi potest eos nobis singulorum intelligere.

Ier. 15. 5. 14. *Si stent Moses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Ergo orant sancti pro nobis. Resp.* Est prosopopœia introducens mortuos precantes tanquam adhuc viuentes: vt sit sententia, si illi adhuc viuerent

Eze. 14. 14. & orarent pro populo, non impetrarent gratiam. Similis locus est apud Ezechielē similiter explicandus.

15. *Dominus ait per Isaiam, Protegam hanc vrbem*

2. Re. 19. 34. *saluabo eam propter me & propter seruum meum Dauid. Ergo & merito & intercessione sanctorum exaudimur.* Non respectu meriti Dauidis, sed respectu promissionis de Messia promittitur vrbis protectio & liberatio. *Inst. Liberatio vrbis ab obsidione Assyriorum non promittitur propter Messiæ promissionem, quia promissio illa non potuit impleri sine illo beneficio. Resp.* Errant quicunque putant Christi beneficium tantùm ad eas res pertinere aut promissiones, sine quibus præstitis non potuisset seruari promissio Dauid facta. Omnia enim beneficia Dei præstantur Ecclesiæ propter Christum.

2. Cor. 1. 20.

Gen. 48. 16. Isai. 4. 1. 16. *Iacob de filijs Ioseph dicit, inuocetur nomen meum in eis per eos, nomina quoque patrum meorum Abraham & Isaac. Ergo sanctos licet inuocare. Resp.* Est Hebraica phrasis, quæ significat adoptionem filiorum, vt sit sensus, vocentur nomine meo, vel denominentur à me, id est, dicantur mei Filij. Similis phrasis est apud Isaiam, *Tantummodo* (septem mulieres vni viro inquiunt) *inuocetur nomen tuum super nos* (id est, abs te denominemur) *aufer opprobrium nostrum.*

Mat. 25. 40. 17. *Quatenus id feciſtis* (ait Christus) *vni ex fratribus*

mei

meis minimis, mihi feciſtis. Ergo quem ſanctis honorem tribuimus inuocationis, idem ipſi quoque Chriſto ſimul tribuimur. Reſp. Chriſtus loquitur de officiis dilectionis.

18. *Si Angeli neceſſitates noſtras intelligentes pro nobis orant, eoque ſunt inuocandi, licet etiam nobis inuocare Sanctos. Angelos autem pro nobis orare confirmatur Zachariæ verbis: Et reſpondet Angelus Domini, & dixit, Domine exercituum, vſque quò tu non miſereberis Ieruſalem, & vrbium Juda? Reſp.* 1. Antecedens non integrè conceditur quòd omnes angeli omnium neceſſitates intelligant. Calamitates autem Iudæorum non tantùm Angelis, ſed etiam hominibus erant in conſpectu. 2. Negatur conſequens. Angelis enim mandatur cura Eccleſiæ in hac vita. Itaq; in terris verſantes vident noſtras miſerias, quas non vident Sancti, quibus hoc officium non eſt commiſſum. 3. Ab Angelorum precibus ad eorum inuocationem non valet conſequentia. Zach. 1. 12.

19. Iob. 5. *Voca, quæſo, an ſit qui reſpondeat tibi & ad quem ſanctorum reſpicies. Volunt ipſi quod Eliphas hortetur Iobum ad implorandam opem alicuius Sancti.* Sed oſtendunt præcedentia, hæc verba pertinere ad collationem hominum cum Angelis, quos adeò antecellere hominibus dicit puritate, vt ne quidem reſpondeant vel appareant ab hominibus vocati. Aduerſatur igitur magis quàm patrocinatur hic locus Angelorum inuocationi.

Iob. 33. *Si fuerit pro eo Angelus loquens vnus de millibus vt annunciet hominis æquitatem: Miſerebitur eius, & dicet. Libera eum, &c.* Hîc verſio vetus impropria eſt. Sic enim habent verba; *Si fuerit apud eum angelus, interpretans vnum de mille, vt annunciet homini rectitudinem illius Miſerebitur eius, & dicet, Libera eum, ne deſcendat in interitum: inueni propitiationem.* Etſi igitur hic ſenſus eſſet, quòd angeli orent pro hominib. afflictis; tamen hoc nihil faceret ad eorum inuocationem. Sed manifeſtum eſt, hunc eſſe ſenſum; Si homo æger vel afflictus in ſua calamitate erudiatur de voluntate, iuſtitia & bonitate

bonitate Dei, siue ab angelo, siue a Propheta, siue à doctore (nam & hi nominantur angeli) & resipiscat atque assentiatur doctrinæ & consolationi, eũ à Deo liberatũ iri ministerio eorum, per quos eum instituit.

QVARTVM PRÆCEPTVM.



Recordare diẽ Sabbati, vt eũ sanctifices. Sex dieb. operaberis, & facies omne opus tuũ. Septimus verò est Sabbatũ domini Dei tui. Non facies in eo vllũ opus, neq; tu, neq; filius tuus, neq; filia tua, neque seruus tuus, neque ancilla tua, neque bos, neq; asinus tuus, neq; inquilinus qui habitat intra portas tuas. Nam sex diebus perfecit Deus cœlum & terram, & mare, & quicquid in illis continetur, & septimo quieuit. Itaque benedixit Diei Sabbati, & eum sanctum sibi segregauit.

Huius præcepti quarti duæ sunt partes. Præceptum, & ratio præcepti. Præcepti rursus duæ sunt partes: *prior est moralis, vt sanctificetur Sabbatum*, id est, vt aliquod tempus certum tribuatur ministerio Eccl. seu publico Dei cultui. *Altera pars est ceremonialis & Temporaria, scilicet vt tempus illud sit dies septimus*, & vt eo seruentur ceremoniæ Leuiticæ. Hanc partem temporariam, illam perpetuam esse, intelligitur ex fine præcepti, & causis vtriusq; partis, de quibus postea commodiùs dicetur. Iam ipsa verba tum præcepti, tum rationis præcepto subiunctæ, paucis explicabimus: quibus cognitis, tantò faciliùs intelligentur quæ de Sabbato deinde dicenda sunt.

Exo. 31. 13. Eze. 20. 20. 22. 26.

Recordare diem Sabbati, id est, magna cura, & religione Sabbatum Sanctifices. Non sine causa Deus obseruationẽ Sabbati tam seuerè præcepit. 1. *Quia violatio Sabbati est totius cultus diuini violatio*, Nam & neglectus ministerij, doctrinam, atque cultum Dei facilè corrumpit. 2. *Quia exactione Sabbati ceremonialis vel typici*

typici, *Spiritualis Sabbati magnitudinem & necessitatem Deus voluit significare.* 3. *Quia Sabbatum externum Deus vult subseruire Sabbato Spirituali in nobis inchoando & perficiendo.* 4. *Quia sanctificari Sabbatum iubet,* id est, vitari in eo peccata, & opera sancta in eo fieri, non id otio ignauo conteri. *Aliter autem Deus, aliter homines sanctificare sabbatum dicuntur. Deus dicitur sabbatum sanctificare,* quia illud diuino cultui destinat: sanctificare illud homines dicuntur, quando illud in vsum à Deo destinatum referunt.

Neque Filius tuus, neque &c. Liberos etiam & familiam vult à laboribus cessare duplici de causa. 1. Principaliter, *vt hi quoque à parentibus & heris in cultu Dei educentur & ad Ecclesiæ ministerium admittantur.* Nam & hos Deus Ecclesiæ suæ vult esse membra. 2. *Quia dilectionem & beneficentiam erga proximum, præsertim Sabbato, exerceri & conspici vult in Ecclesia.*

Neque inquilinus, qui, &c. Aduenas etiam iubet labores intermittere, conuersos quidem ad religionem veram, tanquam domesticos Ecclesiæ, infideles autem non propter ipsos, sed propter Israelitas, idque, 1. *Ne suo exemplo scandalum præberent Ecclesiæ.* 2. *Ne ipsorum libertas Iudæis esset occasio faciendi Sabbato labores istos, quos per se facere ipsis non licebat, atque ita fraus diuinæ Legi fieret.* Hinc respondetur ad tres quæstiones. 1. *An etiam aliæ gentes ad ceremonias Mosaicas obligatæ fuerint, si quæ versabantur apud Iudæos.* 2. *An alieni ab Ecclesia ad religionem cogi possint, aut debeant.* 3. *An sacramenta, inter quæ erat & Sabbatum, communia esse debeant infidelibus in Ecclesia.* Ad hasce quæstiones ita respondemus: *quòd ad obligationem & coactionem attinet,* neque ad omnes ceremonias, neq; ad religionem, sed ad disciplinam externam adigebantur peregrini in populo Iudaico degentes, quæ erant necessaria ad vitanda scandala Ecclesiæ in qua versabantur. Debet enim magistratus esse custos disciplinæ secundum vtramque tabulam decalogi apud suos subditos,

&

& prohibere Idola manifesta, & blasphemias. Præterea *quantùm ad obligationem, erat peculiaris ratio Sabbati*, quod non per Mosen demum Israelitis, sed inde ab initio mundi omnibus hominibus à Deo præceptum erat, ac proinde vsque ad Messiam omnes obligabat. Etsi obsoleuerat hoc præceptum apud reliquas gentes, vt illud inter præcipua ponerent opprobria quibus deridebant, & exagitabant Iudæos. *Sacramentorum porrò Sabbatum non erat infidelibus*, quia nec ad illos pertinebat promissio, quòd Iehoua esset sanctificator ipsorum, neq; ad huius promissionis testificationem seu professionem, sed tantùm ad scandalum vitandum, & occasionem violandi Sabbati, quæ populo Dei per ipsos tradi poterat, cauendam, cessare ab vsitatis operibus cogebantur. Hæc & magis intelliguntur ex eo, quòd *iumenta quiescere iubentur*, quorum quies, neque cultus diuini, neque Sacramenti habebat rationem, sed propter homines erat mandata. 1. *Vt ipsis laborandi occasio præcideretur, interdicto iumentorum labore, siue vsu.* 2. *Vt etiam brutis animalibus, parentes discerent, quantùm Deus clementiæ, & æquitatis rationem erga homines habere velit.*

Neh. 13. 19.
1. Cor. 9. 10.

Nam sex dieb. Ratio quæ præcepto subiicitur sumpta est à quiete diuina, & pertinet ad præceptum ceremoniale de septimo die.

Septimo quieuit. Id est desiit nouas mundi partes creare, vt qui iam esset perfectus, qualem Deus esse mundum volebat. Hunc diem septimum dedicauit cultui diuino. 1. *Vt suæ quietis exemplo tanquam efficacissimo argumento homines ad imitationem illius hortaretur.* Atque ita quietis imitatio duplex est. *Ceremonialis, aut significans: & Moralis, aut spiritualis*, aut significatiua. 2. *Vt hæc diei septimi quies esset monimentum perfectæ atq; absolutæ creationis à Deo, continuatæ autem inde ab eo die perpetuæ conseruationis, gubernationis operum suorum ad suam gloriam, & Electorum salutem:* ac proinde vt stimulus esset ad considerationem & celebrationem operũ

ac

ac beneficiorum erga genus humanum.

Porrò, *non ideo Deus sex dies laboribus, & septimum cultui diuino tribuit*, vt alijs diebus cultus Dei omittatur: sed requirit hæc duo. 1. *Vt Sabbato non priuatus tantùm, vt alijs temporibus, sed etiam publicus Dei cultus in Ecclesia exerceatur*. 2. *Vt cultui Domini, tã priuato quàm publico, tum cedant labores alij, quos pro sua vocatione alijs diebus quisque exercet.*

Est autem & *Iudaica superstitio* cauenda, quam & in Euangelio Christus non semel refutat, videlicet quod *opera quæcunque ad suæ vel alienæ vitæ necessitatem pertinentia, in sabbatho facere nefas fuerit.* Ex fine enim præcepti apparet, opera tantùm seruilia, siue impedientia ministerij vsum, esse à Deo prohibita, non autem ea, quæ non impediunt publicum Dei cultum, vel eundẽ etiam promouent, fouent atq; illustrant. Sic Mat. 12. *defendit Christus discipulos sabbatho spicas vellentes ad pellendam famem: sanat manum aridam habentem.* Luc. 14. sine peccato, ait, sabbatho pecus aut iumentum in foueam incidens, illinc extrahi. Maccabæus pugnabat sabbatho, vt essent qui seruarent sabbathum. 2. Mac. 15. Atq; huius & similium factorũ duæ rationes redduntur. 1. Mac. 2. *Si nos ita agamus, quemadmodum egerunt fratres nostri, vt pro vita & religione nostra non pugnemus cõtra gentes, illæ iam nos de terra subitò exterminarent.* Itaq; constituerunt inter se his verbis: *Quicunque hominum nos die sabbatorum prælio adortus fuerit, cum eo pugnabimus, ne moriamur omnes, quemadmodũ fratres nostri mortui sunt.* Pro vita & religione tuẽda, rectè dicunt pugnari etiam in sabbatho. Iisdem rationibus discipulos & se defendit Christus Mat. 12. citans dictum ex Oseæ. 6. *Quod si nosſetis, quid sit, misericordiam volo, non sacrificium non condemnasſetis insontes.* & Marc. 2. *Sabbathum propter hominem factum est, non homo propter sabbathum*, hoc est opera ceremonialia cedere debent moralibus, ita vt potiùs ceremoniæ, quàm opera dilectionis omittantur, quæ necessitas nostra vel proximi requirit. Et

Matt. 12.

Matth.12. *An non legistis in lege, sabbatho sacerdotes in templo sabbathum profanare, & sine crimine esse? Dico autẽ vobis, templo maiorem hic esse.* Item Ioh.17. *sabbatho circumciditis hominẽ. Si circumcisionem accipit homo, sabbatho, vt non soluatur lex Mosis, mihi indignamini, quòd totum hominem sanum fecerim sabbatho?* Quibus verbis docet, opera, quæ sabbathi vsum non impediunt, sed potius illustrant & confirmant, qualia sunt opera ad cultum Dei siue ceremonias sacras, siue ad dilectionem proximi sic pertinentia, vt ea in tempus aliud reijci, necessitas non patiatur, nequaquam violare sabbathum, sed maximè ad eius legitimam obseruationem requiri.

Obseruandum hoc loco triplex esse prohibitionis operum & peccatorum, discrimen. 1. *Labores prohibentur secundum quid*, scilicet quatenus impediũt Ecclesiæ ministerium, vel quatenus proximo scandalum præbent. *Peccata verò simpliciter prohibentur.* 2. *Labores tantùm die Sabbati, peccata omni tempore omitti iubentur.* 3. *Laborum omissio typus est omissionis peccatorum:* rei scilicet per typum illum significatæ.

Quæ de Sabbato cognoscenda restant, deinceps explicare pergemus. Et quoniã huius præcepti pars altera est ceremonialis, non incommodè locum *de ceremonijs* postea subiungemus: tandẽ breuiter hisce subijciemus locum *de Ministerio Ecclesiæ:* quia hoc præcepto sancitur publicus Dei cultus externus: ac proinde ipsum Ecclesiæ ministerium eiusque vsus & honor.

De Sabbato.

Quæstiones præcipuæ.

1. *Quotuplex sit Sabbatum.*
2. *Causæ propter quas institutum sit Sabbatum.*
3. *Quomodo sanctificetur Sabbatum.*
4. *Quomodo violetur Sabbatum.*
5. *Qua ratione Sabbatum ad nos pertineat.*

1. *Quotuplex*

1. *Quotuplex sit Sabbatum.*

Sabbatum significat quietem, seu vacationem ab operibus. 1. *Quia Deus ea die requieuit,* scilicet à creatione nouarum specierum, nō autem ab earum conseruatione & indiuiduorum generatione. 2. *Quia Sabbatū est imago requiei futuræ spiritualis.* 3. *Quia & nos & nostræ familiæ, & iumenta nostra quiescere et vacare ea die debemus ab operibus,* non quidem omnibus, sed ab œconomicis, politicis, & alijs istiusmodi, vt Deus in nobis possit exercere sua opera. Atq; hæc de ipsa Sabbati voce.

Porrò *duplex est Sabbatum: Internum & Externum. Internum, seu morale, seu spirituale, est studium agnitionis Dei & operum eius, vitandi peccata, & celebrandi Deum cōfessione & obedientia.* Breuiter, *spirituale sabbatum siue spiritualis requies est cessatio à peccatis, & exercitatio operum dei.* Hoc Sabbatum, licet continuum atque perpetuum sit apud pios, inchoatur tamē in ijs in hac vita, & *nominatur Sabbatum,* tum quia hæc demum requies est vera à laboribus & miserijs, & nostri ad colendum Deum cō- Heb. 4. 10.
secratio: tum quia Ceremoniali Sabbato olim significabatur. Perfectè autem, & perpetuò continuabitur hoc spirituale Sabbatum in vita æterna, in qua est perpetua Dei celebratio, omnibus illis relictis in quibus iam sumus occupati. *Externum seu ceremoniale sabbatum est certum tempus ordinatum à Deo in Ecc. dedicatum cessationi ab operibus, atque tributum ministerio verbi Dei: et ad ministrationi sacramentorum, vel externo cultui diuino publico.* Necessarium fuit hoc ceremoniale Sabbatum in V. Test. vt illud esset septimus dies, & in eo (sicut & in reliquis festis) seruarentur Ceremoniæ Leuiticæ. Idē hoc Sabbatum Ceremoniale est *adiaphoron* in Nouo Testamento. Isai. 66. 24.

Est autem duplex externum Sabbatum. Immediatum est quod immediatè ab ipso Deo institutum est, atque hoc erat varium in veteri Testamento, nempe, 1. *Dierum* vt septimus quisque dies, qui peculiariter dicebatur Sabbatum, propter quietem diuinam à creatione

creatione mundi,& propter mandatum populo Dei
Leu.23.15. quietem eo die seruandam. Hinc *Hebdomada dierum*, siue *Septimana* per Synecdochen apud Hebræos vocatur *Sabbatum*. Similiter *Sabbata dierum* erant & alij dies festi, vt *festum Paschatis, Pentecostes, Tabernaculorum, dies ieiunij*. Festis his non minùs populo quiescendum erat, quàm die septimo. 2. *Mensium, vt Neomeniæ &c.* 3.
Leu.25.4. *Annorum, vt septimus quisque annus* quo populus Iudaicus iubebatur cultum agrorum intermittere. Inde per
26.35. Mat.28.1. Synecdochen, *Hebdomades annorum* dicebantur Sabbata. *Mediatum* Sabbatum *externum est, quod mediatè Deus per Ecclesiam constituit*, cuiusmodi est in Nouo Testamento *dies primus Hebdomadis, nempe dies Solis*, vel rectiùs *dies dominicus*, institutus pro septimo die, seu die Sabbati, propter resurrectionem Christi.

2. *Causæ propter quas institutum sit Sabbatum.*

INstituti Sabbati finales causæ sunt hæ. 1. *Publica Dei celebratio in Ecclesia, exercitium precum, professionis, & obedientiæ*, in quibus consistit studium agnitionis Dei, bonorum operum & gratitudinis. Vult Deus, ideoq; potissimum instituit Sabbatum, vt à nobis ipse non tantùm priuatim, sed etiam publica voce Ecclesiæ celebretur, & inuocetur in hac vita. 2. *Conseruatio ministerij*
Ps.68.28. *Ecclesiastici*, quod est officium diuinitùs institutum docendi Ecclesiam de Deo, & eius voluntate ex verbo Dei per Prophetas & Apostolos tradito, atq; administrandi sacramẽta secundùm institutionem diuinam. *Finis hic instituti Sabbati non est postremus.* Ista siquidem ordinatio & publica prædicatio doctrinæ coniuncta cum recitatione precum, & gratiarum actionis, atque vsurpatione rituum, est exercitium publicum,
Eph.4.12. excitans & fouens fidem & pœnitentiam. 3. *Vt esset in*
Eze.20.12. *Veteri Testamento typus significans Sabbatum spirituale, & æternum. Insuper & Sabbata mea dedi eis, vt essent signum inter me & eos, & scirent, quia ego Dominus sanctificãs eos.* 4. *Propter circumstantiã septimi diei*, vt nempe septimus

dies

dies admoneret homines de creatione mundi, de rerum agendarum tractatione, deq; meditatione operum diuinorum, sex diebus à Deo conditorum. 5. *Vt eo die maximè exercerentur opera dilectionis, beneficentiæ, benignitatis.* 6. *Propter quietem corporalem, tam hominum, quàm brutorum,* sed horum propter hominem. 7. *Vt alij alios suo exemplo ad pietatem & celebrationem Dei prouocarent. Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ in doctrina & cultu Dei.* 8. *Vt Ecclesia conspici & exaudiri possit in genere humano, & discerni à reliqua hominum multitudine blasphema & Idololatrica: & possint se ad illam adiungere, qui sunt ab illa separati.* Sic & in vetere testamento Sabbatum erat distinctio populi Israelitici ab omnibus alijs gentibus.

Psal. 22. 23.

Ephes. 4. 13. Rom. 10. 14. 2. Cor. 2. 8.

3. *Quomodo sanctificetur Sabbatum.*

OPera die Sabbati facienda, seu partes sanctificationis Sabbati comprehenduntur verbo *Sanctificandi*, quas partes breuiter explicabimus.

Partes ergo sanctificationis Sabbati sunt. 1. *Rectè docere Ecclesiam de Deo, & eius voluntate.* Aliud genus docendi hic præcipitur, quàm in tertio præcepto. Ibi enim singularum personarum est docere: hic certarum personarum proprium docendi munus sancitur, & quidem earum personarum proprium, quæ donis necessarijs diuinitus instructæ ab Ecclesia legitimè ad hoc munus vocatæ sunt, ijsque præcipitur hoc præcepto, vt sanam doctrinam omnib. proponant, tum in publicis conuentibus, tum institutione priuata. 2. *Rectè administrare sacramenta secundum institutionem diuinam.* Hoc item fieri debet ab Ecclesiæ ministris ad hoc munus obeundum legitimè vocatis. Vt autem doctrina, sic & hæc sacramentorum administratio non ad certos dies alligata est, sed sufficit si administratio sit publica, & fiat per ministros, vt qui personam publicam, ac in ministerio vices Dei cum hominibus loquentis, gerunt, & in cœtibus Ecclesiæ peraguntur ea, quæ Deus ad ministros alligauit. Sic *Circumcisio*

Leu. 10. 11. Act. 13. 15. Act. 17. 2. Act. 17. 17. 20. 31. 2. Tim. 4. 2.

 admini-

administrabatur quouis die, qui esset octauus ab infantis natiuitate: Sic *baptismus* quouis tempore administrari potest. Act. 8. & 10. *Præcipuè tamen Sabbato administratio sacramentorum vigere debet.* Ideò Num. 28. & 29. præter quotidiana describuntur certa sacrificia, quæ sabbato & diebus festis debebant fieri. Et Christus cœnam suam, vt quæ inter alios fines, etiam debet neruus esse congregationis Ecclesiæ, sic instituit, vt in cœtu Ecclesiæ administretur siue paruo siue magno. Mat. 26. *Bibite ex eo omnes.* Pertinet autem ad legitimam Sacramentorum administrationem, etiam excluſio eorum, quos Deus ab his excludi iussit. Sicut nec alienis à Gente & religione Iudaica, nec incircumcisis licebat vesci agno Paschali, Exod. 12. ita neque ad cœnam Domini admittere debet Ecclesia non baptizatos, aut baptizatos quidem, sed doctrina aut moribus alienos à Christianismo. 1. Cor. 11. & 12.

Act. 17. 11. 1. Tim. 4. 16. 3. *Diligenter, & assiduò frequentare publicos Ecclesiæ congressus, attentè in ijs audire disertè traditam Doctrinam cœlestem, eamque auditam diligenter meditari, & inquirere.* Præsertim autem dies ministerio destinatos impendere lectioni, & meditationi, tractationique rerum diuinarum. Hæc ex natura correlatorum patent. Si enim vult esse qui doceant, etiam vult esse qui discant. Non est autem studium discendi sine priuata meditatione. Ideò laudantur Beræenses Act. 17. *quod receperint sermonem cum omni alacritate, quotidie scrutantes Scripturas, an hæc ita se haberent.* Præsertim autem seruientibus, aut seruituris aliquando Ecclesiæ diligens cognoscendi doctrinam studium iniungitur. 1. Tim. 4. *Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ. &c.* Et 1. Tim. 3. & 2. Tim. 2. vult Paulus *ministrum Ecclesiæ esse idoneum ad docendum, & ad refutandum aduersarios.* 4. *Recte vti Sacramentis secundum institutum diuinum.* Sic in solemni conuentu populi celebrare pascha Deus iusserat, ac reliquis festis ac Sabbatis certa sacrificia assignauerat. Et vult parem in modum Deus, quemadmodum

modum doctrinam exaudiri, sic vsum legitimum sacramentorum conspici in publicis congressibus Ecclesiæ. 5. *Invocatio publica, cum qua coniungimus confessionem, gratiarum actionem, preces, & vota nostra cum Ecclesia.* Et certè communibus precibus peculiarem promissionem Deus addidit. *Si duo ex vobis consenserint in terra, quodcunque petierint fiet ijs à Patre meo, qui est in cœlis. Vbi enim sunt duo vel tres coacti in nomine meo illic sum in medio eorum. Et gratiarum actio ac celebratio Dei,* tanquam præcipuus cultus promittitur Deo. Psal. 22. *In medio congregationis laudabo te.* Et præcipitur 1. Cor. 14. *Quandoquidem si benedixeris spiritu, is qui implet locum idiotæ, quomodo dicturus est Amen ad tuam gratiarum actionem?*

Act. 20. 7.

1. Tim. 2. 1.
1. Co. 14. 16.
Psal. 22. 23.
Mat. 18. 19.

Iubet quidem Christus alio loco, vt *cum quis precatur, introeat in conclaue suum, & clauso ostio suo precetur Patrem suum qui est in occulto.* Verùm verbis his hypocrisin atque ostentationem damnat & prohibet, quæ hypocrisis est ostentatio, & simulatio pietatis. Hîc inuocatio præcipitur aut publica totius Ecclesiæ, in tertio autem præcepto, vt priuata singulorum. 6. *Conferre Eleemosynas,* id est præstare officia dilectionis ac Sanctificationis Sabbati, ad ostendendam videlicet obedientiam nostram, quam præstamus doctrinæ. *Huc pertinet concio Christi de Sabbato, in qua contra Iudæos explicat an liceat Sabbato benefacere.* Cùm autem in tota vita hoc sabbatum seruari velit, precipuè eius exempla & testimonia vult edi sabbatho externo siue ceremoniali, hoc est, in illis temporibus, quæ verbo Dei docendo & discendo tribuuntur. Siquis. n. ne tum quidem obtemperandi deo studium ostendit, cùm aures ipsius doctrina circumsonat, ac reliquis curis omissis, pietatem & pœnitentiam nos meditari deus iubet, is minùs aliâs facturum se significat. Ideò semper in Ecclesia moris fuit, sabbato eleemosynas conferre & dilectionis opera erga egentes exercere. Neh. 8. *Mittite partes ei, cui nihil est præparatum, quia sanctus est dies D. nostro.*

Mat. 6. 6.

7. *Honor ministerij Ecclesiastici*, vel obedientia erga totum ministerium in vita & moribus, atque hoc est sabbatum morale.

Obedientia autem illa erga ministerium multa complectitur, nempe. 1. *Reuerentiam*, id est, agnitionem ordinis, & voluntatis diuinæ in ministerij institutione, conseruatione, & Ecclesiæ per illud collectione: id est, agnitionis, & iudicij huius nostri de ministerio declarationem tum in dictis, tum in factis. 2. *Amorem*, quo libenter & frequentamus congressus sacros, & audimus, ac discimus doctrinam Ecclesiæ, & bene volumus fidelibus Ecclesiæ ministris, non tantùm propter dilectionis officium, sed etiam propter ministerium, quo funguntur. 3. *Obedientiam in ijs quæ sunt ministerij*. Huc pertinent opera dilectionis erga Deum, & proximum, tota nimirum vita Christiana, quæ est illud spirituale seu morale Sabbatum. Agere enim sabbatum illud spirituale, est in vita instituenda obedire voci diuinæ sonanti per ministerium Ecclesiæ, siquidem Deus ideò vult à nobis veram doctrinam disci, vt eidem obtemperemus. 4. *Gratitudinem*, id est officia ad conseruationem ministerij, ministrorum, & scholarum pertinentia. Si enim vult deus in Ecclesia esse ministros, vult etiam vt singuli pro facultatib. conseruationem ministerij & scholarum adiuuent, atque dent operam, vt honestè ministri doctoresque & præceptores alantur. Huc pertinent leges Mosaicæ de primogenitis, primitijs, decimis, & similib. Harum legum licet circumstantiæ sunt abolitæ, genus tamen perpetuò manet. 5. *Æquitatem in tollerandis infirmitatibus ministrorum*, quæ non enormiter aut manifestè corrumpunt aut impediunt ministerium, vel Ecclesiam scandalo lædunt.

1. Cor. 4. 1.

2. Cor. 5. 20. Psal. 84. 1. 11. & 122. 1. Heb. 4. 11.

6. *Quomodo violetur Sabbatum.*

Prophanatur Sabbatum quando id vel non sanctificatur, vel non rectè sanctificatur, sed cùm fiunt opera ministerium impedientia, aut operibus ad Sabbati sanctificationem pertinentibus

pertinentibus & paulò antè recitatis contraria. Violationis ergo Sabbati partes erunt, quæ ſanctificationis Sabbati partibus opponuntur: eas breuiter hoc modo proponemus. 1. *Traditioni opponitur omiſſio, aut neglectus in docendo. Item deprauatio, aut mutilatio doctrinæ,* aut eius ad magiſtratuũ, vel aliorum opiniones, affectus, cupiditates, aut commoda, inflexio. 2. Corinth. capite ſecundo. *Non enim, vt plerique, cauponamur ſermonem Dei, ſed vt ex ſyncerita te, ſed vt ex Deo, in conſpectu Dei, de Chriſto loquimur.* Iſa. 56. 10. Eze. 34. 2.

2. *Adminiſtrationi ſacramentorum legitimæ repugnat omiſſio vel neglectus hortationis Eccleſiæ ad vtendum ſacramentis: item adminiſtratio ſacramentorum illegitima:* cùm vel detrahitur vel additur ceremonijs diuinitus inſtitutis, vel in eis aliquid mutatur, vel excluduntur à Sacramentis ij qui debent admitti, vel admittuntur, qui ex inſtituto Dei ab ijs arceri debent, vel non docetur populus de legitimo eorum vſu.

3. *Studio diſcendi doctrinam* aduerſatur 1. *Contemptus & neglectus doctrinæ:* nempe vel non intereſſe ſacris concionibus, quum non obſtat legitima cauſa, & opera quæ differri poterant, ſabbato facere: vel concionibus ſacris non auſcultare, vel nõ meditari & inquirere doctrinam Eccleſiæ. 2. *Curioſitas* quæ eſt ſtudium cognoſcendi, vel audiendi non patefacta à Deo, non neceſſaria, noua, vana. 3. *Legitimo Sacramentorum vſui repugnant eorum omiſſio & cõtemptus: item profanatio eorum denique vſus eorum ſuperſtitioſus.* 5. *Precibus publicis opponitur earum neglectus & hypocritica in ijs præſentia ſine attentione & affectu.* Item recitatio ædificationi Eccleſiæ non ſeruiens. 1. Corinth. 14. *Si benedixeris Spiritu, is qui implet locũ idiotæ, quomodo dicturus eſt Amen ad tuam gratiarum actionẽ? Nam quid dicas neſcit. Nam tu quidem bene gratias agis, ſed alter non ædificatur.* Ex. 31. 33. Num. 15. 33. Pro. 25. 28. Syrac. 3. 22. 1. Tim. 4. 7. 2. Tim 2. 23. Gen. 17. 14. Exod. 4. 24. Eſa. 66. 3.

6. *Eleemoſynarum collationi repugnat neglectus operum dilectionis:* vt cùm egenis opera noſtra indigentibus non ſubuenimus pro virili parte noſtra 7. *Cum honore*

ministerij Ecclesiastici pugnat ministerij contemptus: vt quãdo vel aboletur ministerium Ecclesiæ, vel indignis comittitur, vel negatur esse organum quo Deus ad
Luc. 10. 10. collectionem Ecclesiæ vti velit: item cùm afficiuntur ministri contumelijs, cùm auditæ doctrinæ non obeditur in instituenda vita, cùm negliguntur opera dilectionis, cum non donantur alimenta necessaria ministris, cùm defensio, & alia gratitudinis officia ministris non præstantur, cùm scholarum studiorumque & doctrinæ conseruatio negligitur, cùm defectus ministrorum tolerabiles non feruntur, & propter eos ministerium contumelia afficitur. Pariter autem *vsui totius ministerij aduersantur* non tantùm cùm vnus aliquis priuatim vsum ministerij negligit aut omittit, sed etiam quum quis iussu & suasu aut exemplo suo, vel alio quouis impedimento, ab vsu ministerij liberos, familiam, aut alios auocat.

5. *Qua ratione Sabbatum ad nos pertineat.*

Dies septimus inde ab initio fuit designatus à Deo ad significandum, homines Dei exemplo quiescere debere à suis operibus, præsertim peccatis. Postea verò in lege Mosaica repetitum est præceptum, ac cæremonia feriandi septimo die, simulatq; factum est *sacramentum sanctificationis*, quo Deus significat se
Exo. 31. 13. esse Sanctificatorem Ecclesiæ, id est, se remittere ei
Ezec. 20. 12. peccata, & recipere eam in gratiam per & propter Messiam patribus promissum. Atq; hæc est ratio *cur Sabbatum cæremoniale septimi diei nunc sit abolitum*, quia nimirum fuit typicum, admonens populum de suo officio, quam eandem ob causam omnia reliqua sacramenta & sacrificia, atque ceremoniæ ante & post legem factæ, fuerint abolitæ aduentu Christi, per quem est impletum quod illæ significabant. *Quamuis autem abrogatum sit in Nouo Testamento Sabbatum ceremoniale, morale tamen sabbatum durat adhuc & ad nos pertinet, ipsumq; adeo genus Sabbati ceremonialis pertinet*

ad

ad nos, & adhuc manet, nempe quod tribuendum sit aliquod tempus ministerio. Oportet enim nos nunquam non habere diem aliquem, quo doceatur verbum Dei in Ecclesia & administrentur sacramenta. Interim non sumus alligati, vt diem vel Iouis, vel Saturni, vel Mercurij, vel alium aliquem certum habeamus, ac proinde Sabbatum non pertinet ad nos ceremonialiter in specie, licet illud ad nos, atq; adeò ad omnes homines pertineat, ac semper maneat & moraliter & ceremonialiter in genere.

Obiectiones contra abrogationem Sabbati ceremonialis.

1. *Decalogus est lex perpetua: præceptum de Sabbato est pars Decalogi: Ergo lex perpetua est, & non est abolenda. Resp.* Decalogus est lex perpetua, quatenus est lex moralis. Appendices autem siue determinationes moralium præceptorum, significationis causa, vsque ad Messiam seruandæ fuerunt.

2. *Præcepta Decalogi ad nos pertinent. Hoc est præceptum Decalogi. Ergo &c. Resp.* Præcepta Decalogi quæ sunt moralia pertinent ad nos. Hoc autem præceptum altera ex parte est Ceremoniale, eoq; quatenus Ceremoniale est, ad nos non pertinet, etsi genus ad nos pertineat. *Rationes cur ad nos nõ pertineat. Ceremoniale Sabbatum* sunt hæ potissimum. 1. *Pars legis de sanctificando Sabbato est Ceremonialis.* 2. *Paulus dicit, Nemo vos iudicet in ratione dierum.* 3. *Apostoli ipsi mutarunt sabbatũ.* 4. *Ex fine siue scopo legis.* Erat typus rerum implendarum à Christo nempe sanctificationis: typus autem cedit rei significatæ. Item erat discretio populi Iudaici à reliquis gentibus. Hæc autem discretio per Christum sublata est. Col. 6. 12.

3. *Dominus ait de Sabbato. Pactum est sempiternum inter me & filios Israel, signumq; perpetuum. Resp.* 1. Ceremoniale Sabbatum est perpetuum *vsque ad Christum*, qui est finis Ceremoniarum. 2. Sabbatum est æternum *quod ad rem significatam attinet*, quæ est cessatio à peccatis, & quies in Deo: sic enim omnes typi Exod. 31. 17. Ier. 31. 31. Deut. 9. 27.

veteris Testamenti sunt æterni: etiam ipsum regnum Dauidicum: quod tamen ante aduentum Messiæ erat destruendum.

2.Sa.7.16. Gen.49.10. 4. *Concedimus ceremonias Mosaicas esse mutabiles, non tamẽ sequitur leges ante Mosen latas esse mutabiles, ex quib. etiam est obseruatio diei Sabbati. Resp.* Negatur Maior de Ceremoniis. Nam Ceremoniæ etiam ante Mosen à Deo institutæ, quia typi fuerunt beneficiorum Messiæ venturi, per ipsius exhibitionem sunt abolitæ, vt circumcisio Abrahamo data, item sacrificia primis parentibus mandata.

5. *Leges ante lapsum à Deo latæ, non sunt typi beneficiorum Messiæ, & obligant totum genus humanum omnibus temporibus: nondum enim tunc erat data promissio de Messia, & vna eademque erat totius generis humani cõditio. Sabbatum autem septimi diei institutum est à Deo, absoluta mundi creatione, ante lapsum generis humani. Ergo est vniuersale. Resp.* Per distinctionem. Maior vera est de legibus Moralibus, quarum notitiæ menti humanæ sunt impressæ in prima creatione: non autem vera est de Ceremonia, seu obseruatione septimi diei, vt quæ post lapsum est facta typus beneficiorum Messiæ in lege Mosaica, ac proinde sicut aliæ Ceremoniæ, siue tum demum, siue antè institutæ, mutationi per Messiæ aduentum facta est obnoxia. Noluit enim Deum vmbras futurarũ rerum manere rebus ipsis exhibitis. Etsi igitur concedamus exercitia cultus diuini die septimo ex præcepto Decalogi obseruanda fuisse, tũ si homines peccassent quàm postquam peccauerunt: tamen postquam deus hanc ceremoniam inter futuri Messiæ vmbras retulit, hac ipsa Noua lege per Mosen lata facit eam cum reliquis ceremoniis mutabilem.

6. *Causa legis perpetua facit legem perpetuam: Memoria & celebratio creationis, atque operum Dei meditatio est perpetua causa Sabbati. Ergo &c. Resp.* Distinguenda est Maior. Lex est immutabilis propter causam immutabilem, scilicet si causa illa, vel finis necessariò aut perpetuò

petuò hanc legem tanquam effectum aut medium requirat: non autem si aliis temporibus aliisque mediis ac modis ad eum finem rectius perueniatur, aut alia lege eundem finem non minùs cõsequi possit legislator. Ita cùm & hac lege de Sabbato septimi diei sanctificando abolita meditari opera diuina aliis modis piè sancteq; possumus, non consequitur perpetuam esse hanc de Ceremoniali Sabbato legem, licet creationis & operum Dei memoria, ac celebratio debet esse perpetua: ac proinde Eccl. rectè communi consensu pro libertate Christiana Ceremoniam hanc obseruandi septimi diei per Christum sublatam immutauit ac pro septimo die substituit primum hebdomadis diem, ita tamen vt nullum seruetur iam dierum discrimen, quod penitus in Ecclesia prohibetur, cum dies alius alio non sit sanctior. Vnde & *plurimum differt obseruatio diei Dominici Christiana, & Iudaica diei septimi.* Nam 1. *Iudæis non licebat mutare sabbatum, aut illud omittere tanquam partem cultus ceremonialis: Ecclesia Christiana libertate salua primum diem ministerio tribuit sine opinione necessitatis aut cultus.* 2. *Vetus sabbatũ ceremoniale, septimi diei typus erat. In Ecclesia seruando die Dominico tantùm ratio habetur ordinis, sine quo ministerium aut nullum, aut non bene constitutum esse potest.*

De Ceremonijs.

Quæstiones præcipuæ.

1. *Quid sint Ceremoniæ.*
2. *Quomodo Ceremoniales leges differant à Moralibus.*
3. *Quotuplices sint Ceremoniæ.*
4. *An Ecclesiæ liceat instituere Ceremonias.*

2. *Quid sint Ceremoniæ.*

CEremoniæ sunt actiones externæ & solennes institutæ in ministerio Ecclesiastico, vel ordinis vel significationis causa.

Quomodo

2. *Quomodo Ceremoniales leges differant à Moralibus.*

1. *Ceremoniæ sunt temporariæ, moralia sunt perpetua.* 2. *Ceremoniæ fiunt similiter.* 3. *Ceremoniæ significant, moralia sunt significata.* 4. *Moralia habent se vt genus. Ceremonialia sunt determinata in specie.* 5. *Ceremoniæ subseruiunt moralibus, moralia sunt finis seu scopus ceremonialium.*

3. *Quotuplices sint Ceremoniæ.*

Ceremoniæ sunt duplices: aliæ à Deo præceptæ, aliæ ab hominibus institutæ. A Deo præceptæ, non nisi à Deo possunt mutari, eæque sunt aut sacrificia, aut sacramenta Sacrificium est obedientia, quam nos præstamus Deo. Sacramentum, est quo nobis Deus aliquid testatur. *Ab hominibus institutæ ceremoniæ* mutari possunt Ecclesiæ consilio, si causæ sint probabiles.

4. *An Ecclesiæ liceat instituere Ceremonias.*

Potest & debet Ecclesia Ceremonias instituere, quia sine determinatione circumstantiarum non possunt seruari Moralia. *Adhibitis tamen conditionibus* instituere Ceremonias Ecclesia debet, nempe Ceremonias, quæ 1. *Non sint impiæ, sed conformes verbo Domini.* 2. *non sint superstitiosæ, ne putemus eas esse necessariò faciendas, nec fiant cum scandalo.* 3. *Non sint nimiæ.* 5. *Non sint inutiles, sed quæ spectent ad ædificationem.*

De Ministerio.

Quæstiones præcipuæ.

1. *Quid sit Ministerium.*
2. *Qui sint ministrorum gradus.*
3. *Quare ministerium sit institutum.*
4. *Quibus committendum sit ministerium.*
5. *Quæ ministrorum sint officia.*

1. *Quid sit Ministerium.*

Ministerium est officium à Deo in Ecclesia institutum, prædicandi verbum Dei & administrandi sacramenta se-

cundùm

cundùm institutionem diuinam. Partes igitur Ecclesiastici ministerij duæ sunt. 1. *Prædicare verbum Dei.* 2. *Ritè administrare Sacramenta.*

2. *Qui sint Ministrorum gradus.*

Ministri alij sunt immediatè vocati à Deo, alij mediate ab Ecclesia. Immediatè vocati sunt Prophetæ & Apostoli. Prophetæ erant ministri immediatè vocati à Deo ad docendã ac illustrandam doctrinam Mosis & promissionis de Messia, item ad corrigendos mores in Ecclesia & politia Mosaica, & ad edenda vaticinia de euentibus in & extra Ecclesiam, habentes testimonium hoc quod in doctrina non possunt errare. *Apostoli* erant ministri immediatè vocati à Christo ad prædicandam doctrinam de Messia exhibito, eamq; in toto terrarum orbe spargendam habentes testimonium quod non errarent in doctrina. *Mediatè vocati sunt* 1. *Euangelistæ* qui erant adiutores Apostolorum, & mittebantur ab Apostolis ad docendum varias Ecclesias. 2. *Episcopi seu Pastores,* qui sunt ministri ab Ecclesia vocati ad docendum verbum Dei, & administranda sacramenta in certa Ecclesia. 3. *Doctores* qui sunt ministri ab Ecclesia vocati ad docendum in certa Ecclesia. 4. *Gubernatores* qui sunt ministri Ecclesiæ iudicio electi ad administrandam disciplinam, & ordinanda necessaria. 5. *Diaconi* qui sunt ministri ab Ecclesia electi ad gerendam pauperum curam, ac distribuendas Eleemosynas.

3. *Quare Ministerium sit institutum.*

VOluit Deus, omnib. temporibus mundi esse publicos Ecclesiæ congressus in quibus sonet vera doctrina de Deo, propter has potissimum causas. 1. *vt in genere humano Deus non tantùm priuatim, sed etiam publica voce Ecclesiæ in hac vita celebretur & inuocetur. Psa. 68. In congregationibus benedicite Deo.* 2. *vt publica & ordinaria prædicatio doctrinæ, recitatio precum, gratiarum actionum, & vsurpatio rituum sit exercitium excitans*

&

& fouent idem & pietatem, vt quæ sine exercitijs propter infirmitatem nostram facillimè refrigescit. Ephes. 4. *Dedit alios Apostolos, alios Prophetas alios Pastores & Doctores ad opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi, &c. vt alij alios suo exemplo ad pietatem & celebrationem Dei promocent.* Psal. 3 [illegible]. *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio congregationis laudabo tc.* 4. *vt seruetur consensus Ecclesiæ in doctrina & cultu Dei* Ephes. 4. *Dedit Pastores & Doctores ad coagmentationem sanctorum, donec euadamus omnes in vnitatem fidei.* 5. *Vt Ecclesia conspici & exaudiri possit in genere humano, & discerni à reliqua multitudine hominum blasphema & idololatrica.* Conspici verò eam vult vt electi ad eam aggregari possint, & reprobi fiant magis inexcusabiles, dum auditam vocem & vocationē diuinam contemnunt & reprimere conantur. Ro. 10. *Sed annon audierunt? Imò verò in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terrarum verba eorum.* 2. Cor 2. *Deo autem gratia, qui facit, vt semper triumphemus in Christo, & odorem notitiæ suæ manifestum facit per nos in omni loco. Nam Christi bona fragrantia sumus Deo, in ijs qui seruantur, & in ijs qui pereunt: his quidem odor mortis ad mortem, illis verò odor vitæ ad vitam.*

6. *Vt Deus accommodet sese nostræ infirmitati, homines per homines docendo.* 7. *Vt ostendat suam Philanthropian, quòd velit homines esse ministros summi illius operis, quo etiam Filius Dei est functus.*

Hæ autem causæ non ad certum aliquod, sed ad omnia Ecclesiæ & mundi tempora pertinent. Semper igitur Deus vult conseruari ministerium Ecclesiæ, & eius vsum frequentari: ac proinde genus huius præcepti, siue pars eius moralis ab initio mundi vsque ad finem obligat omnes homines, videlicet, vt aliquod sabbatum seruetur, hoc est, aliquod tempus tribuatur concionibus, & precationibus publicis, & administrationi Sacramentorum.

4. *Quibus sit committendum Ministerium.*

QVibus Ecclesiæ ministerium debeat committi diserte Paulus docet in Ep. ad Tim. & Tit. Atque vt illa breuiter comprehendantur: *committendum est Ecclesiasticum ministerium* 1. *viris.* 2. *habentibus bonum testimonium in & extra Ecclesiam.* 3. διδακτικοῖς, *id est, Rectè intelligentibus doctrinam, & habentibus mediocria dona ad eam rectè proponendam.*

5. *Quæ ministrorum sint officia.*

Officia ministrorum sunt. 1. *Veram & integram doctrinam fideliter proponere, vt eam Ecclesia possit intelligere.* 2. *Rectè administrare Sacramenta.* 3. *Præire Ecclesiæ exemplo vitæ Christianæ.* 4. *Diligenter attendere gregi.* 5. *Seruire Iudicijs Ecclesiæ.* 6. *Dare operam vt habeatur ratio pauperum.* Ezec. 34. 4. Mat. 22. 39.

QVINTVM PRÆCEPTVM.

Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt prorogentur dies tui super terram, quam daturus est tibi Dominus Deus tuus.

Sequuntur leges tabulæ decalogi secundæ, quarū obedientia quidem æquè ad Deum spectat, atque primæ tabulæ præcepta, sed opera immediatè circa homines versantur. *Subiectum enim secundæ tabulæ est proximus: Prædicatum, Diliges illum sicut teipsum:* quomodo & Christus secundæ tabulæ summam breuiter complexus est, inquiens, *Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Secundum dicit esse simile primo & magno mandato,* seu primæ tabulæ secundam: id quod intelligendum est hoc modo. 1. *In genere cultus diuini præcipui,* secunda tabula primæ similis est, atque ita dicitur secundum simile primo, respectu Ceremo-

Ceremonialium, quæ non ſunt præcipuus cultus. 2. *In genere pœnæ æternæ*, qua vtriuſq; tabulæ tranſgreſſio meretur pœnas æternas. 3. *In cohærentia inſeparabili dilectionis Dei & proximi.* Proximus enim diligi non poteſt ſine Dei dilectione: ac dilectio Dei per proximi dilectionem declaratur & exercetur. Vnde etiam colligere eſt *cur obedientia ſecundæ tabulæ ſit preſtanda*, nempe. 1. *Vt in hac obedientia Deus ipſe colatur & dilectione proximi dilectio ipſius propter ipſum exerceatur ac declaretur.* 2. *Vt per proximi dilectionem oſtendatur conformitas hominum cum Deo.* 3. *Vt conſeruetur ſocietas hominum à Deo propter celebrationem nominis ſui ordinata.*

Quintum porro præceptũ in ſecunda tabula primum ponitur. 1. *Quia illud eſt cauſa, neruus & fundamentum obedientiæ reliquorum præceptorum.* Stante enim obedientia inferiorum erga ſuperiores, qui obedientiam ſequentium præceptorum præcipiunt, ſequetur obedientia erga reliqua præcepta. 2. *Quia Dominus addidit huic præcepto promiſſionem ſpecialem, & ſingulare beneficium, ſcilicet longæuitatem vitæ*, ac duo illa, præceptum videlicet & promiſſionem, quintum hoc præceptum continet. *Illius autem præcepti finis eſt, conſeruatio ordinis politici*, qui eſt ordo ſancitus à Deo in officijs mutuis ſuperiorum, & inferiorum. *Superiores* ſunt omnes quos deus alijs regendis ac defendendis præfecit. *Inferiores*, quos alijs regendos & defendendos ſubiecit. Superiorum officia comprehenduntur nomine Patris & matris.

Parentes autem potius quam alij gubernatores nominantur, & iubentur honorari. 1. *Quia poteſtas ac gubernatio patria, fuit prima in genere humano.* 2. *Quia hæc eſt quaſi regula ad quam aliæ componi debent.* 3. *Quia eſt maximè amabilis hominibus.* 4. *Quia cum erga patres maxima ſit obligatio, atrocior eſt eorum contemptus, qui idcirco & ſeueriùs à Deo damnatur.* 5. *Quia Deus vult ſuperiores erga inferiores affectos eſſe animo paterno.* Nomine igitur parentum intelliguntur omnes ſuperiores, aut quicunque

cunque nobis præsunt. *Hos enim deus in locum parentum nobis dat, & ipsi parentum munere funguntur, & sunt quasi vicarij Dei in nobis regendis*, ac tum demum in locum parentum substituti sunt nobis à Deo magistratus, quum crescere malitia hominum cœpisset.

Sunt autem superiores. 1. *Parentes ipsi.* 2. *Præceptores, doctores, ministri.* 3. *Heri, seu Domini.* 4. *Magistratus.* 5. *Seniores.* His omnibus præcipiuntur in hoc præcepto quinto *officia erga inferiores & sibi subiectos*, eaque primùm *communia*, deinde *singularia & propria aliquorum.* Nam cùm præcipit officia inferiorum erga superiores etiam è contrario præcipit officia superiorum erga inferiores. Et cùm præcipit vt honoremus parentes, vult etiam tum vt sint parentes, tum vt sint honore digni. Inter hos autem gradus officiorum superiorum primus est præcipuus. 1. Quia reliqui seruiunt, & adiuuant illum. 2. Quia in genere humano fuit primus.

Obiect. Deus hoc præcepto tantùm iussit honorari parentes, quod est officium inferiorum. Ergo hic nihil præcipit superioribus. Resp. Nego consequentiam. 1. *Quia cùm tribuit superioribus nomina, tribuit ijs & rem ipsam, aut id à quo nomen habent.* 2. *Si vult Deus ipsos honore affici, vult etiam ipsos honore digna facere.* Etsi autem interdum præsunt etiam mali, ac proinde honore indigni, tamen officium à personis discernendum, & quorum vitium detestari debemus, eorum officium propter diuinam ordinationem honorandum est. Quoniam ergo propter officium honorandi sunt superiores, manifestum est illis non nisi eatenus parendum esse, quatenus sui officij limites non egrediuntur.

Promissionem huic præcepto Deus addidit. Primò, *Vt significet quanti faciat eam obedientiam, & quàm grauiter velit punire aduersum hanc obedientiam facientes.* Secundò, *Vt significaret quàm necessaria sit hæc obedientia, atque eò magis nos ad obseruantiam inuitaret* Quando quidem obedientia erga parentes ad totam reliquæ

Eph. 6. 2. reliquæ legis obedientiam præparatio est & causa impulsiua. Hanc promissionem allegans Paulus, ait, *quintum hoc præceptum esse primum cum promissione*, scilicet speciali, seu certi beneficij, quod promittit Deus obedientiam præstantibus. Beneficium verò quod promittit est longæuitas.

Obiect. Atqui longæuitas propter miserias huius vitæ non videtur esse beneficium. Resp. Hoc fit per accidens: per se enim longæuitas est beneficiū, licet coniuncta sit cum miseria. *Inst. Propter hæc accidentia potiùs deprecandum, quam optandum videtur illud beneficium. Resp.* Bonum est deprecandum si mala ipsi coniuncta sint maiora. Pijs autem promittit Deus cum longæua vita mitigationem calamitatum, & fruitionem diuturnam benedictionis diuinæ. Præterea celebratio Dei diuturna in hac vita est tantum bonum, vt calamitates huius vitæ cum eo conferri non debeant. Si porrò quæratur: *Cur igitur etiam impij & inobedientes sint longæui*, Responsio prima est, Paucorum exemplorum diuersitate non euerti regulam. Plerique enim inobedientes, malè & immaturè pereunt. Prou. 30. *Oculum, qui subsannat patrem, effodiant corui torrentis:* Altera, quòd pijs beneficia corporalia dantur ad ipsorum salutem, ac proinde sunt ipsis diuinæ beneuolentiæ argumenta: impijs verè, partim vt ipsi ad pœnitentiam inuitati fiant magis inexcusabiles in iudicio Dei, partim, vt his pij & electi, qui ipsis admixti sunt, fruantur. Quòd autem non omnes pij & obedientes liberi sunt longæui, id non pugnat cum hac promissione, quia illis translatio in meliorem vitam, est longæuitatis amplissima compensatio.

Partes obedientiæ huius præcepti sunt duplices. Aliæ sunt aut superiorum, aut inferiorum propriæ virtutes. Aliæ communes vtrisque.

Virtutes huius Quinti præcepti propriæ, vel singulares.

Obedientiæ superiorum propriæ partes, aut superiorum

riorum virtutes propriæ, ſecundum officia diſtinctæ ſunt.

Parentum officia ſunt. 1. *Alere, ac nutrire liberos.* 2. *Defendere eos contra iniurias.* 3. *Eos inſtituere, vel inſtruendos aliis tradere.* 4. *Regere eos diſciplina domeſtica.* Non tantùm parentes oportet ſuos liberos docere, ſed & conſeruare in ijs doctrinam, non quidem ſcholaſticam, ſed domeſticam. Mat. 7. 9. 1. Tim. 5. 20. Eph. 6. 4. Deu. 4. 9. Prou. 13. 1. 19. 18.

Præceptorum ſeu doctorum eſt. 1. *Docere fideliter, cùm ſint loco parentum.* 2. *Regere diſciplina ſcholaſtica.*

Magiſtratuum officia ad hæc capita redigi poſſunt. 1. *Mandare obſeruationem Decalogi*, vt ſcilicet ſubditi viuant ſecundùm vtramque Decalogi tabulam, hoc eſt, ſecundùm totum Decalogum, quòd ad diſciplinam externam. 2. *Exequi Decalogum ſeu Decalogi præcepta*, hoc eſt cuſtodire eius obedientiam, puniendo nimirum peccantes contra diſciplinam ſiue in bonis, ſiue in fama, ſiue in corpore, ſiue in vita. 3. *Condere aliquas leges poſitiuas*, ad conſeruandum ordinem Politicum, qui alias non conſiſteret. Sunt autem leges poſitiuæ determinatio circumſtantiarum quæ ſunt neceſſariæ, vel quæ ſeruiunt obſeruationi ſeu obedientiæ Decalogi. 4. *Exequi etiam iſtas ſuas leges.* Deu. 1. 16. & 17. 9. Eph. 6. 9.

Herorum & Dominorũ eſt. 1. *Mandare familiæ iuſta & poſſibilia*: iuſtas ac licitas operas præcipere, non illicitas, non impoſſibiles, non nimis graues, & non neceſſarias. 2. *Mercedem dare pro laboribus*. 3. *Regere diſciplina domeſtica. Cibaria, & virga, & onus aſino: panis, & diſciplina, & opus, ſeruo.* Syr. 33. 26.

Seniorum autem qui ætate, prudentia, & authoritate præſtant, officium eſt, *alios exemplo vitæ, conſilijs, monitionibus regere & iuuare.* Tit. 2. 2. Syrac. 25. 6.

Propria inferiorum officia nomine *Honoris* exprimuntur. *Honor* enim ſignificat *Primùm* & complectitur *Reuerentiam* inferiorum erga ſuperiores, quæ eſt. 1. *Agnitio voluntatis Dei*, qui in officio & gradu ſuperiorũ, velit eſſe talem ordinem, eum conſtituat, ac neceſſarijs Rom. 12. 1.

donis ornet. 2. *Approbatio huius ordinis diuini, ac donorum.* Si enim non agnoscamus hunc ordinem esse bonum, non afficiemus eum honore. 3. *Subiectio erga hunc ordinem propter Dei voluntatem.* 4. *Declaratio huius iudicij externa tum dictis, & factis, tum ceremonijs & gestibus,* qui locis differunt. *Reuerentia in animo est:* non autem tantùm consistit in externis gestibus. *Subiectio* obedientiam, non coactam, sed promptam complectitur. *Secundò Amorem propter officium,* atque is à reuerentia separari nequit. Quos enim non amamus, illos non possumus reuereri. *Tertio, Obedientiam in legitimis & possibilibus, quæ secundùm officij rationem superiores iubent, et quidem voluntariam obedientiam, sic vt filij lætentur grata facientes parentibus. Quartò, Gratitudinem erga superiores,* quę requirit vt ipsis vnusquisque pro suo officio facultatibus & occasionibus prosit. *Quintò Aequitatem erga superiores,* quæ est tolerare vitia parentum, ac superiorum quæ sine nominis diuini contumelia tolerari possunt, aut quæ cum Lege diuina non pugnant. Ex his facilè colligitur, quæ officija inferioribus mãdata, & ipsorum officijs conuenientia ipsi singulis ordinibus debeant.

Eph. 6. 1. 5.

Vitia singularibus huius quinti præcepti virtutibus contraria.

1 PEccata, *quæ obedientiæ superiorum propriæ partibus repugnant.* Officio parentum opponitur. 1 *Non quærere & suppeditare alimenta necessaria liberis, vel eos educare in luxu.* 2. *Non tueri liberos contra iniurias, aut peccare zelo imprudenti, propter leues, aut nullas iniurias illatas.* 3 *Non assuefacere liberos ad patientiam & mansuetudinem, aut educare eos in otio & licentia peccatorum.* 4. *Nõ erudire liberos pro sua facultate, aut malis exemplis eos corrumpere.* 5. *Non castigare liberos pro necessitate, vel præter officium, aut peccati modum, in eos sæuire.*

Præceptorum, eadem quæ parentum, institutioni & disciplinæ, contraria sunt.

Officio Magistratus duo extrema opponuntur, Ignauia

uia,& Tyrannis. *Ignauia in Magistratu*, est *vel non requirere à subditis disciplinam totius Decalogi:* vel *non ordinare, quæ ad conseruationem & decorum societatis ciuilis requiruntur:* vel *non defendere innocentes contra iniurias:* vel *non coercere, aut nimis leuiter punire, contra disciplinam Decalogi, aut contra leges positiuas peccantes. Tyrannis est, vel iniusta præcipere subditis,* vel *non peccantes punire,* vel *atrocius, quàm pro delicti modo, punire.*

Domini item, *aut otij ignaui & licentiæ concessione,* aut *imperijs iniustis, & mercedis fraudatione,* vel *asperitate nimia peccare possunt.*

Ætate autem, *vel quauis alia authoritate præstantes,* contra officium suum peccant, *stultitia & consiliorum prauitate,* aut *morum leuitate, & exemplis malis,* aut *neglectu iuniorum aut aliorum inferiorum,* quos peccare vident, & suo consilio vel authoritate poterant corrigere.

Inferiores contra honorem superioribus debitum peccant, vel *non eo loco, quo diuinitus constituti sunt, eos habentes:* vel *plus quàm hominibus conuenit, illis tribuentes:* vel *magis amantes quàm Deum:* vel *recusantes obedientiam erga iusta & legitima ipsorum mandata:* vel *obsequentes in speciem, aut iniusta & impia præcipientibus:* vel *eos lædentes iniurijs,* aut *non iuuantes, quibus possunt officijs:* vel *gratificantes assentatoriè & iniustè:* vel *exagitantes ipsorum infirmitates:* vel *per adulationem laudantes errata & vitia:* aut *non monentes eos suo loco cum debita reuerentia de vitijs enormibus & pernicijs.*

Virtutes huius quinti præcepti communes.

Communia omnium officia, seu virtutes quæ omnibus gradib. tam superiorum, quàm inferiorum, præcipiuntur, sunt. 1. *Iustitia vniuersalis,* quæ est obedientia secundũ omnes leges ad omnes pertinentes, propter vniuscuiusq; vocationem. Eam hîc præcipi, manifestũ est, quia superiores hanc postulare debent ab inferiorib. & nos suo exemplo ad obtemperandũ prouocare,

leniens rigorem ſtricti iuris in puniendis & taxandis aliorum erratis, patienter ferens aliquos errores vel defectus non enormiter lædentes ſalutem publicam aut priuatam proximorum, & huiuſmodi vitia aliorum tegens & corrigens, ſeu ſanare ſtudens. *Subditi eſtote cum omni timore dominis, non ſolùm bonis & æquis, ſed etiam prauis.* Huc pertinet *exemplum filiorum Noæ*, Gen. 9. Item *præceptum de moderatione & benignitate parentum erga liberos in diſciplina obſeruanda.* Eph. 6. *Patres ne prouocate ad iram liberos veſtros, ſed nutrite eos in doctrina & monitis domini.* Col. 3. *Ne irritate liberos veſtros ne deſpondeant animum.* Et cap. 4. *Vos Domini æquitatem & æquabilitatem ſeruis exhibete, ſcientes, vos quoque Dominum habere in cœlis.*

Vitia communibus huius præcepti virtutibus contraria.

1. *Iuſtitiæ vniuerſali* repugnant. 1. *omnes neglectus officij, quod iuſtæ leges à ſingulis requirunt, ſiue ſuperioribus, ſiue inferioribus.* 2. *Contumacia omnis & inobedientia, & ſæuitia.* 3. *ſimulatio officij, & hypocriſis.*

2. *Iuſtitiæ particulari diſtributiuæ* aduerſantur. 1. Error, qui officium, quod alicui debetur, ei detrahit, & illud alteri dat, qui non debet illud adminiſtrare, vel cui id non conuenit. 2. *Temeritas, aut perſonarum acceptio* in diſtribuendis officijs, vel deferendis honoribus, vel tribuendis præmijs.

3. *Sedulitati* opponitur. 1. *Negligentia, vel ignauia,* quæ res vel non inquirit, vel volens omittit, & partes officij vel non libenter, vel non integrè aſſiduè facit. 2. *Simulatio diligentiæ*, quæ officium principaliter ſuæ gloriæ vel commoditatis cauſa facit. 3. *Curioſitas*, quæ ingerit ſe officijs alienis. 4. *Arrogantia*, quæ ſibi tribuit quæ non habet, vel quæ habet oſtentat.

4. *Grauitati* contraria ſunt. 1. *Leuitas* non ſeruans conuenientiam, aut conſtantiam, aut non habens ſtu-

dium

dium retinendi famam & existimationem honestam. 2. *Fastus aut ambitio*, quæ est propter officium aut dona sua se efferre, alios que contemnere, & negligere, ac quærere loca altiora, applausus hominum, non studio gloriæ Dei aut salutis proximorum, sed cupiditate supra alios eminendi.

5. *Cum Modestia* pugnat. 1. *Immodestia*, quæ in dictis, habitu, vestitu, non seruat conuenientiam. 2. *Arrogantia*, quæ in opinione, ac sermone tribuit sibi maiora viribus, aut sua dona vel admiratur, vel sine necessitate prædicat. 3. *Simulatio Modestiæ*, quæ est in admonitione sui seipsum extenuare & detrectare officia, quæ aliquis expetit, vt laudem sui, & opinionem modestiæ venetur.

6. *Amori* aduersantur. 1. *Astorgia*, quæ vel odit, vel non amat sanguine iunctos: nec est solicita de eorum salute. 2. *Indulgentia*, quæ propter ipsorum amorem, ad peccata, vel ipsis, vel alijs pernitiosa, conniuet, aut ipsis gratificatur in rebus prohibitis.

7. *Gratitudini* repugnant. 1. *Ingratitudo*, quæ non agnoscit, vel non profitetur authorem & magnitudinem beneficij accepti, vel non studet præstare mutua officia. 2. *Gratificatio illicita*, vel Gnathonica assentatio.

8. *Æquitati* repugnant. 1. *Rigor immodicus & illicitus* in censura peccantium ex infirmitate sine enormi læsione salutis suæ, aut aliorum. 2. *Lentitudo* non puniens aut reprehendens suo loco peccata enormia. 3. *Assentatio* quæ gratia, & commodorum suorum studio laudat non laudanda, vel tribuit alicui maiora quàm illi conueniunt.

SEXTVM PRÆCEPTVM.



On occides.

Scopus aut finis huius præcepti est cõseruatio vitæ & incolumitatis corporũ atq́, adeo salutis tum nostræ tum aliorũ, Prohibentur quæ ad destructionem vitæ nostræ & aliorũ pertinent. Et *in prohibitione nominatur homicidium*, vt vnà cum effectu causæ,& peccata cũ effectu,videlicet homicidio cohærentia tollantur, & ab illis tantò efficaciùs nos absterreamur. *Præcipiuntur* omnia quæ spectant ad columitatem vitæ nostræ & aliorum. *Sententia & summa præcepti est*, vt neque nostram neq; alterius vitam aut salutem corporis externo opere lædamus, siue id fiat vi, siue dolo, siue negligentia, nec affectu aut voluntate læsionem eius expetamus.

Hîc probandum est 1. *Quòd etiam interna hoc præcepto præcipiantur, & prohibiantur.* 2. *Quòd defensio præcipiatur.* 3. *Quòd læsio nostri prohibeatur.*

1. Interna præcipiuntur & prohibentur: 1. *Quia cùm præcipitur, aut prohibetur effectus, præcipitur aut prohibetur etiam causa.* 2. *Ex scopo.* Non vult Deus vt lædamus: ergo prohibet etiam media, per quæ lædere possumus. 3. *Qui temerè irascitur fratri suo, reus est iudicij.*

2. *Defensio proximi præcipitur.* Quia præcepta negatiua includunt affirmatiua. Non occides. Ergo iuuabis.

3. *Læsio tam nostri quàm aliorum prohibetur*, quia causæ cur iubet Deus nos alienæ vitæ rationem habere, eædem sunt. 1. *Imago Dei in homine.* 2. *Similitudo naturæ, & origo ex primis parentibus.* In carnem nostram sæuire non debemus: atqui sicut omnes homines ex iisdem, nempe primis parentibus, propagati sunt, & sunt caro nostra, sic potissimùm nos ipsi. Ergo minùs nos, quàm

quàm alios lædere debemus. 3. *Magnitudo precij quo Christus omnia membra Ecclesiæ redemit.* 4. *Membrorum Christi Coniunctio.* Hæ causæ cùm in nobis ipsis quoq; reperiantur, sequitur hac lege singulis suæ cuiusque vitæ & corporis læsionem & neglectum prohiberi.

Igitur *Non occides* significat 1. *Neque te, neque alios desiderabis occidere.* Quod enim à nobis fieri non vult deus, id neque expeti, neque desiderari concedit. 2. *Neque significabis desiderium, vel te, vel alios occidendi.* Nam cuius appetitionem Deus prohibet, eius etiam significationem verbis aut gestu, seu vultu, factam prohibet. 3. *Neque istud desiderium exequeris.* Cuius appetitionem, & significationem Deus vetat, eius executionem vetat vtique multò magis. Antithesis ergo est. Tu & alios amabis 1. *Desiderio.* 2. *significatione.* 3. *executione.* Hinc oriuntur omnes huius præcepti virtutes, & similiter vitia cum iisdem pugnantia.

Virtutes huius sexti præcepti.

QVæ hic præcipiuntur spectant (vt dictum est) ad conseruationem vitæ vel salutis hominum. *Conseruatur autem salus hominum, aut non lædendo, aut iuuando.* Qua ratione virtutum huius præcepti duo constituuntur genera, quorum prius continet virtutes de non lædenda hominum salute, alterum virtutes complectitur de salute hominum iuuanda.

Virtutes non lædentes hominum salutem.

Hæ sunt triplices: nam *non lædimus triplici modo*, videlicet *aut non læsi vel non irritati, aut irritati, aut vtroq; modo.*

In primo modo versatur *Iustitia Particularis*, neminem lædens. Porrò *iustitia particularis non lædens* est virtus cauens omnes læsiones, quæ vel violentia, vel fraude, vel negligentia nostræ aut aliorum salutis fiunt

fiunt: eoque nec ſtudio, nec negligentia vitam aut corpus cuiuſquam lædens, à quo nos læſi non ſumus, niſi Deo iubenti. Hæc in verbis expreſſa eſt, Non occides.

In ſecundo modo verſantur *Manſuetudo & æquitas*. Eſt enim harum virtutum, quòd non lædamus etiam irritati. *Manſuetudo, ſiue placabilitas*, aut ignoſcentia, eſt virtus, moderatrix iræ, quæ cauet omnem iram iniuſtã, ita vt nec propter nullam, nec propter leuem cauſam iraſcatur: & vbi legitimæ iræ cauſa eſt, etiam ſic iuſtam iram moderatur, vt non iraſcatur vltra modum, aut limites egrediatur à Deo præſcriptos, id eſt vt non optet perſonæ lædentis deſtructionem, nec ardeat cupiditate vindictæ, ſed condonet offenſas, & graues etiam iniurias. & tantùm propter contumeliam Dei, vel iniuſtitiam, aut detrimentum proximi indignetur, nullius licet magnæ iniuriæ vindicandæ cupiditatem admittens in animum: atque animo etiam inimicorum, & malè meritorũ ſalutem optans, & ei tuendæ pro ſua facultate, & ipſorum neceſſitate ſtudens. *Beati mites, quoniam ipſi hæreditatis iure terram poſſidebunt. Æquitas eſt virtus Manſuetudini cognata*, ſtricti nimirum iuris (quod pœnas peccatis æquat) moderatrix, propter cauſam probabilem, vt *cùm propter factum, aut officium, vel propter ſalutem publicam, aut priuatam eorum qui peccant*, vel *propter ſcandalum vitandum*, vel *propter aliquam cauſam aliquid remittitur de noſtro iure in puniendis peccatis, & proſequendis iniurijs.*

Mat. 5. 9.
Pſal. 34. 14.

In tertio modo verſatur φιλησυχία, virtus cauens omnes offenſiones, & occaſiones irarum & diſcordiarũ, & ortas ſtudens tollere. Breuiter, *Eſt ſtudium pacis & concordiæ*, id eſt diligentia tum cauendi cauſas, & occaſiones offenſionum, diſcordiarum, contentionum, & odiorum: tum reconciliandi nobis vel alijs offenſos: tum denique retinendi pacem, & eius cauſa non detrectandi moleſtias & diſſimulationem ac tolerationem iniuriarum, quibus ſumus affecti, citra Dei tamen

Mat. 5. 5.

men contumeliam, & atrocem noſtræ vel alienæ ſalutis læſionem.

Virtutes iuuantes hominum ſalutem.

VVlt Deus non tantùm, vt neminem lædamus, ſed etiam vt nos & alios iuuemus pro parte noſtra virili. *Iuuamus autem duobus modis.* 1. *Depellendo mala, pericula, vel iniurias.* 2. *Benefaciendo, ſeu præſtando beneficia.* Virtutum ergo iuuantiũ duæ ſunt ſpecies, nempe *virtutes mala depellentes, & virtutes benefacientes.*

Virtutes mala depellentes, quæ nimirum verſantur in depellendis malis, & iniuriis, hæ ſunt: *Iuſtitia commutatiua puniens, fortitudo & Nemeſis.*

Iuſtitia comutatiua puniens eſt virtus ſeruans æqualitatem peccatorum, & pœnarum, infligens vel æquales pœnas, vel propter probabilem cauſam minores, pro ratione ſcilicet circumſtantiarum in iudicio politico, ad tuendam gloriam Dei, & ſocietatem hominum conſeruandam Cùm enim Deus vetet lædi ſocietatem, & magiſtratum velit eſſe vindicem diſciplinæ ſecundùm totum Decalogum, vult etiam iuſtis pœnis coerceri atrociter hunc ordinem violantes. Peccat igitur magiſtratus non tantùm crudelitate, ſiue in iuſta ſeueritate, ſed etiam lenitate & cõceſſione licentiæ in alios graſſandi. 1. Reg. 20. *Quia dimiſiſti virum quem volebam occidi, erit anima tua pro anima ipſius, & populus tuus pro populo ipſius.* Leuit. 34. *Quiſquis percuſſerit animam hominis, morte moriatur.* Num. 31. *Non accipietis pretium pro anima homicidæ, qui eſt ſceleratus, vt moriatur, ſed moriendo morietur.* Exod. 21. *Animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente.* Deut. 24. *Non morientur patres pro filijs, nec filij pro patribus: quiſque in peccato ſuo morietur.* Deut. 19. *Facies vrbes refugij, vt non effundatur ſanguis innocens in terra.* Præcipitur hic ad defendendam ſalutem hominum, iuſtitia ſeuera quæ non remittit pœnam ſine probabili cauſa, & ſeruat

æquali-

æqualitatem peccati & pœnæ. Hinc manifestum est non tolli hoc præcepto, sed sanciri officium magistratus in puniendis sceleratis. Deo iubente aliquem occidi, nõ iam homines, sed Deus ipse occidit per eos, quibus hoc præcipit. Ac ne grassandi licentia inualescat, fontes coerceri pœnis voluit. Comprehensa igitur est vindicta magistratuum in dicto, *Mihi vindicta, & ego retribuam.* Hic ergo præcipitur seuera iustitia, quæ non remittit pœnas peccato æquales, sine probabili causa, atque hanc ad hoc præceptum pertinere constat ex ipsius præcepti scopo: quia nisi iustitia seruetur, non poterit humana societas consistere.

Obiect. Dicitur hic, Non occides: Ergo prorsus non est occidendum, & per consequens, ad hoc præceptũ non pertinet ipsa iustitia, vt quæ seruari non potest nisi multi occidantur. Resp. 1. Per inuersionem, Immò ideo est occidendum, ne humana societas à latronibus occidatur. 2. *Non occides* nempe tu pro tuo arbitratu & libidine. Deus enim punit quando Magistratus aliquem punit.

Fortitudo est virtus quæ subit pericula secundùm nostram rationem, id est, quæ pericula subire recta ratio iubet, & quidem propter gloriam Dei, salutem Ecclesiæ, defensionem, & conseruationem vel nostri, vel nostrorum, vel aliorum contra atroces iniurias. Oritur autem Fortitudo Sanctorum ex fide & spe, & dilectione dei ac proximi. *Discernenda item est Fortitudo heroica,* quæ singulare Dei donum est, vt in Iosua, Simsone, Gideone, Dauide, *ab ea animi præsentia, quæ cogitatione voluntatis diuinæ in omnibus excitari debet,* præsertim in gubernatoribus. 1. Reg. 2. *Cõfortare, & esto vir.* Huc pertinet exemplum exploratorum terræ Canaan, & populi desperantis eius occupationẽ. Num. 13. & 14. Huic affinis est *fortitudo bellica,* quę est propugnatrix iustitiæ, & susceptio defensionis iustæ nostri & aliorum, etsi non sit sine periculo, *Bellum,* est vel defensio necessaria contra exercentes latrocinium, seu crudelitatem in subditos, vel pœna iusta propter atroces

iniurias

iniurias, quæ manu armata ſuſcipitur.

Nemeſis aut zelus eſt virtus iuſtè iraſcens, atque indignans propter Dei contumeliam, læſionem proximi iniuſtam, & atrocem iniuriam, qua vel Deus, vel proximus innocens afficitur, habens inſuper ſtudium pro facultate, ſeu viribus iniuriam Deo vel proximis illatam depellendi, aut vindicandi iuxta mandatum Dei. Iudic. 8. *Gedeon ad zeba & Salmuna: viri quos interfeciſtis in Thabor, filij matris meæ erant: viuit Iehoua, ſi viuos ſeruaſſetis eos, non occiderem vos.* & cap. 20. Iſraelitæ ſuſcipiunt bellum contra Beniamitas propter ſcelus admiſſum in vxorem Leuitæ. Vt igitur bella iniuſta hoc præcepto damnantur, ita bellum iuſtum in quinto præcepto, tanquam pars officij magiſtratus erga ſubditos, & in hoc præcepto, tanquam defenſio ſalutis & vitæ propriæ & alienæ approbatur, & partim in iuſtitia non lædente & puniente, partim in Fortitudine & nemeſi conſiſtit. Eſt enim vel defenſio neceſſaria contra exercentes latrocinium, aut crudelitatem in ſubditos, vel pœna iuſta propter atroces iniurias, quæ manu armata ſuſcipitur ab ordinaria poteſtate. 1. Sam. 15. *Prælia Iehouæ Dominus meus præliatus eſt.* Eodem pertinet defenſio vitæ ſuæ vel proximorum contra vim iniuſtam, à priuatis facta, cùm neceſſitas non patitur implorari auxilium magiſtratus. Cùm enim leges & magiſtratus tunc arment priuatum contra latronem aut ſtupratorem, non temere arrepto, ſed ſibi iuſtè à magiſtratu in manum tradito gladio, tanquam miniſter magiſtratuum vtitur. Sic Moſes interficit Ægyptum defendens Iſraelitam.

Virtutes benefacientes, quæ videlicet in beneficijs præſtandis verſantur, hæ ſunt. Humanitas, & Miſericordia, & Amicitia. *Humanitas* ſeu *philanthropia* eſt vera & in animo, & in voluntate, & in corde beneuolentia erga alios, & eius declaratio ſermone, geſtu, & officijs conuenientibus ac poſsibilibus. Hæc eadem virtus in ſacris literis dicitur *Dilectio Dei*, quæ Philoſophia nominatur

nominatur *humanitas*: omnia nimirum proximo præstat, quæ vellent omnes sibi fieri. Veram beneuolentiam hæc virtus præstat erga omnes homines, quam vellent omnes ab alijs erga se præstari.

Misericordia est virtus, quæ compatitur calamitatibus iustorum, vel eorum, qui ex ignorantia aut infirmitate peccarunt, & studet eas tollere, aut lenire quantum iustitia, & gloria Dei permittit, nec gaudet calamitatibus etiam hostium. Vel, *est dolor propter calamitates innocentium*, aut ex ignorantia, vel infirmitate lapsorum, & studium leniendi, & tollendi eorum calamitates honestis rationibus. *Amicitia*, quæ species est humanitatis, est mutua & vera beneuolentia inter bonos inuicem sibi notos, præstans mutua possibilia que officia: vel, Est virtus reddens mutuam & veram beneuolentiam pro vera beneuolentia, & præstans mutua officia, iusta, licita, possibilia: excitata agnitione virtutis, & communicatione in vtroque. *Differt à dilectione*, quòd hæc extenditur ad notos & ignotos, illa tantùm ad notos, idque propter virtutes in illis apparentes. Hæ sunt partes eius quod præcipitur. 1. *Vt viuat proximus.* 2. *Vt benè viuat.*

Vitia virtutibus huius præcepti contraria.

CVm *iustitia particulari*, neminem lædente, pugnant. 1. *Iniustitia lædens*, voluntas nimirũ lædendi, & omnes læsiones iustitiæ. 2. *Lentitudo*, quando non læduntur qui sunt lædendi, ab ijs quorum est officium.

Mansuetudini repugnant. 1. *Ira iniusta*, Iracundia, Simultas, immoderata vindicta, Odium, & Maleuolentia. *Ira furor breuis est.* Iracundia est pronitas ad iram. 2. *Lentitudo*, quando quis non indignatur ob atroces iniurias.

Cum æquitate pugnant. 1. *Rigor immodicus*, cùm nulla habetur ratio circumstantiarum: de quo dicitur,

Summum ius, summa iniuria. Item, Crudelitas, & seueritas iniusta. 2. *Lentitudo*, id est non moueri ijs rebus quibus debemus moueri, & vbi Deus iubet. Item personarum acceptio.

Cum studio pacis pugnant. 1. *In excessu lentitudo*, cùm ita cupis retinere pacem, vt non cures Dei gloriam & tuam, proximique salutem. Hæc est gratificatio iniusta. 2. *In defectu orationes omnes iniustæ, vel non necessariæ*, Contentiones, Obtrectationes, calumniæ, susurrationes.

Iustitiæ, commutatiuæ punienti aduersantur. 1. *In defectu lentitudo*, cùm non punitur id quod debeat. 2. *In excessu, Crudelitas, atque iniusta & nimia seueritas, vindicta priuata, iuris stricti calumnia*, Breuiter, cum iustitia puniente pugnat Iniustitia, quæ aut prorsus non punit, aut punit iniustè.

Fortitudini opponitur *In defectu Timiditas*, & proditio salutis alienæ, cùm potes defensionem suscipere: Item fuga periculorũ à Deo mandatorum. 2. *In excessu temeritas*, quæ est suscipere non necessaria, aut impossibilia.

Nemesi contraria sunt. 1. *Ira iniusta*. 2. *Lentitudo*, quum in irascendo iustè iniurijs & in vindicãdis nulla est acrimonia. Item cum hac pugnant quæ cum studio pacis.

Humanitati opponuntur. 1. *Amor sui cum neglectu aliorum* 2. *Inhumanitas*. 3. *Maleuolentia, aut odium aliorum, aut horum significatio*. 4. *Gratificationes iniustæ*.

Miserecordiæ repugnant. 1. *In defectu, Immisericordia, Crudelitas, Durities*, non misereri eorum, quorum est miserendum: item *Voluptas ex malo alterius, & Indolentia*. 2. *In excessu Lentitudo*, quando parcitur quibus Deus non vult parci, quæ est crudelis misericordia, qua nimirum læditur tota societas, imò ille etiam cui parcitur.

Cũ Amicitia pugnant. 1. *In defectu omnis iniustitiæ & perfidia qua Amicitia violatur. Inimicitia, Neglectus amicorũ.*

Negatio

Negatio beneuolentiæ & officiorum mutuorum, Simulatio amicitiæ. 2. *In excessu, Adulatio, seu Gratificatio iniusta*, item leuitas in contrahenda, & dissoluenda amicitia.

SEPTIMVM. PRÆCEPTVM.

NON mœcaberis.

Finis huius præcepti est. *Conseruatio Castitatis et Coniugij.* Quũ verò Deus *adulterium* nominat, non illud modò prohibet, vt omnium, quæ castitati repugnant, crassissimam speciem: sed & omnia vitia castitati contraria, eorumque cognatas species, item eorum causas, occasiones, effectus, antecedentia, consequentia: atque ex aduerso præcipit omnia, quæ ad conseruationem castitatis faciunt. Rationes hæ sunt. 1. *Ex vna specie reliquæ cognatæ intelliguntur.* In prohibito adulterio damnantur & aliæ libidinum species, & nominatur Adulterium, quia recensetur id inter species libidinum crassissimas. 2. *vbi causa damnatur, ibi & effectus: & contrà.* Sic mandantur, aut prohibentur hic tam antecedentia, quàm consequentia. 3. *Scopus præcepti est cõseruatio castitatis in genere humano & munitio coniugij.* Quicquid ergo facit ad castitatem conseruandam & muniendum coniugium, hac lege præcipitur: contrario simul prohibito.

Virtutes huius septimi præcepti sunt tres. *Castitas verecundia, Temperantia.*

Castitas est virtus seruans mundiciem animi & corporis cum voluntate dei congruentem, ac vitans omnes libidines à deo prohibitas, omnes concubitus illicitos, & commixtionem corporum inordinatam, & omnes eius cupiditates, occasiones, causas, effectus, siue in vita cœlibe, siue in coniugio. *Castitas κόσμος dicitur*, id est, orno: quia est ornamentum non solùm hominis

minis toties, sed & virtutum aliarum omnium. Nomen igitur illud singulariter huic virtuti est inditum quia vna est è præcipuis virtutibus constituentib. imaginem Dei. Est duplex, *Cælebs et Coniugalis. Cælebs castitas* est virtus, vitans omnes libidines extra coniugium: *Castitas coniugalis* est in coniugio seruare ordinem, mirando Dei consilio institutum. Causæ castitatis. 1. *Mandatum Dei.* 2. *Conseruatio imaginis Dei.* 3. *Studium cauendi deformationem imaginis & coniunctionis inter Deum & Ecclesiam.* 4. *Præmia, & pœnæ. Extrema Castitatis.* Omnes libidines, earum causæ, occasiones, & effectus: omnes coniunctiones illicitæ, omnes cupiditates prauæ conscientiam violantes etiam in coniugio. Per coniugium enim, propter naturæ nostræ prauitatem, non omnia peccata tolluntur, vt cùm non spectatur finis coniugij præcipuus.

Verecundia est virtus abhorrens ab omni turpitudine coniuncta cum pudore, dolore, & contristatione, vel ob præteritam turpitudinem, vel ob metum futuræ, & habens propositum ac studium fugiendi, non ipsam tantùm turpitudinem, sed & occasiones, argumenta, & signa turpitudinis, *Verecundia requiritur ad castitatem* tanquam adiumentum, & causa castitatis: item tanquam eius effectus, consequens, & signũ. *Extrema verecundiæ.* 1. *Inuerecundia, seu impudentia*, quæ non curat turpitudinem. 2. *Rusticus pudor, aut pudor agrestis et peruersus*, cùm quem pudet eius cuius non debebat, velut rei honestæ, quæ non requirit pudorem.

Temperantia est virtus seruans modum naturæ, honestati, mediocritati, atq; ordini personarum, locorum & temporum, secundùm Legem naturæ conuenientem, in rebus ad corpus pertinentibus, vt in cibo & potu. *Temperantia requiritur ad castitatem*, tanquam causa sine qua non possumus esse casti. *Extrema temperantiæ*, Intemperantia cibi & potus: ingurgitationes: Item temperantia nocens seu abstinentia

nimia & hypocritica, non conueniens naturæ, vt Eremitarum.

Quoniam omnes cum castitate, & scopo huius præcepti pugnant, notandæ sunt species libidinum. *Species libidinum referri possunt ad tria genera. Primi generis sunt, quæ sunt contra naturam*, & à Diabolo, quæ nimirum sunt contra hanc etiam naturam nostram corruptam, non tantùm quia eam corrumpunt, & priuant conformitate cum Deo, sed etiam quia hæc natura nostra deprauata ab ijs abhorret: huius generis sunt quæ recensentur ab Apostolo cap. 1. ad Rom. vt confusiones specierum, & sexuum: item sexus fœminei abusus. Hæc scelera & horrenda flagitia à magistratu extraordinarijs supplicijs sunt punienda. *Incestus* habet magnam partem pugnantium cum hac nostra natura, licet incestuum exempla extent apud primos parentes, quia illi fiebant ex necessitate, & dispensatione diuina: itaque hæc erat exceptio à regula.

Secundi generis sunt quæ sunt ab hac natura nostra prava, vt scortationes inter liberos à coniugio, adulteria inter coniugatas personas vtrinque, consuetudines coniugatorum cum alijs non coniugatis. Si coniugatus cum altera coniugata consuetudinem habet, est *duplex adulterium*: violat enim suum & alterius coniugium. Si coniugatus cum non coniugata rem habet, est *simplex adulterium*. *Scortatio* est non coniugatorum. Incestus & adulteria magistratus ex officio seuerè punire debet. Nam sunt multò atrociora furtis. Adulterijs Deus capitale iudicium constituit. Scortationem etsi capitaliter puniendam non constituerit Deus: tamen cùm sæpè dicit, *non sit scortum inter vos*, eam suo modo puniendam significauit. Sunt & alia quæ ab hac vitiosa nostra natura committuntur mala conscientia, vt cupiditates, quibus indulgemus, aut delectamur, nec eas vitare studemus. Cupiditates istiusmodi vitiosæ, & similia, licet non puniantur in foro politico,

tico, coniuncta tamen sunt cum mala conscientia, & punientur à Deo.

Tertij generis sunt inclinationes prauæ, quibus tamen non indulgent boni viri, sed resistunt, & auferunt ijs occasiones, & his non turbatur cõscientia, quia inuocatur Deus, & petitur gratia resistendi, & in cordibus est testimonium de remissione peccatorum. Atque istorum peccatorum post lapsum remedium est institutum coniugium. Itaque contra istas inclinationes dicendum est, *Præstat nubere quàm vri*. Quamuis Paulus ijs verbis non probet coniugia immatura, noxia Reipublicæ ante ætatem inita, aut inhonesta, id est contra bonos mores.

Quæstiones de Coniugio præcipuæ.

1. *Quid sit coniugium.*
2. *Quæ causæ instituti coniugij.*
3. *An sit Adiaphorum.*
4. *Quæ officia coniugum.*
5. *Quæ sint contraria coniugio.*

1. *Quid sit Coniugium.*

Coniugium est legitima & indissolubilis coniunctio vnius maris, & vnius fœminæ, instituta à Deo vt cognoscamus eum esse castum, & execrari omnes libidines: vt & in ea Domino castè seruiamus, & maximè vt medium ea sit per quod propagetur genus humanum, & ex hoc colligat sibi deinde Deus Ecclesiam: denique vt sit societas laborum, curarum, & inuocationis. Vt coniugium sit legitima coniunctio, requiruntur hæc. 1. *Vt contractum sit matrimonium vtriusq; partis consensu.* 2. *Vt & consensus aliorum quorũ requiritur adsit, nempe parentum, vel qui sunt parentũ loco.* 3. *Vt seruentur honestæ conditiones.* 4. *Ne cõmittatur error in personis.* 5. *Vt Matrimoniũ contrahatur inter personas non prohibitas à deo:* velut inter eas quib. impedimento non Leu. 18.

sint gradus consanguinitatis. Est autem gradus consanguinitatis distantia agnatorum. De gradibus ijs est hæc regula tenenda. *Quot sunt personæ à stirpe, tot sunt gradus.* Stirps autem, est persona ex qua aliæ sunt deriuatæ. Linea est aut ascendentium, aut descendentium, aut collateralium. *Ascendentes* sunt omnes maiores. *Descendentes* omnes posteri. *Collateralium* linea est aut æqualis, aut inæqualis. *Æqualis,* quando æqualis est distantia à communi stipite: *Inæqualis,* quando inæqualis est distantia. Prohibitiones graduum, Leuit. 18. expressæ, sunt morales. 1. *Quia gentes propter has abhominationes dicuntur eiectæ.* Non habuerunt autem gentes legem ceremonialem. 2. *Paulus acerrimè reprehendit eum qui nouercam duxerat.* 1. Cor. 5. Ioan. Baptista dicit Herodi, Mar. 6. 18. *Non licet tibi habere fratris vxorem.* 3. *Ex scopo,* quia finis, id est prohibitio incestus propter reuerentiam sanguinis facta est vniuersalis, perpetua, & moralis. 4. *Est lex naturæ.* 5. *Legitima eius*
1. Cor. 7. 36. *coniunctio, seu coniugium legitimum, si matrimonio iungantur personæ ad coniugium idoneæ.* 6. *Si ista coniunctio fiat in Domino,* id est, ne fidelis cum infideli matrimonium contrahat, sed cum fideli, atque id religiosè cum Dei timore. 7. *Si matrimonium contrahatur inter duas personas.*
Gen. 2. 24. Mat. 19. 5. *Erunt enim duo in carne vna. Ob. Patres habuerunt plures vxores. Resp.* Non exemplis, sed Legibus iudicandum.

2. *Quæ sint causæ instituti coniugij.*

AVctor coniugij est ipse Deus. Etenim coniugium non est inuentum humanum, sed à Deo institutum in Paradiso. Causæ verò propter quam sit institutum cõiugium sunt, sicut ex definitione cognoscimus 1. *Medium propagationis generis humani.* 2. *Collectio Ecclesiæ.* 3. *Imago coniunctionis inter Deum & Ecclesiam.* 4. *Vt vitentur vagæ libidines.* 5. *Vt sit societas laborum & inuocationis.* Arctior est illa societas, eoque vota ardentiora: quia ardentiùs eos iuuamus precibus quibus iuncti sumus studio. Vt, parentes ardentiùs orant pro liberis

quàm

quàm liberi pro parentibus : quia amor descendit, non ascendit.

3. *An coniugium sit Adiaphorum.*

A *Diaphorum est illis coniugium, qui habent donum continentiæ.* Hoc autem continentiæ dono quicunq; præditi non sunt, ijs omnibus coniugium non est Adiaphorum, sed vt necessarium ipsis à Deo mandatum. Et sicut omnibus continentiæ dono præditis indifferens est coniugium, sic idem omnib. ad id idoneis personis est concessum. Cùm autem iustum tempus non conseruatur, tum est ea res causa multorum malorum in politicis & Ecclesiasticis rebus. Quicunque tamen semel matrimonium legitimè & in domino contraxerunt, illis nunquam permittitur matrimonium semel contractum dissoluere, nisi propter adulterium.

4. *Quæ sint officia coniugum.*

OFficia coniugum sunt 1. *Amor mutuus.* 2. *Fides coniugalis,* vt solus solam, & sola solum, semper & cõstanter diligat. 3. *Communio bonorum, & in malis sympatheia.* 4. *Susceptio, & educatio sobolis.* 5. *Tollerantia defectuũ cum studio sanationis.* Mariti est 1. *Nutrire coniugem, & Sobolem.* 2. *Gubernare.* 3. *Defendere.* Vxoris est. 1. *Adiuuare maritum in conseruanda re familiari.* 2. *Obedientia & reuerentia erga maritum.* Quando ista negliguntur, in vsum legitimum coniugij grauissimè peccatur.

5. *Quæ coniugio sint contraria.*

C*Oniugio contraria* sunt scortationes, adulteria, incestus, illegitima copulatio, abusus coniugij, & diuortia extra casum adulterij. Persona autem deserta vel ad desertionem sollicitata, non facit diuortium.

OCTAVVM PRÆCEPTVM.



On furaberis.

Sancitur hoc præcepto distinctio Dominiorum. *Finis enim præcepti est, Conseruatio rerum, seu professionũ* quas deus singulis largitur ad sustentationem vitæ. *Non furtum facies*, id est, Non concupisces, vel tentabis per fraudem ad te trahere bona proximi. Ergo defendas, conserues augeas ea, & des quod est proximi. Nominat autem *furtum*, velut crassissimam speciem, vt nimirum per eam reliquæ species intelligantur, & propter eandem tanquam scopum seu finem, prohibeantur & alia vitia, vel peccata cognata, antecedentia, consequentia.

Virtutes huius octaui præcepti, subiunctis earundem extremis, aut vitijs contrarijs.

1. *IVstitia commutatiua*, quæ est virtus in acquisitione bonorum, non appetens res alienas, & seruans æqualitatem Arithmeticam in contractibus & communi vita, in acquisitione, & commutatione rerum, secundum iustas leges: vt cùm seruat æquitatem secundum iustas leges, inter mercem & pretium, mercedem & præmium, siue id fiat in acquisitione, siue in commutatione rerum. *Res sunt aut nullius, aut alicuius.* Itaque res ad alium dominum transferuntur vel quæ sunt nullius, vel quæ sunt aliorum: *Quæ sunt nullius*, fiunt illorum, qui eas acquirunt: sed si nullius occupes, nulli facies iniuriam. *Quæ sunt aliorum*, transferuntur vel vi, seu inuito domino, vel voluntate, seu volente domino. *Inuito domino transferuntur* quæ iure belli, siue per captiuitatem eripiuntur hosti. *Volente domino*, quæ ad alium transferuntur vel per hæreditatem, vel per contractum. *Per hæreditatem* res ad alium transferuntur vel cum Test. vel sine eo. *Contractus* est consensus inter aliquos de translatione rerum, vel

earum

earum communicatione seu commutatione, secundum iustas & honestas leges. Contractus omnes continentur sub Iustitia commutatiua.

Sunt autem *decem contractuum species.* 1. *Emptio & venditio*, quando res à venditore transfertur ad emptorem, ita vt emptor venditori det iustum & æquiualens pretium. Ea est aliquando aut cum pacto de reuendendo, aut cum pacto de non reuendendo: ita vt emptor emptam rem non possit alijs vendere. Ad emptionem pertinet emptio redituum, illa siquidem non est vsura, sicut nec elocatio fundi pro certa pecunia quotannis reddenda. 2. *Mutuatio*, quæ est contractus in quo vsus alicuius rei transfertur ad alium, ita vt reddatur æquiualens. Datur aliquid in mutuatione, non vt reddatur idem, sed simile, aut æquipollens. 3. *Commodatio*, quum quòd ad vsum, vel cùm vsus alicuius rei conceditur alicui ad certum tempus, ita vt sine pretio idem indiuiduum reddatur integrũ & incorruptum. 4. *Donatio*, quando res à iusto Domino, ab eo videlicet qui habet ius illam donandi, ex libera voluntate transfertur ad alium sine compensatione. *Obiect. Iustitia postulat, vt æqualia pro æqualibus dentur. Sed hoc non fit in donatione. Ergo pugnat illa cum iustitia. Resp.* Ad maiorem, scilicet si donatur hoc animo vt fiat compensatio. 5. *Permutatio*, quando à legitimis & volentibus dominis res mutatur, aut res pro re datur æquipollens. 6. *Locatio*, quæ est contractus, quo alicuius rei vsus (non eius dominium) a legitimis dominis ad aliquem transfertur certo pretio, & ad certum tempus, ita vt eadẽ res incorrupta reddatur. 7. *Oppignoratio*, cùm res ad alium transfertur, vt sit ei obligata vsu, tantisper dum aliæ res quæ ei debẽtur, ipsi persoluantur: vel quãdo res traditur alicui ad certũ tempus, vt si nõ redimatur interea, alter habeat ius ea vtendi pro voluntate. 8. *Depositũ, quãdo res aliqua datur alteri asseruãda, ita vt nec vsus, nec dominiũ, sed tantũ rei custodia illi committatur.* 9. *Societas*, quæ est cõtractus

quidam eorum qui vna negotiantur, in quo alius pecuniam, alius operam seu laborem confert hac conditione vt vnicuique pars lucri cedat. 10. *Contractus* quo vsus fundi, vel fundi dominium vtile à Domino transfertur ad colonum, cum certa conditione, nempe vt fundum sibi traditum excolat, & obligatus sit Domino ad certa officia, vel ad certam aliquam seruitutem præstandam. Hæ contractuum species obseruandæ sunt ad intelligendam iustitiam commutatiuam.

Extrema iustitiæ commutatiuæ. Pugnat cum iustitia commutatiua omnis iniusta rerum translatio, quæ fit vel vi, vt rapinæ: vel fraude, vt furta. Furtum est ablatio rei alienæ inscio & inuito domino, animo eum priuandi. *Species furti* sunt, *Peculatus*, cùm quis publica furatur: *Stellionatus*, cùm quis fraudibus & impostoris vtitur in contractibus: *Sacrilegium, præstigiæ*, & omnes corruptelæ contractuum, inter quas non extremum locum obtinet vsura. Est autem *vsura* id quod accipitur vltra sortem, solius mutuationis causa. *Excluduntur ab vsura* contractus iusti, Societas, Emptio, Contractus de reddendis redditibus, Compensatio damni iusta. Multæ sunt quæstiones de vsura, de quibus potest iudicari ex dicto. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

2. *Autarcheia*, quæ est virtus qua sumus contenti rebus nostris, præsentibus, ac iustè acquisitis, placidè ferimus paupertatem & alia incommoda, non frangimur inopia, non inhiamus bonis aut rebus alienis, nec appetimus non necessaria. *Extrema*, In defectu: *furtum, & auaritia.* In Excessu, *ficta recusatio*, quando quis simulat se ea accipere nolle, quæ tamen accipere posset, & maximè vellet. Item *Inhumanitas*, quæ est nihil velle accipere.

3. *Fidelitas*, est virtus quæ cauet alterius detrimenta, eaque studet auertere, & libenter, ac diligenter vocationis suæ partibus, officium faciendo, defungitur, hoc fine, vt Deus celebretur, nos nostram vitam

sustentemus, nobis & nostris res necessariæ sufficiant, atque aliis etiam succurrere & suppeditare necessaria possimus. Qui non facit labores quos potest & debet, facit furtum. *Obiect. In quinto præcepto fidelitatis facta est mentio: non igitur hic locum habet. Resp.* Non est absurdum, vnam eandemque virtutem poni in diuersis præceptis, propter diuersos fines, & respectus. Fines enim actionum faciunt discrimina. *Ponitur in hoc præcepto fidelitas*, quatenus est diligentia ac studium cauendi aliorum incommoda & faciendi operas ac labores, quibus acquiramus nobis victum, amictum, res necessarias. *In quinto præcepto fidelitas ponitur*, quatenus est obedientia in officio faciendo. *Extrema. Infidelitas*, non cauens damnum, nec diligenter faciens officia vocationis. Item *negligentia & ignauia*, quæ tantùm fruitur publicis commodis, nihil autem ipsa confert in societatem hominum communem.

4. *Liberalitas*, virtus quæ largitur indigentibus secundùm rectam rationem: id est, quæ communicat aliis facultates proprias non debita obligatione, sed iure diuino & naturali, seu pietatis, ac dilectionis causa, liberali pectore, pro facultate sua, & alterius necessitate, sciens nimirum vbi, quando, quib. & quantum possit largiri, & seruans mediocritatem inter sordes & profusionem. *Extrema* in defectu, *Illiberalitas, Auaritia, Sordes. Auaritia* est studium augendi res nostras per fas & nefas, & astrictio largitionis iustæ. In Excessu *Profusio, Prodigalitas*, quæ largitur præter rationem rectam & sine necessitate, cum gaudio profusionis donorum. De hoc vitio dicitur: *Morbum habes lætitiam ostendens.*

5. *Hospitalias*, quæ est species liberalitatis, nempe liberalitas, ac beneficentia erga peregrinos & hospites, præsertim erga exules propter veritatis Euangelicæ confessionem, prosequens eos omnibus officiis hospitalibus, & charitati Christianæ respondentib. *Extrema. Inhospitalitas, & Profusio in hospites.*

6. *Parsimo-*

6. *Parsimonia*, virtus cauens ac vitans luxum, atq; omnes sumptus, aut largitiones non necessarias, custodiens res proprias, ac benè partas, eas vtiliter collocans in vsum suum, & suorum, neque plus expendens quàm quantùm videt opus esse. *Refertur hæc ad octauum præceptum:* quia si præcipitur in hoc præcepto liberalitas, prohibetur etiam eius contrarium, nempe profusio, cui oppositum est Parsimonia. *Liberalitas habet sibi adiunctam parsimoniam*, quæ sunt duo media inter eadem extrema, inter Auaritiam scilicet & Profusionem: quia Liberalitas sine Parsimonia degenerat in prodigalitatem: & Parsimonia sine Liberalitate degenerat in Auaritiam & sordes. Ac proinde non est liberalis qui non est parcus: non est parcus qui non liberalis. *Liberalitas* amplificat largitionem secundùm rectam rationem. *Parsimonia* eandem constringit secundùm rectam rationem, ac tantùm parcit, quantum requiritur ad vsus necessarios. In hæ duæ virtutes versantur in eodem obiecto, atq; inter eadem extrema: ideoq; eadem vitia quæ contraria sunt liberalitati, pugnant & cum Parsimonia.

7. *Frugalitas*, virtus Oeconomica collocans res bene partas rectè, prudenter & vtiliter, pro rebus vilibus & necessarijs, vel sumptus faciens in res quolibet tempore necessarias, & frugem afferentes. *Hæc virtus Parsimoniæ cognata est. Frugalitas* consistit in recta collocatione: *Parsimonia* autem dando cum recta ratione. *Extrema* quoq; eadem sunt frugalitatis, quæ & Parsimoniæ. *Profusio scilicet & Auaritia*, seu tenacitas.

Obiectiones contra distinctionem Dominiorum.

1. TEmpore *Apostolorum omnia fuerunt communia. Ergo & nunc bona debent esse communia. Resp.* Est dissimilitudo in exemplis: quia *Illi fuerunt adducti causis probabilibus, cur tunc communionem bonorum induxerunt. 2. Erat periculum ne si non venderent possessiones, vi vi priuarentur. 3. Fecerunt id non intercedente Lege, sed libere.*

liberè. Voluntaria erat illorum bonorum communio: nemo cogebatur. Vnde Petrus ait Ananiæ, *Nonne si seruasses manebat tibi, & venundatum erat in tua potestate?* 4. *Hæc consuetudo saltem tunc temporis locum habebat.* 5. *Non fuit tamen hæc bonorum communio in omnibus Ecclesiis*, quia colligebantur in Macedonia Eleemosynæ quæ mittebantur Hierosolymam. Act. 5. 4. 1. Cor. 16.

2. *Naturalia sunt immutabilia. Communio bonorum est naturalis. Ergo communio bonorum est immutabilis, eoque & hodie seruanda. Resp.* Ad Maiorem. Naturalia sunt immutabilia, scilicet morali Lege, non autem naturali vtilitate.

3. *Christus dicit ad adolescentem, Si vis esse perfectus vende omnia & da pauperibus. Resp.* Est dissimilitudo in exemplis, quia vocatio discipuli erat specialis ad Apostolatum pertinens. Deinde volebat eo significare, quàm procul abesset à perfectione Legis, de qua gloriabatur.

4. *Omnia sunt Christi: ergo & Christianorum. Resp.* Omnia sunt Christianorum seu nostra, scilicet quòd ad ius ad rem, non quòd ad ius in re. Debentur nobis omnia, sed nihil nos rapere debemus ante tempus.

5. *Amicorum omnia sunt communia. Resp.* Communia sunt amicorum, scilicet *quod ad vsum & officia honestatis, & vtilitatis*, vel *quod ad vsum necessarium secundùm rectam rationem.* Debemus enim petere ab amicis, quæ à nobis peti volumus. *Non autem communia sunt omnia amicorum, quod ad possessionem & dominium attinet*, siquidem vnicuique manet suarum rerum possessio, ac dominium distinctum. Hęc rerum possessio, seu distinctio Dominiorum sancitur (vti diximus) hoc præcepto: quia si non debemus furari, oportet vt res nostras possideamus, idque propterea. 1. *Vt nos ipsos seruemus.* 2. *Vt suppeditemus aliquid ad conseruationem ministerij.* 3. *Ad conseruationem Reipublicæ.* 4. *Amicorum.*

NONVM

NONVM PRÆCEPTVM.

NON eris aduersus proximum tuum testis mendax.

Scopus aut finis huius præcepti est sanctio & conseruatio veritatis inter homines. Neque tantùm prohibetur in hoc præcepto falsum testimonium sed omnes etiam cognatæ species, quarum genus est mendacium. *Ne dicas falsum testimonium de proximo tuo, vel contra proximum tuum.* Hoc negatiuo præcepto comprehenditur affirmatiuum, quod est, Dicas igitur verum testimonium, de vel pro proximo tuo, id est, sis verax, sis amans discendæ ac cognoscendæ veritatis. *Veritatis* autem nomen accipitur, hic pro veracitate, id est, pro congruentia notitiæ, vel sermonis cum re de qua est sermo. *Verum*, est ipse sermo congruens cum re.

Virtutes huius noni præcepti, additis earundem vitijs.

Virtus principalis quæ hic præcipitur, est *veritas.*

1. *Veritas*, seu potiùs veracitas, est virtus, qua veras sententias amamus, inquirimus, amplectimur, & libenter, pro ratione tum officij nostri, tum personarum, locorum, temporum, & aliarum circumstantiarum eas profitemur, ac defendimus ad gloriam dei, & salutem proximi. Facit iste finis vt diabolus non sit verax, etiamsi verum dicat aliquando. Nam verax est, qui veritatem dicit, & amat, eique studet propter gloriam Dei, & proximi salutem. Potest & veritas hoc modo definiri: *Veritas* est firma electio in voluntate, qua constanter amplectimur veras sententias, dicimus vera, seruamus pacta, & in sermone & gestu vitamus occultationes insidiosas. *Confessio vera præcipitur & in hoc, & in tertio præcepto:* quomodo sæpe eadem virtus ad obedientiam diuersorum præceptorum

tum requiritur. *In tertio autem præcepto requiritur confessio vera*, quatenus illa est celebratio Dei, Deum immediatè spectans: *hic illa præcipitur*, quatenus fallere nolumus proximum, sed eum volumus conseruatum. Nomine *veritatis* complectimur etiam *Parresian*, quæ est virtus, qua, quantum tempus, locus, & necessitas postulat, veritatem liberè, atque intrepidè profitemur, nec abstrahimur metu periculorum. *Extrema Veritatis. In defectu, pugnant cum veritate.* 1. *Omnia mendacia*, ad quæ pertinent omnes fraudes, simulationes, negligentia in cognoscendis veris sententijs, officiosa mendacia, item calumniæ, obtrectationes, maledicentiæ, quæ mendacij species etiam cum candore pugnant. *Mendacium* est aliter loqui, vel aliter gestibus declarare, quàm sentias, & res se habeat. Sic principaliter hoc præcepto prohibetur mendacium. *Ad mendacium refertur & ignorantia voluntaria*, quæ scilicet est mendacium in mente. *Officiosa mendacia sunt vitanda*, quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona. Et omne mendacium, quod disertè veritatem dissimulat, damnatur. *Veritas* autem dicta per aliquam figuram non est mendacium, siue is intelligat apud quem agitur, siue non. Hoc obseruandum, ne simus nimis rigidi in examinandis sanctorum factis: Deinde ne excusemus, quæ non necesse est excusari. *Obiect. Deus benefacit obstetricibus quòd mentitæ erant. Ergo Deus probat mendacia. Resp.* Ideo Deus benefacit obstetricibus, quia timuerunt Deum, nec occiderunt infantulos Israeliticos. Exod. 1. 21.

2. *Vanitas aut Leuitas*, quæ est facilitas ad mendacium. *Vanus* est qui multum, sæpe, & facilè mentitur: idque sine vllo pudore. *Mendax, qui habet studium mentiendi.* In Excessu pugnant cum veritate. 1. *Intempestiua veritatis professio, quæ est margaritas porcis obijcere, & sanctum dare canibus*, vt ait Christus, qui verbis istis omnino prohibet nõ necessariam atque intempestiuam veritatis professionem. Math. 7. 6. *Intempestiuè qui monet, ille nocet.* 2. *Curiositas*, quæ

est

est inquirere non necessaria, aut impossibilia. Hæc de virtute huius præcepti noni præcipua: quæ sequuntur virtutes, ancillantur veritati, atque omnes illæ sunt quasi veritatis appendices.

2. *Candor* est virtus, quæ rectè vel ambiguè dicta aut facta bene accipit, & in meliorem partem interpretatur quatenus nimirum causæ sunt probabiles, non facilè suspiciones cõcipit, non indulget suspicionibus quantumlibet iustis, probabiles causas habentibus: non ijs nititur, nullas ex ijs actiones instituit, neque quicquam ex ijs decernit, aut statuit. Definitur & hoc modo, *Candor* est virtus vicina veritati, propter probabilem rationem approbans alienas voluntates, & odio habens maleuolentiam, quædam etiam ambigua flectens in meliorem partem, ac bonum quidem sperans, sed tamen de rebus mutabilibus, cogitans posse mutari hominum voluntates, & de aliena voluntate posse hominem errare, cum non aspiciantur latebræ humani pectoris. *Extrema.* In defectu *Calumnia, & Suspicacitas. Calumnia* est non tantùm innocentes falsò criminari, sed etiam mediocriter dicta in malam partem interpretari, aut falsum etiam aspergere & affingere. *Suspicacitas*, rectè, & ambiguè dicta in peiorem partem interpretari, mala suspicari: de bonis, vel sine ratione, aut etiam veris suspicionibus nimium indulgere: suspiciones licet habere, nisi velimus esse stulti. *Cauete ab hominibus. Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* In excessu, *stulta credulitas, & Adulatio stulta. Credulitas* est temere quid interpretari, vel alicui assentiri sine iusta & probabili causa. Vel, quando sunt rationes manifestæ aut probabiles, tamen creditur contrarium de aliquo. *Adulatio vel assentatio*, est laudare vel probare non laudanda, vt aucupemur siue bona, siue gratiam alicuius. *Candor* est adiumentum siue Species. Ergo & hîc vna cum veritate præcipitur.

Mat. 10. 16. 17.

3. *Simplicitas* est perspicua veritas sine ambagibus vel

vel, est virtus quæ vera, recta, & explicata in artibus & communi vita propriè & perspicuè dicit, & facit, Simplicitate & Candore veritas temperatur. *Extrema, Simulata Simplicitas, & Duplicitas in moribus.*

4. *Constantia*, virtus à veritate agnita non discedens nec mutans consilium sine probabili ac necessaria causa, sed constanter dicens & faciens vera, iusta, & necessaria. Vel, est virtus in inuenta, agnita, & approbata veritate perseuerans, & similiter eam profitens ac defendens. Constantia ad veritatis conseruationem requiritur. Ergo hic etiam præcipitur. *Extremæ* In defectu, *Inconstantia, seu Leuitas*, quæ est præter rationem mutare veras sententias. In excessu *Pertinacia, seu rigor Stoicus*, vitium ex confidentia ingenij, vel ex superbia atq; ostentatione ortum, cedere nolens de sententia, etiam quam firmis rationibus videt esse falsam: sed perseuerans in falsis opinionibus aut iniustis, aut inutilibus actionibus.

5. *Docilitas*, virtus inquirens verarum sententiarum rationes, facilè credens, ac cedens meliora docentibus aut ostendentibus, idq; propter certam rationem, & promptam faciens voluntatem ad acquiescendum veris seu probabilib. rationib. eàq; relinquẽda quæ priùs amplectebatur. *Extrema sunt* eadem quæ & constantiæ, ad quam docilitas etiam requiritur. Nã *Constantia sine Docilitate in pertinaciam, & Docilitas sine Constantia in Leuitatem degenerat.* Iam enumeratæ virtutes optimè cohærent inter se. Nam *oportet Veritatem temperari Candore & Simplicitate, percipi & cognosci Docilitate, Constantia conseruari*, Atq; ita præcedentes requiruntur virtutes vt sit veritas. Tres autem sequẽtes virtutes requiruntur vt vtiliter sit veritas in mundo.

6. *Taciturnitas* virtus reticens arcana & non necessaria dictu, vbi, quando, & quatenus nõ est opus: & vitans nimiã loquacitatem. Seu, est modus profitendi veritatẽ eiusmodi quo reticẽtur arcana, siue vera, seu falsa: vitãtur autẽ sermones non necessarij, & inutiles

Maximè

Maximè verò intempestiui, pernicioſi & quæ præbent ſcandala. *Extrema. In defectu Garrulitas, loquacitas, futilitas, & proditio. Garrulitas* eſt non poſſe quicquam reticere. *Futilitas* eſt intempeſtiuè, immodice, & ſtolidè loqui. In exceſſu, *faſtus moroſitas, et diſſimulatio veritatis*, vbi ſunt cauſæ neceſſariæ vel etiam probabiles. *Moroſitas* eſt nimium ſilentium & reticentia veritatis, vbi gloria Dei & ſalus proximi, vel noſtra & aliorum cauſa, vel dilectio amicorum requirit vt loquamur. *Taciturnitas ſine Comitate fit Moroſitas: & comitas ſine Taciturnitate fit Garrulitas, ac futilitas, effutiens dicta pernicioſa, non neceſſaria, vana, aut arcana.*

7. *Comitas vel Affabilitas*, virtus libenter, & cum ſignificatione beneuolentiæ, audiens, reſpondens, loquens vbi opus eſt, propter cauſam neceſſariam, ſeu probabilem, vel eſt virtus facilè admittens congreſſus aliorum, & colloquijs, ſermone, & geſtibus beneuolentiam ſignificans. Vel, *Comitas, facilitas, affabilitas*, conſiſtunt in audiendo & reſpondendo cum aliqua ſignificatione beneuolentiæ. *Extrema* ſunt eadem Comitatis quæ & Taciturnitatis: item Leuitas, Aſſentatio, vel Comitas effectata.

8. *Vrbanitas* eſt facultas dicendi veritatem cum quadam venuſtate ad docendum, conſolandum, exhilarandum, taxandum: vel, eſt veritatis & ſermonis condimentum, nempe veritas figuratè dicta, ad alios vel mouendos, vel taxandos, vel docendos, vel delectandos ſine acerbitate, & ſeruatis circumſtantijs loci, temporis, & perſonarum. *Extrema.* 1. *Scurrilitas, & Dicacitas. Scurrilitas* eſt obſcœna iocatio, præſertim in rebus ſerijs. *Scurra*- dicitur σκῶρ id eſt Stercus: quoniam putida & ſtercora loquitur. *Dicacitas* eſt vitium iocandi acerbè, alioſque, ſed imprimis miſeros deridendi, atque exagitandi. 2. *Stoliditas, & Inſulſitas. Stoliditas* eſt affectatio vrbanitatis intempeſtiua. *Inſulſitas* eſt affectatio vrbanitatis inepta. Eſt autem *Vrbanitas* ſingulare donum ingenij: ſed tamen rerum experien-

perientia comparari potest. *Obiect. Quod alteri prodest, & nemini nocet, non est peccatum. Officiosum mendacium tale est. Ergo, &c. Resp.* Nego minorem. *Inst. Veritas tamē est sæpe omittenda. Resp.* Discernendum est inter occultationem veritatis & mendacium: vel, potest esse fallacia accidentis. 3. *Obtrectatio*, quæ falsa crimina de alijs spargit, ambiguè dicta malè interpretatur cū vindictæ cupiditate, studio nocendi, aut conciliandi inuidiam.

DECIMVM PRÆCEPTVM.

Non concupisces domum proximi tui: nō concupisces vxorem proximi tui, nō seruum, nō ancillam, non bouem, non asinū, nec quicquam aliud, quod ipsius sit.

Scopus et finis huius præcepti est, Affectuum omnium erga Deum et proximū rectitudo, atque obedientia interna, quæ in alijs etiam præceptis instituenda est. Nec tamen hoc præceptum abundat, *quia additum est illud superioribus præceptis, vt sit eorum declaratio*, & quidem declaratio eorum vniuersalis, quia de toto genere hoc dicitur: ac deinde *vt sit tanquam regula, iuxta quam accipi debet interna obedientia aliorum omnium præceptorum.* præcipitur enim in hoc præcepto iustitia originalis erga Deum & proximum, quæ est vera agnitio Dei in mente: & in voluntate, & corde, & in omnib. membris potentia, inclinatio, ac desiderium obediendi Deo, ac voluntati eius agnitæ, & præstandi proximo omnia debita officia propter Deum, eiusque salutem tuendi.

Pugnat *cum Iustitia originali Peccatum originale*, seu *Concupiscentia*, quæ est appetitus inordinatus, vel inclinatio & propensio praua in mente, voluntate, &

corde, repugnans Deo, & appetens ea quæ Deus in Lege sua prohibet, secuta lapsum primorum parentum, & ab illis deriuata in omnes posteros, ac totam eorum naturã sic deprauans, vt omnes propter hanc prauitatem rei sint æternæ iræ dei, nec placens quicquam Deo facere possint, nisi fiat remissio propter filium Dei, Mediatorem, & renouatio naturæ per S.S.

Iustitiæ originalis erga proximum extrema duo sunt. 1. In defectu *Peccatum originale* erga proximum, quod est desiderium eorum, quæ nocent proximo. 2. In excessu *Amor proximi inordinatus*, cùm in eius gratiam negligimus Deum. Obseruandum est hoc loco *non tantùm prauas inclinationes esse peccata, sed & mali cognitionẽ esse peccatum*, quatenus videlicet cogitatio mali coniuncta est cum desiderio id faciendi. *Concupiscentia verò quin mala sit & peccatum, licet nobiscum nascatur*, non est dubium. Nam an aliquid sit peccatum non est iudicandum ex natura, sed ex lege, siue illud nobiscum nascatur siue non.

Pelagiani negarunt concupiscentiam esse peccatum. Contrà Paulus, Rom. 7. dicit, *Concupiscentiam non nouisset esse peccatum, nisi Lex dixisset, Non concupisces.* Obiectiones eorum sunt.

1. *Naturalia non sunt peccata. Concupiscentia est naturalis. Ergo, &c. Resp.* Est fallacia accidentis in minore. nam concupiscentia ante lapsum non fuit, sed post peccatum venit. Deinde est ambiguitas in vocabulo *Naturale*. Nam in maiore significat rem bonam à Deo conditam in natura, appetitum scilicet ante lapsum qui non erat Legi contrarius. In minore significat rem quam non habemus à natura, sed quam post lapsum nobis attraximus. *Inst. Affectus seu appetitus etiam in natura corrupta, ad appetenda conseruantia, & fugienda destruentia, non est peccatum. Talis est concupiscentia. Ergo, &c. Resp.* Ad maiorem. Inclinatio seu secundùm Legem Dei, seu inordinatus, qui fertur in obiecta Deo displicentia, peccatum est. Appetere fructum arboris

naturale

naturale est: sed quatenus appetebatur ab Eua, vt prohibitum à Deo, peccatum fuit. *Differunt autem peccatũ Originale & Concupiscentia.* Hæc enim est propensio ad ea quæ prohibita sunt Lege. *Peccatum originale* est reatus totius generis humani, priuatio agnitionis & voluntatis diuinæ.

2. *Quod non est in potestate nostra vt sit in nobis vel non sit, id non est peccatum. Concupiscentia, &c. Resp.* Ad maiorem. Nisi illam potentiam nostra culpa amiserimus alioqui falsa est maior. Nam Deus postulans à nobis impossibilia non facit nobis iniuriam, quia præcepit dum possibilia erant. Iam autem non amisit suum ius postulandi quod apud nos deposuit.

3. *In Baptismo tollitur peccatum. Ergo concupiscentia in Baptizatis non est peccatum. Resp.* Tollitur in baptismo peccati reatus, non autem prauitas seu inclinatio ad peccandum.

4. *Peccatum facit homines iræ Dei obnoxios: Concupiscentia renatos non facit iræ Dei obnoxios Ergo Contupiscentia non est peccatum. Resp.* Concupiscentia non facit renatos iræ Dei obnoxios, scilicet gratia Dei: non autem hoc fit ideo, quasi Concupiscentia non sit peccatum. Nam & alia peccata non damnant renatos. Et hoc est quod Scholastici dicunt, *Formale tollitur, & Materiale manet.*

5. *Vbi tollitur formale peccati, ibi etiam res ipsa tollitur, Materiale videlicet peccati, vel ipsum peccatum: In baptismo tollitur formale peccati. Ergo & ipsum peccatum tollitur in Baptismo. Resp.* Peccati duplex est formale. 1. *Reatus* id est, ordinatio ad pœnã, qui Reatus tollitur. 2. *Pugnantia cum Lege, & inclinatio ad peccatum,* quæ manet.

EXplicato iam decalogo, restant adhuc duæ Quæstiones de lege.

1. *Quomodo Lex sit possibilis, vel Quomodo Lex ab hominibus possit seruari.*

2. *Quis sit vsus Legis, cùm illam in hac vita non possimus implere.* Hieronim. *Anathema sit qui dixerit Legem impossibilem esse: scilicet cum gratia in Christo.* Et rursus *Anathema sit, qui dixerit Legem possibilem esse: scilicet, sine gratia.*

1. *Quomodo Lex sit possibilis.*

VT intelligatur quæstio, *distinguenda est natura in integram, lapsam, & rursus instauratam. Naturæ integræ lex est possibilis tota* secundum omnes partes & gradus, vt Angelis.

Lex possibilis est renatis. 1. *Quod ad externam disciplinam.* 2. *Beneficio iustificationis, ac regenerationis,* quod vtrumque beneficium fide consequimur. 3. *Quod ad inchoationem obedientiæ internæ & externæ in hac vita.* 1. Ioa. 5. 3. Item *quoad imputationem iustitiæ Christi,* in quo est victoria nostra. Qui sine inchoatione, id est sine regeneratione gloriatur se Deum nouisse & colere: mendax est. Sed *impossibilis est Lex renatis, respectu Dei, nempe quod ad perfectam Legis obedientiam internam, & externam.* Non enim implent Legem perfectè, quia multa agunt contra Legem. 2. *Quia etiam ea quæ agunt secundum Legem, sunt imperfecta.* Nam in renatis multa adhuc sunt peccata, *vt peccatum Originale: multa actualia, ignorantiæ, omissiones, infirmitates:* quæ tamen peccata ipsi agnoscunt ac deplorant. Itaque *multum differunt peccantes renati à non renatis peccantibus.* Illud autem discrimen triplex est. 1. *Propositum in Deo de renatis seruandis.* 2. *Certa pœnitentia renatorum finalis.* 3. *Etiam in ipsis renatorum peccatis aliquod initium fidei veræ, & conuersionis restat. Impij nec totam obedientiam, nec principium obedientiæ habent.*

2. *Quis sit vsus Legis.*

DVo Legis vsus docentur à Paulo in Epist. ad Gal. 1. *Agnitio peccati.* 2. *Pædagogia ad Christum.* In natura integra Legis vsus erant. 1. *Conformitas cum Deo.* 2. *Bona conscientia.* In natura corrupta sunt vsus, aut fines

fines legis, 1. *Conseruatio disciplinæ tam in renatis, quàm in non renatis.* 2. *Vt cognoscamus quod, & qualis sit Deus.* 3. *Agnitio peccati.* 4. *Præparatio ad desperationem in reprobis.* 5. *Vt sit medium per quod accendatur & crescat in Electis resipiscentia.* 6. *Norma vel regula viuendi fidelibus, atque id ad quod tendamus tanquam ad metam.* Habet igitur Lex vsum ante, & post conuersionem. *Ad agnitionem peccati & resipiscentiam Lex vtilis est: nam nobis est regula, secundum quam instituamus vitam, & gratitudinem.* Item, *illa, nobis est speculum, in quo videamus defectus nostros, atque ita crescente renouatione crescat & inuocatio,* qua petamus magis ac magis Deo & Legi suæ conformari.

Obiectiones quibus aduersarij probare conantur nullum iam Christianis esse legis vsum.

1. *Quod non potest seruari, id non debet doceri, quia nihil prodest: Lex non potest seruari: Ergo Lex non debet doceri.* *Resp.* Nego maiorem: quia docetur lex, vt studeamus quàm proximè ad eam accedere.

2. *Qui impossibilia præcipit præcipit inutilia. Deus præcipit legem, quæ est impossibilis. Ergo Deus inutilia præcipit.* *Resp.* Inutilia præcipit, qui præcipit impossibilia: scilicet 1. *Si sint impossibilia simpliciter.* 2. *Si semper sint impossibilia.* 3. *Si non alij sint vsus istius præceptionis, quàm vt fiant quæ præcipiuntur.* Fines autem legis qui sint audiuimus: propter quos fines Legis antè indicatos Deus & Legem præcipit, & eam nos doceri vult.

3. *Quod Deus nobis non vult dare, eoque quod non assequi possumus, id non debemus expetere. Perfectam Legis impletionem Deus nobis in hac vita dare non vult. Ergo perfectam Legis impletionem nõ debemus expetere.* *Resp.* Non debemus expetere quod nobis Deus non vult dare, scilicet nisi Deus iubeat illud expetere. Iubet autem Deus nos expetere in hac vita, ac desiderare perfectam Legis impletionem: 1. *Quia in desideratibus vult illam tandem efficere:* & nobis igitur illam vult post hanc vitam dare, si verè, & ex animo eam hic desideremus. 2. *Vt iam proficiamus in pietate,* & studium viuendi ad Le-

gis diuinæ præscriptum in dies magis ac magis accendatur in nob. & confirmetur. 3. *Vt hoc desiderio legis implendæ nos in pœnitentia atq; obedientia Deus exerceat.*

DE PRÆCATIONE.



Væstiones præcipuæ.

1. *Quid precatio sit & quas habeat species.*

2. *Quare necessaria sit Precatio.*

3. *Quid ad veram Precationem requiratur.*

4. *Quæ sit forma Precationis à Christo præscripta.*

1. *Quid precatio sit, & quas habeat Species.*

PRecatio est *Petitio cum ardenti desiderio coniuncta, siue accedant verba, siue non: qua petimus à vero Deo in verbo patefacto res quas à se peti iussit: profecta ex agnitione & necessitatis nostræ vero sensu, & desiderio beneficentiæ diuinæ, cum humilitate, & pœnitentia, & confessione indignitatis nostræ, facta in vera ad Deum conuersione, & fiducia promissionum diuinarum propter Mediatorem Christum.*

Precationis tres recitantur à Paulo species. 1. *Petitiones*, bonorum 2. *Deprecationes*, malorũ. 3. *Intercessiones*, pro alijs. Harum specierum genus est *Precatio*. Item *Inuocatio, & Adoratio. Precatio tamen ab Inuocatione, & Adoratione differt.* Nam *Adoratio* sæpe sumitur pro toto Dei cultu, quia quem adoramus, eum habemus pro vero Deo. *Inuocationis autem pars aut species est ipsa precatio: duo siquidem Inuocatio tanquam genus complectitur:* nempe *Petitionem seu Precationem, & Gratiarum actionem.* Est enim *Inuocatio*, seu Inuocare Deum, aliquid à vero Deo petere necessarium tum animo tum corpori, & pro acceptis ab ipso beneficijs gratias agere. *Gratitudo*, seu gratiarum actio est agnitio beneficij accepti & obligatio voluntaria ad mutua, possibilia

bilia, & licita officia. *Duo continet Gratitudo, veritatem, scilicet & iustitiam.*

2. *Quare sit necessaria Precatio.*

CAusæ, an Precatio sit necessaria, sunt hæ:

1. *Mandatum Dei*, quia Deus præcepit vt ipsum inuocemus, & hoc modo principaliter vult à nobis coli & celebrari. *Inuoca me in die tribulationis. Quũ precamini, dicite, Pater noster &c.* Ex his Christi verbis insuper apparet etiam linguam requiri ad precationem, id quod & aliis rationibus probatur. 1. *quia Deus vult se celebrari lingua ad hoc præcipuè condita.* 2. *Quia ex abundantia cordis os loquitur.* 3. *Vt nos imitentur alij.* Psal. 50. 16. Luc. 11. 2.

2. *Necessitas & Indigentia nostra:* nam bona nobis ad salutem necessaria non consequimur à Deo, nisi illa ab ipso petamus. Deus enim solis petentibus ea promisit. Quod autem de necessitate Precationis dicimus, idem de necessitate Gratiarum actionis dicendum est Nam sine gratiarum actione data amittimus: & danda ac necessaria non accipimus. Vtriusque necessitas facilè patebit, siue effectus fidei, siue fidei causam, atque adeo ipsam fidem consideremus. In nemine fides accenditur aut augetur, qui eam non petit: nemo fidem habet, qui pro ea non agit gratias: & qui vera fide præditi sunt illi petunt gratiam diuinã: qui gratiam diuinam gustarunt, illi Domino sese pro ea præbent gratos, eamque magis ac magis expetunt. *Charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Sp. sanctum qui datus est nobis.* Atque hic ipse etiam Spiritus sanctus precatione seu precibus impetratur. Nam nulli datur. S.S. nisi ei qui eum desiderat. Rom. 5. 5.

Ob. 1. *Atqui & impios videmus accipere dona Spiritus sancti. Ergo non tantùm petentes ipsum accipiunt. Resp.* Multa quidem dona impij accipiunt, sed non principalia nec propria Electorum, qualia sunt fides, pœnitentia remissio peccatorum, regeneratio: deinde quæ accipiunt impij dona, non sunt illis salutaria, non ad salutem accipiunt ea. *Instantia. Ad priorem responsionem.*

Infantes non petunt, & tamen accipiunt Spiritum sanctum.
Resp. Datur Spiritus sanctus non nisi petentibus eum, scilicet adultis, qui possunt eum petere. Imò & infantes petunt Spiritum sanctum suo modo, potentia videlicet inclinationem habentes ad fidem: eoque etiam potentia petunt Spiritum sanctum, vel ad eum petendum habent inclinationem.

Obiect. 2. *Effectus non est prior sua causa. Preces autem sunt effectus Spiritus sancti, siquidem nemo Spiritum sanctũ potest petere, qui ipsum non habeat, & ipse solus efficit in nobis preces. Non igitur precibus accipitur S. S. sed est in nobis ante preces: & per consequens, Ipse non tantùm petentibus datur.* *Resp.* 1. Quicunq; non habet Spiritum S. non potest eum petere, scilicet quod ad eius incrementum. 2. Effectus nõ est prior causa sua, scilicet ordine & natura, sed tempore sunt simul. Sic etiã Spiritus & ipsa Spiritus sancti petitio simul tempore sunt in nobis, non autem simul natura. Est enim Spiritus sanctus in nob. natura ante preces, quia tum demum incipimus ipsum desiderare, atque à Deo petere, cum ipse nobis datur, & nos eum petimus. Quamuis autem Spiritus sanctus prior sit in nobis natura, vel ordine, non tamen prior est tempore: simulatque enim datur Spiritus sanctus, incipimus desiderare eius præsentiam. Quum dat spiritum suum Deus, eodem tempore petunt ipsum quibus datur. Et nulli datur Spiritus sanctus nisi desideranti eum: nemo enim desiderat, nisi qui habet eius initium. Quòd ergo dicitur à Christo, *Quantò magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum sanctũ ijs qui ab eo petunt?* hoc non tantùm de incremento, sed etiam de initio donorum intelligi debet.

Luc. 11. 1.

3. *Quid ad veram precationem requiratur.*

CONditiones bonæ precationis sunt.

1. *Directio ad verum Deum*, vt nimirum inuocetur verus Deus, patefactus in Ecclesia per verbum Propheticum & Apostolicum, per opera creationis, conserua-

conſeruationis,& redemptionis Eccleſiæ. Sicut accepimus, ita baptizati ſumus, & ſicut baptizati ſumus, ita credimus, & ſicut credimus, ita adoramus Patrem & Filium,& Spiritum ſanctum.

2.*Cognitio mandati diuini.* Nam ſine Dei mandato dubitamus de exauditione. Precantes igitur debemus ita cogitare: Inuoco, quia mandaſti. Quando cognoſcimus eſſe mandatum Dei, vt ipſum precemur, ſcimus etiam Deo preces noſtras eſſe acceptas, quas à nobis in verbo ſuo exigit.

3.*Cognitio rerum petendarum.* Non vult Deus tantùm affectum noſtrum ad ſe dirigi, ſed vult etiam vt cogitemus res petendas: alioqui non eſt precatio, ſed deriſio Dei, atq; ideo præſcripta eſt à Chriſto precationis formula, ex qua quænam res à Deo ſint petendæ diſcamus. *Petendæ ſunt* (vt hoc ſummatim comprehẽdam) *res tum certæ, tum approbatæ à Deo & permiſſæ.* Hæ autem ſunt duplices, *Spirituales & corporales.* Vtraſque vult à ſe peti Deus:& quidem ſpirituales illas,quæ neceſſariæ ſunt ad ſalutem,ſine conditione: res autem corporales, cum conditione. *Obiect. Qui dubitanter petit,non petit ex fide bona.Corporalia dubitanter petimus. Ergo non ex fide. Reſp.* Maior eſt aut particularis,aut falſa. Natura enim fidei poſtulat, vt certi ſimus non de omnibus beneficijs corporalibus,ſed tantùm de ſpiritualibus beneficijs ad ſalutem neceſſarijs,vt de remiſſione peccatorum,de vita æterna.Deinde licet cum conditione petimus bona corporalia, non tamen de ijs impetrandis dubitamus ſimpliciter. Credimus enim nos bona corporalia, quæ petimus à Deo,cõſequuturos,modò nobis ea conferant ad ſalutem, atq; hac ratione ſemper petenda ſunt ea conditionaliter. Plurimũ.n.ea differunt à beneficiis ad ſalutem neceſſariis: *ſimiliter diuerſo modo peti debent. Dona ad ſalutem non neceſſaria ſunt petenda ſimpliciter*, cum fiducia exauditionis quòd ſimus illa accepturi ſicut petimus.i.in ſpecie *Dona autem ad ſalutem non neceſſaria, ſiue ſint corporalia,*

ſiue

siue etiam spiritualia illa, sine quibus possumus esse salui, petenda quidem sunt, sed cum conditione voluntatis Dei, quòd nobis illa sit daturus si seruiant ipsius gloriæ, & nobis vtilia sint, seu quòd nobis daturus sit alia meliora, vel hoc vel alio tempore. Imitabimur in petendis iis leprosum dicentem, *Domine, si vis, potes me mundare.* Neq; enim Electi dum illa petunt simpliciter exaudiri cupiunt. Nam sæpe petimus ignorantes, quæ & qualia sint, an pernicioſa. Vult interim deus à se peti res corporales, aliasq; non necessarias ad salutem. 1. *Vt petitio rerum corporalium sit exercitium fidei, & confirmet nostram fiduciam obtinendi res spirituales ac salutares.* Ratio est, quia nemo potest expectare à Deo bona & salutaria, nisi illum placatum habeat. 2. *Vt cogitemus & profiteamur ipsius prouidentiam*, quod ne illa contingant quidem nobis fortuitò.

Mat. 8. 2.

4. *Verum desiderium rerum petendarum.* Non vult simulatam aut hypocriticã esse petitionem, nec in ore natam, sed in corde: vult nos vero cordis affectu ac desiderio precari. Ideo desiderium ardens constituendum est Precationis genus. Sic Dominus dicebat Mosi, *Quid clamas ad me?* nihil tamen Moses loquebatur.

Exod. 14. 15.

5. *Sensus indigentiæ nostræ.* Agnitio & sensus indigentiæ nostræ est fons ex quo nascitur desiderium. Nam quo putas te magnopere non indigere, id serio non petis. *Orate*: nam omnes indigent Deo.

6. *Humiliatio, id est vera pœnitentia.* Necesse est accedat vera humilitas, vera agnitio indignitatis nostræ seu vera resipiscentia, & conuersio. Atque ita coram Maiestate diuina nos abiiciamus supplices. 1. *quia deus nobis nihil debet* 2. *Quia sumus ipsius hostes ante conuersionem. Peccatores non exaudit Deus*, id est, superbos, qualis erat ille Pharisæus. Et *quanto pere requiratur ad precationem vera humiliatio, pœnitentia, seu Conuersio*, satis vel istud ostendit, *quòd promissiones diuinæ tantũ ad conuersos pertineant.* Itaq; sine conuersione nemo potest orare ex fide: sine fide verò nemo certus est de exauditione

Ioa. 9. 31.

7. *Fiducia*

7. *Fiducia exauditionis propter Mediatorem:* vt ſtatuamus deo propter Mediatorem placere tum noſtram perſonam, tum preces noſtras, eaſque ab ipſo propter Chriſtum exaudiri. In Chriſti nomine nobis eſt orandum vera fide. In altari Chriſto preces noſtræ ſunt ponendæ: ſic fiet, vt certi ſimus de exauditione. Nam ſi vera fide credimus Chriſtum eſſe vnicum illud altare in quo preces noſtræ oblatæ aſcendant in conſpectum Dei, certa etiam fiducia ſtatuamus neceſſe eſt, nos Chriſti merito iuſtos eſſe coram deo: deum nobis reconciliatum eſſe per Chriſtum: Chriſti interceſſione noſtras à deo preces exaudiri: *Quia eſtis filij emiſit Deus Spiritum Filij ſui in corda veſtra clamantem Abba, id eſt Pater.* Gal. 4.6. Hîc in fiducia exauditionis obſeruãdũ eſt diſcrimen illud rerum petendarum paulò ante expoſitũ.

8. *Fiducia promiſſionis diuinæ,* vt agnoſcamus & cogitemus deum promiſiſſe ſe exauditurum quotcunque ipſum inuocauerint, conditionibus hiſce iam recitatis. Sine hac promiſſione exauditionis non eſt fides, ſine fide petitio eſt inanis, & promiſſio requiritur propter fidem: fides autem, ſiue hæc fiducia requiritur ad precationem, quia niſi promiſſionibus diuinis adhibeamus fidem, ac de ijs inter orandum cogitemus, nihil illæ nobis proſunt, nec poſſumus bona conſcientia quicquam petere: imò cùm hoc pacto neſcimus quid petamus, de exauditione dubitantes, non precamur, ſed irridemus deum. Promiſſionis verò diuinæ de nobis exaudiendis fiducia parit certitudinem exauditionis & ſalutis: atque hæc certitudo accendit in nobis ſtudium inuocationis. Ex hiſce conditionibus bonæ precationis apparet facilè *quantum differat piorum & impiorum precatio. Pij* conditiones has omnes ſua precatione ſeruare ſtudent: *impij* contrà vel omnes eas omittunt & negligunt vel vna atque altera conditione ſeruata errant in reliquis. *alij errant in eſſentiæ & voluntatis diuinæ cognitione,* omittentes ita conditionem primam: *alij errant in rebus petendis,*

cum

cum petunt res malas, aut incertas, aut non approbatas. *Alij has petunt hypocriticè:* alij *non ex sensu indigentiæ:* alij *non fiducia Mediatoris:* alij *perseuerantes in sceleribus putant se exaudiri:* alij *res ad salutem necessarias petunt cum diffidentia:* alij denique *petunt non cogitantes de promissione Dei, ideoque non ex fide.*

4. *Quæ sit forma precationis à Christo præscripta.*

Mat. 6. 9. Luc. 11. 2.

PRecationis à Christo nobis præscriptæ formula recitatur à duobus Euangelistis, Matthæo & Luca. Formam hanc nobis tradidit Christus, non vt his verbis simus alligati, sed vt sciamus, & quando, & quæ res petendæ sunt. *Ob. Non debemus esse sapientiores Christo. Ergo cùm ipse nobis instituerit certam precationis formulam, nos ea contentos esse oportet: ac proinde malè facimus, cum vtimur alijs precationum formulis. Resp.* Non debemus discedere ab illa formula si Christus ad eam nos alligatos esse velit: sed ad hæc verba non vult nos alligatos esse, *quia institutum eius,* cum doceret discipulos orare, fuit tradere breuem summam earum rerum, quæ nobis à Deo petendæ sunt. *Inst. Quo nihil melius inueniri potest, illud est retinendum. Non possumus nos meliorem formam, & meliora verba inuenire, quàm sunt ipsius Christi. Ergo oportet nos etiam formã & verba retinere. Resp.* Non possumus meliora verba inuenire, nec meliorem formam, scilicet ad exprimendam hanc summam rerum petendarum, quæ est tanquã genus omnium rerum petendarum. Genera hæc beneficiorum quæ hac forma Christus præscripsit nobis petenda, non possunt meliori forma proponi: sed Christus vult nos etiam ad species descendere, & particularia beneficia petere pro necessitate. Est enim Christi formula nihil aliud nisi series certarum classium, seu generum, ad quam omnia beneficia tam corporalia, quàm spiritualia referantur. Et cùm nos Christus iubet petere genera, iubet etiam petere species. Quæ etiam hic posita sunt in genere, debemus hac itidem de causa per

species

ſpecies explicare, vt inducamur in cogitationem neceſſitatis noſtræ, & in deſiderium petendi, vt neceſſitati noſtræ ſubueniat Deus. Vt autem id poſſimus, opus eſt etiam ſpecialibus formis precandi. Nam ad explicationem generum per ſpecies alia forma opus eſt. Aliæ tamen precandi formulæ debent omnes ad formam à Chriſto præſcriptam congruere, licet ad illam non ſimus alligati, cùm ſit illa Chriſti forma planè indifferens, ſicut ex his Scripturæ locis apparet: *Quicquid petieritis à Patre in nomine meo.* (ſiue id petieritis in genere, ſiue in ſpecie) *dabit vobis.* Non igitur nos Chriſtus alligauit ad certam formam. *Qui non habet ſapientiam petat, & dabitur.* Item, *Orate ne fuga veſtra fiat in hyeme.* Hoc autem quod ad verba non eſt in iſta petitione. Sunt & exempla precum tam in Nouo Teſtamento, quàm in veteri. Proinde forma Precationis à Chriſto nobis tradita, penitus eſt indifferens.

Ioa. 14. 13.
Iac. 1. 5.
Mat. 24. 20.

HVius porrò Precationis Chriſti tres ſunt partes, *Exordium, Petitio, & Concluſio ſiue clauſula.*

Exordium: *Pater noſter qui es in cœlis.*

Duæ ſunt partes exordij. 1. *Pater noſter.* 2. *Qui es in cœlis.* Ita autem præfatus eſt dominus, quia debito honore vult inuocari. Honor iſte conſiſtit. 1. *in vera agnitione.* 2. *in vera fiducia.* 3. *in obedientia.* Obedientia complectitur. 1. *veram Dilectionem.* 2. *verum Timorem,* 3. *Spem.* 4. *Humilitatem.* 5. *Patientiam.*

1. Pars exordij, *Pater noſter.* Deus *Pater noſter* dicitur. 1. *Ratione creationis. Qui fuit Adam, qui fuit Dei.* 2. *Ratione Redemptionis, ac receptionis in gratiam per Filium Mediatorem.* Chriſtus eſt vnigenitus dei Filius, nos verò non noſtra natura, ſed propter Chriſtum adoptati. 3. *Ratione ſanctificationis, ſeu regenerationis per Spiritum Sanctum in Chriſto. Obiect. 1. Inuocamus Patrem ex ipſius Filij præſcripto: Ergo non Filium & Spiritum San-*

Luc. 3. 38.

ctum

ctum. Resp. Nego consequens: quia non valet consequentia ab attributione proprietatis alicuius vni Deitatis personæ ad remotionem eiusdem ab alia persona diuinitatis. Deinde nomen *Patris* (vt & nomen Dei) *quando opponitur creaturis omnibus, accipitur essentialiter, non personaliter: quando autem ponitur cum alia persona Diuinitatis,* sumitur Personaliter. Hoc igitur loco nomen *Patris* essentialiter sumitur: & rationes manifestæ sunt, 1. *Quia hic non cum alia Diuinitatis Persona ponitur nomen Patris, sed cum creaturis, à quibus inuocatur,*

Isa. 9. 6. Sic & ab Esaia, Christus dicitur *Pater æternitatis, aut futuri sæculi.* 2. *Quia inuocata vna Persona, non excluduntur aliæ, cùm de operibus externis fit mentio.* 3. *Non possumus cogitare Deum Patrem nisi in Filio Mediatore.* Filius autem fecit nos Filios per Spiritum sanctum, qui dicitur Spiritus υἱοθεσίας. 4. *Christus docet vt se inuocemus,* inquiens, *Amen Amen dico vobis, quæcunque petieritis à*

Ioa. 16. 23. *Patre in nomine meo, dabit vobis.* 5. *Christus dat Spiritum Sanctum:* Ergo est ille ipse à quo petimus. *Ob.* 2. *Christus dicitur & est noster frater. Ergo non est pater noster. Resp.* Est frater noster respectu humanæ naturæ. *Pater autem noster diuinæ naturæ respectu. Ob.* 3. *Si is dicitur Pater, qui nos recepit in gratiam propter Christum, nomine Patris non intelligitur Christus: quia qui nos recipit in gratiam propter Christum non est ipse Christus. At pater quem hic appellamus, recipit nos in gratiam propter Christum. Ipse igitur non est Christus. Resp.* ad maiorem. Qui nos in gratiam recipit propter Christum, non est ipse Christus, scilicet eodem respectu. Christus quatenus Mediator, est is per quem recipimur: quatenus verò est Deus, est is qui nos recipit.

Patrem Deum vult nos Christus compellare & inuocare 1. *Propter veram inuocationem Dei, qui est Pater Domini nostri Iesu Christi.* 2. *Propter veram agnitionem,* vt eum agnoscamus esse nostrum Patrem, qui per & propter Filium Mediatorem nos adoptauit in filios, cùm

Ioa. 20. 17. aliâs essemus hostes ipsius. *Ascendo ad Patrem meum, &*

Patrem

Patrem vestrum, & quia propter Filium nos per Sp.S. regenerat, & omnibus bonis necessarijs donat. 3. *Propter reuerentiam*, vt nimirum excitetur in nobis vera erga ipsũ reuerentia, quoniã ipse Pater est noster nos sicut filios decet, geramus, & tali erga eum reuerentia affecti simus, quali erga patrẽ affectos decet esse liberos, & quidem adoptatos, atq; indignos beneficijs Dei. 4. *Propter fiduciã*, vt illa videlicet excitetur in nobis, qua certi simus de exauditione, quoniã Deus est Pater noster, & quidem tantopere nos diligens, vt *tradiderit vnigenitum Filium suum pro nobis in mortem, quomodo nobis cum eodem non dabit omnia ad salutem nostram necessaria?* 5. *Propter memoriam creationis*. Solos autem sic orantes vult exaudire: quia in ijs assequitur finem suorum bonorum & beneficiorum. *Obiect. Patris est nihil denega liberis, Deus autem nobis multa denegat. Ergo. &c. Responsio.* Ad maiorem, Patris est nihil denegare suis liberis, nempe quod sit ijs necessarium.

Nostrum Patrem iubet nos Christus deum appellare, non meum Patrem. 1. *Vt in nobis fiduciam exauditionis excitet.* Quia enim tota Ecclesia vnanimiter orat, eam non reijcit, sed exaudit, iuxta hanc Domini nostri promissionem. *Vbi sunt duo vel tres coacti in nomine meo, illic sum in medio eorum. Ob. Atqui sæpe domi oras, Ecclesia nesciente. Resp.* Pij, & tota Ecclesia orant pro se & omnib. membris, affectu ac desiderio. Amor & desiderium est qualitas habitualis, manens etiam cùm dormis: non est passio citò transiens. Atq; hoc etiam facit ad fiduciam: quia totam Ecclesiam Deus non reijcit. 2. *Vt nos admoneat dilectionis naturæ*, qua præditi Christiani pro se inuicem orare debent. Ideò autem hac voce in ipso Precationis exordio nos admonuit mutuæ dilectionis, aut quomodo erga proximũ debeamus esse affecti. 1. *Quia sine vera proximi dilectione non est vera precatio, neq; possumus statuere nos à Deo exaudiri:* Si. n. accedamus ad deum, non habentes pro fratrib. Mat. 18. 40.

filios

1.Ioa.4.20. filios Dei, neque ipse nos habebit pro filijs. *Quia sine proximi dilectione non est vera fides: sine fide non est vera* Rom.14.23. *Precatio. Quicquid enim non est ex fide, peccatum est.*

2. Pars Exordij. *Qui es in cœlis, id est,* Cœlestis.

Cœlum hic significat habitaculum Dei, & sanctorum Angelorum & beatorum hominum. Et *dicitur ibi Deus habitare*, quia ibi Deus est magis glorioſus, quàm in hoc mundo, & ibidem immediatè se patefacit. Iubet autem nos Dominus *Patrem* compellare, *qui est in cœlis.*

1. *Vt ostendat Antithesin patrum terrenorum & huius Patris:* atque ita nos cogitemus Deum cœlesti gloria & maiestate regnare, & esse Patrem, non terrenum, sed cœlestem, eum nempe, 1. *qui sedet in cœlo.* 2. *Qui præsidet, atq; vniuersum orbem à se conditum sua prouidentia ibidem gubernat.* 3. *Qui est omnis corruptionis & mutationis expers,* 4. *Qui etiam ibi potissimùm se coram Angelis patefacit: atque ibidem ostendit qualis sit Pater, quàm bonus, quamque potens ac diues.*

2. *Vt excitet in nobis fiduciam exauditionis,* quia si Pater est noster, & quidem summa præditus bonitate, quam in cœlis patefacit maximè: Ergo vult etiam nobis omnia ad salutem necessaria dare. Si hic Pater noster est in Cœlo Dominus, eoque præditus omnipotentia, qua nos possit iuuare: ergo facillimè nobis bona dare poterit, quæ ab ipso petimus.

3. *Vt reuerentiam sui in nobis excitet,* quoniam Pater hic noster tantus est Dominus, nimirum cœlestis, qui vbique regnet, *qui corpus & animam abijcere possit in Gehennam*, reuereamur talem dominum, & cum summa animi & corporis demissione ad ipsum accedamus.

4. *Vt Spiritus feruore inuocetur.*

5. *Vt mens adorantis ad cœlestia eleuetur.*

6. *Vt cœlestia petantur.*

7. *Vt occurrat errori Ethnicorum, putantium se in Creaturis adorare Deum, & colere posse.*

8. *Vt*

8. *Vt admoneamur nos non debere dirigere preces nostras ad certum locum, sicut in Veteri Testamento.*

Hæc de prima Precationis parte dicta sunto. Sequitur Precationis pars altera, nempe Petitio, quæ sex Petitiones complectitur.

Sanctificetur Nomen tuum.

PRIMA PETITIO.

Sanctificetur Nomen tuum.

Hæc petitio primum locum obtinet, *quia est finis & scopus omnium reliquarum petitionum: imò quia omnium rerum finis debet esse gloria Dei.* Finis autē est primus in cogitatione, vltimus in executione: quomodo & finis aliarum petitionum primò petendus est, si velimus rectè petere reliqua. *Quærite primò regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Mat. 6. 33.

Videndum hic, 1. *Quid vocetur nomen Dei.* 2, *Quid sit sanctum.* 3. *Quid sanctificare.*

1. *Nomen Dei* significat. 1. *Deum ipsum. Jnuocabo nomen Domini* Ps. 116. 13. 2. *Mandatum & iussum Dei, voluntatem, atque authoritatem diuinam. Baptizate eos in nomine Patris &c* Mat. 18. 19. 3. *Attributa & opera Dei,* qua significatione hic accipitur Dei nomen, pro diuinis videlicet operibus & ijs omnibus quæ Deo possunt attribui.

2. *Sanctum* significat. 1. *Omnia attributa.* Omnes enim virtutes in Deo sunt sanctitas Dei. Sic angeli vocant Deum *sanctum. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.* Isai. 9. 3. 2. *Sanctitatem in creaturis.* 1. Conformitatem cum Deo, quæ in pijs est inchoata: in Angelis integra. 3. *Ordinationem ad vsus sacros.* Hoc modo sanctum dicitur quod est vsui sacro destinatum vt templum Hierosolymitanum. His tribus modis & hic *Sanctificandi* verbum sumitur, vt paulò post videbimus.

3. *Sanctificare* in Scriptura tripliciter vsurpatur. 1. *De*

De nobis prædicatur duobus modis: 1. *Quum sanctificamus nos ipsos, & alios.* Porrò *nos & alios sanctificamus*, quando (quod ad externa) præparamus nos, & alios ad glorificandum Deum: Nobis enim aliquid sanctitatis accidit ex Dei glorificatione, non Deo. 2. *Cùm sanctificamus Deum.* Nos autem deum sanctificamus. 1. *Quum agnoscimus Deum esse sanctum: seu cùm* agnoscimus Deum esse talẽ qualem se patefacit in verbo & operibus, id est quando eadem de essentia Dei, de Dei voluntate, atque operibus, deque omnipotentia, bonitate, sapientia, & reliquis attributis dei cognoscimus, & sentimus, quæ de ijs nos agnoscere, & sentire verbo suo Deus præcepit, & reuelauit. 2. *Quando secundùm Dei voluntatem Deum esse sanctum profitemur et celebramus:* id est quando confessio nostra qua Deum esse sanctum confitemur, conformis est voluntati Diuinæ. Est autem illa diuinæ voluntati conformis, quando sanctitatem Dei profitemur & verbis, & vita sancta, vel quando eam profitemur tum animo, tum verbis, tum denique reipsa & factis. 3. *Quando veram doctrinam, agnitionemque & professionem sanctitatis Dei, item Preces & actiones nostras, atque adeò totam vitam nostram referimus ad eum finẽ, ad quem debemus, & ad quem illã deuse ferri iussit*, nimirum ad ipsius Dei gloriam, & celebrationem. Ita nos ijsdem tribus modis, quibus quid sanctum dicitur, Deum sanctificamus.

Proinde, cùm petimus vt sanctificetur nomen Dei, petimus, 1. *vt cognitione sanctitatis suæ nos illustret*, 2. *vt det nobis animũ profitendi eam verbis & factis*, vel vt nos deus donet fide, & pœnitentia, quibus glorificemus ipsum & quibus ipsum ab Idolis ac rebus prophanis segregemus: vel denique vt regeneret nos, idque primùm *agnitione*, deinde *professione*, ac postremum *conformitate*, iuxta hoc ipsius præceptum: *Estote sancti, sicut & ego sum sanctus* 3. *vt det nobis animum profitendi illam Nominis diuini sanctitatem ad suam ipsius laudem & gloriam.* Huc referri potest illud Augustini. *Da quod iubes*

bes, & iube quod vis, & tunc non frustrà iubebis.

Obiect. Deus est satis sanctus, non est ergo quòd petamus illum sanctificari. Resp. Est per se sanctus. Sed petimus vt nos ipsum sanctum agnoscamus, & celebremus. Ipse nos sanctificat, nos faciendo sanctos: Nos sanctificamus ipsum Deum, cùm de ipso prædicamus, quæ vult nos de ipso prædicare & scire.

Obiect. Quod nostrum est facere, non debemus petere vt alius faciat. Sed nostrum est sanctificare nomen Dei. Ergo non debemus petere, vt sanctificetur nomen Dei. Resp. Quod nostrum est facere, non debemus petere vt alius faciat, scilicet si possumus per nosmetipsos, aut viribus nostris id præstare. Hoc autem non possumus. Ergo debemus petere à Deo, vt nobis vires suggerat, quibus diuinum ipsius nomen à nobis possit sanctificari.

De Deo prædicatur verbum Sanctificandi: non quòd ipse sanctificet se, aut quòd alius illum sanctificet, cùm non habeat superiorem: sed quia alios sanctificat. *Alios autem sanctificat, internè & externè. Internè per Spiritum sanctum: Externè per verbum. Id autem facit. 1. Separatione à peccatis. 2. Viuificatione per Spiritum sanctum. 3. Continuatione vtriusque.*

De Christo prædicatur duobus modis, Nempe cùm passiuè, tum actiuè. *Passiuè. 1. quia Logos est ordinatus, & consecratus à Patre ad Mediatoris officium. 2. Quia humana Christi natura est consecrata ex tota illa Massa*, hoc est, selecta ab omnibus creaturis ad vnionem cum *Logo*. 3. *Quia humana natura est præseruata à peccatis ad Mediatoris officium. Passiuè etiam, quia Christus à nobis sanctificatur. Actiuè autem se & alios Christus sanctificat. Se sanctificat*, quatenus est *logos* & Mediator. *Logos* eam, quam assumebat, carnem sanctificauit cum Patre, eam à peccatis præseruãdo & omnib. donis ornando, ita nimirum, vt ipse etiam Pater eam à peccatis præseruauerit, & voluerit vt Christus fierit *Lutron*. Quatenus est Mediator sanctificauit

se quòd ad obedientiam voluntariam erga Patrem, offerendo se victimam pro nobis. *Nos sanctificat. 1. Imputatione suæ iustitiæ. 2. Reali communicatione sanctitatis per Spiritum sanctum facta.* De his omnibus vide Zanchium De Tribus Elohim. lib. 4. cap. 10. Idem Zanchius eodem lib. 4. cap. 3. pag. 89. & cap. 10. pag. 154. statuit. *tres modos, quibus nos Christus sanctificat. 1. Imputationem ipsius Iustitiæ,* quæ consideratur in tota eius *humiliatione, & obedientia ad mortem. 2. Imputationem sanctitatis ipsius perfectissimæ.* affert locum. 1. Cor. 1. 30. 3. *Realem communicationem.* Notandum tamen Zanchium dum locum ad Hebræos explicat, sanctitatem illam Christi collocare in voluntaria ipsius passione: quo modo si accipiatur non videtur multùm differre à iustitiæ (quæ in obedientia consistit) imputatione.

SECVNDA PETITIO.

Dueniat regnum tuum.

Aduenia regnum tuum, id est, per continuos progressus augeatur & semper noua dilatatione, & accessione dilatetur ac multiplicetur Regnum tuum, quod nempe tu deus habes in Ecclesia.

Quæstiones de Regno Dei præcipuæ.

1. *Quid sit Regnum Dei.*

Regnum in genere, est certa forma Politiæ in qua summa imperij est penes vnam personam, quæ donis & virtutibus præ reliquis ornata omnibus præest, secundum iustas, honestas, ac certas Leges, postulando obedientiam, condendo Leges, defendendo bonos, & puniendo malos. *Regnum Dei* est missio Filij à Patre inde ab initio mundi, vt instituat & conseruet ministerium, per id sit efficax, colligat Ecclesiam

siam per verbum & S.S. ex genere humano, regat ac seruet eam, suscitet eam ex morte, ornet eam cœlesti gloria, vt sit Deus omnia in omnibus, & celebretur ab Ecclesia Angelorum & hominum in æternum.

Ex hac definitione constitui possunt hæ regni Dei partes. 1. Missio Filij Mediatoris. 2. Institutio, & conseruatio Ministerij per Christum. 3. Collectio Ecclesiæ ex genere humano per Christum voce Euangelij, & efficacia Spiritus sancti, inchoantis in nobis veram fidem, & pœnitentiam. 4. Gubernatio Ecclesiæ perpetua. 5. Conseruatio eius in hac vita, atque eius defensio contra hostes. 6. Abiectio hostium in pœnas æternas. 7. Resuscitatio Ecclesiæ ad vitam æternam. 8. Glorificatio eius in vita æterna quum Deus erit omnia in omnibus.

Iam quia videmus quid sit Regnum Dei, nobis etiam constat, quid hac petitione contineatur. *petimus igitur hic,* vt Deus per Filium Mediatorem in hunc mundum inde ab initio missum. 1. *Conseruet institutum ministerium. 2. Colligat Ecclesiam ministerio verbi, & Spiritus S. virtute. 3. Regat Ecclesiam collectam, & nos eius membra spiritu suo sancto, qui nos sibi conformes faciat, emolliat corda nostra, regeneret voluntatem nostram. 4. Defendat nos, totamque Ecclesiam contra hostes ac tyrannos. 5. Abijciat hostes in pœnas æternas, quibus eos in perpetuum puniat. 6. Tandemq; liberet Ecclesiam, eamq; glorificet.*

Ex his omnibus apparet, *Regnum hoc quod petimus vt adueniat, esse Regnum spirituale:* id quod & varijs parabolis apud Euangelistas ipse Dominus ostendit, ac Pilato, respondet: *Regnum meum non est ex hoc mundo.* De regno Christi dicitur, *Dominare in medio inimicorum tuorum.* Hoc porrò Regnum, quia petere debemus, vt adueniat, ac proinde quia plenam nostri liberationé simul petere debemus, hinc euincitur quàm impium sit exhorrescere Dei iudicium, & extremum iudicij diem, quia qui hoc faciunt, ostendunt se non esse pios neque expetere perfectam liberationem, & glorificationem sui. *Obiect. Atqui horridus erit dies iudicij. Ergo*

Ioan. 36.
Psal. 110. 2.

non est petenda. Resp. Horribilis erit, sed solis impijs. Pijs enim dicitur, *Attollite capita vestra.* Ergo vult eos lætari, & istam appropinquationem etiam optare. Nam quo lætaris, illud etiam optas. *Veni Domine Iesu.*

Apo. 22. 20.

Ob. Quod neq; citiùs, neq; tardiùs fit propter nostras preces, id frustra petitur, eoq; non est petendum. Regnũ Dei, id est, liberatio Ecclesiæ à malis omnibus & miserijs, neque citiùs, neque tardiùs, propter nostras preces est futura, quàm Deus decreuit. Ergo liberatio Ecclesiæ non est petenda. Resp. Nego Maiorem. Sic enim de omnibus beneficijs liceret statuere, seu ratiocinari, quæ in consilio Dei posita sunt.

Inst. Sed alia beneficia Deus promisit, cum conditione petitionis. Resp. Sic etiam plena ab omnibus malis liberatio tantùm ijs contingit in Die illa, qui in cruce liberationem illam expetunt & desiderant, & quidem vt hæc liberatio quàm primùm eueniat secundùm Dei decretum, & nullus Electus excludatur.

Inst. Atqui non debemus petere vt liberationem Eccl. deus maturet, quia id fieret cum iactura multorum Elect. qui nondum sunt nati. Resp. Cùm petimus vt liberationem Eccl. deus maturet, petimus etiam, vt quicunque adhuc sunt reliqui Electi ad vnum omnes (excluso nemine) citò congregentur. Hanc liberationem nostri, atque adeò totius Ecclesiæ, precibus assiduis à Domino petere debemus: modò velimus & nos vnà cum Ecclesia liberari tandem. Quin & hac etiam de causa petenda nobis est ista hæc liberatio, vt nobis iudicium illud sit salutare, in quo suos Electos Dominus plenè liberaturus est. deus etiam nos vult petere accelerationem, vt fiat finis scelerũ & impietatum: & quiescant pij omnes à laboribus suis. Ita tamen hæc omnia petere debemus, vt mandato domini, seu voluntati diuinæ voluntatem nostram subijciamus. Nostrum est, obseruare quid deus iubeat, non quid euenturum sit: euentum verò debemus deo committere.

2. *Quotuplex*

2. *Quotuplex ſi Regnum Dei.*

VNum quidem eſt Regnum hoc reipſa, ſed differt modo adminiſtrationis. Aliter enim in hac vita adminiſtratur, aliter in cœlo. Hinc ſoluitur illa quæſtio ex loco Pauli, *Tradet Regnũ Deo & Patri. Quod igitur attinet ad formam adminiſtrationis, tradet regnum poſt glorificationem,* id eſt deſinet facere officium mediatoris. Non erit opus conuerſione, expurgatione peccati, defenſione contra hoſtes, non colliget, non ſuſcitabit mortuos, non glorificabit, non perficiet, quia erunt perfecti. Non docebit: linguæ deſinent. His inſtrumẽtis non erit amplius opus. *Duplex eſt regnũ Dei, aliud inchoatum in hac vita, aliud conſummatum poſt hanc vitã.* Vtrumque hic petimus, conſtitutionem videlicet huius Regni Dei, atque eius conſummationem. In conſummato Dei regno non opus erit medijs, in eo ſiquidem perfectior erit Eccleſiæ glorificatio, vt quæ erit ſine malo culpæ & pœnæ. *Deus erit omnia in omnibus,* id eſt, patefaciet ſe beatis immediatè. *In ea vrbe* (quæ regnum illud eſt) *templum non vidi: Dominus enim Deus omnipotens templum illius eſt,* id eſt Agnus. *Neque vrbs iſta eget Sole, vel Luna, vt luceant in ea. Nam gloria Dei illuſtrauit eam, & lucerna eius eſt Agnus.*

1. Co. 15. 14.

1. Co. 15. 28. Apoc. 21. 22. & 23.

3. *Quis ſit Rex in Dei regno.*

HVius Regni caput, *aut rex, eſt Deus Pater, Filius, & Spiritus ſanctus.* Vnus nempe Rex, quia vnus Deus. *Pater autem Rex eſt,* ac regit per Filium, & Spiritum ſanctum. *Filius eſt Rex.* 1. *quia Deus ſedet à dextris Dei.* Regnat pari cum Patre potentia. 2. *Quia Mediator,* id eſt quia eſt illa perſona per quam immediatè Deus agit & dat Spiritum Sanctum. *Ego mittam eum vobis à Patre.* Singulari modo Rex illius Regni Chriſtus dicitur, quatenus eſt Mediator.

Ioa. 15. 26.

4. *Qui ſint Regni Dei ciues, aut ſubditi.*

CIues huius Regni ſunt. 1. *Angeli in Cœlo confirmati in gratia.* 2. *Homines beati in Cœlo, qui vocantur Eccleſia*

triumphans. 3. *Pij, seu conuersi in hac vita*, qui habent adhuc peccati reliquias, ac dicuntur Eccl. militans. 4. *Hypocritæ*, nimirum visibilis duntaxat Ecclesiæ vocati, sed non electi: Ciues apparentes, qui reuera non sunt ciues Regni Christi, sed tantùm nomine tenus, re ipsa autem sunt mancipia Diaboli. Appellantur tamen hypocritæ ciues huius regni, sicut Iudæi à Christo *filij Regni* vocantur. De his dicitur, *Primi erunt vltimi*: id est qui volunt haberi primi, & tamen non sunt, erunt vltimi.

5. *Quæ sint huius Regni leges.*

Mat. 8. 12. Mat. 22. 16. LEges quibus administratur hoc Regnum sunt. 1. *Verbum Dei*, seu doctrina Legis & Euangelij. 2. *Efficacia Spiritus Sancti in cordibus.*

6. *Quæ beneficia communicentur huius regni subditis.*

NVllum est Regnũ quod non spectet ad commoda subditorum. Et Aristoteles scribit ad Alexandrũ, *Regnum non est Iniuria, sed & Beneficentia.* Ideo hoc Regnum habet sua etiam bona. Ea sunt spiritualia atque æterna Christi beneficia, vt vera fides, conseruatio, remissio peccatorum, iustitia, conseruatio in ea, & continuatio Spiritus sancti, glorificatio, vita æterna. *Si Filius vos liberauerit, verè liberi estis.*

7. *Qui sint hostes huius Regni.*

Ioan. 8. 36. HOstes Regni Christi sunt Diaboli, & homines impij. *Impiorum hominum alij sunt in Ecclesia*, vt hipocritæ, qui sibi nomen & titulũ Regni arrogant, cùm sint nihil minùs: *alij verò sunt extra Ecclesiam, & palam hostes*, vt Turcæ, Iudæi, Samosateniani, Arriani, & qui errores defendunt contra fundamenta.

8. *Quo in loco hoc Regnum administretur.*

REgnum hoc, quod ad eius inchoationem, seu collectionẽ, *administratur hic in terris*: ita tamẽ vt illud nõ sit in vno certo loco, insula, prouincia, sed sparsum sit per totum terrarum orbem. *Volo viros precari quolibet loco. Vbi sunt duo vel tres coacti in nomine meo, illic sum in medio eorum*

Tim. 2. 8. Mat. 18. 20.

eorum. Ex hoc Regno nunquam egredimur, si maneamus in vera fide. *In cœlo administratur hoc Regnum quod ad eius consummationem, seu perfectionẽ. Quũ profectus fuero, & parauero vobis locum, rursum veniam, & assumam vos ad meipsum: vt vbi sum ego, & vos sitis. Vbi ego fuero, illic & minister meus erit. Pater, quos dedisti mihi velim vt vbi ego sum, & illi sint mecum. Obuiam ei rapiemur.* Ioa. 14. 3. Ioan. 12. 26. Ioan. 17. 24. 1. The. 4. 17.

9. *Quod sit tempus durationis huius Regni.*

INchoatio, siue collectio huius Regni durat ab initio mundi vsq; ad eius finem, quia semper in hoc mundo sunt aliqua Ecclesiæ membra, siue pauca, siue multa. *Consummatio*, seu perfectio huius Regni durabit inde à glorificatione piorum in æternum vsque. *Deinde erit finis, quum tradiderit Regnum Deo, ac Patri*, scilicet quod ad hanc formam administrationis illius Regni. 1. Co. 15. 14.

10. *Quomodo adueniat hoc Regnum.*

REgnum Dei venit ad nos quatuor modis. 1. *Prædicatione Euangelij*, qua patefit lux veræ ac cœlestis doctrinæ. 2. *Conuersione*, cùm aliqui cõuertuntur, fideq; & pœnitentia donantur. 3. *Profectu, siue incremento*, quando pij capiunt incrementa, seu quando bona fidelium propria perpetuo augmento in piis, aut conuersis augentur. *Qui iustus est, iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc.* 4. *Consummatione*, quando pij glorificabuntur, in secundo scilicet aduentu Christi. *Etiam veni Domine Iesu.*

11. *Quare petendum sit vt adueniat Regnum Dei.*

PEtere debemus, vt adueniat Regnũ Dei. 1. *Propter gloriam Dei, vel propter primam petitionem*, quia vt sanctificemus nomen ipsius, requiritur vt ipse nos regat verbo & Spiritu. Nisi Regnum illud suum Deus in nobis erigat & eripiat nos è regno Diaboli, nunquam sanctificabimus nomen ipsius, imò potiùs illud polluemus. 2. *Quia tantùm petentibus Deus dare vult hoc Regnum*, sicut & solis petentibus dat Spiritum Sanctum.

TERTIA

TERTIA PETITIO.



Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, ita etiam in terra.

Psa. 103. 21. Mat. 26. 24. Isa. 46. 1. 10.

Voluntas Dei significat. 1. *Mandatũ Dei. Ministri eius qui facitis voluntatẽ eius.* 2. *Euentus vel potiùs decretũ de futuris euentib. Nõ mea, sed tua voluntas fiat. Consiliũ meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. Fiat voluntas tua.* i. Effice, vt nos homines faciamus voluntatem tuam, tibiq́ue obtemperemus.

Quæstiones in hac Petitione præcipuæ,

1. *Quid hic petimus.*

PEtimus hic. 1. *Abnegationẽ nostri,* quæ duabus cõstat partibus. 1. *Vt simus parati ad renuntiandum omnibus affectibus nostris pugnãtibus cum Lege diuina,* vt nobis deus largiatur gratiã suam, qua possimus abnegare voluntatem nostram prauam, atq; omnia abiicere, quæ voluntati diuinæ repugnant. 2. *Vt simus ad exequẽdã dei voluntatem & suscipiendam crucem nostram parati,* ac libenter in omnib. deo subscribamus 2. *Executionẽ officii, vocationis, tum omnium, tum singulorũ:* vt nimirum rectè faciamus officium nobis mandatum, commune, & proprium, vt quisque in sua vocatione possit Deo alacriter seruire, & voluntatem eius exequi. Deo cõmissa sit cura de euentib. nostris: nobis autem vt proprios labores faciamus. 3. *Euentus diuinæ voluntati non contrarios,* vt scilicet eueniant quæ Deo placẽt. 4. *Fortunationẽ actionum & consiliorum:* vult enim nos Deus etiam à se petere, vt ipse nobis actiones, & consilia, studia, labores nostros & conatus bene fortunare dignetur, vt pro immensa bonitate sic dirigere velit labores nostros, vt eos non alij sequantur euentus, quàm quos ipse scit, & suæ gloriæ, & nostræ saluti maximè seruire posse

posse. Interim nos officium faciamus, deo committatur euentus.

Duplex est vniuscuiusque vocatio. Communis, quæ complectitur virtutes omnibus Christianis communes. *Particularis*, quæ spectat propriam vniuscuiusque vocationem. Vtramque vocationem hîc petimus: nempe vt singuli (quemadmodum paulò antè dictum est) in mandata sibi vocatione propria & communi, rectè, fideliter, & feliciter permaneant, officiumque faciant. *Obiect. Atqui præcedens petitio etiam petit, vt rectè faciamus officium. Ergo hæc petitio est superuacanea. Resp.* In priore petimus vt Regnum suum deus in nobis inchoet, nos regendo per Spiritum Sanctum, qui regeneret voluntatem nostram, vt ita deinde nos officium nostrum rectè facientes præstemus omnem obedientiam Regi nostro, sicuti subditos illius Regni decet. In hac verò petimus vt officium nostrum faciendo rectè & fideliter, exequamur voluntatem Dei.

2. *Quare petamus, vt fiat voluntas Dei.*

NEcessaria est hæc petitio. 1. *Vt possit Regnum aduenire*, de quo in secunda petitione. Quia nisi Deus ipse efficiat, vt voluntatem eius faciat quisque in suo officio diligenter, non potest constitui, vigere, conseruari hoc regnum. 2. *Vt simus nos in hoc Regno.* Nam nisi faciamus voluntatem Dei non possumus esse ciues Regni eius. Non autem possumus ex nobis, propter Naturæ prauitatem, facere eius voluntatem. Ergo debemus petere vt illam faciamus.

3. *A quibus in Cælo fiat voluntas Dei.*

IN Cœlo voluntas Dei fit. *Ab ipso Filio, qui facit omnem voluntatem Patris.* 2. *Ab Angelis, & hominibus beatis. Ab Angelis* ita fit voluntas Dei in Cœlis, vt vnusquisque Angelus stet in conspectu Dei, promptus videlicet ad faciendum quicquid Deus præcipit: faciunt voluntatem eius generalem & specialem, nullus inuolat in aliena, nullum pudet seruire, etiamsi lædamus ipsos fœtore peccatorum,

&

& Deum offendamus. *Sunt Spiritus administratorij.* He. 1. 14. Addit etiam Christus, *sicut in cœlo.* 1. *Vt præscribat nobis exemplum perfectionis, ad quod contendere debemus.* 2. *Vt ex hoc perfectionis desiderio, certi simus Deum nobis daturum hic inchoationem, in altera vita perfectionem.*

Obiect. Quod semper fit, & certò est euenturum, etiam nobis non petentibus, id non petendum. Voluntas Dei semper fit, & certò fiet, etiam nobis non petentibus. Ergo &c. Resp. Negatur minor: ea enim est falsa. 1. *De vocatione vniuscuiusque,* quia qui nō petunt vt officium in sua vocatione facere possint rectè, fideliter, & fœliciter, isti nunquam illud facient. 2. *De decretis diuinis* etiam falsa est, quia multos euentus decreuit Deus, sed ita vt media decreuerit. 2. In maiori est fallacia à non causa, quia *non ideo petimus vt fiat Dei voluntas, quasi nobis non petentibus ea non sit futura,* sed propter alias causas id petimus, nimirum vt euentus nobis sint salutares. Non enim salutares erunt nobis euentus, nisi eos voluntati diuinæ subiiciamus: vt illud petamus fieri tantùm quod ipse decreuit, & vult fieri. *Inst. Decreta Dei sunt immutabilia. Resp.* Decreta Dei, scilicet non euentuum seu finium tantùm, sed & mediorum, sunt immutabilia. Finem decreuit dare, sed per medium, hac videlicet conditione, vt petamus.

Obiect. Deus vult parentes nostros mori. Ergo petendum est vt moriantur. Resp. Nego Consequens: debemus enim nos subiicere voluntati diuinæ, & petere quod nos Deus iubet petere. Hîc nec hoc vult, *Ecclesia erit subiecta cruci. Ergo precabor afflictionem.* Nec tamen hinc efficitur, nostram voluntatem pugnare cum Dei voluntate: quia eo fine petis, quo liberationem petere debes. Deus vult parentes nostros mori, & tamen nō vult nos eorum mortem optare: Deus vult Ecclesiam esse sub cruce, & tamen non vult velle crucem eius, sed petere liberationem, & patienter ferre, si eam affligat. Similiter Deus non vult nobis in hac vita præstare liberationem à peccatis perfectam, & tamen

vult

vult nos eam optare, noſq; ſingulis momentis petere vt omninò liberemur à peccatis. Sunt igitur aliqua petenda, quæ Deus vult efficere, & contrà, quædam quæ Deus vult efficere, non petenda, ſed patienter toleranda ſunt. Interim nihil ad nos attinet ſcrutari, quæ Deus decreuit, cùm habeamus regulam præſcriptam hanc, vt petamus, ſed cùm conditione voluntatis diuinæ.

Obiect. Impoſſibilia non ſunt petenda: qui enim petit impoſſibilia, fruſtrà petit. Atqui petere vt fiat voluntas dei ſicut in Cælo ſic etiam in terra, ſeu vt faciamus officium ſicut Angeli in cælo, eſt petere impoſſibile, imò eſt petere quod pugnat cum Dei decreto. Ergo illud non eſt petendum, cùm Deus hunc ſtatum eſſe velit in altera vita, non in hac. Reſp. 1. Diſtinguo Maiorem. *Impoſſibilia non ſunt petenda*, niſi deus velit petentibus illa tandem dare: atqui Deus vult præſtationem voluntatis ſuæ petentibus ipſam dare, & quidem in hac vita quod ad inchoationem, in futura autem vita quod ad conſummationem. Deſideranda eſt igitur conſummatio, & impoſſibilitas patienter ferenda eſt in hac vita. Deſideranda eſt autem conſummatio in hac vita, vt eam tandem conſequamur, quia qui eam iam non capit, certè eam nullo tempore conſequetur. Aliud eſt non poſſe conſequî conſummationem: aliud non deſiderare illam. 2. Nego minorem, in qua eſt fallacia à non cauſa vt cauſa. Non enim petimus vt in hac vita fiat conſummatio obedientiæ noſtrę erga Deum, ſed vt hic fiat eius inchoatio & continuatio, & incrementum, ac deinde poſt hanc vitam obedientia, & continuis incremẽtis aucta, tandem perficiatur & conſummetur, atque ita tunc nos voluntatem Dei non minùs facimus, quàm illa ſemper fit ab Angelis in cœlo. Cùm ergo precamur, *Vt in terra fiat voluntas Dei, ſicut in cælo, ſicut*, non ſignificat gradum, ſed ſpeciem, ſcilicet inchoationem. Et his etiam de cauſis additur, à Chriſto, *ſicut in cælo*, vt ſit quaſi exemplum patientiæ, quòd ſequi debeamus

mus:& vt proponat nobis metã ad quam tendamus.

Obſeruandum eſt hoc loco *Diſcrimen inter haſce tres Petiones Priores. In prima petimus* ſanctificationem, ſiue veram agnitionem,& celebrationem Dei. *In ſecunda*, collectionem, conſeruationem, & gubernationem Eccleſiæ, vt Deus nos regat ſuo Spiritu, defendat,& eripiat nos ex omnibus malis culpæ, & pœnæ. *In tertia*, vt ſpeciatim ſinguli in vocatione ſua obtemperent Deo, id eſt, vt vnuſquiſque in proprio officio diligenter verſetur,ac omnia dirigat ad gloriam dei,& boni conſulat quicquid ipſi Deus immittit. Porrò *tres iſtæ petitiones ita cohærẽt inter ſe,vt vna nõ cõſiſtat ſine altera,& quemadmodum tertia petitio ſeruit ſecundæ,ſic ſecunda ſeruit primæ.* Non enim ſanctificatur nomen domini,niſi regnũ eius veniat:non venit regnum Dei niſi poſitis medijs quibus illud promouetur. Media autem ſunt officia vocationis vniuſcuiuſque. Petimus igitur vt Deus ſepeliat in nobis prauas cupiditates,atq; ipſe ſolus in nobis agat ſuo Spiritu: vt ita nos hac gratia diuina freti officio noſtro ſatisfaciamus.

QVARTA PETITIO.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

Petimus hic bona corporalia, de quib. tenendæ ſunt hæ quæſtiones.

1. *Cur bona corporalia ſint petenda.*
2. *Quomodo petenda ſint.*
3. *Quare bona corporalia complexus ſit Chriſtus, nomine Panis.*
4. *Quare noſtrum vocet.*
5. *Cur quotidianum.*
6. *Cur addat Hodie.*
7. *An liceat petere diuitias.*
8. *An liceat quid in poſterum reponere.*

1. *Cur*

1. *Cur bona corporalia nobis petenda sint.*

PEtere bona corporalia debemus. 1. *Propter mandatum Dei*, quod nobis sufficere debet, etiamsi nulla esset alia causa. Habemus autem Dei mandatum tum generale, tum speciale. Generaliter enim Christus dicit, *Petite, & accipietis*. Mandatum autem speciale præponit huic Precum formulæ nobis à sese *præscripte. Vos igitur ita precamini*: quo mandato Christus etiã iubet. vt petamus *Panem*, siue bona corporalia. Quòd verò Christus dicit. *Quærite primùm regnum Dei*: Item *Ne sitis solliciti quid esuri sitis*: eo nõ prohibet peti bona corporalia, sed diffidentiam. 2. *Propter promissionem*, quia Deus promisit se nobis daturum vitæ necessaria: non autem in alium finẽ hæc promisit, quàm vt petamus: & promisit, vt simus securi spiritualiter, non carnaliter. *Pater vester scit quibus indigeatis*. 3. *Propter gloriam Dei*, vt nimirum sit agnitio & professio prouidentiæ diuinæ, præsertim erga Ecclesiam. Deus vult vt nos hanc ipsi laudem tribuamus, quòd ipse sit fons omnium beneficiorum, neue nos putemus ea nobis fortuitò contigisse. 4. *Quia petitio et expectatio horũ bonorũ, est exercitiũ fiduciæ promissionis gratiæ, vel exercitiũ inuocationis, fidei, & spei*. Nõ enim possumus nobis polliceri bona corporalia, nec ea petere, nisi statuamus nos esse in gratia, nisi certi simus de spiritualibus bonis ac de dei erga nos voluntate. Hæc siquidem bona corporalia Deus, tantùm pijs promittit, ac proinde nos statuere debemus, nos esse ex numero eorum, quibus illa Deus promisit se daturum. 5. *Vt possimus facere dei voluntatem hic in terris*, quod sine Pane quotidiano facere hic non possumus. *Non mortui te laudabunt Domine*. 6. *Vt horum bonorum petitio sit confirmatio in mentibus nostris, & professio coram mundo quòd deus sit ille qui dat illa beneficia etiam minima*, 7. *Propter consolationem nostram*. Vt sciamus Ecclesiam semper seruandam, cùm Deus nos exaudit, iuxta suam promissionẽ.

Mat. 7. 7.

Ma. 6. 6.

Mat. 6. 31. 33. 34.

Mat. 6. 32.

Ps. 115. 18.

Percipi-

Percipimus ergo magnam consolationem ex petitione bonorũ corporaliũ: ita nimirum agnoscimus, ac certò statuimus hæc bona corporalia nobis esse signa paternæ Dei erga nos beneuolentiæ.

2. *Quomodo petenda sint bona corporalia.*

CORporalia bona petenda sunt, primùm, *fiducia gratiæ*: quia deus alias posset respondere, nos nõ esse ex illis quibus ea ipse promisit. 2. *Cum conditione voluntatis Dei*, id est cum subiectione voluntatis nostræ voluntati diuinæ: quia deus hæc bona promisit non determinatis circumstantijs. 3. *Cum fide exauditionis*, vt certò credamus Deum nobis tantum esse daturum quantum sufficit. 4. *In hunc finem, vt seruiamus Deo, & proximo.* Qui sic non petunt non exaudiuntur, id est nõ dantur ipsis salutaria, & licet accipiant quod petunt, non tamen verè exaudiuntur à Deo, quia quæ accipiunt, non sunt ipsis salutaria.

Obseruandum est, quòd nos *in genere Dominus iusserit precari bona corporalia, neque determinauerit in verbo, quæ bona corporalia nobis dare velit, & quidem ea conditione se nobis illa daturum promiserit, nempe, prout postulat singulorum salus, et suæ ipsius gloriæ illustratio.* Rationes autem sunt hæ: 1. *Quia nos sæpe nescimus quid petamus, & quid nobis expediat:* Sæpe petimus, neque nobis vtilia, neque gloriæ Dei, vel aliorum saluti seruientia. Ipse autem Deus optimè scit quid nobis conueniat ad illustrandam ipsius gloriam, & salutem nostram promouendam. Quoniam ergo sæpius erramus in petẽdis bonis corporalib. non alia deus nobis dat, quàm quæ scit nobis conducere. *Spiritualia autem bona, non in genere tantùm, sed & spiritualiter, & simpliciter, nulla conditione, adhibita, Deus nobis promisit.* Illa enim simpliciter nobis prosunt, & in ijs, ipse modum & viã determinauit. Vnde nec in ijs petendis errare possumus. Nam quæ simpliciter nobis Deus promisit, eadem simpliciter debemus petere: quæ nobis promisit specialiter, & absolutè, ea eodem modo absolutè petamus neces-

se

se est. Sic Spiritum Sanctum simpliciter petere nos oportet, quia simpliciter & expresse Deus promisit se Spiritum Sanctum omni petenti daturum. 2. *Vt nos discamus ijs esse contenti, quæ à domino accepimus, et semper ipsius consilio voluntatem nostram subijciamus.* Ita Deus & hanc ob causam nos in genere iussit petere bona corporalia, vt talis illorum bonorum petitio sit exercitium fidei, & subiectionis voluntatis nostræ, diuinæ voluntati.

3. *Quare bona corporalia complexus sit Christus nomine Panis.*

PAnis nomine, per Synecdochen Hebræis vsitatam, *complexus est Christus omnia bona corporalia & ad hanc vitam necessaria*, vt sunt omnia alimenta, victus, amictus, bona valetudo, pax politica. Hoc patet ex scopo Petitionis. *Panem.* n. petimus propter necessitatem. Atqui alia multa sunt nobis necessaria. Ergo nomine *Panis* etiam illa petimus. Atq; hæc Synecdoche Hebraica sæpius occurrit in Bibliis, vt, *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Item, *Qui edit Panem meum, sustulit calcaneum.* Neq; tantùm necessaria ad vitam *Panis* nomine complexus est, sed etiam salutarem eorum vsum. Ideo autem hæc omnia *Panis* nomine Christus comprehendit. 1. *Vt frænaret nostras cupiditates*, atq; ita nos peteremus tantùm necessaria nobis ad vitam sustentandam, & ad seruiendum Deo & proximo in nostra vocatione tum communi tum propria. 2. *Vt panis nobis esset salutaris*, id est vt illa corporalia bona nobis essent salutaria, vel vt nobis bonorum corporalium salutaris esset vsus. Panis enim sine salutari vsu lapis est. Redditur autem Panis salutaris. 1. *Si fide eum accipiamus, eoq; animo, et modo, et fine, quo Deus flagitat*, videlicet si non in creaturis hæreamus, sed ad Deum creatorem omnium rerum, & omnium beneficiorum seu donorũ fontem, mente penetremus. 2. *Si petamus vt ipse impetrato Pani vim indat nutriendi & sustentandi corpora nostra.* Ex his nunc manifestè liquet quidnam petamus cum *panem*

Gen. 3. 19. Ps. 14. 10.

nem petimus, nempe. 1. *Non magnas opes, sed res tantùm necessarias.* 2. *Vt ea sint nobis Panis*, id est vt sint nobis salutares dei benedictione, quæ si nõ accedat, *panis* non erit Panis.

4. *Quare Christus Panem vocet nostrum.*

IVbet nos Christus petere Panem nostrum, non meum, tuum, aut alienum, 1. *Vt petamus, quæ dantur nobis à Deo.* Noster enim sit Panis, qui ad sustentationem vitæ necessarius nobis à Deo datur. Itaq; *Da nobis Panem nostrum*, significat, Da nobis Panem à te (Deus) deputatum nobis, quem tu vis esse nostrum. Vnicuique suam portionem Deus tanquam Paterfamilias distribuit, quam petimus nobis. 2. *Vt petamus res necessarias iusto labore, genere vitæ Deo placente, honestoque, atque communi societati seruiẽte, à nobis acquisitas*, hoc est, quas per ordinata media, & rationibus legitimis accipiamus, exporrigente eas cœlitus Dei manu. *Qui non laborat, non manducet.* 3. *Vt possimus vti ijs bona conscientia.*

2. The. 3. 10.

5. *Quare Christus Panem vocet quotidianum.*

PAnem, quem petere debemus à Deo, vocat Christus *quotidianum.* 1. *Quia vult nos quotidie petere quãtum in singulos dies nobis sufficiat.* 2. *Quia vult injicere frenum nostris cupiditatibus insanis & infinitis. Pater vester scit quibus indigetis. Melius est modicum iusto, quàm divitiæ impiorum multæ. Timenti Dominum non deerit vllum bonum*, scilicet vtile, & necessarium. Ergo, *Da nobis panem quotidianum*, id est da nobis Panem sufficientẽ, da nobis tantum rerum ad vitam necessariarum, quantum vnicuique nostrum ad seruiendum deo, & proximo in sua vocatione, fuerit opus.

Mat. 6. 32.
Ps. 37. 16.
Ps. 34. 11.

6. *Cur Christus addat, Hodie.*

ADdit Christus, *hodie*, 1. *Vt occurrat diffidentiæ, et auaritiæ nostræ, & ab hoc vtroq; vitio nos auocet.* 2. *Vt ex ipso solo pendeamus, sicut heri, sic hodie, & cras:* vt nimirum expectemus vitæ necessaria ex Dei manibus, vt sciamus illa nobis à Deo dari, non parari nostris manibus

aut

aut laboribus, aut noſtra diligentia, vt ſciamus etiam accepta non prodeſſe corpori, niſi accedat benedictio Dei. 3. *Vt exercitium fidei, & precationum perpetuò in nobis cõtinuetur:* quandiu enim dicitur *hodie*, tandiu vult continuari precationem, vt præcepto illi (*Semper orate*) obedientiam præſtemus. 1. Theſ. 5. 17.

7. *An liceat petere diuitias.*

HÆc quæſtio vnà cum proximè ſequenti, oritur ex præcedentibus. Quum enim iubemur petere *panem* duntaxat *quotidianum*, & quidem *hodie*, videtur prima fronte nõ licere vel diuitias petere, vel in craſtinum quid reponere. Cæterùm *diuitias petere licet*, ſi ſublata ambiguitate intelligamus diuitiarum nomine res ad vitam ſuſtentandam neceſſarias. Quomodo & ab Epicureo definiuntur *diuitiæ*, quòd *ſint paupertas ad Legem naturæ accommodata*. Ea eſt bona definitio. Atque ita ſi ſumatur diuitiarum nomen, certè petendæ ſunt à Deo diuitiæ, ſiquidẽ petere debemus res neceſſarias naturæ, loco, & officio, ad quod à Deo vocati ſumus. Ratio autem eſt, *quia res hæ neceſſariæ, ſeu diuitiæ, ſunt Panis quotidianus, quem petere debemus*. Aliter etiam definiuntur diuitiæ, *quòd* videlicet *ſint abundantia & copia ſupra res neceſſarias*. Sic Craſſus (cognominatus diues) dicebat *neminem eſſe diuitem, niſi qui poſſet alere exercitum annuum*. Si hoc modo diuitiarum nomen accipiamus, nequaquam petendæ ſunt à Deo diuitiæ, quia Solomon in perſona omnium piorum dicit, *Ne diuitias aut paupertatem dederis mihi*, quibus verbis & Spiritus dei per Solomonem nos docet diuitias, id eſt abundantiam ſupra res neceſſarias, deprecari. Huc ſpectat & illud Pauli. *Qui volunt diteſcere, incidunt in tentationem, & laqueum, & cupiditates multas amentes & damnoſas, quæ demergunt hominem in exitium, & interitum: qua de cauſa* diuitiæ dicuntur & à Chriſto *Spinæ*: contrà verò, *Quæſtus magnus eſt pietas cum animo ſua ſorte cõtento*. Quòd ſi tamen aliquid nobis deus dederit præter ea, quæ ſunt neceſſaria nob. demus operam, vt rectè illis vtamur. 1. Pro. 30. 7. Mat. 13. 22. 1. Tim. 6. 9. 1. Tim. 6. 6.

videndum est ne in illis collocemus fiduciam. 2. *Cogitandū nos esse œconomos Dei,* qui nobis diuitias bene collocandas commiserit, & hoc modo onus nobis imposuerit, ideoque nos aliquādo reddituros Deo rationem dispensationis nostræ,& administrationis nostræ.

8. *An liceat aliquid in posterum reponere.*

Ioa.6.12. OMnino licet *aliquid in futurum reponere,* iuxta hoc mandatum Christi, *Colligite fragmenta, ne quid pereat.* Huc pertinent omnia præcepta de Parsimonia ac frugalitate. Tria autem hic obseruanda sunt. 1. *Vt ea quæ reponuntur sint iustè parta, iusto atque honesto labore acquisita.* 2. *Ne in his reponatur fiducia.* 3. *Vt conferantur in vsus legitimos ac necessarios tum nostros, tum aliorum:* velut ad sustentationem vel vitæ, vel familiæ nostræ, vel amicorum. Item ad conseruationem Ecclesiæ, ad Rempublicam iuuandam cum fuerit opus, & ad conferendum aliquid pauperibus & fratribus egenis. Hinc est illud Pauli, *Qui furabatur non amplius furetur, sed potius*

Ephe.4.28. *laboret operando manibus quod bonum sit, vt possit impertiri cui opus fuerit.*

Iam facilè respondebitur ad obiectiones quæ huic Petitioni poterunt obijci.

1. *Nostrum non est quod petimus. Panis est noster. Panem igitur vt petamus non est necesse. Resp.* Est ambiguitas in voce (*Nostrum*) In Maiore enim significat rem quam habemus in potestate nostra: verum longè aliter Panis est noster, quemadmodum suprà declaratum fuit.

2. *Iubet Christus vt petamus Panem quotidianum. Ergo non licet aliquid reponere in crastinum, sed in diem viuere debemus. Item iubet non vt petamus crastinum Panem, sed vt panem petamus hodiernum: Itaque malè faciunt qui colligūt aliquid in futuros vsus. Resp.* Est fallacia à non causa. Iubet nos Christus petere Panem quotidianum & hodiernum, eoque etiam nos vitæ necessaria ab ipso petere debemus in singulos dies, hodie, cras, & quandiu viuimus: id verò minimè, quasi non velit nos laborare

pro

pro craſtino, aut nihil in craſtinum reponere, aut iam data bona in craſtinum ſufficientia abijcere. Mandat quidem Chriſtus alio loco, *ne ſolliciti ſimus de craſtino,* Mat. 6. 34. ſed ita vetat nos cogitare de craſtino cum diffidentia non autem petitionibus & laboribus. Proinde Dominus non vult vt nihil reponamus in poſterum, ſed primùm, *vt ſimus contenti præſentibus,* remota omni diffidentia, auaritia, iniuſta acquiſitione & inobedientia. 2. *vt fiduciam noſtram non ponamus in rebus neceſſarijs nobis à deo datis,* ſed ſciamus ac certò ſtatuamus beneficia data, & quæ dantur, nobis ex Dei manibus contingere, eaque nobis aliter non eſſe ſalutaria, niſi ipſius accedat benedictio. 3. *Vt cogitemus benedictione diuina ſemper nobis opus eſſe.* Interim cauendum ne præſcribamus Deo quid dare nobis debeat.

QVINTA PETITIO.

ET remitte nobis debita noſtra ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris.

Hæc petitio eſt egregia confeſſio Eccl. qua illa agnoſcit & deplorat peccata ſua: & ſimul eſt conſolatio, quòd acceptura ſit Eccleſia remiſſionẽ peccatorum, iuxta promiſſionem Chriſti. Vult autem Chriſtus hac petitione 1. *Vt agnoſcamus peccatum.* 2. *Vt ſitiamus remiſſionem peccatorum,* quia illis ea tantùm datur, qui eam petunt, & qui non conculcant ſanguinem Filij Dei. 3. *Vt exerceatur fides noſtra:* quoniam petitio hæc fidem confirmat & rurſus hæc petitio fluit ex fide. Fides enim cauſa Precationis eſt: precatio autem cauſa fidei, nempe quòd ad incrementum.

Quæſtiones præcipuæ.

1. *Quid hic Chriſtus vocet debita.*
2. *Quid ſit remiſſio peccatorum.*

3. *Cur petenda sit nobis peccatorum remissio.*
4. *Quomodo nobis remittantur peccata.*

1. *Quid hic Christus vocet debita.*

DEbita vocat Christus omnia peccata nostra, Originalia videlicet, & actualia, eaque tum facti, tum, omissionis, dicuntur autem debita, quia nos faciunt debitores Deo, vel obedientiæ, vel pœnæ luendæ. Quum enim peccamus, non tribuimus, nec præstamus Deo, quod ipsi debemus: quamdiu autem hoc ei non tribuimus, tamdiu manemus debitores.

2. *Quid sit remissio peccatorum.*

REmittere dicitur creditor debitori, quando nec debitum ab eo requirit, nec eum plectit. *Remissio peccatorum* est. Deum nolle nobis imputare vllum peccatum. sed recipere nos in gratiam, nos iustos pronuntiare, & habere nos pro filijs mera & gratuita misericordia, propter Christi satisfactionem pro nobis ab ipso præstitam, nobis imputatam, & à nobis fide apprehensam. Atque ideò nos nolle propter peccatum punire, sed donare nos iustitia, & vita æterna, quia remissio peccati tollit eius Pœnam. Peccatum enim & pœna sunt correlatiua: posito peccato, ponitur pœna, & sublato peccato, tollitur pœna. *Ob. Quando petimus, vt Deus nobis remittat peccata, petimus vt Deus inuertat ordinem iustitiæ suæ. Resp.* Nego conseq. Petimus enim remis. peccat. propter satisfactionem Christi, propter quam illa nobis remittuntur, ac proinde non remittuntur nobis peccata cum violatione iustitiæ diuinæ, quia nobis remittuntur cum compensatione. *Inst. Si cum compensatione: Ergo non gratis peccata nobis remittit. Resp.* Non compensatione, eoque non gratis respectu Christi: gratis respectu nostri, quia non accipit satisfactionem à nobis, sed à Christo qui perfectè pro nobis ipsi satisfecit. *Inst. Ergo tamen non gratis, quia meriti sumus in Christo. Resp.* Meritum illud non est meritum nostrum, quia pater dedit nobis filium suum gratis, qui meretur nullo nostro merito interueniente:

ente: atque illud Christi meritum imputatur nobis ex gratia: itaque gratis nobis propter illud peccata remittuntur: vnde rectè infertur propter Christi satisfactionem non imputari nobis peccata. Non enim petimus vt Deus agat contra suam iustitiam, & in sua mente non habeat nos pro peccatoribus: sed vt nobis iustitam alienam, Christi scilicet imputet, qua induti, peccata nostra tegantur.

3. *Cur petenda sit nobis peccatorum remissio.*

PEtenda nobis est peccatorum remissio. 1. *Vt seruemur: quia sine peccatorum remissione non possumus seruari.* Hoc autem beneficium Deus non dat nisi petentibus. 2. *Vt admoneamur de reliquiis peccatorum, etiam in sanctissimis in hunc finem, vt perpetuò crescat pœnitentia.* Quocirca etiam quotidie peccatorum remissio petenda est. 3. *Vt possimus petere & accipere reliqua bona præcedentia*, quia sine remissione peccatorum illa bona vel non dantur, vel in exitium dantur. Sic impij sæpe quidem illa accipiunt, sed non salutaria ipsis, verùm quæ cedunt in ipsorum damnationem.

Obiect. Quod habemus, non est opus petere. At pij habent remissionem peccatorũ. Non igitur opus est vt eam pij petant. Resp. Ad Maiorem, habent quidem remissionem: verùm non omnino, neque etiam quòd ad continuationem, sed tantùm quòd ad initium. Continuari certè debet ista remissio: atque eam Deus iisdem quoq; continuat, quibus peccata in Filio remittit: hac tamen conditione, vt quotidie continuationem illam petant. Etsi igitur peccata nobis Deus remiserit, vult nihilominus vt eorum petamus veniam, ideoque petimus, vt peccata quæ admittimus, & admissuri sumus, Deus nobis remittat.

4. *Quomodo nobis remittuntur peccata.*

NObis ita remittuntur peccata, *sicut & nos debitoribus nostris remittimus.* Hoc autẽ Christus adiecit. 1. *Vt*

 rectè

rectè petamus remissionem peccatorum, atque adeo vt accedamus ad precandum vera fide & pœnitentia, cuius signum est dilectio proximi. 2. *Vt quando veram fidem & pœnitentiam deprehendimus, ita in nobis habeamus certum argumentum & consolationem nos esse ex eorum numero, quibus est promissa remissio, eoque nos esse procul dubio peccatorum remissionem impetraturos:* cùm certò statuere possimus ex eo quòd ipsi remittamus aliis offensas ex animo, nos Deo placere, quantumlibet multæ adhuc reliquiæ peccatorum in nobis hæreant.

Obiect. 1. *Qui non remittit, ei non remittitur. Nos non remittimus. Ergo, &c. Resp.* Ad Maiorem, qui non remittit, scilicet integrè & perfectè: ei tamen remittitur, modò remittat ipse verè & syncerè.

Obiect. 2. *Christus petere nos iussit, vt Deus peccata nobis sic remittat, sicut nos remittimus debitoribus nostris. At qui non perfectè remittimus debitoribus. Ergo petere nos iussit vt Deus peccata perfectè nobis non remittat. Resp.* Est fallacia figuræ dictionis: Particula enim (*sicut*) in hac petitione non significat gradum remissionis, aut collationem remissionis nostræ cum illa remissione, qua Deus peccata nobis remittit, sed significat speciem remissionis, nempe veritatem & sinceritatem remissionis nostræ, qua scilicet aliis remittimus ex animo, & propensa remittendi ijs voluntate: vel (vt breuiùs dicam) hic non fit collatio iuxta gradus, sed iuxta rei voluntatem, seu iuxta remissionis voluntatem: ita vt sensus sit, Tam perfectè Deus peccata nobis remittit, quàm verè & certò nos proximo remittimus: vel, Remitte nobis debita nostra, quia nos remittimus debitoribus nostris. *Inst. Ergo nostra remissio est causa cur Deus nobis remittat. Resp.* Fallacia à non causa, vt causa: nam remissio nostra, qua nos alijs, licet non perfectè, tamen syncerè remittimus, nobis est argumentum duntaxat, & testimonium quòd nobis Deus peccata remiserit. Non potest autem mereri nostra remissio. 1. *Quia est imperfecta.* 2. *Etiamsi perfecta esset, tamen*

non

non mereretur, quia quod iam præstamus, debemus Deo. Etsi nunc præstaremus Deo integram obedientiam, tamen illam deberemus præstare. *Inst. 2. Interea tamen æqualitas remissionis hic notatur. Resp.* Non æqualitas, sed similitudo speciei.

Obiect. 3. Qui habet memoriam iniuriarum, & est cupidus vindictæ, is non verè remittit. At nos habemus omnes iniuriarum memoriam, & cupidi sumus vindictæ. Ergo &c. Resp. ad maiorem, Qui habet iniuriarum memoriam, videlicet sine repugnantia, & cum assensu. Modò igitur resistamus reliquiis peccatorũ, quæ nobis adhuc inhærent, nec ijs assentiamur, nihil impedit quo minùs verè & ex animo aliis remittamus, eòque illud etiam consequamur, cuius causa hæc particula (*sicut*) addita fuit à Christo, nimirũ (quod & antè diximus) vt rectè petamus. Rectè autem petimus in fide & pœnitentia, quam vtramque petitio confirmat. Fides confirmatur petitione, quia quando proximo verè remittimus, possumus & debemus certo statuere, nobis quoque peccata esse remissa, & sic habemus bonam conscientiam, & sumus certi de exauditione, iuxta hanc promissionem Christi, *Si remiseritis hominibus offensas ipsorum, remittet etiam vobis Pater ille cœlestis.* Mat. 6. 14. Pœnitentia deinde vera similiter in nobis confirmatur & augetur petitione. Petitione siquidem extimulamur ad veram Pœnitentiam, cuius præcipua pars est dilectio proximi. Si enim volumus nobis remitti, aliis remittamus necesse est. Vtraq; causa continetur verbis Christi tum paulò antè citatis ex Mat. tum reliquis quæ eodẽ loco apud Mat. antithesis loco statim subiunguntur. *Si remiseritis hominibus offensas ipsorum, remittet etiam vobis Pater ille vester cœlestis,* id est, etiam certò statuetis à Patre vestro cœlesti vos exauditos esse. Quibus verbis comprehensa est confirmatio fidei. *Sin autem non remiseritis hominibus ipsorum offensas, nec Pater vester remittet vobis offensas vestras.* His verbis additur stimulus ad pœnitentiam.

Obiect. 4.

Obiect. 4. Paulus remissionem consequutus est, nec tamen ipse omnibus eorum offensas remisit, quia dicit: Alexander faber ærarius multa mala mihi exhibuit: reddat ei Dominus secundùm facta ipsius. Ergo remissio nostra non est necessaria. 2. Tim. 4. 14. *Resp.* Triplex est remissio. 1. *Vindictæ.* Hoc ad omnes homines pertinet, quia vindictam debent omnes remittere. De hac loquitur precatio, & hanc Paulus remisit Alexandro. 2. *Pœnæ.* Hanc vt non possunt omnes infligere, sic nec omnes possunt remittere, imò ne ab ijs quidem quibus illud alioqui est commissum hæc semper debet remitti, sed ob certas tantùm causas. Vult enim Deus executionem iustitiæ suæ & Legis. Paulus verò & Pœnam, quantum ad se, Alexandro remisit. Vult tamen eum à Deo puniri, sed cum conditione, scilicet si perseuerat in peccato. 3. *Iudicij.* Mat. 10. 16. Hæc non semper remittitur: quia scriptum est, *Estote simplices, sicut columbæ: prudentes autem sicut serpentes:* id est, ne dicamus bonum, qui malus est, aut contrà. Iudicium igitur de alijs etiam est retinendum. Non enim vult Deus, prohibens mendacium, vt de nebulonibus iudicemus quòd sint honesti: sed vult nos discernere bonos à malis.

SEXTA PETITIO.

ET ne nos inducas in tentationem: Sed libera nos à malo.

Hîc aliqui duas petitiones faciunt: at non certandũ est, modò nihil de doctrina decedat, sed illa sit plana. Potiùs tamen duæ sunt partes vnius petitionis. *Ne nos inducas in tentationem*, est petitio liberationis à futuro malo. *Libera nos a malo*, est petitio liberationis ex præsenti malo.

Quæst.

Quæstiones præcipuæ.

1. *Quid sit tentatio.*

Dvæ sunt ſpecies Tentationis. Alia eſt à deo, alia à diabolo & carne. Tentatio, qua Deus nos tentat, eſt exploratio fidei, pietatis, & obedientiæ noſtræ per crucem & alia impedimenta, quæ vnicuique obijciuntur, vt patefiat nobis & alijs noſtra fides, patientia, conſtantia. Sic *Deus dicitur tentaſſe Abrahamum, Ioſephum, Iobum, Dauidem. Tentatio, qua Diabolus, & Caro noſtra, atque etiam impij nos tentant,* eſt quæuis ſollicitatio ad peccandum, quæ & ipſa peccatum eſt. Sic Diabolus tentabat Iobum, vt eum à Deo auocaret, quem antè amarat & coluerat, quamuis aliter res ceſſerit. *Hic intelligitur nomine Tentationis illa tentatio dei, ſcilicet exploratio noſtræ Fidei, Pietatis, ac Pœnitentiæ,* quæ fit à Deo per impedimenta quæcunque noſtræ ſalutis, velut per omnia mala, Diabolum, carnem, cupiditates, mundum, afflictiones, calamitates, crucem, vt patefiat nobis & alijs noſtra fides, conſtantia, ſpes. Gen. 22. 1.

Ob. Atqui Deus neminem tentat. Reſp. Deus neminem tentat, ſollicitando ſcilicet ad peccatum illum, ſeu malum: tentat autem nos explorando. *Diaboli, mundus, caro noſtra nos tentant* id eſt ſollicitant nos ad mala, & abſtrahunt nos à Deo. Deus autem ſicut neminem tentat, & tamen dicitur Abrahamum, Iobum, Dauidem tentaſſe, id eſt exploraſſe fidem & conſtantiam eorum per afflictiones, & crucé: ſic per eadem explorat noſtram fidem, ſpem, patientiam, dilectionem, inuocationem, conſtantiam, an velimus etiam eum colere in afflictionibus.

Hinc facilè intelligitur, *cùm tentatio tribuatur diabolo & prauis hominum inclinationibus, quo ſenſu Deus tentare homines, aut non tentare dicatur. Tentat enim Satan,* peccandi occaſiones foris obijciens, & ad peccandum intus inſtigans, vt homines in exitium præcipitet ac deum afficiat contumelia: *Tentant inclinationes prauæ: quia ad actiones à Deo prohibitas propendent: Deus autem*

non

non perdendi, neque peccatum efficiendi, sed explorandi & exercendi causa tentat, cùm vel calamitates nobis immittit, vel diabolo, aut hominibus, aut carni nostræ permittit, vt nos ad peccandum prouocent atque inuitent, sua aliquantisper gratia, & in nobis seruandis ac regendis efficacia occultata, quæ fides & constantia nostra his exercitiis, non quidem ipsi Deo (vt qui & quanta sit ea, & quanta in posterum ipsius beneficio futura sit, ab æterno perspicit) sed nobis & aliis hominibus magis innotescat, atque ita in nobis liberationis nostræ exemplis, diuinæ præsentiæ & defensionis fiducia confirmetur, in aliis autem imitationis quoque studium, nostræ perseuerantiæ intuitu, & in omnibus nobis vera erga Deum suos ex tentationib. eripientem gratitudo accendatur. Sic Gen. 22. *Deus tentat Abrahamum, iubens, vt filium Isaacũ sacrificet.* Exo. 15. *tentasse dicitur populum defectu aquæ.* Exod. 16. *iubet manna colligi quantum satis esset in dies singulos, vt teneret populum, an ambulaturus esset secundùm legem ipsius.* Deut. 13. *tentare dicitur populum per pseudoprophetas, vt sciat, an diligant ipsum toto corde & tota anima sua.* 2. Paral. 32. *in legatione principum Babylonis dereliquit Deus Ezechiam vt tentaret eum, vt scirent omnia, quæ erant in corde eius.* Non igitur simpliciter de omni exploratione ac documento fidei & pietatis nostræ, ad quæ etiam Dauid vltrò se offert Psal. 26. inquiens, *Proba me Domine & tenta me, excoque renes meos & cor meum*, sed de insidiis & insultibus diaboli & carnis nostræ, & desertione in externis vel internis tentationibus loquitur precatio, quam Christus nos docuit, *Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.* Et non de exploratione, sed de incitatione ad peccandum loquitur Iacobus cap. 1. *Nemo cùm tentatur dicat se à Deo tentari: Nam Deus tentari malis non potest, nec quenquam tentat, sed vnusquisque tentatur, dum à propria cupiditate abstrahitur & inescatur. Deinde cupiditas postquam concepit, parit peccatum: peccatum verò peractum gignit mortem.*

Est

Est etiam hinc manifestum, *quomodo per spiritus malos Deus puniat impios, aut castiget aut tenet pios, nec tamen peccatorum sit causa vel socius, quæ à Diabolis cõmittuntur.* Quòd enim per malos puniuntur mali, aut castigantur vel exercentur boni, iustum & sanctum diuinæ voluntatis opus est: quòd autẽ mali iudicium Dei peccando exequuntur, id nulla Dei culpa, sed propria malorum & ab ipsis accersita prauitate fit, Deo ipsorum peccatum nec volente nec approbante, nec efficiente, nec iuuante, sed iustissimo iudicio permittente dum suum per illos opus & consilium exequens, aut suam ipsis voluntatem non reuelat, aut reuelatam vt actionis suæ scopum & normam habeant, voluntates ipsorum non permouet. Hoc discrimen operum dei & diaboli, & operis quidem iusti per diabolum effectionem, peccati autem diaboli permissionem diuinam, euidenter confirmat historia Iobi cap. 1. & 2. vbi Deus vult explorare Iobum, diabolus autem perdere: Item Historia Achabi 1. Reg. 22. & prædictio de Antichristo 2. Thess. 2. vbi diabolus perdendi causa seducit homines, Deus vero iustissimè puniendi causa ipsos seduci vult, idq; peccando diabolum facere sinit.

2. *Quid sit inducere in tentationem.*

IN *tentationem Deum nos inducere*, est deum voluntate & iudicio iustissimo nos explorare. *Inducere nos in tẽtationem, qua nos tentat Diabolus*, est Deum permittere vt à Diabolo sollicitemur. *Ne nos inducas in tentationẽ*, id est, Ne sinas nos tentari supra id quod possumus: nec sinas Diabolum ita nos tentare, vt vel peccemus, vel prorsus deficiamus.

Obiect. Tentationes quæ sunt bonæ respectu Dei, sunt malæ respectu Diaboli, ergo malum in has nos inducit Deus. Ergo Deus est causa peccati. Resp. Fallacia est accidentis. Sunt peccata, respectu diaboli, quia ille nos vult allicere ad peccata: respectu Dei non sunt peccata, quia sunt exploratio, & retractatio à peccatis. Item,

quia

quia sunt confirmatio fidei. Tentationes igitur in quantum sunt explorationes, castigationes, martyria, immittit eas Deus: in quantum verò sunt malum, & peccatum, Deus eas non vult, quia velle est approbare & efficere. Vtramque porrò (quod & ante breuiter attigimus) hic deprecamur, nostri videlicet explorationem & sollicitationem ad peccandum. Petimus enim primò, ne deus nos tentet causa explorandi, sed cum conditione voluntatis ipsius: & si nos tentat, nos tamen non tentet supra vires nostras: & vt suggerat etiam nobis vires. Secundò, petimus ne sinat Diabolum, vel mundum, vel Carnem nostram nos sollicitare ad peccatum: aut si sinat, ipse nobis adsit, ne in peccata prolabamur.

3. *Quid sit liberare nos à malo.*

Mali nomine intelligunt aliqui hic diabolum, aliqui peccatum, aliqui mortem: sed optimè comprehenduntur eo omnia mala, culpæ & pœnæ, siue illa sint præsentia, siue futura. Quum ergo petimus vt nos deus liberet à malo, petimus 1. *Vt nihil mali nobis immittat*, sed nos liberet ab omnibus malis præsentibus ac futuris, tum culpæ: tum pœnæ. 2. *Vt si nobis immittat mala, ea mittiget in hac vita, atq; in salutem nostram ea conuertat, vt sint nobis salutaria.* 3. *Vt tandem in altera vita plenè ac perfectè nos liberet, & abstergat ab oculis nostris omnem lachrymam.*

Obseruabimus hanc petitionem esse sic reliquarum omnium extremam, vt ab hac ad priorem redeatur vnde cœptum est. Ipse est perfectus seruator, non erit autem perfectus seruator, sine hac petitione. Posterior ista huius petitionis pars priori Antithesis instar opposita, ostendit quo pacta sit intelligenda prior pars. Quum enim dicit, *Sed libera nos à malo*, ostendit nos inducendos esse in tentationes, & mala: ac proinde nos debere subijcere voluntatem nostram voluntati diuinæ, & petere ne incida-

incidamus in mala si fit ipsius voluntas, aut vt nos liberet, si in mala inciderimus.

4, Cur necessaria sit hæc petitio.

HÆc petitio necessaria est. 1. *Propter multitudinem ac potentiam hostium, magnitudinem malorum, & nostram infirmitatem.* 2. *Propter præcedentem petitionem, vt illam possimus obtinere,* quia non remittuntur peccata, nisi persistamus in fide, & pœnitentia. Si igitur volumus vt peccata Deus nobis remittat, oportet nos in fide, & pœnitentia perstare, non persistemus autem, si supra vires tentemur, si ruamus in peccata, si denique deficiamus à Deo ipso.

Obiect. Res bonæ, & nobis vtiles non sunt deprecandæ. Tentationes Dei, vt examina, morbi, paupertas, missio Pseudoprophetarum sunt res bonæ et nobis vtiles. Tentationes ergo Dei non sunt deprecandæ. Resp. Fallacia accidentis est in Minore. Res bonæ vel vtiles non sunt deprecandæ, scilicet quæ per se sũt vtiles, vel bonæ. At afflictiones, examina, cruces, & reliquæ tentationes per se sunt malæ & inutiles, non autem bonæ. Bonæ tamen sunt ac prosunt solum modò per accidens: propter accidẽtẽ scilicet misericordiam diuinam, sine qua non modò non sunt vtiles, sed etiam pars mortis, & præsentissimus ad mortem tum temporalem, tum æternam aditus. *Quatenus igitur afflictiones & cruces sunt malæ per se, eatenus eas deprecamur: quatenus autem nobis qui credimus sunt salutares & bonæ, eatenus eas non deprecamur,* vel bonum illud quod concurrit cum afflictionibus & cruce non deprecamur, sed ipsam crucem & afflictiones, quæ per se sunt malæ, quia destruunt naturam. Sic & mortem, vt per se malum deprecamur, quin & Christus eam deprecatus est, *Transeat à me calix iste, verumtamen non vt ego volo, sed vt tu.* Mat. 26. 19.

Quatenus igitur mors erat destructio, cruciatus, & malum, eatenus eam Christus deprecabatur, & nolebat: imò nec Pater ipse eatenus eam volebat. Quatenus autem Christi mors erat *Lutron* in cruce, eatenus

eam

cam volebat & Christus & Pater.

Obiect. 2. *Quæ Deus vult, ea recusare non licet. Vult autem deus nostras tentationes. Ergo nõ licet eas recusare. Resp.* Ad Maiorem, Quæ Deus vult ea non licet recusare, scilicet quatenus ea vult vt feramus cum subiectione voluntatis nostræ voluntati diuinæ, seu quæ vult simpliciter. Tentationes autem non vult simpliciter, neque quatenus sunt destructio, sed quatenus sunt vel exercitia fidei, & inuocationis, vel martyria, vel exploratio nostræ conscientiæ, atque eatenus nos etiam debemus ea velle, non autem simpliciter. Quòd verò nos non oporteat simpliciter velle tentationes, aut afflictiones, hinc facilè patet, quia ferre illas, est patientiæ: quod non esset, sed potiùs officij nostri, si simpliciter eas deberemus velle, nec eas deprecari nobis liceret. Non vult ergo Deus nos velle mala, quatenus mala, verùm quatenus mala sunt bona, vult ea nos ferre patienter.

Obiect. 3. *Quod non es impetraturus, id frustrà petis. Vt nunquam incidamus in tentationẽ, id nõ sumus impetraturi. Id ergò frustra petimus. Omnes enim qui volũt piè viuere in Christo Iesu, patientur persecutiones. Resp.* Est fallacia à non causa, vt causa. Ideo siquidem petimus ne introducamur in tentationem, non quia planè sumus liberandi, sed 1. *quia à multis liberamur, in quibus periremus, si non peteremus liberationem.* Hæc est sufficiens causa. 2. *Vt illa etiam in quæ incidimus sint nobis salutaria.* Petentibus autem in genere liberationem vult Deus hæc duo valde magna dare. Propter peccati tamen reliquias vult imperfectum esse beneficium, quod nihilominus integrum debemus petere, cum subiectione voluntatis nostræ voluntati diuinæ, & cum fiducia, quòd in altera vita simus illud integrè consequuturi.

Obseruandus autem est ordo, & cohærentia harum petitionũ. 1. *Fussit nos Dominus petere veram Dei agnitionem, & professionem, quæ est causa reliquorum beneficiorum.* 2. *Vt nos gubernet Spiritu suo, atque ita perpetuò conseruet,*

ac

ac confirmat nos in ea agnitione. 3. *Vt quisq; per officium suum in sua vocatione faciat & exequatur.* 4. *Vt det nobis ea quibus possit vnusquisq; officium suum facere, nempe bona corporalia.* Cum prioribus ergo cohæret etiam petitio quarta: nam si debemus esse in vocatione nostra, oportet nos viuere & habere necessaria ad vitam. 5. *Subiunxit petitioni bonorum spiritualium & corporalium per commodam obiectionem de indignitate nostra: vt possis nobis dare bona spiritualia, remitte nobis debita nostra.* Quinta igitur petitio est reliquarum petitionũ fundamentum, quo destructo reliqua concidunt. Si enim non statuas te habere deum propitium, quomodo eum agnosces misericordem? quomodo in ea agnitione permanebis quam non habes? quomodo officium tuum facies, ac voluntatem Dei, cùm sis ipsius hostis, & contrario studeas? quomodo adscribes omnia deo? quomodo erunt illa tibi salutaria? 6. *post petitionem bonorum spiritualium & corporalium, sequitur ad extremum petitio Liberationis à malis præsentibus & futuris. Ab hac rursum petitione vltima reuertimur ad primam: Libera nos ab omnibus malis culpæ, & pœnæ, præsentibus ac futuris, vt agnoscamus te perfectum seruatorem nostrum, ac proinde à nobis nomen tuum sanctificetur.*

CLAVSVLA.

Quia tuum est Regnum & potentia, & gloria, in secula. Amen.

HÆc precationis clausula seruit confirmationi nostræ fidei, seu fiduciæ exauditionis, quòd nimirũ Deus velit & possit nobis dare, quæ petimus. *Tuum est Regnum.* Prima ratio est, *Ab officio Regis,* quod est, exaudire subditos suos, tueri, & conseruare eos. Ergo tu Deus, cùm sis Rex noster, potentior omnibus hostibus, habens omnia in tua potestate, bona & mala: mala, vt possis compescere: Bona, ita vt nullum bonum sit

 tantum

tantum quòd non possis dare conueniens tuæ naturę: nos autē cùm simus tui subditi, adsis nobis tua potentia, nosq; serua, vt qui amans es tuorum subditorum, & tua solius defensio & tutela salutaris sit. *Dicitur Rex 1. Quia habet potestatem in omnes creaturas. 2. Quia est Rex peculiaris Ecclesiæ. Et potentia.* Secunda ratio sumpta est *à Dei potentia.* Exaudi nos Deus, & largire quæ petimus, quoniam tu es potentior omnibus hostibus, potes nobis omnia dare, & quidem solus potes, penes te solum residet hæc potentia cum summa bonitate coniuncta. *Et gloria.* Tertia ratio *à causa finali.* Petimus hæc propter gloriam tuam. Abs te solo vero Deo & Rege summo petimus omnia bona, & expectamus, atq; ita tibi hanc tuam gloriam & hunc honorem tuum attribuimus, profitemur te esse authorem & fontem omnium bonorum. Et quidem quia hæc gloria tibi debetur, abs te etiam illa petimus. Exaudias igitur nos propter gloriam tuam, maximè quia etiam vis propter gloriam tuam illa nobis dare quæ petimus. Nam quæ seruiunt gloriæ tuæ vis facere: sed quæ petimus seruiunt tuæ gloriæ: Ergo ea nobis vis dare. Des itaq; nobis quæ petimus, & ad te redibit gloria si nos liberes. Etenim hoc modo Regnum tuum, & potentia, & gloria manifestabitur.

Obiect. Videmur argumenta suasoria offerre Deo, quibus impellamus eum ad faciendum, quæ petimus. Verùm qui est immutabilis, ei frustrà adhibentur rationes. Deus est immutabilis. Ergo &c. Resp. Est fallacia à non causa vt causa. Concedo argumentum respectu Dei, sed non respectu nostri. Non.n. cùm hoc dicimus, adhibemus rationes vt Deum moueamus, aut ipsi persuadeamus vt hoc faciat: sed vt persuadeamus nobis ipsis quòd Deus sit facturus, confirmemus nos de exauditione, & agnoscamus nostram necessitatem, Deiq́ue bonitatem, & veritatem. Itaque nequaquam ad permouendum Deū rationes istæ sunt precibus additæ, verùm ad nos duntaxat confirmandos, quòd Deus sit facturus

rus, quæ petimus, quia hæ ſunt cauſæ cur id faciat: tuæ gloriæ ſeruiet: ergo facies: quia gloria tua tibi eſt curæ: tu es Rex optimus, ergo dabis ea tuis ſubditis: tu es potentiſſimus, ergo tuam potentiam oſtendes in dandis his donis, quæ ſunt maxima, & quæ à nullo alio, quàm à te ſolo poſſunt dari.

Amen. Hoc adiungitur, non vt pars precationis, ſed 1. *Quia hæc particula notat deſiderium, ac votum verum & ſyncerum, quo optamus, vt exaudiamur.* 2. *Quia hæc eadem particula notat certitudinem ſeu profeſſionem fiduciæ vel confeſſionem & confirmationem fidei noſtræ, quæ confidimus nos exauditum iri.* Igitur *Amen* ſignificat. 1. *fiat, ac certum ratumq́; ſit quod petimus, & petitioni noſtræ Deus reſpondeat.* 2. *Vcrè ac certè nos Deus ſuæ promiſſionis non immemor exaudiat.*

FINIS.

SOLI DEO SIT GLORIA.